ORIGINES JURIS PONTIFICII AD CAROLUM SEXTUM IMP. AUG. QUAS EDIT...

Leopoldo Pilato

Digitized by Google

Digitized by Google

1. H. 9. 164

Digitized by Google

XXXI.

Pilati
1739.

10.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINES
JURIS PONTIFICII
AD CAROLUM SEXTUM
IMP. AUG.

QUAS EDIT QUINQUE LIBRIS

LEOPOLDUS PILATUS

SACRI ROMANI IMPERII BARO

ECCLESIARUM CATHEDRALIUM

TRIDENTINÆ, ET JAURINENSIS CANONICUS

PRÆPOSITUS SANCTI ADALBERTI.



TRIDENTI. A. D. MDCCXXXIX.

EX TYPOGRAPHIA MONAUNIANA.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO SEXTO
IMPERATORI
PIO FELICI AUGUSTO
LEOPOLDUS PILATUS

Solebam maturo animo frequenter revolvere, & in ſeriam conſiderationem aſſumere, quod, cum ſinguli non tantum nobis, quantum aliis in humana ſocietate viventibus ad mutuum juvamen nati, deſtinatique inveniamur; omne vero hominum ævum & breve, & fragile ſit: ita optimum quemque niti, & contendere deceat, ut poſt ſe quoque Reipublicæ profit. Hæſitabam, quomodo prodeſſem Ego? Occurrit illico conditio mea, & munus difficile, quod ſimiles Mihi in Eccleſia Dei bene, ac ſapienter gerunt. Illud exiſtit præcipuum, ut ſuccreſcentes

maxime Clerici diſcant ab initio, quæ ſit ſana Doctrina, & proba Religio noſtra: edocti reliquis fideliter tradant ad incrementum Orthodoxæ Fidei, & communis Cauſæ. Confirmavit Propoſitum meum Præſentia Piiſſimi Principis, qui, cum ſolus immane ingens Beneficium bonarum artium perpendat, Has non vacuis rationibus commendat, ſed imitatores Illarum multis honoribus afficit, præmii loco. De Te loquor, SAPIENTISSIME CÆSAR, ad quem inſtituendum omnium temporum ſelectiora Studia confluxerunt. Te enim ab ineunte ætate Latinam Eloquentiam addiſcentem Tulliani ſeculi lux, & candor excoluit: Te univerſa tum Sacra, tum Profana Hiſtoria, Te varia Idiomata, & ſelecti Populorum mores aut ſingulis ætatibus præſentem ferme, aut quaſi Civem ubique reddiderunt. Jurisprudentiam ab Antonini Foro, Theologiam a Theodoſiana pietate alacriter arripuiſti, omneſque Doctrinas, atque Artes e purioribus fontibus arceſſiviſti. Unde tot publicæ, tot domeſticæ laudes exſurgunt, quæ Te PIUM FELICEM AUGUSTUM etiam apud exteras Nationes abſque omni invidia declarant. Tuam continuo humanita-

nita-

Digitized by Google

nitatem, frugalitatem, facilitatem, liberalitatem, conſtantiam, & fortitudinem, æquanimitatem, & moderationem tam ſecundis, quam adverſis rebus (quibus mortales vix carere interdum poſſumus) univerſi celebrare nunquam deſiſtimus. Additum propter antiqua merita OPTIMI cognomen, O PATER PATRIÆ: nec poſſes Optimus nominari, niſi fores optimis omnibus in ſua cujuſque laude præſtantior. Addita propter res & bello, & pace præclare geſtas MAXIMI appellatio; quæ jam Tua ſingularis laus eſt, cum Maximorum Virorum pulchra facinora a pulcherrimis tuis factis facile ſuperentur. Felices nos, Felicem Te ſemper prædicamus, ut amor, & gaudium tulit noſtrum. Eſt enim vera felicitas felicitate dignum videri, quæcunque etiam votis contraria noſtris ſuccedant abſque culpa noſtra. Sæpe tacitus mecum agitavi, qualem, quantumque eſſe oporteret, cujus ditione, nutuque maria, terra, pax, bella regerentur: quum interea figenti, formantique mihi Principem, quem immenſa hæc poteſtas rite deceret, nunquam voto ſaltem concipere ſuccurrit ſimilem Tibi, aut Te meliorem, quem fortunate inſpicimus,

& ſeros in annos inſpicere unanimi corde deſideramus. De Te, OPTIME MAXIME CÆSAR, repetere potiori titulo liceat, quemadmodum de Trajano Plinius exclamavit: *Enituit aliquis in bello, ſed obſolevit in pace: alium toga, ſed non & arma honeſtarunt: reverentiam ille terrore, alius amorem humanitate captavit: ille quæſitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit: poſtremo adhuc nemo extitit, cujus virtutes nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi noſtro quanta concordia, quantuſque concentus omnium laudum, omniſque gloriæ contingit, ut nihil ſeveritati Ejus hilaritate, nihil gravitati ſimplicitate, nihil majeſtati humanitate detrahatur.* Talem eſſe oportuit, qui tanto imperio dignus foret. Nec minus prædicanda venit moderatio Tua, quod innutritus bellicis laudibus, pacem amas. Dum bella facis, pacem cogitas, dum arma tractas, quietem paras. PACATOR UNIVERSI ORBIS, pacato Occidente, Orienti pacem donas, quodammodo invitus, nunquam coactus: quam non dediſſes ſolus. Mirantur ipſi obſeſſores, prope victi, quod tantam ſerves fidem in pactis, quæ non probas, cum ea non iniveris. Hæc publica tranquillitas ut promptior redeat, non levem aliquando partem

de

de Tuis antiquis Triumphis aut permutaſti, aut remiſiſti, paratus ſemper propter Cives etiam hoſtibus prodeſſe. Maxima autem virtutum Tuarum eminet ſumma in Deum Pietas, qui Te nondum deſeruit. Accedit inter non intermiſſas preces æqualis fiducia, quæ nec Avos, nec Te fefellit unquam. PERPETUUS RELIGIONIS SERVATOR, ET VINDEX, tanta nobis in diem beneficia impertiris, ut Conſtantinum fide, Theodoſium religione, Juſtinianum legibus, Carolum magnanimitate, Ottones muneribus imiteris, cum optimis Principibus bene faciendo certes, ſingulos aut adæques, aut vincas. Quod ſi quando cum influentibus negotiis, quæcunque ſint, juſtas inducias iniveris; inſtar refectionis exiſtimas mutationem laboris, exemplo Trajani, cum quo virtutes, & otia partiris. Quæ enim remiſſio Tibi, niſi luſtrare ſaltus, excutere cubilibus feras, ſuperare immenſa montium juga, & horrentibus ſcopulis gradum inferre? *Olim hæc experientia Juventutis, hæc voluptas erat; his artibus futuri Duces imbuebantur, certare cum fugacibus feris curſu, cum audacibus robore, cum callidis aſtu.* Singulæ autem tuæ voluptates tales quoque ſunt, quibus optime de

dentiæ indicat, atque honeſtas ſcrutatur cauſas inſtituendæ, & conſervandæ, aut in melius mutandæ, & iccirco abrogandæ nonnunquam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ. Deſcenditur per ætates multas, & varias, quæ ordine vaſto veterem, mediam, ac recentiorem Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ diſciplinam, atque probatos ritus porrigunt. Regit totum opus utilis temporum doctrina, & perpetua inter Sacerdotium, & Imperium juſta concordia. Ex quibus ſequitur, ut non tam acuatur ingenium docile, quam probi imprimis Eccleſiaſticorum Virorum inſtituantur mores; & divina magis commendetur pietas, quam humana doctrina. Quo magis confido Te, RELIGIOSISSIME PRINCEPS, hoc genus Literarum complexurum benignius, quod accendetur ſtimulata juventus, erigetque animos ad æmulandum, quæ a Te quodammodo ſe laudari videbit: nec erit quiſquam, quem non hæc meditatio ſubibit, quum ſciverit, quidquid a quoque in Provinciis præſtanter fieret, potiſſimum ad incrementum Religionis, & bonarum artium, omnia Te ſcire. Sic enim omnibus patebit honoris, & gloriæ campus, ita tamen ut caduca, & mortalia bona im-

mor-

Digitized by Google

mortalem illam felicitatem, & indeſinentem retributionem obtinentibus adumbrent tantum, non præripiant irreparabili damno. Quibus contemplandis, admirandiſque adeo, IMPERATOR AUGUSTE, rapior, ut ad integrum, atque abſolutum exigui hujuſce laboris mei ſolamen, nihil magis a Deo ter Optimo Maximo deprecer, niſi ut per diuturnam annorum fauſtiſſimorum ſeriem pro ſalute univerſæ Reipublicæ ſoſpes, atque incolumis vivas, rebuſque Tuis, prouti vis, compoſitis Terrenum labile Imperium cum Cœleſti immutabili Corona valde ſenex ſero commutes.

AD

Digitized by Google

AD CUPIDAM
JURISPRUDENTIÆ PONTIFICIÆ
JUVENTUTEM.

QUantæ utilitatis, quantæ neceſſitatis tum Clericis omnibus, tum Laicis multis Pontificii Juris ſcientia ſit, quis unquam dubitavit? Atque imprimis Eccleſiaſticis Viris. Hercle quem non puderet artificem probum, communia ſuæ artis præcepta ignorare? quis minus, quam deceat, ſtylum, & malleum tractat providus faber? quis belli, & armorum miles imperitus? Quod aliis immani vitio vertimus, nobis enormi probro fore non veremur? Accedit, quod ſimus Divinæ, atque Humanæ Legis cuſtodes, a quibus ut diſcant, apertó ore cœteri inhiant. Eſuriunt plurimi, nec erit ſapiens, qui frangat eis panem bonæ ſcientiæ? Sapientes nos eſſe decet. Sin'minus, quo ibunt? quis alius oſtendet petentibus viam probam? Cum autem nemo fiat ſummus, qui ab ovo non didicit; nec altius extollit ædificium, qui profunda, ſolidaque non jacit fundamenta, priuſquam reliquos erudiamus, ipſi erudiamur, oportet. Fundamenta iſta non ſunt quæcunque Pontificiæ Juriſprudentiæ Inſtitutiones, quibus abundant frequentiores Scholæ. Vulgaribus hiſce recitationibus non acquieſcimus, remotiores affectamus cauſas, quæ diſcentes vix non reddunt Magiſtros, auditores quaſi Judices. Loquimur de primis cunctarum rerum originibus, quas ſectamur: &ex iiſdem probamus ea, quæ rite ſequuntur, ipſa vero reliquarum artium, atque ſcientiarum exordia præſens noſtra Juriſprudentia imitatur. Hanc ab ejus Natali probe tradimus, atque ad imitationem Jani Vincentii Gravinæ (qui ſuas Civiles Inſtitutiones pulchre inſcribit ORIGINES JURIS CIVILIS ad CLEMENTEM XI. Pont. Max.) Inſtitutiones noſtras Canonicas novo nomine, certaque fiducia JURIS PONTIFICII ORIGINES appellamus ſub pari CAROLI VI. Rom. Imp. Tutela; quia

non

Digitized by Google

non contenti illa, prout jacet, multiformi lege, ortum ejus, & progreſſum indagamus, honeſtas ſcrutamur cauſas inſtituendæ, & conſervandæ, aut in melius mutandæ, & iccirco abrogandæ Eccleſiaſticæ aliquando Diſciplinæ. Deſcendimus per ætates multas, & varias, quæ nobis ordine longo veterem, mediam, & recentiorem Eccleſiæ Sanctæ Catholicæ Diſciplinam porrigunt. Fontes ultimos in Sacris Literis, aut in purioribus Hebræorum moribus non præterimus. Venimus ad Chriſtum, & ad Apoſtolos ſuos. Deinde clariſſimam præbet faciem primitiva Eccleſia. Adſunt reddita pace, Conſtantini aurea tempora. Adeſt Juſtinianus non minus de univerſa Eccleſiaſtica Republica, quam de ſapientiſſimis Secularibus Legibus meritus. Poſtea excipit curſum noſtrum incredibilis liberalitas Caroli M., atque ejus optimæ Stirpis. Pone ſequuntur munificentiſſimi Ottones. Hactenus crevit in immenſum Eccleſia virtute Fidelium, & favore Principum. Paulo poſt eadem Sancta Dei Eccleſia fortiſſimis undique Defenſoribus indiguit contra alios nunquam pares Principes. Quid renovantur antiqua vulnera? Dolent acerbæ cicatrices, quo plus tangantur. Ingenti animo utrinque certatum fuit ſatis, & deventum ad mutua tandem foedera, ut laceratam penitus concordiam inirent ſuam Sacerdotium, & Imperium. Numini immortali ſummæ ſint laudes. Vicimus ſæpe. Vincimus hodie, qui in medio piiſſimorum Principum fortunata tempora vivimus, quando Eccleſiæ interdum agitatæ ſui neutiquam deſunt Patroni, Advocatique potentiſſimi. In tanta rerum viciſſitudine quis non tangit robuſtum Dei digitum, qui hic eſt? Dogma variavit nullum, quia variari non poterit, donec Portæ Inferi non prævaluerint adverſus Eccleſiam. Explicari debuit ſæpe: tunc præcipue, cum tempeſtates errorum contra lucem veritatis inſurgerent, tandem nubibus tenebrarum fugatis. Ponderavimus aliquas, & primarias quidem tantarum mutationum rationes; plurimas ſtudio omiſimus minus neceſſarias, quas hæreſis peſſima, durum ſchiſma, & perpetua ſcandala pepererunt, atque in Orbem induxerunt univerſum. Pa-

 tebunt

Digitized by Google

tebunt ſingulæ notæ ſucceſſu Operis noſtri. Plerumque autem hæret examen in Syn. Trident. an. 1542. indicta, quæ conſtans, & firma noſtrorum morum norma nunquam non eſſe debet. Si quæ poſt ſerenos illos dies aut interrupta, aut inverſa, aut denuo invecta apparuerint, ſingula momenta non levi diligentia libramus. Imo vero non meras rerum Origines volvimus; teſtes ipſos adducimus omni exceptione majores, & coęvos, quantum fieri licuit. Quod ſi autem utamur interdum teſtimonio hominis, cujus memoria Romæ foret aut damnata, aut inviſa, hujus partes non tuemur, errores non ſectamur, cauſam non excuſamus. Citamus in ea pagina tantum, quæ non ſolum Catholica eſt, ſed etiam Apoſtolicæ Sedi non averſatur. Hinc laudamus, ubi laudare poſſumus; damnamus, ubi damnat Romana Eccleſia, quæ Mater eſt, & Magiſtra noſtra. Subſcribimus, quidquid illa ſentit: rejicimus, quidquid illa provide rejecit. In reliquo fontibus aſſidemus uberioribus, utrique Teſtamento, utrique Juri, & inter Concilia plurimum Tridentino. Regit totum opus juſta temporum Doctrina, quæ niſi maximo rigore ſervetur, neque introitus, neque exitus. Non diſtinguuntur amplius Lex, & Evangelium. Conveniunt Moyſes, & Chriſtus, Prophetæ, & Apoſtoli. Pugnant Semiramis cum Pompeo, Cyrus Cambyſis filius cum Alexandro Philippi filio. Hunc Labyrinthum ne ingrediamur, præſtat Ariadne filum, quæ eſt recta Chronologia. Signantur enim ſingula nobis tempora, & nunquam latere debet, ubi ſimus. Atque ut pro innocuo exigui laboris noſtri ſolamine plenam dictis noſtris fidem conciliare valeamus apud Studioſam Juventutem, novum adjungere oportet monitum, quod forte nullus apparebit in his paginis citatus alienus locus, quem nos prius oculis noſtris non inſpeximus aut ex domeſticis ſelectis noſtris libris, aut ex iis, quos in defectum conſulere debuimus ex Vindobonenſi Cæſarea Bibliotheca: Quam immenſis ſumptibus in diem auget liberaliſſimus Imperator. Imo vero ne juſta laude defraudetur ſingulare amiciſſimi hominis beneficium, non poſſumus non grato animo commemorare

ingen-

Digitized by Google

ingentem opem, & non leve ſolatium, quantum in prælo noſtro frequenter experimur adjutore eximio, præclariſſimo, ac doctiſſimo Viro Pantaleone Portio Tridentino Vicario Generali. Nos illud tandem Quinque Originum noſtrarum Libris efficere confidimus, ut omnia pandamus, quæ eruditi, & probi Eccleſiaſtici Viri ignorare nullatenus debent. Hoc ſi præſtiterimus, ſingulos recluſimus antiquiſſimos quidem, non inacceſſos fontes, unde omnis tandem noſtra Juriſprudentia manat. Illos adeant fontes, ut longam extinguant ſitim, qui velint. Saltem, & illud ſperamus, apud nos nulli ſitient. Aliud ab initio nobis propoſuimus, ut non tam ingenium acuamus, quam animos excolamus. Pietatem ſinceram inſpiramus, ocium turpe damnamus, Sapientiam Divinam commendamus. Utinam ſuccedant ſanctiſſima vota, & inveniantur plurimi, quibus profuimus. Majora non quærimus. Unum adhuc exoptamus, atque a Deo ter Optimo iterum, atque iterum imploramus, ut emendemur ipſi & in iis, de quibus alios fraterno amore admonemus.

Dabamus Tridenti Kalendis Februariis poſt Natum Chriſtum Vulgari Anno MDCCXXXIX.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA
Inclytæ Facultatis Theologicæ Viennenſis.

Præſens Opus in Quinque Libros diviſum, ORIGINES JURIS PONTIFICII *inſcriptum, atque ab Illuſtriſſimo, & Reverendiſſimo Authore, operoſa induſtria compilatum, accurate legi, ac pervolvi: Et cum nihil Orthodoxæ Fidei, & Sacris Canonibus contrarium contineat, ſed inſignem eruditionem complectatur, Typis publicis dignum cenſeo. In cujus fidem hanc cenſuram, conſueto Facultatis Sigillo, & propriæ manus Chirographo munivi,*

Viennæ in Cæſareo, & Academico Soc. Jeſu Collegio 8. *Septemb.* 1738.

Joſephus Gögger Soc. Jeſu
Facultat. Theolog. p. t.
Decanus m. p.

IMPRIMATUR.

Bartholomæus Joſephus Trilſamb
Philoſophiæ Doctor, ac p. t. Univerſitatis Viennenſis Rector.

CEN-

Digitized by Google

CENSURA TRIDENTINA.

Magnam voluptatem cepi ex lectione Operis inſcripti ORIGINES JURIS PONTIFICII &c. *Quod cum omnem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ rationem in ſumma quidem capita congeſtam, at eximia eruditione refertam contineat; tantum abeſt, ut Catholicæ Fidei, Morumve ſanctitati adverſetur, ut potius ad pietatem cum ſcientia Juris Pontificii conjungendam alliciat. Quapropter illud non ſtudioſæ ſolum juventuti utile, ſed a moroſorum etiam hominum reprehenſione tutum fore auguror: ſi modo aberit iniquus animus, eaque mente ſingula in ipſo propoſita expendentur, qua & prolata ſunt, & in finem uſque modeſtiſſime explicata. Itaque typis edatur.*

Dabam Tridenti A. D. Non. Quintil. M.DCC.XXXIX.

P. Bortius Vicarius Generalis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM
JURIS PONTIFICII
LIBER PRIMUS
DE
PERSONIS
ECCLESIÆ.



Digitized by Google

Etiamſi aliis temporibus aliquando non ita fuiſſe; & nunc aliter eſſe, quam fuit, demonſtretur; non tamen cogitare debemus, quaſi levitate aliqua factum ſit, ut nunc aliter teneatur, & aliter inſtitutum ſit, quam fuit: Sed quod tunc oportebat, & ita ſalubre fuit, ut ſic teneretur, & ſic juberetur; nunc autem alia eſſe tempora, & aliud eſſe congruum, ſive neceſſarium ſaluti humanæ.

Hugo a Sancto Victore De Sacramentis Fidei Lib. II. Par. XI. Cap. XII.

Digitized by Google

ORIGINUM JURIS PONTIFICII

LIBER PRIMUS.

MUlta de Ortu, & Progreſſu Juris Pontificii præmittenda forent, quibus tamen, cum Ortum, & Progreſſum eundem natura ipſa, & ſucceſſio Operis noſtri continuo manifeſtaverit, hactenus extra ordinem non immoramur. Sciſcitandum venit, quare Librum meum inſcripſerim Origines ? Dicam, quia rem ab Origine trahit, quantum eſt ſatis, & viam oſtendit ab ipſis fontibus. Curſum ſi ſequaris, fluvius cadit ad mare. Hoc eſt; habes, quæ ſufficit in hac re ſcire, aut quibus poſſis reliquum invenire. Ideo non ſcripſi Inſtitutiones, quæ tam procul non eunt: non Digeſta, quæ vix non omnia colligunt: ſed Origines, unde habeas, quæ ſufficit ſcire, aut quibus poſſis reliquum invenire. Stylum ſeligere debui brevem, clarum, facilem, aptiſſimum ad Eccleſiaſticas res tractandas: qualem tenent communiter Barboſa, Fagnanus, De Luca, & alii Curiæ Romanæ emeriti viri. Admonendæ tantum delicatæ aures, ne a rudibus abhorreant nominibus, & veniam petimus, ſi quando barbaris uti cogamur vocibus. Excuſaret nos ipſe Latinæ Eloquentiæ Parens. Apud illum enim: *Omne, quod de re bona dilucide dicitur, præclare dici videtur. Iſtiuſmodi autem res dicere ornate velle, puerile eſt: plane autem, & perſpicue expedire poſſe, docti, & intelligentis Viri.*

CAUSA TITULI.

Cicer. de finib. Lib. 3. cap. 5.

DE JURE CANONICO, SIVE PONTIFICIO

TITULUS I.

JUs Canonicum nominamus, quia Canon Regula eſt, quæ hominum dicta, & facta ad Deum dirigit. Pontificium Jus nominamus, quia Summus Pontifex præcipuus eſt Canonum, & Eccleſiaſticarum Legum Conditor, Cuſtos, Interpres. Dividimus autem Jus Canonicum in Jus Divinum, Conſuetudinem, & Eccleſiaſticas Conſtitutiones.

ETYMOLOGIA.

DIVISIO.

Jus Divinum dicimus, quod habet autorem Deum. Quia vero Deus eſt, quia nulli errori obnoxia Ejus ſapientia rectæ rationis normas tribuit,

JUS DIVINUM, ET NATURALE.

A Jus

Digitized by Google

Jus naturale ab Autore Naturæ, ſive Lumen rationis de eo, quod Deo, atque hominibus debemus, Jus divinum pari menſura habendum eſt.

Jus Divinum poſitivum eſt, quod Deo viſum fuit Mortalibus præſcribere, ſive cauſam illius revelaverit, ſive non. Continetur autem

Ubi existat? in Lege, Prophetis, & Evangelio, quæ per Traditionem explicantur aliquando, ne malus irrumpat error. Neceſſitatem Traditionis negare poterit nemo ſanæ mentis, qui eandem in ſua Civitate, in ſua Gente, in ipſa Domo vitare ſæpe nequit.

Nexus utriusq. Testamenti. In Lege Veteri, ſub qua Legem, & Prophetas intelligimus, Præcepta Moralia, Cæremonialia, & Judicialia abſcondebant Chriſtum, quo

Matth. V. 17. Joan. XIX. 28. veniente ita *adimpleta*, *& conſummata* ſunt omnia, ut in Evangelio cuncta ad ſuos numeros revocarentur, cuncta ad jus Naturale, ſive ad primævam inſtitutionem noviſſimis Sacramentis reſtituerentur ferme.

Jus Naturale immutabile. Jus Divinum Naturale eſt immutabile, quoniam idea, ſive apprehenſio ſimplex rationis variari nequit, donec variari nequiverit Autor Naturæ, qui nihil præter hanc ſimpliciſſimam rationis ideam noſtro ſenſu inſert, & in Quo hæc ipſa æternum ſtat. Quando enim variari poterit? quando ſilebit antiqua Naturæ vox, quæ clamat ubique ad omnes: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: neminem lædere: Jus ſuum unicuique tribuere?

Quomodo sit mutabile Jus Divinum? Jus Divinum poſitivum, ut Schola loquitur, extrinſece mutabile eſt, accomodatum quippe bono hominum, in determinato ſtatu viventium.

Synagoga cessavit. Rom. VI. 15. Alias non potuiſſent ceſſare Veteris Synagogæ Mores, Ritus, & Judicia; quæ tamen ceſſaverunt, *quoniam non ſumus ſub Lege, ſed ſub gratia*. Futuram Legis Novæ durationem, nonniſi Deo revelante cognoſcere ſufficimus, cum ſit autor Illius. Promiſit fore, ut vetus recentiori pacto Te-

Jerem. XXXI. 31. Duratio Legis Novæ. Act. I. 7. ſtamentum exaltetur. Sed nullibi manifeſtavit, ante finem ſeculi ne jota quidem immutatum iri, quoniam noſtrum non eſt, noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Certiſſimum eſt, quod

Matth. V. 18. Luc. XVI. 17. Vinculum Legis. Cœlum, & Terra tranſibunt, verba autem Chriſti non præteribunt. Quodcunque Jus Divinum omnes uſum rationis rectæ liberum habentes ligat ſemper, & ad ſemper, ſi negativum ſit, ut Schola loquitur: Semper, & non ad ſemper, ſi affirmativum ſit. Sic ſemper, & non ad ſemper, hoc eſt non ſingulis momentis tenemur immediate, & explicite

Exod. XX. Sabbatum Sanctificare, aut Parentes honorare. Semper, & ad ſemper non habere Deos alienos, non aſſumere nomen Domini in vanum, non occidere, non mœchari, non furtum facere, non loqui falſum teſtimonium,

Digitized by Google

nium, non concupiſcere, quæ omnia proximi ſunt. Optimi autem ſunt ii, *qui oſtendunt opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum.* Rom. II. 15.

Expoſito Jure Divino ſubjicitur humanum Jus, quod ab homine fertur. Vel eſt ſcriptum, vel non ſcriptum, & jam Conſuetudo dicitur: quæ *pro Jure, & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet.* Poſt Juſtinianum Gratianus ait: *Conſuetudo autem eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cum deficit lex.* Redit Juſtinianus: *Sine ſcriptis jus venit, quod uſus approbavit: nam diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitantur;* quoniam *omne jus aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit, aut firmavit Conſuetudo.* Hæc itaque vim Legis habet, imo altera lex eſt. Quare *rectiſſime etiam illud receptum eſt*, ait Julianus, *ut Leges non ſolum ſuffragio Legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogentur.* Apud Nos idem mos eſt, nec Canones diſtant a Legibus iſtis.

Jus humanum. *L. 33. D. de LL.* Consuetudo. *Diſt. 1. c. 5.* *Inſtit. de Jur. Nat. Gent. & Civ. §. 9.* *L. 40. D. de LL.* *L. 32. eod.*

Jam vero Conſuetudo, non illa optima Legum interpres, quæ cum Legem in uſum deducat, ſecundum Legem eſſe dicitur, & proprie niſi habitus, uſuſque Legis, aut Lex ipſa, nihil eſt: Sed illa (quæ vel præter legem eſt, ubi Jus ſcriptum non providit, vel contra Legem eſt, ubi Lex ſcripta aut uſu non recipitur, aut recepta de medio tollitur), differt a Traditione, quia Traditio ſupponit præceptum antiquum, in quo interpretationis, & promulgationis vices agit, quando illa communi ordine jus novum condit. Differt a Præſcriptione, quæ præ reliquis longum tempus requirit, quando illa in diuturnitate temporis utcunque non conſiſtit.

L. 37. eod. Differt a Traditione, Et a Præscriptione.

Ad introducendam Conſuetudinem plerumque requiruntur actus plures, aliquando unicus, qui ſtatum, atque perpetuitatem includat: veluti cum pons in alieno fundo ædificetur, ſeu via publica in privato ſolo ſternatur, contradictore nullo, qui alias contradicendi jus haberet. Actuum naturam, & pondus explicat prudens Judicis arbitrium, qui nempe ſint apti, atque ordinati ad introducendam legitimam conſuetudinem. Debet Conſuetudo eſſe laudabilis, ut ajunt Juriſconſulti: nec laudari poteſt, quæ non ſit conformis rationi, honeſtati, atque utilitati Reipublicæ. Hinc patet, quod Naturale Jus, & Divinum immutabile, Fides Catholica, & boni mores nulla queant mala inverti Conſuetudine, quæ potius vetuſtas erroris, & corruptela foret non ferenda. Sic intacta manent pietas in parentes, Religio in Deum, virtus Sacramentorum, fides in pactis.

Quibus viis introducatur? Quæ sit laudanda?

 Præ-

TEMPUS NECESSARIUM. Præterea cum Conſuetudo potius fundetur in diuturnitate actus legitimi, quam in mora temporis, relinquitur judicis arbitrio juſta diſcuſſio, quod ſit tempus neceſſarium. Frequentior in foro occurrit Conſuetudo vel Decennalis, vel Quadragenaria, rarior Centenaria, vel immemorabilis. PRÆSCRIPTIO. Perfecta omnis Conſuetudo ſit Præſcriptio, quæ nihil eſt, niſi conſummata, & omnibus ſuis numeris abſoluta Conſuetudo. Quamobrem *Conſuetudinis, uſuſque longævi non vilis auctoritas eſt, verum non uſque adeo ſui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem.* L. 2. Cod. *Quæ ſit longa Conſuetudo.*

Requiritur pariter, ut ſit continuata, non interrupta; ut bona fides ab initio interveniat, & uſque ad finem permaneat; nec diſſentiant ii, quorum intereſt. Diſſentire non reputantur ii, qui ſciverunt, nec reclamaverunt; & qui neſciverunt quidem, ſed ſcire potuerunt. Idem hic quoque eſt ſcire, & ſcire poſſe, cum jura ſuffragentur vigilantibus, non dormientibus.

TOLLITUR CONSUETUDO. Tollitur Conſuetudo ipſa per contrarium uſum, & per contrariam legem, ubi ſurgit quaſi lex nova. Cæterum juſta, & immemorabili ab exordio derivata, ſeu legitime præſcripta Conſuetudo excuſat piiſſimos homines ab obedientia tot, tantarumque legum tam Civilium, quam Eccleſiaſticarum. Hæc Veteris Legis Cæremonias, & judicia, hæc Novæ Legis Ritus, Ferias, Jejunia, & plurima hujuſmodi immutavit, quæ intacto Dogmate meram Diſciplinam tangerent. Sic abrogata fuit lex ad tempus lata de non edendo ſanguine, & ſuffocato. Act. XV. 29. Sic Baptiſmus per infuſionem, & panis azymus apud Latinos viget, ubi Græci Baptiſmum per immerſionem, & panem fermentatum retinuerunt. Cum enim Chriſtiana Religio de mundo corde, & ſpiritu recto plurimum ſolicita ſemper fuiſſet, Pſal. L. 12. Eadem propter externum habitum aliquando non angebatur. Tantum potuit ſuadere antiqua Chriſtianorum libertas. Quapropter quælibet Eccleſia ſuas ſervet laudandas Conſuetudines. Licet multa membra ſimus, unum tamen Caput noſtrum eſt Chriſtus Jeſus, quem corde, & ore confitemur, *ut notum faceret nobis Sacramentum voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum ejus, quod propoſuit in Eo.* Epheſ. I. 9.

CONSTITUTIONES ECCLESIASTICÆ. Jus Pontificium continet Canones, Decretum, Epiſtolam Decretalem, Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctionem, quæ Conſtitutiones Eccleſiaſticæ appellantur. Conſtitutio eſt Lex ſcripta, & *Legis virtus hæc eſt: imperare, vetare, permittere, punire,* L. 7. D. de LL. quæ præcipit facienda, & prohibet non facienda. Semper juſtum, & honeſtum permittit. Sæpe punit, & aliquando diſſimulat, quod minus juſtum, & honeſtum

neſtum eſt, ne majus malum oriatur. Sic invite in optima Republica
quaſi tolerantur impune fornicationes, & uſuræ, ne ſint adulteri, & fu-
res. Sic ob duritiem cordis eorum conceſſit Deus Judæis uſuras cum alie- Deut. XXX. 19.
no, ne fœnerent cum fratre; conceſſit libellum repudii, & poligamiam, *Ibid.* XXIV.
ne occidant uxores.

Si digna vox eſt majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem pro- *L.* 4. Cod. *de LL.*
fiteri, quanto magis reliqui omnes ſuis legibus regi debent? Quia vero *L.* 10. Cod. *eod.*
omnes legibus ligamur, & omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſub- Rom. XIII. 1.
dita eſt propter conſcientiam, ideo quicunque legitima pollet juriſdictio- CUJUS SIT FER-
ne, intra juriſdictionis ſuæ fines, erga ſubditos, utiles & juſtas condere RE LEGES?
leges valet. Qua de causa, & ob hunc finem ſcripſit Ulpianus: *Non am-* *L. 9. D. de LL.*
bigitur Senatum Jus facere poſſe.

Verum nulla lex ligat hominem non ſubditum, qui jam extra ſuos fi-
nes poſitus eſt. Lex Eccleſiaſtica, cui propius accedimus, ligat ſolos ba- QUEM LIGENT?
ptizatos, cujuſcunque tandem ordinis, gradus, & conditionis ſint. *In*
quibus tanto gravius pondus eſt Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus *Diſt.* XCVI. *c.* 10.
hominum in divino ſunt reddituri examine rationem? Si Imperator Catholicus *Ibid. c.* 11.
eſt, quod ſalva pace Ipſius dixerimus, filius eſt, non Præſul Eccleſiæ: quod
ad Religionem competit, diſcere Ei convenit, non docere.... Ad Sacerdotes
enim Deus voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi pote-
ſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.

Si verum eſt, baptizatos ligari Legibus Eccleſiæ, ſoluti neutiquam AN HÆRETICOS?
ſunt Hæretici, Schiſmatici, & Apoſtatæ, ne ex ſua iniquitate lucrum,
& favorem ſentiant: qui iccirco puniri, & ad obedientiam compelli
poſſunt, tanquam rebelles ſubditi, & inobedientes filii, ubi tamen ſpes
eſt exercendæ poteſtatis, & quantum humana ſuadet prudentia, ne con-
temptus oriatur novus. Non ligantur non baptizati, qui ſunt Judæi, AN NON BAPTI-
Ethnici, Saraceni: de quibus, quia foris ſunt, Eccleſia non judicat, nam ZATOS? I. Cor. V. 13.
eos Deus judicabit. Oportet auferre malum ex nobis ipſis.

Legiſlator in Eccleſia Dei, in iis, quæ reſpiciunt æque ſe, ac popu- AN LEGISLATO-
lum, ſaltem via directiva ſuis tenetur Legibus. *Tunc enim jura ſua ab* REM? *Diſt.* IX. *c.* 2.
omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet....
Juſta eſt enim vocis Eorum auctoritas, ſi, quod populis prohibent, ſibi licere non
patiantur. Lex incipit obligare poſt ſententiam promulgatam, & ſcien- QUANDO LEX
tiam illius, quemadmodum Legiſlatoris pia juſſit voluntas, cujus eſt OBLIGET?
ulciſci, ſi violetur. *In ambigua voce Legis, ea potius accipienda eſt ſigni-* *L.* 19. *D. de LL.*
ficatio, quæ vitio caret, præſertim cum etiam voluntas Legis ex hoc colligi AMBIGUÆ LEGIS INTERPRETATIO.

poſ-

Digitized by Google

L. 13. eod. *poſſit*. Imo *quotiens Lege aliquid unum, vel alterum introductum eſt, bona occaſio eſt, cætera, quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretatione,*
L. 20. eod. *vel certe juriſdictione ſuppleri*. Sed *non omnium, quæ a majoribus conſtituta*
L. 23. eod. *ſunt, ratio reddi poteſt*: quamvis *minime ſunt mutanda, quæ interpretatio-*
L. 18. eod. *nem certam ſemper habuerunt*. Ultimum eſt, quod *benignius Leges interpre-*
L. 25. eod. *tandæ ſunt, quo voluntas earum conſervetur*. Et *nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ ſalubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipſorum commodum producamus ad ſeveritatem*. Hæc imprimis in Legibus Eccleſiæ obſervamus, quæ Mater

Tollitur Lex. eſt, non Noverca. Illud vero patet, quod ipſa Lex tollatur per non Uſum, per oppoſitam Conſuetudinem, & multo magis per derogationem contrariæ legis manifeſtam. Hic Titulus fundamentum eſt Originum Juris Pontificii.

DE CLERICIS

TITULUS II.

Cauſ. XII. q. 1. c. 7. Syn. Trid. 1562. Seſſ. XXII. c. 1. de Reformat.

CHriſtianorum alii ſunt Clerici, alii Laici. Hi ſeculo dediti, illi Deo dicati, & in ſortem Ejus vocati. *In eos tanquam ſpeculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iiſque ſumunt, quod imitentur*. Clericorum

Munus Clericorum. duplex munus eſt, Sacerdotii, & Miniſterii. Sacerdotium decet Epiſcopos, & Presbyteros: Miniſterium Diaconos, & reliquos Ordines, quaſi gradus, per quos ad ſpeculam, ſive ad Epiſcopatum aſcenditur; in quo autem reliqui eminenter continentur, quandocunque *Spiritus Sanctus po-*

Act. XX. 28. *ſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei*. Conſule Binghamum, quem propter

Origin. Eccleſiaſt. l. 1. pag. 41. l. 6. pag. 300. multam eruditionem nomino ſano ſenſu, nunquam probo, ubi propter ſuam Anglicanam ſectam a nobis diſſentit. Incidit hic Autor in manus meas finito labore. Juvat mutuam collationem inire. Ubi convenerimus, fiduciam etiam apud Extraneos lucrabor. Ubi contradictorem offendero, impugnabo, quantum res ſinit. Bonam Cauſam noſtram confirmabo, ſi Deus annuerit.

Prima Tonsura. Juvat inſpicere ſingulos gradus, quibus præmittitur Prima Tonſura, quæ nullus Ordo, ſed mera diſpoſitio ad Ordines eſt. Quamvis ipſe Apo-

I. Cor. XI. 14. ſtolus ignominiæ vertat viro nutrire comam, videtur Tonſura, & Corona Clericalis nondum Patribus Conc. Carthag. An. 398. nota fuiſſe, qui de Ritu Tonſuræ, & Coronæ altum ſilent, ubi tamen ſingulari Ca-

Can. 44. none vetant: *Clericus nec comam nutriat, nec barbam radat*. Poſt illa tempora

Digitized by Google

pora Monachi videntur abſque nova ſignificatione initium feciſſe, raſo capite ad ſui contemptum, tanquam ſervi, eo magis quod jam ex ſervis ipſis multi fierent Monachi. Monachos æmulati ſunt Epiſcopi, quorum cum maxima pars in Monaſteriis educata fuerit a juventute prima, veteres in Epiſcopatu, & aſperiores perſæpe mores, atque habitus induxit illa in ſuos Clericos, ut diſcant ſibi honori vertere, quod alii jam ſibi dedecori traderent. Juſta multis ſanis viris hæc interpretatio arriſit, quæ omnem alium antiquiorem uſum ab Apoſtolis, aut ab Aniceto excludit, tanquam opinionem piam magis, quam veram. Decretum Aniceti Anteſiricianum eſt, & Anteſiricianæ litteræ doctis non faciunt fidem, niſi paucæ, quas inter non habet locum Aniceti Decretum. Apocryphas Anteſiricianas Litteras ex vaga Mercatoris Collectione Editores varii Conciliorum in ſuas inemendatas Editiones tranſtulerunt. Conſule Natalem Alexandrum.

Bingham. *l. 6. pag.* 415. *l. 7. pag.* 50.

ORIGO.

Hiſt. Eccleſiaſt. *Tom.* III. *Diſſ.* 21. *pag.* 213.

De Tonſura Clericorum adi Thomaſſinum quoque, apud quem *ineunte vero ſeculo ſexto, vel certe quinto exeunte, non ante, jam inducta aperte videtur in Eccleſiam Tonſura Clericalis*. Addit Morinus Tonſuram ſeculis illis nunquam ſeparatim ab omni Ordine datam fuiſſe; ſed ſimul cum primo Ordine, veluti ritum illius collationi annexum: ſeparari cepiſſe circa Annum ſeptingenteſimum, quando ob exemptiones multas Eandem uſurparunt adulti, quæ olim ſolis pueris clauſtro oblatis, & ad obeunda quæcunque munia nondum idoneis, propter infirmitatem ætatis indulgebatur, ne profani penitus manerent, qui Clero quidem deſtinati, ſed nondum digni, aut maturi forent.

Eccleſiaſt. Diſcipl. *p.* 1. *l.* 2. *c.* 37.

Ordination. *p.* 3. *exercit.* 15. *c.* 3.

SEPARARI CEPIT AB ORDINE.

Hodie quando jam ſeparari ab omni Ordine poteſt, *Prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quique legere, & ſcribere neſciant, & de quibus probabilis conjectura non ſit, Eos non ſecularis Judicii fugiendi fraude, ſed ut Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe*.

Pontif. Roman. *de Ordin. confer.*

RECENS DISCIPLINA.

Extat Decretum S. Congreg. Conc. 20. Maji an. 1592., quo declaratur nullam a Concilio præſtitutam fuiſſe ætatem pro recipienda prima Tonſura, ſed ſervandos eſſe priores Canones: ætatem autem XIV. annorum requiri a Concilio ad beneficium acquirendum. Et hoc Decretum firmat conſuetudo. Ritus eſt, quod *Clericus fieri poteſt etiam extra Miſſarum ſolemnia, quocunque die, hora, & loco*. Epiſcopus Pontificalibus indutus veſtibus, orat cum ſuo Clero, & tondet novos Clericos, ut ſint pars hæreditatis Domini. Quare de Foro Eccleſiæ fiunt per ſolam Tonſuram, & illico Clericalia Privilegia ſortiuntur.

Seſſ. XXIII. 1563. *c. 6. de Reformat.*

ÆTAS. RITUS.

Diſt. XXVIII. *c.* 5. *Diſt.* LXXVII. *c.* 2.

Pontif. Roman. *de Cler. faciend.*

MINISTER.

PRIVILEGIA.

Auctis

Minorum Ordinum Origo. Bingham. *l. 3. pag. 1.*

Auctis fidelibus, & Eccleſiis inſtituti ſunt Lectores, quibus Sacrorum Codicum cuſtodia, & publica Lectio committebatur. Oſtiarii, qui Domum Sanctam cuſtodirent, & ab ingreſſu profanos, atque interdictos in porta arcerent. Exorciſtæ, qui obſeſſos exorcizarent, & a poteſtatibus Tenebrarum Catechumenos liberarent. Acolythi, qui Epiſcopis ſuis præſto eſſent in minoribus Officiis. Et hi ſunt Quatuor Minores Ordines, qui olim non tam ignoti, quam neglecti in Eccleſiis multis, hodie ſinguli neceſſario Majoribus Ordinibus præmittendi ſunt, ſervatis ſuis interſtitiis, quantum fieri poteſt, & quavis promotione per ſaltum remota.

Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXIII. *c.* 17. *de Reformat.* *De Cler. per ſaltum promoto.*

Huic noſtræ ordinatæ promotioni aliquando non attendebatur ſatis in certis Eccleſiis, quarum non una omnium, & ſingularum facies erat. Aliæ etiam ſolos Lectores, & Acolythos, aliæ ſolos Lectores, & Oſtiarios, aliæ inſimul Cantores alebant. Apud Græcos ſoli Lectores ordinantur.

Varii Mores.

Recens Diſciplina.

Hodie Tonſura, & Minores unico contextu conferri ſolent adoleſcenti ſaltem Annum XIV. agenti, qui ſcientia aliqua, & bonis moribus præditus ſit. Cæterum antiqua Eccleſiæ mens eſt interſtitia ſervari, *ut eo accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint edoceri; ac in unoquoque munere juxta præſcriptum Epiſcopi ſe exerceant; idque in ea, cui adſcripti erunt, Eccleſia, niſi forte ex cauſa Studiorum abſint; atque ita de gradu in gradum aſcendant, ut in eis cum ætate, vitæ meritum, & doctrina major accreſcat. Quod & bonum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque major erga Presbyteros, & Superiores Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, Corporis Chriſti Communio maxime comprobabunt. Cumque hinc ad altiores gradus, & ſacratiſſima myſteria ſit ingreſſus, nemo iis initietur, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat.*

Pontif. Roman. *de Ordin. Confer.*

Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, habentes bonum teſtimonium, & in Minoribus Ordinibus jam probati, ac Litteris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, inſtructi. Qui ſperent Deo auctore ſe continere poſſe; Eccleſiis, quibus aſcribentur, inſerviant. Subdiaconatus apud Latinos uſque ad Seculum Nonum, & in quibuſdam Eccleſiis uſque ad Duodecimum inter Minores Ordines numeratus fuit, quia extra Miſſarum ſolemnia, ſive extra Altare, nec Sabbato Quatuor Temporum collatus fuit. Quod Græci hucuſque ſervant. Hoc Sabbato olim Diaconatus, & Presbyteratus ſoli conferebantur, tanquam Majores Ordines. De Subdiaconatu ad rem ſcribit Card. Bona: *Cum prius extra Sanctuarium, & Altare conferri ſoleret, invaluit poſtea quorundam Epiſcoporum conſuetudo, Eum intra Miſ-*

Subdiaconatus olim non fuit Ordo Sacer.

Rer. Liturgic. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 16.

Digitized by Google

Miſſarum ſolemnia conferentium, & ita ſenſim Majoribus æquiparatus eſt. Multum nihilominus tempus interceſſit, antequam certa, & inviolabili lege inter Sacros Ordines recenſitus ſit. Etenim Petrus Cantor, qui vivebat anno 1200.*, relatus a Menardo in Lib. Sacram. pag.* 280. *ait: De novo inſtitutum eſt, Subdiaconatum eſſe Sacrum Ordinem.* Citat Natalis Synodum Laodicænam anno 367. circiter, ubi Canon Vigeſimus Quintus *Subdiaconis Panem dare, vel Calicem benedicere vetat: ideſt panem conſecrandum offerre Presbytero, vel vinum, quod forte in Calicem infundebant, antequam ad Altare deferretur, benedicere. Neque enim arbitror Subdiaconos alias auſos fuiſſe diſtribuere fidelibus Corpus Chriſti, & Calicem conſecrare, ut hoc ipſis prohibere fuiſſe neceſſarium mihi perſuadeam, eumque eſſe exiſtimem Canonis Laodiceni ſenſum. Canon Vigeſimus Primus Subdiaconis aditum Diaconii, ſive Secretarii claudit, illiſque ne Vaſa Dominica contingant, prohibet. Tunc ſcilicet Subdiaconatus non erat Ordo Sacer. Sed nec Eccleſia Græca illum pro ſacro habuit.*

Supra Tom. IV. *pag.* 74.

Quod autem Subdiaconatus apud Latinos ſenſim inter Majores Ordines numerari ceperit, viam ſternit exeunte Seculo Undecimo Urbanus II., ubi negat in Epiſcopum eligi poſſe Virum, *niſi in Sacris Ordinibus religioſe vivens fuerit inventus. Sacros autem Ordines* (Verba Pontificis clariora nequeunt eſſe) *dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia. Subdiaconos vero, quia & ipſi Altaribus miniſtrant, opportunitate exigente concedimus, ſi tamen ſpectatæ ſint Religionis, & Scientiæ. Quod ipſum non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri permittimus.* Hinc exeunte Seculo Undecimo Subdiaconatus nondum inter Majores Ordines numerabatur, cum Primitiva Eccleſia, & adhuc Urbanus II. inter Sacros Ordines Diaconatum, & Presbyteratum ſolos habuiſſe legatur. Tandem Innocentius III. poſtquam agnoviſſet, quod in Primitivæ Eccleſiæ ſtatu, Subdiaconatus Ordo Sacer minime diceretur, non dubitat amplius confirmare ſuo Ævo, circa Seculum Decimum Tertium, quod Subdiaconatus jam inter Sacros Ordines computetur, quem tamen putat jam ab Urbano II. computatum fuiſſe. Poſthac extra omne dubium cadit, quod Subdiaconatus a Patribus Tridentinis quoque inter Majores Ordines connumeratus fuerit, & hodie apud Latinos connumeretur.

Diſt. LX. *c.* 4.

c. 9. *de Ætate, & Qual. & Ord. præficiend.*

HODIE APUD LATINOS ORDO SACER EST.

Seſſ. XXIII. 1563. *c.* 2.

Jam a plurimis ſeculis ordinandi ad Subdiaconatum debent ſperare Deo auctore ſe continere poſſe. Habet idem Card. Bona: *Ab initio, & deinceps per aliquot ſecula Subdiaconatus inter Minores Ordines numerabatur,*

loco citato.

B *nec*

OLIM NEC CÆLIBATUS ERAT ANNEXUS. nec Ei annexus erat Cælibatus. Quamvis enim Concilium Illiberitanum Canone trigeſimo tertio Subdiaconis indixerit Continentiam, certo conſtat hanc Legem nec alibi, nec in ipſa Hiſpania tunc fuiſſe receptam, ut Morinus demonſtrat p. 3. Sacr. Ordinat. exercit. 12. c. 5. Poſt Sextum vero Seculum vix aliqua memoria Subdiaconorum reperitur, qui non fuerint Continentiæ voto adſtricti. Et Romæ quidem jam ab his Continentia ſervabatur tempore Pelagii II., qui Diaconis Siciliæ præcepit, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis Uxoribus miſcerentur: ut teſtatur Gregorius M. ejuſdem immediatus Succeſſor, Epiſt. 42. l. 1., & 34. l. 3. A Romana autem ad alias Occidentis Eccleſias eadem inſtitutio propagata eſt, qua occaſione paulatim cepit hic Ordo a Minoribus ſeparari, & Majoribus, ac Sacris accenſeri. Verba Sanctiſſimi Pontificis ſunt iſta, prouti leguntur in citata Epiſtola 42. l. 1. Ante triennium Subdiaconi omnium Eccleſiarum prohibiti fuerant, ut more Romanæ Eccleſiæ nullatenus ſuis Uxoribus miſcerentur. Quod mihi durum, atque incompetens videtur, ut, qui uſum ejuſdem Continentiæ non invenit, neque caſtitatem ante promiſit, compellatur a ſua Uxore ſeparari, atque per hoc, quod abſit, in deterius cadat. Unde videtur mihi, ut a præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum caſte promiſerit, quatenus & præterita mala, quæ per propoſitum mentis appetita non ſunt, violenter non exigantur, & futura caute caveantur. Ad finem Canonis Gratianus cauſam Continentiæ exponit. Cauſa vero hujus inſtitutionis munditia Sacerdotalis fuit, ut libere cunctis diebus Orationi poſſint vacare. Si enim, ut Paulus ait, ab Uxoribus eſt ceſſandum, ut expeditius Orationi vacemus, Miniſtris utique Altaris, quibus quotidiana neceſſitas orandi incumbit, nunquam conjugali officio vacare permittitur. Atque adeo perpetuæ Lex Continentiæ nec a Chriſto, nec ab Apoſtolis, Sacris Miniſtris impoſita fuit. Quamvis Nycæna Synodus an. 325. de Clericorum Cælibatu nihil ſtatuerit, per illam tempeſtatem Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi multi perpetuam Continentiam ſervabant ex frequenti Eccleſiæ Diſciplina, diuturno uſu, illoque ab Apoſtolicis temporibus derivato firmata, quam Siricius verſus finem Seculi Quarti, & alii deinde Pontifices, Conciliaque innumera Decretis ſuis, atque Canonibus roborarunt. Cujus purioris Diſciplinæ, atque Angelicæ Legis ſanctimoniam irrito conatu impugnant Heterodoxi. Conſule Natalem Alexandrum.

[Margin notes: AN. 324. CIRCITER. — ORIGO CÆLIBATUS. Bingham. l. 4. pag. 158. — POST AN. 577. — Diſt. XXXI. c. 1. — CAUSA CÆLIBATUS. — I. Cor. VII. 29. — UNDE SIT LEX CONTINENTIÆ? — Tom. IV. pag. 256. & 265.]

GRÆCORUM MORES. Can. 13. Græcis non eadem Cælibatus diſciplina; quæ legitur in Trullano Concilio an. 692., ubi Matrimonium quidem Clericis Majoribus, & Hypodia-

diaconis ſuis contrahere prohibetur : ſed iiſdem (ſolis exceptis Epiſcopis) uſus initi ante Sacram Ordinationem Matrimonii conceditur, reprobata antiquiori Theſſaliæ, Theſſalonicæ, Macedoniæ, Helladiſque Conſuetudine, in quibus partibus, ſcribit Socrates Seculi Quinti Scriptor, *Non pauci Illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex Uxore legitima procreant*. Græcorum diſciplinam neque Lugdunenſis Synodus anno 1274., neque Florentina anno 1438. improbavit. Servant hodie plerumque Presbyteri ipſi ſuas priores Uxores, quas tamen ante Sacram Ordinationem duxerant: Novas prioribus defunctis ducere nequeunt: nec ordinari valet, niſi qui unicam, & Virginem duxit. Epiſcopi vero eorum, qui in altiorem ſpeculam elevati reperiuntur, noſtros ſatis cuſtodiunt perpetuæ Continentiæ mores. Uxoribus quibuſcunque penitus abſtinere tenentur, pro ſe ipſis ſaltem, niſi pro reliquis ſuis inferioribus Miniſtris, Bedæ monitum cuſtodientes: quod *Sacerdotibus, ut ſemper Altari queant aſſiſtere, ſemper ab Uxoribus continendum, ſemperque Caſtitas obſervanda præcipitur*.

Hiſt. Eccleſiaſt. *l. 5. c. 21.*

Diſt. XXXI. *c.* 14. *ibid. c.* 2.

Jam vero apud Latinos Subdiaconum *oportet, aquam ad miniſterium Altaris præparare, Diacono miniſtrare, Pallas Altaris, & Corporalia abluere, Calicem, & Patenam in uſum Sacrificii Eidem offerre*. Hodie ſupplentibus plura Minoribus Clericis, & aliquando extra ordinem Laicis ipſis agentibus officium Sacriſtani, vel Campanatoris, Officium Subdiaconi videtur quaſi primario reduci ad decantandam in Miſſis ſolemnibus Epiſtolam. Hæc decantatio Epiſtolæ inter munia Ejus nec olim apud Latinos, nec hodie apud Græcos recenſetur, qui poſtremi ſuos vocant Hypodiaconos: & ex vetuſtioribus Ritualibus recens apparet eſſe, Subdiacono in Ejus Ordinatione tradi Librum Epiſtolarum.

Pontif. Roman. *de Ordinat. Subdiaconi.*

OFFICIUM SUBDIACONI APUD LATINOS.

Bingham. *l. 3. pag.* 11.

Apud Græcos Subdiaconi extra Sanctuarium Ordinationem ſuſcipiunt, Vaſa Sacra contingunt, ſed non in Miſſarum ſolemniis. Ipſa autem Vaſa abſtergunt, ornant, diſponunt, ut Sacrificio apta ſint. Jubente Diacono profanos expellunt ab Eccleſia, cum ſcilicet Diaconus dicit, ut Catechumeni diſcedant. Portas Sanctuarii cuſtodiunt, ne quis indignus ingrediatur: & prope illas commorantur, ut ſint parati ad juſſa Diaconi capeſſenda. Ad Altare vero non accedunt. Tricerium, & luminaria in Sanctuario præparant. Epiſtolam autem in Miſſa non legunt. Hæc ſunt Græcorum Subdiaconorum munia ex Euchologio excerpta, ex quibus liquet Eos a Latinis multum differre, noſtriſque Acolythis magis, quam Subdiaconis ſimiles eſſe.

Bona *loco citato.*

OFFICIUM HYPODIACONI APUD GRÆCOS.

Ætas ad Subdiaconatum apud Nos annus XXII. ſaltem inchoatus. ÆTAS.

Digitized by Google

Seſſ. XXIII. 1563. *c.* 12. *&* 13. *de Reformat.*

Synodus Tridentina petit continentes Juvenes, Eccleſiaſticarum rerum non ignaros, quos decebit diebus feſtivis, quibus miniſtraverint, Communionem ſumere: atque integro anno Eccleſiaſtico, niſi aliud Epiſcopo viſum fuerit, ad altiorem gradum aſcendere non permittuntur.

Act. VI.

Natal. *Tom.* III. *pag.* 10. *&* 123. Bingham. *l.* 2. *pag.* 296.

DIACONI LAUS.

Sed ab ipſis Apoſtolorum temporibus præter Epiſcopos, & Presbyteros fuerunt ſemper Diaconi, ad menſæ miniſterium, non ad communes tantum, & profanas menſas, quæ in primordiis Eccleſiæ conjungebantur, electi. Diaconus Miniſter eſt, qui Presbyteris, & Epiſcopis miniſtrat. Epiſcopi præcipua auris, oculus, os, cor, anima, ne Epiſcopus ſolicitudine multarum rerum, ſed graviorum dumtaxat urgeatur. Tanta fuit olim Diaconorum dignitas, atque effrænata potentia, propter miniſterium in Ordinationibus, Baptiſmis, Conſecratione Chriſmatis, Diſpenſatione Euchariſtiæ, atque in ſingulis negotiis Eccleſiaſticis, & Oeconomicis, ut in ſuperbiam elati jam Presbyteris aſſurgere, & poſt illos ſedere noluerint. Quorum ſuperbia repreſſa fuit in multis Conciliis, præſertim ubi Presbyteris ipſis Euchariſtiam porrigere, aut incruentum Sacrificium offerre præſumpſerunt. *Inſuper vetitum eſt eis Can.* 38. *Carthaginenſis IV., ne præſente Presbytero Corpus Domini fidelibus traderent. Denique Cyprianus Epiſt.* 13. *permittit Diaconis pœnitentes reconciliare in abſentia Epiſcopi, & Presbyteri, eoſque abſolvere non quidem Sacramentaliter, ſed a pœnis ſatisfactoriis, ſive ab Excommunicatione.* Natalis in eandem ſententiam ivit, Diaconis, qui ad Martyres, & Confeſſores in carcere detentos mittebantur, Abſolutionis Sacramentalis lapſis impertiendæ nunquam conceſſam fuiſſe facultatem.

AMBITIO.

Synod. Nycæn. *an.* 325. *can.* 17. *&* Arelat. *an.* 314. *can.* 15. Bona *l.* 1. *c.* 35. *n.* 15. AN. 398.

Tom. III. *pag.* 630.

Rit. Roman. *de Ordinat. Diaconi.*

OFFICIUM APUD LATINOS.

Quidquid olim fuerit, hodie Diaconum oportet *miniſtrare ad Altare, baptizare, & prædicare*: quippe habet legendi Evangelium in Eccleſia Dei poteſtatem tam pro vivis, quam pro defunctis, ut dicatur de illis: *Beati pedes Evangelizantium pacem*. Hic foret Ritus. Hodie officium Diaconi redactum eſſe videtur ad decantandum in Miſſis ſolemnibus Evangelium.

Seſſ. XXIII. 1563. *c.* 12. *&* 13. *de Reformat.*

Ætas ad Diaconatum annus XXIII. ſaltem inchoatus. Synodus Tridentina petit probiores juvenes, pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura, ſacrarum Literarum, & rerum Eccleſiaſticarum inſtructos, quos diebus feſtivis, quibus miniſtraverint, decebit Communionem ſumere, nullum crimen habentes. Integro anno Eccleſiaſtico Hi ſerviunt ante aſcenſum ad Presbyteratum, niſi aliud Epiſcopo ſuo viſum fuerit.

Apud

Digitized by Google

Apud Græcos, notat Bona loco citato, Diaconus *celebrantem ſæpius admonet de iis, quæ agenda ſunt. Unde in Liturgiis ea paſſim verba Diaconi ad Sacerdotem occurrunt: benedic Domine, extolle, immola, & his ſimilia. Populum excitat ad attentionem elata voce dicens: Attendamus. Miniſtros inferiores officiis ſuis applicat, & illis ſigno, nutu, & aliquando ſublato Orario indicat, quid, & quando agere, ſeu pſallere, aut legere debeant. Indignos a Communione ſubmovet. Catechumenis, pœnitentibus, Energumenis, & infidelibus ſtato tempore edicit, ut ab Eccleſia egrediantur. Poſtquam oblatio in Altari poſita eſt, flabellum tenet, & ventilat, ut beſtiolas prætervolantes abigat.* OFFICIUM APUD GRÆCOS.

Erant & Diaconiſſæ, ait Bona loco citato ad finem, *de quarum Ordinatione, & Miniſteriis in utraque Eccleſia, Græca, & Latina, erudite, ut ſolet, diſſerit Morinus lib. de Sacr. Ordinat. p. 3. exercit. 19. Multa etiam ſcitu digna congerit Goar in Euchologio, in notis ad Earum Ordinationem. Munus illarum præcipuum fuit, ea mulieribus officia præſtare, quæ Diaconi viris. Ideo portas cuſtodiebant, per quas illæ ingrediebantur, earumque conſeſſus in Eccleſia ordinabant. Principia fidei, & Ritus eis exponebant, ipſiſque aderant, cum ad immerſionem nudabantur. Juſſa Epiſcopi ad eaſdem referebant, & ſi aliqua vellet Epiſcopum, Presbyterum, vel Diaconum alloqui, eam propter honeſtatis teſtimonium comitabantur. Viduarum quoque, & pauperum, Sacrarumque Virginum ſimul cum Diaconis curam gerebant. Ante annos fere ſexcentos* (obiit Bona anno 1674.) *ceſſavit in Occidente earum Ordinatio, & Miniſterium. In Oriente vero jam deſierat vivente Balſamone*, (ſcripſit medio Seculo Duodecimo) *ut ipſe ait in Notis ad Can. 15. Conc. Chalcedonenſis. Multa de illis extant Veterum Canonum ſtatuta. Sed in his immorari non eſt hujus loci. Licet enim, ut ait Epiphanius hæreſ. 79.*, (qui obiit anno 402.) *Diaconiſſarum Ordo in Eccleſia ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt. Sed ut Muliebris ſexus honeſtati conſulatur. Extat Earum benedictio in Ordine Romano, & in antiquis Ritualibus.* Extat Canon Decimuſquintus Conc. Chalcedon., qui Diaconiſſam ante annum XL., & abſque maximo examine prohibet ordinari; convolantem ad Nuptias poſt manuum impoſitionem excommunicatione plectit, non ſecus ac Maritum ſacrilegum. Synodus Arauſicana an. 441., & Aurelianenſis an. 533. Diaconiſſas deinceps ordinari prohibet. Conſule Natalem.

n. 15. Bingham. l. 2. pag. 341. DIACONISSÆ. ABROGATÆ. An. 451. *Can. 26. Can. 18. Tom. V. pag. 167. & 429.*

Miſſis Diaconis veniunt Presbyteri, Moyſis ſenioribus, & Chriſti Diſcipulis æquiparandi. Poſt annum laudabiliter in Miniſterio Diaconali peractum

ordi-

Digitized by Google

Ætas Presbyteri. ordinandi ſunt hi Presbyteri, quorum Ætas conſtituitur annus XXV. ſaltem inceptus. Servent continuo in moribus ſuis caſtæ, & ſanctæ Vitæ integritatem. Agnoſcant, quod agunt, imitentur, quod tractant: quatenus mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra a vitiis, & concupiſcentiis omnibus procurent. Sit doctrina eorum ſpiritualis medicina populo Dei; ſit odor vitæ; delectamentum Eccleſiæ Chriſti, ut prædicatione, atque exemplo ædificent Domum, ideſt familiam Dei. Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præeſſe, prædicare, & baptizare. Accipiens Spiritum Sanctum, quorum remiſerit peccata, remittuntur eis: & quorum retinuerit, retenta ſunt. Hodie non idem ſingulis exercitium in cauſa hujus poteſtatis, quia nullus Confeſſiones exaudire valet, qui non ſit examinatus, & approbatus.

Pont. Rom. *de Ordinat. Presb.*

Officium.

Joan. XX. 23.

Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXIII. c. 18. *de Reformat.*

Cauſa eſt multa, quod ab initio non tolerabantur vagi Presbyteri, ſed ſinguli erant ſuis certis Eccleſiis incardinati. Extat Synodus Arelatenſis an. 314., quæ Presbyteros, & Diaconos ſancit eſſe depoſitionis pœna mulctandos, qui relictis Eccleſiis ſuis, pro quibus fuerant ordinati, ad alias commigrabant. *Quam diſciplinam*, ait Natalis, *in Eccleſia, præſertim Gallicana collapſam, eſt, cur lugeamus, in qua tantam Sacerdotum divagantium multitudinem cernimus, qui nullis Eccleſiis affixi, Diœceſes omnes luſtrant, in nulla quieſcunt, vel qui huc illuc diſcurrunt, ut Miſſas aucupentur, unde victum captent. Utinam omnes Epiſcopi veterem diſciplinam reſtaurent, & hoc Sacerdotii dedecus avertant, impediantque, ne homines viliſſimi Clericatum eligant, velut artem ſuſtentandæ vitæ commodam, & laboris expertem.* Ad funeſtum Clericorum otium tollendum, unde Laicis grave ſcandalum oritur, fruſtra clamaverant Tridentini Patres, *ut nullus impoſterum ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate, aut utilitate aſſumitur, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, nec incertis vagetur ſedibus*. Noſtris moribus non omnes clauſtris, & Capitulis inſcribi poſſunt Sacerdotes. Poſcit ſuus fervor, poſcit privata fidelium pietas, qui domi Sacerdotes alunt. Satis adimplebitur adhuc mens Sacri Concilii, ſi talis ſe alicui certæ Eccleſiæ, quæ nunquam deeſt, fideliter adjungat, atque in ea diebus ſaltem feſtivis, & Dominicis inſerviat. Epiſcopus tantum bonum promovere poteſt; conſulere idem, qui Presbyterum ſuum domi alit.

Tom. IV. pag. 35.

Querelæ adversus vagos Presbyteros.

Supra c. 16.

Remedium.

Tantus honor Sacerdotii multos decepit. Primus fuit Aerius, qui teſte Epiphanio inter Epiſcopos, & Presbyteros nullum diſcrimen fecit, & apud quem amborum unus Ordo, par, & idem honor, ac dignitas, utro-

Aeriana hæresis. *Hæreſ. 75.*

Digitized by Google

utroque manus imponente. Conſule Binghamum excepto, ubi pro genio ſectæ negat poteſtatem offerendi Corpus, & Sanguinem Chriſti, tanquam Sacrificium propitiatorium pro vivis, ac mortuis. Refutabitur Libro ſequenti. Presbyteros Epiſcopis tum Ordine, tum juriſdictione æquales eſſe, ſi Jus divinum ſpectetur, Proteſtantes multi acerrime propugnant. Hunc errorem a Calvino Magiſtro ſuo renovatum Salmaſius, Blondellus, aliique ex eadem ſecta totis viribus, & infelici conatu editis libris tueri ſunt aggreſſi. Præiverant Calvino VVicleffus, Albigenſes, VValdenſes, quibus præceptoribus Calviniani, Lutheranique homines gloriantur. Poſt Petavium Natalis Blondellum profligavit, ubi invicte docuit: *Epiſcopos jure divino Presbyteris eſſe ſuperiores Sacra Scriptura, & Traditio diſerte teſtantur*. Quæ cum ita ſint, illud propoſitum redit, quomodo *Sic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos, vitam, moreſque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliiſque omnibus rebus nil, niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, levia etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem*. Quare abhorrent probi Eccleſiaſtici Viri a luxu, comeſſationibus, ebrietatibus, choreis, aleis, luſibus, ſpectaculis, familiari mulierum converſatione, ſtrepitu armorum, clamoroſa venatione, nundinis, quæſtu, ſecularibus negotiis, cunctiſque criminibus. Tantæ virtutes meruerunt cumulari Pontificum, & Conciliorum privilegiis, nec non Principum immunitatibus exornari. Quæ quidem libertates maneant ſartæ tectæ, imprimis oportet, ut iiſdem autoribus *Cultus Divinus devote exerceri, & Prælati, cæterique Clerici in reſidentiis, & officiis ſuis quieti, & ſine impedimentis, cum fructu, & ædificatione populi permanere valeant*.

L. 2. pag. 266.

Tom. IV. pag. 536.

Dotes Clericorum. Syn. Trid. 1562. Seſſ. XXII. *c. 1. de Reformat.*

Vitia oppoſita.

Clerici Privilegia.

Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXV. *c. 20. de Reformat.*

Cum hic privilegia Clericalia attigerim, addere oportet, quod Clerici conjugati, qui poſt ſuſceptos Minores Ordines nupſerunt, beneficia, & penſiones amittant poſt conſummata vota, non in pœnam, quia rei non ſunt, ſed ob incompatibilitatem: Salvis tamen privilegiis Canonis, & Fori, ſed in cauſis criminalibus tantum, dummodo ſint non bigami, inque habitu, & tonſura incedentes, certæ inſerviant Eccleſiæ. Hoc privilegium, quia perſonale eſt, non tranſit ad Uxorem, quæ nec Canonis capax, nec foro exempto ſatis digna eſt. Sic Canoniſtæ communiter explicant Conſtitutionem Bonifacii VIII., quæ incipit: CLERICI, QUI CUM UNICIS, ET VIRGINIBUS &c.

Clerici Conjugati.

Ibid. Seſſ. XXIII. *c. 6. de Reformat.* Eorum Uxores.

c. un. de Clericis Conjug. in 6.

D E

Digitized by Google

DE EPISCOPATU

TITULUS III.

Episcopi dignitas. Bingham. *l. 2. pag. 53. 69.*

Episcopus Inſpector, Speculator, Cuſtos, Paſtor, Pontifex, & Sacrificator, Regibus, & inferioribus Terræ, amore, honore, & omni auxilio proſequendus eſt: quem ſi poſuit Spiritus Sanctus regere Eccleſiam Dei, Ejus inſtitutio de Jure Divino venit. Epiſcoporum itaque

Auctoritas a Deo.

auctoritas immediate a Deo eſt, cum ordine quodam ad Romanum Pontificem, ut Caput viſibile Eccleſiæ, exercenda: & quamvis Epiſcopi dici poſſint Chriſti Vicarii, hoc intelligendum venit quo ad regimen ſuæ privatæ Eccleſiæ, non autem univerſalis Eccleſiæ, cujus regimen Petro, & Succeſſori cuicunque legitimo Romano Pontifici incumbit. Manet Hunc ſuprema poteſtas; & quamvis dici poſſint Epiſcopi curam univerſalis Eccleſiæ ſuſtinere, hoc intelligendum venit ratione charitatis, qua Eccleſiam proſequi, Eique ſubſidium ferre debent, non ratione auctoritatis, qua illi ſoli præſunt univerſali Eccleſiæ: Vel, ratione hujus auctoritatis in Tota Eccleſia non quidem ſemper exercendæ, ſed in gravioribus Eccleſiæ neceſſitatibus, & periculis eodem titulo charitatis. Alii explicant gradum regiminis, ſive poteſtatis Epiſcopalis eſſe quo ad ordinem immediate a Chriſto, quo ad Juriſdictionem immediate ab Eccleſia, ſive a Romano Pontifice propter honorem ſui Primatus in Beato Petro, & ſuis Succeſſoribus fundati.

Luc. IV. 13. Inſtitutio Epiſcopatus hæc eſt. Chriſtus elegit ſibi Duodecim, quos & Apoſtolos nominavit, miſitque eoſdem, ſicut illum miſit vivens Pater,
Joan. XX. 21. ut hi vitæ ſuæ, doctrinæ, atque Reſurrectionis teſtimonium perhibeant,
Joan. XV. 27. circumeuntes Civitates, & Caſtella, in quibus Evangelium prædicarent
Marc. XVI. 15. omni creaturæ. Apoſtoli in poteſtate Domini Jeſu, quidquid ad Eccleſiæ ædificationem, & conſervationem erat neceſſarium, totum in Epi-
Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXIII. *c. 4. de Sacram. Ordin.* ſcopos, Eccleſiarum Rectores transfuderunt, tanquam in ſuos legitimos Succeſſores: in quorum locum Vicaria quidem Ordinatione ſucceſſerunt
Episcopi quomodo successerint Apostolis? quo ad gradum Regiminis, non quo ad Apoſtolatum. Sic non ſucceſſerunt in Miſſionem immediatam, in copiam Spiritus Sancti, in doctrinæ infallibilitatem, in ſcientiæ plenitudinem, in donum linguarum, & miraculorum: in quæ ſingularia dona, & Apoſtolatus privilegia non datur in Eccleſia ſucceſſio ordinaria. Spiritus autem, ubi vult, ſpirat.
I. Timoth. III. Oportet ergo Epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, domui ſuæ bene

præ-

Digitized by Google

præpoſitos, prudentes, pudicos, hoſpitales, doctores, non litigioſos, non cupidos, non ſuperbos voluptatum amatores; ſed qui vitia fugiant, virtutes amplectentur: & in veſtitu, & cultu, & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet Miniſtros Miniſtrorum Dei, quos Patres vocant Columnas, Gubernatores, Paſtores, Aratores, & Vinitores. Tales aſſumebantur olim in opus Miniſterii, & in onus Angelicis humeris formidandum. Jeſus quidem a Patre, Apoſtoli a Jeſu miſſi ſunt, qui manuum impoſitione ſubſtituerunt ſibi Epiſcopos. Hi vero alios, & alios uſque ad Nos, ita tamen ut ex conſtanti traditione ſciamus, Epiſcopos ab aliis Epiſcopis debuiſſe conſecrari, & ſemper conſecratos fuiſſe.

Dotes Episcoporum. Seſſ. II. 1546.

Successio perpetua.

DE VETERI ELECTIONE

TITULUS IV.

PRæmittuntur tres Propoſitiones Natalis, de Jure Chriſtianæ plebis in Electione Sacrorum Miniſtrorum, tractantis. Prima: *Ex ſeptem Diaconorum Electione Act. 6. colligitur plebem Chriſtianam jure ferendi teſtimonii de vita, & moribus Miniſtrorum Eccleſiæ in Sacris Ordinationibus potitam eſſe, ſecundum veterem diſciplinam ab Apoſtolis deſcendentem, nec non jure exponendi ſuum de perſona eligenda deſiderium.* Secunda: *Populus Chriſtianus in Electione Miniſtrorum Eccleſiæ alias ſuffragatus eſt Jure Eccleſiaſtico.* Tertia: *Sacrorum Miniſtrorum Electio Jure Divino non pertinet ad plebem: neque iſtud ex Septem Diaconorum Electione colligi poteſt.* Atque ita ex Apoſtolica Traditione Epiſcoporum ſuorum Electioni olim interveniebat Clerus, & Populus, ut vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur: neve Paſtorem acciperent ignotum, aut inviti, quia oportebat illum teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt. Plerumque Senior diuturno miniſterio, multa virtute, ſcientia, confeſſione meritus eligebatur; quem Clero, & Populo inde annuentibus magis, quam ſuffragantibus viciniores Epiſcopi manuum impoſitione, precibus, jejunio inauguratum in ſolio Epiſcopali collocabant. Qua poſſeſſione capta, munere ſuo, abſque novæ Confirmationis, & Conſecrationis ritu novo, ſtatim fungebatur: donec poſt redditam Eccleſiæ pacem, omnium graduum, ordinum, nobilium, magiſtratuum, Monachorum, ſed præcipua Cleri ratio ſemper habita fuit. Tandem acceſſit conſenſus Principum, ita ut per integrum ferme Nonum Seculum tam in Latina Eccleſia, quam in Græca, ſine Principum autoritate, quaſi nihil omnino

Tom. III. *pag.* 126.

An Plebs intervenirет Sacris Electionibus?

Ritus antiquissimus. Bingham. *l.* 4. *pag.* 96.

Diſt. LXIII. *c.* 36.

 fieret.

fieret. Tantum deſerebatur aut eorum pietati, & æquitati, aut eorum majeſtati, & potentiæ.

RITUS IN VETERI FRANCORUM REGNO.

In veteri Francorum Regno Clerus, & Plebs nunciabat Metropolitano mortem Epiſcopi, Metropolitanus Regi, cujus ſcitu potius, quam juſſu Metropolitanus Viſitatorem Epiſcopum mittebat ad vacantem Eccleſiam. Viſitator convocatis Ordinibus cunctis, indicto trium dierum Jejunio, publicas inter preces, ſparſis eleemoſynis largioribus, Canonicæ præſidebat Electioni Unius de gremio, quantum fieri poterat. Decretum Electionis, primorum e ſingulis Ordinibus munitum Sigillo, tradebatur Metropolitano, qui coram tribus ſaltem Comprovincialibus Epiſcopis inquirebat approbando, vel reprobando. Cunctis rite peractis Inaugurationis dies intimabatur, & Conſecrationis Ritus fuit idem ferme, qui hodie in uſu eſt. Regi ſinguli Actus ſignificabantur, qui gratos admittebat, ſuſpectos aliquando rejiciebat; quia videtur de plebe in Regem conſentiendæ Electioni jus fortius tranſiviſſe, vel quid ſimile derivaſſe ex alia conſuetudine antiqua, quæ in ſupremo patrocinio fundaretur, vel ex crebris Apoſtolicæ Sedis conceſſionibus, quæ ſatis liberalis ſemper fuit erga optime meritos Principes. Conſulatur Natalis, qui oſtendit Seculo Quinto novos Epiſcopatus a Synodis Provincialibus fuiſſe erectos, conſentiente Metropolitano, poſtulante Epiſcopo, vel annuente, ad cujus Parœciam pertinebat Eccleſia, in qua nova Sedes Epiſcopalis collocabatur. Epiſcopi abſque notitia, conſenſu, & judicio Metropolitani ſui non facile poterant conſecrari. Principes Electioni Epiſcoporum ſe immiſcebant; Eorumque aſſenſum, aut Confirmationem quandoque rogabat Eccleſia, ut ſuam auctoritatem adverſus Hæreſes, & Schiſmata interponerent. Clericorum votis, & conſenſu, teſtimonio plebis, ſuffragiis Epiſcoporum Comprovincialium eligebantur Epiſcopi plerumque ex Clero eorum Eccleſiæ vacantis.

Tom. V. pag. 175.

ELECTIONES SECULI QUINTI.

SEXTI.

Seculo Sexto Epiſcopatus in regionibus ad fidem recens converſis inſtituebantur autoritate Romanorum Pontificum. Sic D. Gregorius M. miſſo ad Auguſtinum Anglum Pallio, commiſit Viro, ut Metropoles, & Epiſcopatus in Anglia inſtitueret. In regionibus vero Chriſtianis novi non inſtituebantur Epiſcopatus abſque Metropolitanorum conſenſu, quia nondum neceſſitas tulerat, rebus rite peractis, ut ſe ingererent Romani Pontifices. Epiſcoporum Electiones fiebant a Coepiſcopis, a Clero, & Populo, non tamen eodem jure, nec eodem ſemper modo. Summa autem eligendi poteſtas erat penes Clerum, Epiſcopos, & Metropolitanum.

Tom. V. pag. 448.

Digitized by Google

num. Maxima erat Principum in hujuſmodi Electionibus auctoritas. Imperatorum conſenſus ad firmandam ipſius Romani Pontificis Electionem poſtulabatur. Quam Conſuetudinem, ait Natalis, vis potius invexerat; quam legitima diſciplina. Hanc tamen patiebatur Eccleſia, parebatque quodammodo Principibus, vitandi cauſa Schiſmatis, & ut ipſorum tuitionem promereretur, ad comprimendos hæreticos, ad executionem Canonum, ad Eccleſiæ bona ſarta tecta ſervanda maxime neceſſariam. In Electionibus Epiſcoporum Orientis multum Imperatoribus tribuebat Eccleſia. Inde tamen Eccleſiæ erga Principes indulgentiam, & munificentiam, aut gratum animum, non ſtrictum Principum proprium Jus colligas. Multum quoque Regibus Chriſtianiſſimis tribuit in Electione Epiſcoporum Eccleſia Gallicana. Multum etiam tribuit Regibus ſuis Hiſpanica Eccleſia. Ubi autem e vita exceſſerat Epiſcopus aliquis Eorum, quos ordinare ſolebat Romanus Pontifex in ſuburbicaria regione, ſtatim Ipſum de obitu monebant Clerus, & Plebs viduæ Eccleſiæ. Et quamvis Romanus Pontifex Ordinationum Jus per totum Occidentem haberet, illo in ſuburbicariis Eccleſiis dumtaxat communiter utebatur. Monitus Summus Pontifex ſcribebat Clero, & Plebi de Electione Epiſcopi. Vicino interim Epiſcopo commendabat vacantis Eccleſiæ curam. Fiebat Electio concurrentibus Cleri, ac reliquorum Ordinum, & Plebis votis. Decretum omnium ſubſcriptione firmabatur. Electionis Decretum ad Pontificem mittebatur cum precibus, ut Electionem probaret, ac Electum ordinaret. Hunc Romam vocabat Summus Pontifex ad Conſecrationem. Tum ſolemni ritu Ordinatio Romæ peragebatur, prævio examine de vita, & moribus, promiſſaque obedientia erga Romanum Pontificem, & fidelitate erga Principem.

Eadem Septimi, & Octavi Seculi diſciplina. Sic Gregorius III. Bonifacio Moguntino commiſit, ut per converſam Germaniam ordinaret novos Epiſcopos *ex vigore Apoſtolicæ Sedis*. Alibi Epiſcopi eligebantur a Comprovincialibus Epiſcopis. Synodus Nicæna an. 787. renovat regulam: *Si quis Epiſcopus ſecularibus poteſtatibus uſus, Eccleſias per ipſas obtineat, deponatur*. Francorum Principes conſtituerunt, ſeu probarunt Epiſcopos de conſilio Sacerdotum, & Optimatum. Cum enim tunc plurimi Epiſcopatus a Laicis tenerentur, Principum bonorum auctoritate opus erat, ut Laicis pulſis ab injuſta Beneficiorum poſſeſſione legitimi crearentur Epiſcopi. Carolus M. liberas voluit fieri Electiones victus Sanctiſſimis Hadriani P. monitis. Confirmabant Electos in utraque Eccleſia Metropolitani.

SEPTIMI, ET OCTAVI.

Tom. V. pag. 698.

Can. 3.

tani. Per Occidentem quidem competebat Jus Confirmationis Romano Pontifici, qui extra Regiones Suburbicarias tali Confirmatione abſtinebat, tum ut Metropolitanorum dignitati majorem apud Subditos reverentiam conciliaret, tum ut Conſuetudines antiquas ſervaret, tum ut parceret longæ navigationi, aut remoto itineri Electorum, ſumptibuſque, & abſentiæ periculoſæ. Interea promittebatur fides, & obedientia Apoſtolicæ Sedi non minus, quam Principi ſuo.

Noni, et Decimi. *Tom. VI. pag. 118.* Seculo Nono novorum Epiſcopatuum Erectio fiebat auctoritate, aut conniventia Sedis Apoſtolicæ. Electiones Epiſcoporum liberæ erant ſecundum Canones. His tamen ſe immiſcebant plerumque Chriſtiani Principes jure Patrocinii, & ſtudio procurandæ pacis, vel procurandæ Electionis de perſonis dignis. Multum etiam tribuebat Eccleſia Principum voluntati in illis negotiis, ſi bono Eccleſiæ non repugnaret, ac Viros dignos eligendos, vel conſecrandos proponerent, vel deſignarent. Eadem Seculi Decimi diſciplina in utraque Eccleſia, ubi vis aperta non inferretur libertati Eccleſiaſticæ, quidquid non ſemper, non ubique Eadem Eccleſia potuerit reſiſtere. Reges Francorum in ſuis Capitularibus libertatem Electionum ſtatuunt, ſine quorum ſcitu, & quaſi placito Electiones tamen non fiebant. Viguit per id tempus Canonica Electio per Germaniam, Angliam, atque Italiam, Metropolitanis plerumque confirmantibus. Interdum etenim Romani Pontifices Electum confirmarunt, vel conſecrarunt præcipue, ubi Metropolitanus negligens fuiſſet, ubi Romæ controverſia de legitima Electione ageretur, ubi Diſpenſatione Apoſtolica opus fuiſſet. Epiſcopi Metropolitano, Metropolitanus Romano Pontifici obedientiam promittebant. Fidelitatis Sacramentum Regibus præſtabant Epiſcopi per Germaniam, & Galliam. Varius Eccleſiarum mos. Solam profeſſionem fidei, non autem obedientiæ, & fidelitatis exigebant Conſtantinopolitani Patriarchæ ab Ordinandis Epiſcopis.

Undecimi, et Duodecimi. *Tom. VI. pag. 556.* Seculo Undecimo, & Duodecimo Erectio nulla Epiſcopatus abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ, quæ tamen ſolita ſemper fuit imprimis conſenſum Principis Terræ explorare propter utilitatem Eccleſiæ, ut concordia ſit inter Sacerdotium, & Imperium. Epiſcopi a Clero, & Populo communiter eligebantur, Sacrarumque Electionum libertatem continuo Pontifices, Concilia, & Epiſcopi antiquæ Diſciplinæ ſtudioſi propugnabant. Quod autem conſenſus Principis non fuiſſet unice neceſſarius, probat factum Innocentii II., qui Petrum de Caſtra an. 1141. electum Archiepiſcopum Bituricenſem inauguravit Romæ contra voluntatem Ludovi-

dovici VII. Regis. Hic, quod redeuntem Archiepiſcopum recipere noluiſſet, Sacris fuit interdictus. Poſtea veniam, & abſolutionem Regi ab Eugenio III. impetravit D. Bernardus. Idem per Angliam, Hiſpaniam, atque Italiam jus Electionum. Jus confirmandi Epiſcopos penes Metropolitanos erat: Jus confirmandi Metropolitanos penes Romanum Pontificem. Metropolitani Franciæ, Angliæ, & Germaniæ concorditer electi Confirmationem Summi Pontificis non expectabant ad ſuſcipiendam Eccleſiarum ſuarum adminiſtrationem. Id quippe Sedes Apoſtolica ob locorum diſtantiam tacito conſenſu permiſerat, quod hodie non tentarem amplius. Jam tum ſcripſerat Jvo Carnotenſis, quod ad Romanam Eccleſiam *principaliter, & generaliſſime pertineat tam Metropolitanorum, quam cæterorum Epiſcoporum Conſecrationem vel confirmare, vel infirmare*. Tandem Romani Pontifices ab Epiſcopis juramentum fidelitatis exegere, ut quaſi Eccleſiæ nobiliora membra ad conſervationem totius Corporis, & ad incrementum Religionis unitis viribus, atque alacriori animo impoſterum militent. *Epiſt. 8.*

DECIMI TERTII, ET DECIMI QUARTI.

Quæ communis opinio per illud ævum viguit Seculo Decimo Tertio, & Decimo Quarto. Epiſcopi frequenter ab Eccleſiarum vacantium Capitulis eligebantur. Sacrarum Electionum libertas ſancita eſt in Concilio Lateranenſi IV. an. 1215. Aſſenſus Regius in Gallia familiaris. Jam paſſim Romani Pontifices conferebant jure devolutivo. Per illas dies valde fuit læſa concordia inter Sacerdotium, & Imperium, quemadmodum alio in loco dicturi ſumus. Nondum Metropolitani penitus ceſſaverant a confirmandis ſuis Suffraganeis Epiſcopis, a quibus pro ſe Profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem Obedientiæ recipiebant. Principes ab Epiſcopis Juramentum fidelitatis petebant. Fidelitatis, & Obedientiæ juramentum Orientales Patriarchæ Romano Pontifici præſtare tenebantur, cum ab Eo Pallium reciperent. Hactenus Natalis. *Tom.VII.pag.196.*

QUANDO CANONICI INCEPERINT SOLI ELIGERE?

Repetendum venit, quod adhuc Seculo Duodecimo tum Clerus, tum populus multis in locis admitteretur ad Electionem Canonicam: & quamvis exeunte Seculo Decimo quidam Canonici opibus, & potentia freti Electionem Canonicam ad ſe ſolos trahere conati jam fuiſſent, vix Seculo Decimo Tertio ineunte ſoli eligere potuerunt, excluſis ipſis Comprovincialibus Epiſcopis in Electione Metropolitani ſui. Reliquas Capitulorum Electiones inconſultis Comprovincialibus Epiſcopis Metropolitani poſthac confirmabant, quin per illos ulla fieret oppoſitio. Hæc tamen Electionis, ſive Confirmationis Decreta, ut cogitare facile eſt, aliquan-

Digitized by Google

quando nulla, illicita, ſuſpecta ſaltem adverſæ parti viſa ſunt. Quid

Appellatio Romana.

facto opus? Novo remedio appellatum fuit Romam. Illuc etiam Electus ad evertendam aliorum vim, & majus cumulandum argumentum pro petenda Confirmatione, ſive pro Conſecratione adipiſcenda ſæpiſſime ibat. Neminem ſua feſellit opinio, quem bona cauſa comitaretur, nec non commendaret æqua ratio. Romani Pontifices in paternum ſinum oppreſſos ſuos Clientes prompto ingenio receperunt, nec facile triſtem, inhonoratumque virum abire ſiverunt. Succeſſus aliquamdiu omnium votis felix, donec Apoſtolicæ Sedi manus protendere latiores neceſſarium, & opportunum viſum fuit. Sero notis Reſervationibus res anſam dedit.

Reservationes.

Tunc Clientes impatientes immoderatis vociferationibus ſe vix non ſervos factos eſſe conclamaverunt, & quaſi novum liberaliſſimorum Patronorum non ferendum jugum. Illud autem inficiari nequit, Reſervationibus iſtis reſtitiſſe Capitula, Epiſcopos, Patronos, Principes ipſos, qui non ſolum veteres Subditorum ſuorum Conſuetudines tueri profitebantur; ſed jam ſibi metuebant propter extraneos Prælatos, qui Roma mitterentur, aut mitti poſſent invitis, & publicam quietem apud adverſos, & multa ſuſpicione plenos animos continuo turbarent: atque inde nihil proficere, plurimum nocere inimica in plebe valerent. Conditio hæc eſt novi, quantumvis boni operis, quod ab initio contradictores multos offendat, ſucceſſu componat, mitiget, aut penitus tollat. Interea ne-

Concordata.

que Pontifices, neque cæteri homines ceſſaverunt. Concordatis opus fuit. Celebre eſt imprimis illud inter Nicolaum V., & Fridericum III. an. 1448., ubi reſtitutæ ſunt Inclytæ Nationi Germanicæ Electiones Canonicæ, Confirmatione tamen ad Pontificem delata. Celebre eſt aliud Concordatum pro Gallis inter Leonem X., & Franciſcum I. an. 1516., ubi abrogatis Electionibus Canonicis Rex nominat Epiſcopos ſuos; quos Papa tandem confirmat, ut ſciat, qui ſint præcipui Animarum Cuſtodes, & Eccleſiarum Dei Rectores.

Regiæ Nominationes.

Regiæ Nominationes quamvis recta via ad Jus ſupremum trahi nequeant, hærent in fundatione, reſtauratione, auctione dotis, patrocinio, defenſione, aliiſque inſignibus meritis, quæ Juri, Conſuetudini, Privilegiis, Concordatis cauſam præbuerunt. Sic nominant Hiſpaniarum Reges. Extat Bulla Sixti IV. pro Regibus Caſtellæ, Bulla Hadriani VI. pro Carolo V., tanquam Hiſp. Rege, & Succeſſoribus ſuis, Bulla Pauli IV. pro Philippo II., & Succeſſoribus ſuis in Erectione novorum Epiſcopatuum Belgii. Nominant Hungariæ, Poloniæque Reges, nominant alii

Prin-

Digitized by Google

Principes in ſuis Ditionibus. Pontifices vero Nominationes quaſcunque non jure Regaliæ, ſed Vigore Indulti Apoſtolici confirmant: quaſi oſtenderent quaſcunque Regias has prærogativas recentiori Sedis Apoſtolicæ beneficio inhærere plus, quam ſuis antiquis meritis. Sic aucta fuit nova inter Sacerdotium, & Imperium concordia.

DE RECENTIORI ELECTIONE, ET ELECTI POTESTATE

TITULUS V.

Hactenus juxta veterem, & mediam Eccleſiæ diſciplinam de forma Electionis, Confirmationis, & Conſecrationis, nonnihil de Concordatis, Regiiſque Nominationibus utiliter egimus; in præſenti juxta novum Jus, ſive juxta Decretales acturi ſumus de Liberis Electionibus, ac de iis, quæ cum liberis Electionibus faciunt. Electio in noſtro ſenſu, hominis ad Dignitatem, ſive præeminentiam Canonica vocatio eſt, in qua duplex habetur ratio: Eorum qui eligere poſſunt, & Eorum, qui poſſunt eligi. Primi dicuntur habere Jus Activum, poſtremi Jus Paſſivum. Sunt, qui utroque jure fruuntur. Sic Cardinales quo ad Electionem Summi Pontificis, Canonici plerumque in Germania quo ad Electionem Epiſcopi, Vocales Religioſi plerumque quo ad Electionem Superiorum ſuorum utraque libertate donantur. Sunt tamen in Capitulo Colonienſi Canonici Presbyteri, qui eligunt, ſed non eliguntur. Sunt Religioſi interdum, qui eligunt, ſed non eliguntur. Speciale Statutum derogat Juri Communi. Contra in Papam eligi poteſt non Cardinalis. Sed Papam eligere nequit hodie non Cardinalis. Si liceat ab hoc argumento ad Laicas Electiones deflectere, in Regno Poloniæ eligi poteſt Extraneus in Regem, ſed Extraneus Regem eligere nequit. Exemplo fuit recentiori Auguſtus Elector Saxo Parens, Auguſtus alter Elector Saxo Filius, qui ab anno 1733. Magno Parenti ſimilis virtute, atque armis Poloniam regit. At hoc non fuit primum iter.

PROPOSITUM.

ELECTIO LIBERA.

VARII MODI.

Bulla Nicolai II. *an. 1059. in Cærem. Elect. R. P. num. 2.*

Apud Nos communiter jus Eligendi competit membris Illius Collegii, cujus caput eligi debet. Hoc Nicolaus II. in maxima R. P. Electione obſervandum præceperat, ubi ait: *Eligatur autem de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperiatur idoneus: vel ſi de ipſa non inveniatur, ex alia ſumatur.*

ELECTIO DE GREMIO.

Cæterum palam eſt, quod Extranei, ſi ſint Laici, omnis juris eligendi inca-

TITULUS ELECTIONIS.

Digitized by Google

incapaces ſint : ſi ſint Clerici, poteſt illis jus eligendi competere ex multis cauſis, nempe ex ſpeciali aliquo jure, ex Conſuetudine, ex Statuto, ex Privilegio, ex Procura, & Subſtitutione. Proinde vocandi ſunt, & admittendi, qui velint, poſſint, debeantque Electioni commode intereſſe. Qui velint, inquam, quia nolentes rite præſumuntur ſuo Juri renunciaſſe, & nequeunt amplius Electionem irritare, aut de contemptu impoſterum agere. Elector, qui legitimam excuſationem non habet, in conſcientia tutus non eſt, ſi negligat intervenire. Quæſo enim juramento adſtricti Eccleſiæ noſtræ conſulendæ, quandonam fiet, ſi in re maximi momenti illam turpiter deſtituamus? Qui poſſint, inquam, quia optime excuſatur, qui juſto impedimento fuerit detentus: & quidem commode poſſint. Nam Electores, de quibus incertum, ubi degant, aut remoti nimis viverent, aut ad quos periculoſus, ac difficilis acceſſus, aut ubi periculum foret in mora Electionis, & grande aliquod malum pertimeſcendum, non ſunt vocandi. Tunc ſane publicum bonum privatæ cauſæ præponendum venit. Qui debent, inquam; & vocari debent, qui certum aliquod ex ſcriptis rationibus jus eligendi habent. Quia vero Eum, qui certus eſt, amplius certiorari non oportet, de ſpretu agere nequit, & contemptus non dicitur ille, qui, licet non fuerit vocatus, diem tamen ſcivit, & non venit. Tutius eſt & hunc vocare, ne contentio oriatur ſcandaloſa, & fraterna charitas lædatur.

[Margin: QUI SINT VOCANDI?]

[Margin: *Reg. Jur. 31. in 6.*]

Abſens, qui probam abſentiæ rationem produxit, communiter poteſt conſtituere Procuratorem de gremio tantum : qui vel habet mandatum ſpeciale, & poterit alteri perſonæ nomine proprio, alteri nomine Principalis, quem repræſentat, votum dare; vel habet mandatum generale, & duplici ſuffragio tenetur eandem eligere perſonam: quia tenetur eligere Digniorem, & quem ſemel Digniorem credidit, ſemper credat, oportet, donec non evadat deterior. Se ipſum nemo eligere poteſt propter vitium ambitus, ipſis Romanorum legibus damnatum. In ſuam Electionem homo conſentire poteſt citra metum præſumptionis, quia jam non ſuo, ſed aliorum judicio regitur. Hac ratione Quartus a tribus Electoribus electus in Regem Romanorum conſentit Electioni ſuæ, & eligentium auget numerum, majoremque partem conſtituit ad inſtar cæterorum Principum Electorum. Eadem ratio excuſat in Electionibus Canonicis.

[Margin: ABSENS AN CONSTITUAT PROCURATOREM? QUOMODO SE GERAT PROCURATOR?]

[Margin: *Cod. ad l. Jul. de Ambitu.*]

[Margin: Aurea Bulla Caroli IV. 1356.]

Nihilominus Procurator non admittitur ſemper : ſive dicere velimus, quod non omnis ratio tam evidens ſit, ut juſta credatur abſentiæ cauſa, unde Procurator admitti debeat. Teſtis ſum ego ipſe. Factum,

aut

Digitized by Google

aut Jus opportune narrabo. Obiit anno 1730. Epiſcopus, & Princeps Tridentinus Antonius Dominicus Comes de VVolkenſtain. Ad diem Electionis indictam, qua Capitularis Canonicus Tridentinus Elector, fui citatus de more: nec venire ipſe poteram, qui tunc temporis clauſus eram in Conclavi ex voluntate Cæſaris, qui vero benigne ordinaverat, ut cum Eminentiſſimo Principe Ludovico Cardinale De Sinzendorff, qua Conclaviſta, me Romam ad Electionem Summi Pontificis conferrem. Cogitabam Procuratorem de gremio nominare. Dubium non leve occurrit, an Statuta, ſive Conſuetudines noſtræ perſonam requirant, Procuratorem recuſent? Dubium, an excuſatio, & abſentia mea tam evidens haberetur, & juſta, ut Procurator meus admitti debuiſſet? Allegaſſem quidem ſervitium Cæſaris mihi obeſſe non debere: quod actu Univerſæ inſervirem Eccleſiæ, reputandus particulari Eccleſiæ meæ inſervire: quod per me non ſtaret amplius, quominus intervenirem: quod tale impedimentum nec a me præviſum fuerit, nec prævideri potuerit. Defunctus enim Epiſcopus Princeps Tridentinus ſalvus, & incolumis erat, quando ingreſſus ſum Conclave, & in quo jam jam detentus eram, quando ſecundo ægrotavit, quando occubuit. Imo vero nova Dominici Antonii Comitis de Thunn Electio publicata fuit, quando Electo in Summum Pontificem Clemente XII. Die 12. Menſ. Jul. An. 1730. de longo, atque honorifico carcere meo ſum egreſſus. Concanonici Collegæ mei honoratiſſimi propter factum novum, & inauditum forte erant ſciſſi. Hæſitabam Ego, num mitterem, aut conſtituerem de gremio Procuratorem? Nullum tamen miſi, nullum conſtitui, ut exemplo docerem, quod docueram verbis: nempe quod privatum Jus publico cedat beneficio, ubi me autore mala plurima, & funeſtum Schiſma potuiſſent ſuſcitari.

CASUS AUCTORIS IN ELECT. TRIDENT. AN. 1730.

Mandat. Regium Cancell. Hungar. Viennæ 7. *Mart. an.* 1730.

Ut redeamus ad Inſtitutum noſtrum, ſcimus, quod nullus Clericus eligere poſſit, qui ſaltem Subdiaconus non ſit: & in Cathedralibus inſignibus Germaniæ ſolet requiri peracta prima Reſidentia Canonicalis. Hic Tridenti mos eſt. In Electione Summi Pontificis ſæpius fuit diſpenſatum a Prædeceſſore cum Cardinalibus nullum Majorem Ordinem habentibus, & nihilominus ad Electionem admittendis, atque admiſſis.

Clem. 2. *de Ætat. & Qualit.* Syn. Trid. 1562. Seſſ. XXII. *c.* 4. *de Reformat.*

DOTES ELECTORIS.

Poſt Extravagantem Martini V., quæ incipit: AD EVITANDA SCANDALA &c., videtur Electores excommunicatos, ſuſpenſos, aut interdictos, niſi ſint denunciati, aut notorii Clericorum percuſſores, ab Electione non eſſe repellendos. Certum eſt Cardinales per exceptionem

S. Antonin. Sum̃a *p.* 3. *t.* 25. *c.* 3.

Digitized by Google

Bulla Clem. V. *an.* 1310. *in Cærem. Elect. R. P. num.* 10.
Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXV. *c.* 2. *de Regularib.*

Cenſuræ ab Electione R. P. non repelli. Religioſi vero tam viri, quam mulieres, qui contra votum poſſident proprietatem, ii biennio activa, & paſſiva voce privantur, nec non juxta ſuas Regulas puniuntur.

Qui sint Eligendi?
Diſt. LXI.
Electiones Germaniæ.
c. fin. de Cler. Exc.
c. 7. & 20. *de Elect.*
c. 15. *de Hæret. in* 6.
Engel Colleg. Jur. Can. *l.* 1. *t.* 6. §. 2. *art.* 7. *n.* 25.
c. 5. & 7. *de Elect.*
Syn. Trid. 1562. Seſſ. XXII. *de Reformat. c.* 2.
Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 12. *de Reformat.*
Seſſ. XXV. 1563. *c.* 7. *de Regularib.*

Viſis Electoribus videamus, qui ſint eligendi. Eligi nequeunt Laici, aut illi perſæpe Clerici, qui de gremio non ſunt. Hæc Diſciplina fuit aliquando Juris communis, hodie tranſivit illa in privilegium, aut Concordatum. Nulla extra Germaniam cadit libera Electio de gremio, quia in aliis Provinciis aut nominant Principes, aut Pontifices conferunt Epiſcopatus. Inferioribus Electionibus præſunt privata Statuta. Eligi nequeunt Cenſuris irretiti, irregulares, infames, illegitimi; imo nec legitimati, niſi per ſubſequens matrimonium fuerint legitimati. Tales enim legitimis quo ad reliquos honores excepto Cardinalatu æquiparantur. Eligi nequeunt Hæretici, nec Eorum fautores, nec Eorum filii uſque ad ſecundam generationem ex Patre, & ad primam generationem ex Matre, niſi Parentes abjuraverint. In Germania aliquando filiis Catholicis non denegantur Beneficia, nec nocet fides paterna, ubi Religionis libertas tolerari debet. Eligi nequeunt Schiſmatici, Neophyti, Illiterati, Simoniaci, & alterius Eccleſiæ vinculo detenti. Eligi nequeunt, qui neceſſariam non attingunt ætatem: quæ Epiſcopis annus XXX. eſt, Dignitatibus inferioribus XXV., Abbatiſſis poſt octennem Profeſſionem XL., vel ſaltem XXX.

Sortium usus illicitus.
Act. I. 26.
c. 42. *de Elect.*
Electio per Inspirationem.
Platina *in Vita.*
Paulinus *in Vita.*
Electio per Compromissum.

Tranſeundum eſt nobis ad formam Electionis. Poſthabito in Sacris Electionibus uſu ſortium (qui illicitus per ſe eſt, niſi ex ſpeciali inſtinctu fiat, exemplo Matthiæ; aut inter Candidatos meritis omnino pares, juxta vix imitandum Concilii Barcinonenſis an. 599. Canonem Tertium) admittimus triplicem Electionis formam, nempe per Inſpirationem, per Compromiſſum, & per Scrutinium. Per Inſpirationem fit Electio Deo revelante. Sic Fabiano, *dum Anthero ſucceſſor quæreretur, Columba, ut creditum eſt, ſupra caput aſtitit ejuſdem formæ, qua illa viſa eſt, quæ Spiritum Sanctum ſupra caput Jeſu apud Jordanem detulit*. Sic ferme Ambroſius creatus eſt Mediolanenſis Antiſtes, licet adhuc Catechumenus, de quo audita fuit quaſi pueri vox poſtulans Ambroſium Epiſcopum. Quæ per quaſi inſpirationem, ut ajunt, ſive per acclamationem fit, more Romani Exercitus ſuos eligentis Imperatores, inſidiis, periculis, & fraudibus plena interdum mihi videtur, potiſſimum penes numeroſas Regularium Electiones, ubi partes, & ſchiſmata vix deeſſent. Per Compromiſſum fit Electio, quando omnium, & ſingulorum, nemine diſcre-

pan-

Digitized by Google

pante, Electorum jus eligendi, & poteſtas in unum, vel plures, de gremio, vel extra gremium transfunditur: qui omnium, & ſingulorum vice eligant in Epiſcopum, vel poſtulent, juxta conditiones appoſitas, vel non appoſitas, quemcunque dignum judicaverint; dummodo hi ſint Clerici, quia Laicus non poteſt eſſe arbiter in cauſis ſpiritualibus: & ubi Compromiſſarii nominarentur propter eligendum Epiſcopum, dedeceret ſane Compromiſſarios vocare minus dignos, & prudentes minus, quam Electores ipſos. Præter reliquos facile dijudicandos modos, expirat Compromiſſum re integra: & cum naturale ſit rem eodem modo ſolvi, quo fuit ligata, videtur ad revocandum Compromiſſum requiri omnium, & ſingulorum revocationem, ſicut ad ineundum Compromiſſum non minus requirebatur omnium, & ſingulorum conſenſus: niſi fortaſſis ex gravi ſuperveniente ratione major & ſanior pars aliter ſentiret, quidquid unus, & alter opponeret minus inſtructus de neceſſitate communi, atque evidenti utilitate. Magis immoremur Electioni per Scrutinium, quæ frequentior eſt. Epiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, & juſtis de more perſolutis, dies Electionis novæ indicitur, quæ infra tres menſes fieri debet, ne diu cum ſcandalo, aut periculo fidelium vacet viduata Eccleſia. Ne quid clam, & nulliter agatur, vocatis vocandis, die ſtatuta, Electores congregati ſub Miſſa de Spiritu Sancto communicant, jurantes digniorem, atque utiliorem ſe electuros. Ante Electionis Actum ſolent requiri Electores, qua via velint Electionem celebrari, quæ ſolet celebrari per Scrutinium: quod vero ſummæ religionis eſt ſecreto fieri, præſertim apud Regulares. Habita numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum collatione, ſuffragia prius ſecreta, ſcriptiſque tradita per Scrutatores publicantur. Tridenti ſolemus tres Scrutatores de gremio, & Cancellarium Capitularem ad ſcribenda ſuffragia adhibere. Hi ſecedentes de menſa Capitulari ad vicinum Altare Sancti Romedii, in loco Electionis, ſive in ſacriſtia exiſtens, & in conſpectu Dominorum eligentium conſiſtentes, imprimis Scrutatorum vota, (ut duo ſcrutarentur tertium) deinde tres ſingulorum accedentium, & recedentium juxta ordinem vota, oretenus, & ſecreto explorant: atque ita explorata ſcriptis per juratum Cancellarium Capitularem apponuntur, ſcriptis appoſita collationantur, collationata per primum Scrutatorem publicantur.

c. 8. de Arbitris.

Quomodo expiret Compromiſſum?

Electio per Scrutinium.

Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXV. c. 6. *de Regularibus.*

Ritus Electionis Tridentinæ.

Electione publicata variare non licet. Sed Electus intra menſem ſub pœna amiſſionis juris quæſiti, conſentiat, neceſſe eſt, in quantum ſtet per ipſum: & infra tres menſes poſt conſenſum Electioni de ſe ce-

Terminus conſentiendæ Electionis.

c. 6. de Elect. in 6.

Digitized by Google

Et petendæ Confirmationis.

ſe celebratæ præſtitum, a legitimo ſuperiore Confirmationem petat. Scienter eligentes indignum pro illa vice privantur jure eligendi, & a beneficiis triennio ſuſpenduntur. Quod tantum procedit contra eligentes Epiſcopum notorie indignum ex defectu natalium, aut ſcientiæ, aut morum, ita ut inexcuſabiles reddantur: nec forte ipſo jure privantur, ſed per Judicis ſententiam; quia ubi in Canone non exprimitur *ly ipſo Jure*, ſententia Judicis mitiori ſignificatione venit expectanda. Denique ſi major pars Capituli ſcienter indignum elegerit, valet Electio de digno a minori parte, etiam ex eodem ſcrutinio facta, quia minor pars fuit ſanior pars. Electio Electi, & ante Confirmationem adminiſtrantis caſſari debet, niſi ex privilegio, aut præſcriptione adminiſtratio competat, vel Electio in Concordia fuiſſet celebrata extra Italiam. Nonnulli ita ſentiunt, quod tamen nec ſequerer, nec ſuaderem. Privilegium ſingulare, vel præſcriptionem nullibi ſcio, & prohibitio manifeſta eſt.

c. 7. de Elect.

Poena eligentium indignum.

c. 53. de Elect.

c. 17. de Elect.

Aut Ejus, qui non Confirmatus adminiſtrat.
c. 43. de Elect.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM

TITULUS VI.

Electione publicata, ſive Poſtulatione interpoſita infra tres menſes a die præſtiti primi conſenſus, pro Confirmatione, ſive admiſſione coram legitimo ſuperiore comparendum, cui de Jure, vel de Conſuetudine competit. Quomodo Electio fiat, vidimus. Poſtulamus autem, quem eligere nequimus vel propter vinculum alterius Eccleſiæ, vel propter nondum ſuſceptos Ordines, vel propter non competentem ætatem, vel propter aliam conditionem perſonæ, vel propter quodcunque temporaneum ſimile impedimentum. Poſtulari nequit notorie indignus vel ex defectu neceſſariæ ſcientiæ, vel ex peſſimis moribus. Poſtulari nequit violator Interdicti. Notorie indignum poſtulantes ſcienter, privantur per ſententiam Judicis pro illa vice, eligendi, & poſtulandi jure. Electus confirmari dicitur, Poſtulatus admitti, quia confirmatur ex juſtitia, admittitur ex gratia. Electione publicata non licet variare. In Poſtulatione, donec non fuerit præſentata ſuperiori, variare licet. Electus conſentit abſolute ſuæ Electioni, Poſtulatus conditionate conſentit in ſpem admittendæ ſuæ Poſtulationis. Ad Electionem ſufficiunt majora vota, unum ſcilicet ſuper medietate: Ad Poſtulationem requiruntur duæ tertiæ partes. Quamvis in Decretalibus diſpoſitum fuerit, quod neceſſariæ expenſæ in Electione, & cohærenter in Poſtulatione deſumantur de bonis Præ-

c. 6. de Poſtulat. Prælator.

Quando ſit poſtulandum?

c. 1. eod.

Poena poſtulantium indignum.

Diſcrimen inter Electionem, et Poſtulationem.
c. 4. eod.

c. 40. de Elect.

c. 45. eod.

Digitized by Google

Prælaturæ, privatis Eccleſiarum conſuetudinibus erit ſtandum, quæ perſæpe, ac neceſſario derogant juri Communi.

DE CONFIRMATIONE PRÆLATORUM
TITULUS VII.

AB initio Confirmationem Epiſcoporum ad Metropolitanum ſpectaſſe declarant inprimis multa Orientis, atque Occidentis Concilia, videlicet Nycænum an. 325. can. 9., Sardicenſe an. 347. can. 6., Laodicænum an. 367. can. 12., Carthaginenſe an. 390. can. 12., Carthaginenſe an. 398. can. 1. Hæc ultra annum Milleſimum Duceteſimum ſatis viguit diſciplina. Conſule Natalem, & Thomaſſinum. Metropolitano abſente Electus per Literas ſuas a ſeniore Epiſcopo communiter probandas erat confirmandus, exceptis Hiſpaniæ Epiſcopis, quorum Electiones cum Reges paulo ante Concilium Toletanum an. 681. plus æquo forte attentaſſent, Statutum eſt in eodem Concilio, ut, quem Rex nominaret Epiſcopum, Is ab Epiſcopo Toletano, ſi dignus Ei videretur, poſſit ordinari, addita cautione, ut tertio poſt Ordinationem ſuam menſe, coram ſuo ſe ſiſteret Metropolitano.

c. 32. 44. de Elect. c. 47. de Elect. in 6.

Natalis *ſupra*. Thomaſſinus. *p. 2. l. 2.*

METROPOLITANUS CONFIRMABAT.

cap. 6.

PRIVILEGIUM TOLETANI.

Metropolitanus citatis citandis poſt lapſum terminum comparitionis diligenter examinabat Electionis proceſſum, & perſonam Electi, præcipue quo ad ætatem legitimam, morum honeſtatem, & literaturam ſufficientem. Si nulla pronunciaretur ob vitium Eligentium, Electio pro illa vice devolvebatur ad Metropolitanum. Culpa penes Electores non exiſtente, veluti ſi Rex improbaſſet, ad novam Electionem hi procedebant. Electio confirmabatur ſingulis rite productis, examinatis, & approbatis: ita tamen, ut non ſolum dejiciendus eſſet indigne promotus, verum etiam indigne promovens puniendus privatione Confirmationis primi Succeſſoris, & arbitraria beneficii ſuſpenſione; imo ex malitia graviori excedens graviori quoque ſubjacebat ultioni. Tandem a ſententia Metropolitani, Primatis, Exarchi, ſeu Patriarchæ fuit novo judicio appellatum ad Papam, ad quem Devolutiones, atque Appellationes ſpectare ſolemniter declarat Synodus Lugdunenſis an. 1274. celebrata ſub Gregorio X. Sic & propter has interpoſitas frequentiores Appellationes (ſive quod Electiones intra terminum non fierent, ſive quod vel Electiones, vel Confirmationes vitio laborarent, ſive quod Principes difficiliores nonnunquam litium, ſeditionum, violentiarum, bello-

c. 44. de Elect.

PŒNA INDIGNUM CONFIRMANTIS.

cap. 9.

DEVOLUTIO AD PAPAM.

rum,

rum, cladum anſam darent) Romani Pontifices pro meliori Eccleſiæ bono, etiam in ſuis Reſervationibus Generalibus, Canonicas ſupprimere Electiones, Metropoliticum confirmandi Jus propter neceſſitatem pacis quaſi evertere, Epiſcopatus, & Dignitates plurimas diverſis modis ſoli providere tentaverunt. Atque iſtarum mirabilium Reſervationum incrementum poſuit Joannes XXII. Seculo Decimo Quarto, ita ut etiam poſt ſublatas, vel potius reſtrictas Reſervationes Jus Confirmandi manſerit inconcuſſum penes Pontifices etiam vigore cujuſcunque alterius tituli, quemadmodum alio in loco viſuri ſumus.

Jus Confirmandi apud Papam.

Antiquior usus.

Si gradum retro vertamus, forte inveniemus, quod Epiſcopi alii non ſolum a ſuis Metropolitanis, ſed etiam a ſuis ſeu Primatibus, ſeu Exarchis, ſeu Patriarchis confirmarentur: Metropolitæ ſimiliter ab Eo, cui ſuberant, vel Primate, vel Exarcho, vel Patriarcha, ſæpe etiam in Conciliis confirmarentur, in quibus non raro Electiones fieri poterant. Metropolitanos Romani Patriarchatus plures, quibus nulli alii præerant Primates, vel Exarchi, Romanus Pontifex confirmabat, exceptis Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, atque Africæ Provinciis, ubi videtur hæc cura plerumque fuiſſe ſeu Metropolitani, ſeu Concilii Provincialis. Et quamvis Romanus Pontifex vix alios Epiſcopos ab initio communiter confirmaret, eo ſenſim pervenit, ipſa rerum neceſſitate, non ambitu ductus, ut non tantum ſuburbicarios ſuos Epiſcopos, ſed omnes ferme Epiſcopos Catholicos confirmaret, & vix non omnia priſca Metropolitanorum jura quaſi ſolus poſſideret. Quamquam vero unicum ſupereſt ſingulare antiqui Juris Metropolitici in confirmando exemplum, quo poſt tantas rerum mutationes Salisburgenſis quatuor ſuos Suffraganeos Chiemenſem, Gurcenſem, Seccovienſem, Laventinum independenter ab omni alia Sedis Apoſtolicæ cognitione ſolus inſtituit, & ordinat uſque in hanc diem. Teſtis Leopoldus ex Baronibus Firmianis, Archiepiſcopi Salisburgenſis Nepos, Decanus nuper Salisburgenſis, Præpoſitus Tridentinus, Earumque Eccleſiarum, nec non Paſſavienſis Canonicus, Qui translato Prædeceſſore ad Olomucenſem Eccleſiam elevatus fuit his ferme diebus ad Seccovienſem Sedem.

Exemplum recens modernæ Confirmationis Metropoliticæ.

Processus Electi.

Hodie quia Tridentina Synodus nihil determinat, Proceſſus plerumque fit per Nuntium Apoſtolicum Summo Pontifici in forma authentica mittendus. Si Eccleſiæ ſint ad Regiam Nominationem, Prælatus deputatus mittit Inquiſitionem Cardinali Protectori Nationis, & Regni. Omnes vero informationes, teſtimonia, ac probationes quæcunque de Pro-

Seſſ. XXIX. 1563. *c. 1. de Reformat.*

Digitized by Google

Promovendi qualitatibus, & Eccleſiæ ſtatu a quibuſcunque etiam in Curia Romana habitæ, per Cardinalem, qui relationem facturus erit in Conciſtorio, & alios tres Cardinales diligenter examinantur, ac Relatio ipſa Cardinalis Relatoris, & trium Cardinalium ſubſcriptione roboratur: in qua ipſi ſinguli Cardinales quatuor affirmant, ſe adhibita accurata diligentia inveniſſe, Promovendum qualitatibus a Jure, & a Sancta Synodo requiſitis præditum, ac certo exiſtimare ſub periculo ſalutis æternæ idoneum eſſe, qui præficiatur tali Eccleſiæ. Duo propterea Conſiſtoria poſt hanc Conſiſtorialem Congregationem deſiderantur. In primo fit nuda propoſitio Nominati, Electi, vel Poſtulati per Cardinalem proponentem: & hæc dicitur Præconizatio. In ſecundo fit nova propoſitio, & genuina informatio, quæ proprie propoſitio eſt. Aliquando per Diſpenſationem utraque fit unico contextu, atque in unico Conciſtorio. Aliquando Pontifex ipſe ad honorandam inſignem Candidati perſonam præconizat, atque proponit. In quo honore tribuendo Benedictus XIII. valde liberalis fuit. Propoſitione peracta colliguntur Cardinalium ſuffragia, qui dicunt de more *eſſe confirmandum*; & collectis ſuffragiis Papa pronunciat Illum Epiſcopum per hæc verba: *Autoritate Dei Omnipotentis Patris, Filii, & Spiritus Sancti, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtra, Eccleſiam N. providemus, Ipſumque N. illum in Epiſcopum præficimus, & Paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſius Eidem in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo*. Denique expediuntur Bullæ plumbo.

Confirmatus, & nondum Conſecratus adminiſtrare poteſt, quæ ſunt juriſdictionis, non quæ Ordinis ſunt. Poſt Conſtitutionem Bonifacii VIII., & juxta modernum uſum, Capitulum tenetur Proviſum ad naturalem, corporalem, & actualem poſſeſſionem, & adminiſtrationem admittere, nonniſi literis in forma expeditis, exhibitis, & Capitulo præſentatis in Originali. In Belgio ſolent Literæ Apoſtolicæ placitari a Conſilio Regio, non ſecus ac in Hiſpania. Jure Regaliæ habent Reges in Gallia, & in Hungaria fructus Beneficiorum vacantes, qui deſtinati ſunt ad pios uſus. In Regno Neapolitano locum obtinet *Exequatur Regium*: quo ſine omnis actus pro non legitimo, & nullo habetur. Ajunt enim, quod interſit Regis pro ſtatus ſui tranquillitate ſcire, quid agatur, & quales homines intrent, atque inhabitent Regnum ſuum. In terris Imperii, in quibus libera Capitulorum Electio viget, Epiſcopi tanquam Principes infra annum ab Imperatore Inveſtituram Feudi pe-

CONFIRMATUS QUOMODO SE GERERE DEBEAT?
Extrav. Comun. *de Elect. c. 1.*

Van Eſpen Jur. Eccleſ. *p. 1. t. 14. c. 5. n. 11.*

Ciocarelli Archivio.

USUS PER GERMANIAM.

tere

Usus Tridentinæ Eccleſiæ.

tere tenentur. Tridenti quoque Epiſcopus canonice electus a Sancta Sede confirmatur, & Inveſtituram Jurium Regalium Dominii Temporalis ab Imperatore, & Imperio tanquam iſtius Princeps aſſequitur juxta priſtinum morem: Poſſeſſionem tamen Principatus, & Temporalium adminiſtrationem non ingreditur, niſi ſe prius adſtringat juramento erga Sereniſſimum Tyrolis Comitem ad obſervantiam certarum Compactationum Comites inter, & Epiſcopos erectarum. Albertus, ſive Adalbertus Ulrici filius Comes Teriolenſis, ſive Tyrolenſis circa annum 1240. inveſtitus fuit ab Epiſcopo Aldrigerio, ſive Aldrighetto, ſive Aldrico, ſive Ulrico De Advocatia Eccleſiæ Tridentinæ pro ſe, & Maſculis tantum. Deinde non tam hoc Advocatiæ inſigni jure, quam Feudis multis ad Eccleſiam devolutis per mortem Udalrici de Ulten anno 1253. Egnomus Epiſcopus tanquam Dux, Comes, & Marchio Ditionis Tridentinæ non tantum de prædicta Advocatia, quantum de reliquis Feudis inveſtivit anno 1256., ſive anno 1259. Maynardum I. Comitem Tyrolis, & Ducem Goritiæ, atque Ejus Uxorem Adelaidem defuncti Alberti Filiam, nec non Eorum Filios. Extant in Archivio Eccleſiæ Tridentinæ non tam citatæ Inveſtituræ, quam & Aliæ, quæ ſequentibus temporibus citari poſſunt. Operæ pretium foret in hanc rem conſulere Manuſcriptum, quod in manus meas incidit, ſive Rationes, & Jura Eccleſiæ Tridentinæ ad Leopoldum I. piiſſimum Imperatorem, Maximum Regnantis Divi Caroli VI. Parentem. Idipſum patet ex Tabulis in Editione Veneta Ughellii Italiæ Sacræ cum Notis Benedicti Gentilotti recenſitis. Maynardi Inveſtitura fuit multarum Diſſenſionum Epocha inter aliquos Epiſcopos, & aliquos Advocatos Eccleſiæ Tridentinæ, prouti videre eſt non tam in citatis Tabulis, quam in Manuſcripta Joſephi Victorii De Albertis Epiſcopi Principis Tridentini Relatione ad limina Apoſtolorum circa annum 1690. exarata. Cum autem in meliora tempora inciderimus, Optimum recenſemus Advocatum, ac Religioſiſſimum Patronum Eccleſiæ noſtræ modernum Cæſarem, tanquam Sereniſſimum Tyrolis Comitem, Sanctiſſimum Rudolphi I. Habsburgici olim Epiſcopos inter, & Maynardum Pacificatoris imitatorem.

Ejus Advocatus Comes Tyrolis.

DE

Digitized by Google

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM

TITULUS VIII.

Confirmatus juxta Synodum Chalcedonenſem an. 451. infra tres menſes a Sede vacante numerandos conſecrari debuerat. Hodie a die Confirmationis notæ, ſeu a die notitiæ computandos juxta Synodum Tridentinam conſecrari debet. Contravenientes poſt primum trimeſtre fructus, poſt ſecundum Eccleſias amittunt. Donec Electio ad Metropolitanum ſpectaret ſimul cum Comprovincialibus, facile expediri poterant Confirmatio, & Conſecratio infra tres menſes. Poſtquam vero Apoſtolica Sedes fuit adeunda, longiores termini poni debuerunt. Conſecratio vero ſi extra Curiam Romanam fiat, in Eccleſia, ad quam promoti fuerint, aut in Provincia, ubi commode fieri poterit, celebretur die Dominica, vel Natali Apoſtolorum; vel alio Feſto, ſi Summus Pontifex aliter indulſerit.

Diſt. LXXV.

Seſſ. XXIII. 1563. *c. 2. de Reformat.*

Pontif. Rom.

Donec Confirmatio fuit penes Metropolitanum, & ipſa Conſecratio fuit. A quo Confirmatio ad Summum Pontificem devoluta eſt, nemo conſecrari debet, niſi conſtet prius Conſecratori de Commiſſione conſecrandi ſive per literas Apoſtolicas, ſi ſit extra Curiam, ſive per Commiſſionem vivæ vocis oraculo a Sum. Pont. Conſecratori factam. Liberæ tamen ſolent dari literæ Conſecrando in Indiis, ſive in ſimilibus remotiſſimis regionibus, ut, a quocunque maluerit Catholico Antiſtite gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc illi aſſiſtentibus duabus, vel tribus Dignitatibus, munus Conſecrationis accipere valeat.

Cujus sit consecrare?

Fagnan. *ad cap. 7. de Temp. Ordinat. num. 10.*

Hodierna diſciplina apud Latinos ſolet eſſe, ut ad minus duo præter Conſecratorem adſint aſſiſtentes Epiſcopi: apud Græcos vero tres Pontifices, ſive etiam plures in ſellis ſuis ſedent ante auguſtas Sacri Altaris fores, ne quid non palam fiat. Frequenter recentioribus diebus ſive ex diſpenſatione, ſive ex conſuetudine, loco duorum Epiſcoporum Aſſiſtentium admittebantur duo Abbates Mytrati, etiam Regulares, niſi quod defunctus p. m. Benedictus XIII. Canonem Quartum Synodi Nicænæ an. 325. reſtituerat in ſuam poſſeſſionem, ubi tres ſaltem Epiſcopi debebant in unum congregari. Fuit quidem Pelagius I. ordinatus per duos Epiſcopos tantum, & unicum aſſiſtentem Presbyterum, Joannem ſcilicet Peruſienſem, Bonum Ferentinum, & Andream Oſtiæ Presbyterum. Excuſat

Ritus Consecrandi.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 33. n. 54.*

Digitized by Google

ſactum aliqua neceſſitas, quia recuſabant reliqui ordinare hominem, qui nondum ſe purgaverat, ſe innoxium eſſe ab interitu Vigilii Prædeceſſoris ſui. Neceſſitatem executionis agnovit D. Gregorius M. ad Auguſtinum Anglum, quod in Anglorum Eccleſiam, in qua ſolus adhuc ipſe inveniretur Epiſcopus, ordinare Epiſcopum non aliter poſſit, niſi ſine Epiſcopis. Hujus neceſſitatis judicium, & diſpenſationem ferre ſolius jam Sedis Apoſtolicæ eſt. Quare non bene ſibi conſuluit Octoagenarius Bernardus Van Eſpen, qui non ita pridem pro Ordinatione Epiſcopi Ultrajectenſis per manus Epiſcopi Babylonenſis facta, invito Clemente XI., & Succeſſore Ejus Innocentio XIII., incaute ſcripſit. Utinam neque hic, pluſquam oportet, ſapere affectaſſet, alias meliori fato dignus. Annuente, vel non contradicente Romano Pontifice, excuſationem merentur non raro ii, qui Abbates Aſſiſtentes potius ad Conſecrationem invitant præteritis Epiſcopis. Cauſa non levis eſt præſertim in Germania, ubi Epiſcopi dignitate Principum fulgent, propter magnos ſumptus itinerum, hoſpitiorum, & munerum erga Aſſiſtentes Comprincipes Epiſcopos, qui immenſi ſumptus maxima ex parte erga inferiores hoſpites poſſunt minui.

Beda Hiſt. Angl. l. 1. c. 27.

Bernardi Van Espen interitus.

Quare Abbates Assistentes eligantur?

Ritus Conſecrationis ad veterem Diſciplinam accomodatus eruitur totus ex Pontificali Romano de Scrutinio Serotino. Sabbato ante Dominicam Conſecrationis Metropolitanus cum duobus ſaltem aſſiſtentibus Suffraganeis, in Atrio Eccleſiæ ſuper faldiſtorium paramentis ſuis indutus hora veſpertina ſedebat. Archipresbyter, vel Archidiaconus inter duos Canonicos Eccleſiæ, ad quam Electus in craſtino conſecrandus erat, præſentabat Decretum Electionis, ut confirmaretur, conſecraretur que, ſingulis ſcribentibus, ac ſe ſcripſiſſe, & ſubſcripſiſſe profitentibus poſt recitatum Decretum. Metropolitanus Electum adduci jubebat, qui præcedentibus Canonicis inter Archipresbyterum, & Archidiaconum comparebat examinandus, monebaturque hodie cum Conſecratore jejunare, quia cras conſecrabitur. Cras comparebat Conſecrandus inter duos Aſſiſtentes, quorum ſenior nomine Catholicæ Eccleſiæ poſtulabat, ut præſentem Presbyterum ad onus Epiſcopatus ſublevet. Examinabatur Electus de Fide, de Scripturis, de Traditionibus, de Obedientia erga Pontificem, de Moribus, de Symbolo.

Ritus Consecrationis Antiquior.

Decretum Electionis præsentatur.

Examen Electi.

Completo examine Electus genuflexus promittebat Metropolitano ſuo obedientiam in hunc modum. *Ego N. Eccleſiæ N. vocatus Epiſcopus promitto in conſpectu Omnipotentis Dei, atque totius Eccleſiæ, quod ab hac hora*

Obedientia Electi erga suum Metropolitanum.

hora in antea fidelis, & obediens ero, perpetuo more Prædeceſſorum meorum, Beato N., Sanctæque Eccleſiæ N., (Metropolitanæ ſcilicet) *& Vobis Domino meo N., Dei gratia Ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopo, Veſtriſque Succeſſoribus Canonice intrantibus, prout eſt a Sanctis Patribus inſtitutum, & Eccleſiaſtica, ac Romanorum Pontificum commendat auctoritas. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel in facto, ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione. Conſilium, quod mihi per Vos, aut per Literas, vel per Nuncium credituri eſtis, ad damnum veſtrum, me ſciente, nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Vos quoque, & Nuncios veſtros, ac Eccleſiæ,* (Metropolitanæ ſcilicet) *quos certos eſſe cognovero, in eundo, ſtando, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo; poſſeſſiones vero ad Menſam mei Epiſcopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo contra jus, vel Conſuetudinem Eccleſiæ meæ alienabo, Vobis, vel veſtris Succeſſoribus inconſultis. Sic Me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Et hic tangebat ambabus manibus librum apertum Evangeliorum. Stylus formulæ ſapit Seculum Nonum, & Decimum.

MISSA. OFFICIUM EPISCOPI.

Incipiebat Miſſa. Finito Graduali Conſecrator monebat Conſecrandum, quod Epiſcopum oportet judicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare. Intonabantur Litaniæ Majores procumbentibus ſingulis, quibus decantatis Conſecrator imponit Collo Electi aperta Evangeliorum volumina inſtar ſtolæ, ut ſuave Domini jugum diſcat portare. Conſecrator, & Aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus tangunt caput Conſecrandi, dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum*. Inter hymnum de Spiritu Sancto ungitur Sacro Chriſmate Caput Electi. Unguntur manus ad Pſalmum CXXXII. Conſecrator benedicit Baculum Paſtoralem, quem tradit Electo in ſignum Juriſdictionis ad exercendum ſine ira judicium, manſuetudine temperatum: benedicit Annulum, quem digito Electi apponit in ſignum fidei, & boni teſtimonii. Miſſa procedente legebatur Evangelium, poſt cujus lectionem Conſecratus auſpicio muneris ſui Orationem habebat ad Populum. Inter Sacrificium Conſecratus veteri more offerebat panem, & vinum, cum Conſecratore peragens Sacrum, a quo Communionem ſub utraque ſpecie accipiebat. Miſſa finita benedicebantur Mytra, & Chirothecæ. Illa fronti, hæ manibus imponebantur Ejus, quem in faldiſtorio ſuo Conſecrator, & Aſſiſtentes inthronizabant. Denique Aſſiſtentes ducebant Conſecratum per omnes Ec-

CONSECRATIO, ET UNCTIO. BACULUS SIGNUM JURISDICTIONIS. ANNULUS SIGNUM FIDEI. ORATIO ELECTI AD POPULUM. OBLATIO PANIS, ET VINI. COMMUNIO SUB UTRAQUE SPECIE. INSIGNIA ELECTI VARIA. INTHRONIZATIO.

Digitized by Google

cleſiæ angulos, ſuo populo monſtrandum, quem ſolemniter benedicebat

Populus benedicitur.

reverſus ad Altare. Oſculo pacis habito Conſecrator tradebat Conſecrato ſcriptum Edictum, quibus regulis ſuam Provinciam rite adminiſtraturus eſſet. Talis Edicti exemplar tradit in ſuis Inſtitutionibus Eccleſiaſticis Claudius Fleury, citatque adhortationem ſimilem Urbani II., Ivonem Carnutenſem conſecrantis anno 1091. Prolixum, ſed divino Spiritu plenum exhibetur Edictum in Pontificali Romano de Scrutinio Serotino.

Prem. Part. *Chap.* II.

Edictum.

Paucis monet, quomodo Epiſcopus debeat commodis ſervire multorum, omniumque fieri minimus, rationem Miniſterii ſtrictiſſimam redditurus. Commendat Fidem illibatam, Ordinationes ſuis diebus fieri, ideſt quatuor Temporibus, nec cito manus imponere, nec peccatis alienis communicare. Præcipit avaritiam, & ſimoniam, tanquam peſtem, vitare. Hortatur manſuetudinem, & caſtitatem ſectari, irreprehenſibilem eſſe, prædicationi inſtare, Scripturas ſcrutari, exemplo præeſſe, ne confundant opera ſermonem. Nec ira, nec ultio, ſed paterna correptio, in judicio miſericordia, rectum judicium, juſta bonorum Eccleſiæ diſpenſatio, hæc omnia boni Rectoris dotes ſunt. Adde hoſpitalitatem exercere, eleemoſynas diſtribuere, oppreſſos tueri, opprimentibus reſiſtere, ut nullus favor communem Parentem extollat, nulla adverſitas atterat, ideſt ut nec in proſperis cor juſti elevetur, nec in adverſis minimum dejiciatur. Talem Paſtorem manet æternæ Retributionis dies magna. Et hoc ſalutari Edicto, tanquam inſigni dono, donabant Metropolitani ſuos Epiſcopos in Conſecratione, quod, ut altis Epiſcoporum mentibus repoſitum maneat, vehementer optandum eſt. Ordinationes præſcribuntur *aptis temporibus*, ideſt *Menſis Primi*, *Quarti*, *Septimi*, *&* *Decimi*. Initium Veris Martius, ſeu Primus Menſis eſt Martius, a quo initium annus Eccleſiaſticus ſumit. Tempore enim Concilii Moguntienſis an. 813., Quatuor Tempora cadebant Martio, Junio, Septembri, Decembri, quæ adhuc ſunt tempora Ordinationum. Conjectura, quod Edictum iſtud ſaltem Seculi Noni ſit.

Edicti hujus Epocha.

Ritus ferme idem hodie.

Modernus Conſecrationis Ritus a veteri non multum differt, niſi quod jejunantibus pridie Conſecratore, & Conſecrando, Scrutinium Serotinum penitus aboleverit. Differt, quod recens Conſecratus non amplius Metropolitano, ſed Romano Pontifici Juramentum, & Obedientiam præſtet: qui vel in Ordinatione, vel in Conceſſione Pallii aliquando ſola Canonica Obedientia contentus fuit, donec Gregorius VII. forte *primus anno* 1079. *a Patriarcha Aquilejenſi in Concilio Romano exegit non Canonicam*

Van Eſpen *ſupra* *p.* I. *t.* 15. *c.* 2.

dum-

Digitized by Google

dumtaxat Obedientiam, ſed juramentum Fidelitatis. Hujus juramenti forma inſeritur Decretalibus. *Ego N. Epiſcopus ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, Dominoque meo Papæ C., Ejuſque Succeſſoribus Canonice intrantibus*. Puto Clementi III., ſive Cœleſtiſtino III. verſus finem Seculi Duodecimi, quia jam Seculo Decimo Tertio hæc Decretalis ſub Gregorio IX. compilata fuit curante D. Raymundo de Pennafort. Decretum enim Gratiani fuit editum anno 1151. probante Eugenio III. *Non ero neque in conſilio, neque in facto, ut vitam perdat, aut membrum, vel capiatur mala captione. Conſilium, quod mihi aut per ſe, aut per literas, aut per Nuncium manifeſtabit, ad Ejus damnum nulli pandam. Papatum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & regulas Sanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum, & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Legatum Apoſtolicæ Sedis, quem certum eſſe cognovero, in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo. Limina Apoſtolorum ſingulis annis aut per me, aut per certum Nuncium viſitabo, niſi Eorum abſolvar licentia. Sic me Deus &c.* Hæc forma adhuc Seculo Decimo Quinto adhibebatur in Conceſſione Palii: in quam formam jurabant Epiſcopi olim ii tantum, qui immediate ſubjecti fuerant Romano Pontifici; & Suffraganei reliqui ſuo Metropolitano, quemadmodum Gregorius IX. declarat *ſub forma Canonica* ad querimonias Capituli Caſtellanenſis contra Patriarcham Grandenſem.

c. 4. *de Jurejurando.*

FORMA GREGORIANA.

Acta Innocent. III. *edita a Franciſco Boſqueto pag. 64.*

c. 13. *de Majorit. & Obedient.*

Hodie Epiſcopi jurant ſoli Romano Pontifici non ſecundum formulam Gregorianam, ſed ſecundum aliam recentiorem, & ſtrictiorem, quæ eſt Clementis VIII., cujus tenor ex Pontificali Romano deſcribitur. *Ego N. Electus Eccleſiæ N. ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro Apoſtolo, Sanctæque Romanæ Eccleſiæ, & Domino Noſtro, D. N. Papæ, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum; ſeu capiantur mala captione; aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuriæ aliquæ inferantur quovis quæſito colore. Conſilium vero, quod mihi credituri ſunt per ſe, aut Nuncios ſuos, ſeu literas ad Eorum damnum, me ſciente, nemini pandam. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri adjutor Eis ero ad retinendum, & defendendum, ſalvo meo ordine, contra omnem hominem. Legatum Apoſtolicæ Sedis in eundo, & redeundo honorifice tractabo. Jura, honores, privilegia, & auctoritatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Domini Noſtri Papæ, & Succeſſorum prædictorum conſervare, defende-*

FORMA CLEMENTINA.

DEFENDERE PERSONAM, ET JURA ROM. PONT.

fendere, augere, & promovere curabo. Neque ero in conſilio, vel facto, ſeu tractatu, in quibus contra ipſum Dominum Noſtrum, vel eandem Romanam Eccleſiam aliqua ſiniſtra, vel præjudicialia perſonarum, Juris, honoris, ſtatus, & poteſtatis eorum machinentur. Et ſi talia a quibuſcunque tractari, vel procurari novero, impediam hoc pro poſſe; & quanto citius potero, ſignificabo Eidem Domino Noſtro, vel alteri, per quem poſſit ad ipſius notitiam pervenire. Regulas SS. PP., Decreta, ordinationes, ſeu diſpoſitiones, reſervationes, proviſiones, & Mandata Apoſtolica totis viribus obſervabo, & faciam ab aliis obſervari. Hæreticos, Schiſmaticos, & HÆRETICOS, ET SCHISMATICOS, ATQUE REBELLES IMPUGNARE. SYNODUM ACCEDERE. *Rebelles Eidem Domino Noſtro, vel Succeſſoribus prædictis pro poſſe perſequar, & impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Apoſtolorum limina ſingulis trienniis perſonaliter per me ipſum viſitabo, & Domino Noſtro, ac Succeſſoribus præfatis rationem red-* LIMINA VISITARE. *dam de toto meo paſtorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Eccleſiæ ſtatum, ad Cleri, & Populi diſciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei traditæ ſunt, ſalutem quovis modo pertinentibus, & viciſſim mandata Apoſtolica humiliter recipiam, & quam diligentiſſime exequar. Quod ſi legitimo* VEL PER SE, VEL PER ALIUM. *impedimento detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc ſpeciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutum, ſeu alias perſonatum habentem, aut his mihi deficientibus, per Diœceſanum Sacerdotem; & Clero deficiente omnino, per aliquem alium Presbyterum Secularem, vel Regularem, ſpectatæ probitatis, & religionis de ſupradictis omnibus plene inſtructum. De hujuſmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad S. R. E. Cardinalem proponentem in Congregatione Sacri Concilii per ſupradictum Nuncium tranſ-* BONA ECCLESIÆ NON ALIENARE. *mittendas. Poſſeſſiones vero ad menſam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquomodo alienabo, etiam cum conſenſu Capituli Eccleſiæ meæ, inconſulto Romano Pontifice. Et ſi ad aliquam alienationem devenero, pœnas in quadam ſuper hoc edita Conſtitutione contentas, eo ipſo incurrere volo. Sic me Deus &c.* Puto ſuſpenſionem ab officio, & adminiſtratione, quæ pœnæ leguntur in Con- *c. 2. de reb. Eccleſ. non alienand. in 6.* ſtitutione Gregorii X. ex Concilio Lugdunen. an. 1274. Addit Pontifi- VARII TERMINI VISITANDI LIMINA. cale, Italos, Eorumque Inſulanos, Dalmatas, & Græcos ſingulis trienniis juxta præſcriptam normam teneri, limina Apoſtolorum accedere: Quadrienniis Germanos, Gallos, Hiſpanos, Belgas, Bohemos, Hungaros, Polonos, Anglos, Scotos, Hibernos, & quicunque in Europa ſunt citra Mare Germanicum, & Balticum, nec non Inſulanos Mediterra-

Digitized by Google

terraneos: Quinquenniis remotiores Europæos, & viciniores Litorales Africanos: Decenniis Aſiaticos, & ultra. Sed neque hi termini ubique ſatis in uſu ſunt. Scio enim, qui nec per ſe, nec per alios viſitant Apoſtolorum limina, non contradicente Romano Pontifice, qui de Eorum ſedula opera optime ſentit, tanquam de optimis Paſtoribus.

Unum moneo, ſingula juramenti Clementini capita ſumma moderatione, diſcretione, ſimplicitate, quoad fieri poterit, & prouti Provinciarum, Regnorum, Locorum, Communitatum jura, exemptiones, privilegia, & conſuetudines Sedi Apoſtolicæ tacite, vel expreſſe comprobatæ illa quotidie obſervari ſinunt, obſervanda, atque intelligenda ſemper, & infallibiliter eſſe. Vix enim poſſibile eſſet, ſingula ad literam ſemper, ubique, & in ſingulis circumſtantiis, atque momentis phariſaico ſcrupulo obſervare, interpretari, exequi. Sic ad optimum finem juxta neceſſitatem, atque utilitatem Dominici Gregis debent ſemper, & infallibiliter ſana, atque integerrima apponi remedia, quæ ad conſervationem, non ad deſtructionem myſtici corporis tendant. VIS JURAMENTI CLEMENTINI.

DE OFFICIO EPISCOPI

TITULUS IX.

PRæcedentibus Titulis plura, plura ſubſequentibus, ad officium Epiſcopi ſive quoad interiores, ſive quoad exteriores ſuas functiones, ratione Ordinis, & Juriſdictionis ſpectantia docuimus, & docebimus. Hodie quale officium Synodus Tridentina Epiſcopis adjudicet, hoc Titulo potiſſimum inquirimus, ſalvis privatis Provinciarum, & Locorum juribus, & Conſuetudinibus, maxime iis, quæ Sedi Apoſtolicæ ſunt probatæ. Sicuti per Confirmationem acquirunt, quæ juriſdictionis ſunt, ſpecialia munia, ita per Conſecrationem, quæ ſunt Ordinis, acquirunt Epiſcopi. Conſule Binghamum ſano ſenſu. *l. 2. pag. 83.*

Fundamentum autem Regiminis, quod primario, & principaliter propter animas Paſtori incumbit, perſonaliter reſidere eſt. Cujus præciſam perſonalis Reſidentiæ neceſſitatem ipſe Juſtinianus agnovit vetans, ne quis Epiſcoporum ſine licentia Imperatoris ad Aulam Conſtantinopolitanam proficiſcatur. Inhæret hæc Imperatoris prohibitio ſenſui Concilii Sardicenſis an. 347., ubi legitur, *Nullum oportere Epiſcopum ad caſtra accedere præter eos, quos pius Imperator noſter ſuis Literis acceſſit*. Conſtantem fuiſſe pro Reſidentia mentem Eccleſiæ, in dubium vertere, RESIDERE. *l. 43. Cod. de Epiſcopis, & Clericis. can. 7.*

nemo

nemo poteſt, qui omnium ſeculorum Concilia, & Patres perluſtravit. Cum autem nulla lex non habeat ſuos tranſgreſſores, nec omnis culpa puniri, nec omne ſcandalum tolli poſſit, ſequitur neque Epiſcoporum Reſidentiam ſtricte ſemper, & ab omnibus fuiſſe obſervatam. Cauſæ multæ, deſidia plurimorum, lites, lucrum, frequens Aula, Principum favor, Metropolitanorum conniventia, & malum aliquando exemplum. Sed non omnes cauſæ fuerunt malæ. Fuerunt aliæ juſtæ, quæ actu ſunt.

Quare neglecta Residentia?

An sit de jure divino?

Cœterum hanc perſonalem, neceſſariam, laborioſam Epiſcoporum Reſidentiam de jure divino eſſe, poſt Canones Conciliorum, & Patrum teſtimonia Synodus Tridentina, niſi definiverit, ſaltem crediſſe videtur, quando monuit Epiſcopos de miniſterio arctiſſimo, quod implere nequaquam poſſunt, *Si greges ſibi commiſſos mercenariorum more deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de Eorum eſt manibus a Supremo Judice requirendus, cuſtodiæ minime incumbant: cum certiſſimum ſit, non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit*. Sunt tamen legitimæ abſentiæ cauſæ, ubi abſens plus prodeſſe poteſt, quam præſens: ex Chriſtiana ſcilicet charitate, urgenti neceſſitate, debita obedientia, evidenti Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitate, Principis invitatione, Legatione publica, & ſi quæ aliæ hujus generis ſunt. Quas vero legitimas abſentiæ cauſas per legitimum ſuperiorem probandas vult Sacra Synodus, niſi ſint repentinæ, notoriæ, dignitati alligatæ, & publico officio annexæ. Epiſcopi *interea meminerint diſceſſuri ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipſorum abſentia nullum damnum accipiant. Quoniam autem qui aliquantiſper tantum abſunt, ex veterum Canonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim reverſuri ſunt, Sacroſancta Synodus vult, illud abſentiæ ſpatium ſingulis annis, ſive continuum, ſive interruptum, extra prædictas cauſas nullo pacto debere duos, aut tres menſes excedere*. Alias abſens coram Deo reum ſe facit, & pœnis Canonicis obnoxium, quærens, quæ ſua ſunt, non, quæ Dei ſunt, quem diſtrictum Judicem habebit, animas pretioſo Chriſti Sanguine redemptas de manu ſua repetentem, & non invenientem.

Seſſ. VI. 1547. c. 1. de Reformat.

Quando liceat abesse?

Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. de Reformat.

Prædicare.

Præcipuum Epiſcoporum munus, Evangelii prædicatio eſt, quam, niſi fuerint legitime impediti, tenentur per ſe ipſos exercere, exemplo S. Caroli, imo Pauli Apoſtoli ad Majores natu Eccleſiæ Epheſinæ: *Vos ſcitis, ... quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publice, & per domos... nec facio animam meam pretioſiorem, quam me, dummodo conſummem curſum meum, & miniſterium verbi, quod*

Act. XX. 17.

Digitized by Google

quod accepi a Domino Jeſu teſtificari Evangelium gratiæ Dei. Recte Apoſtoli *Orationi, & miniſterio verbi inſtantes erant :* quomodo enim credidiſſent in Eum, de quo nihil audiviſſent ? Hæc neceſſaria Verbi prædicatio debuit eſſe primitivæ Eccleſiæ conſtans Diſciplina. Creſcente populo non fuerunt ſatis Epiſcopi, qui coacti ſunt hoc onus dividere cum Presbyteris in ſui adjutorium deſtinatis. Quem honorem, licet vocati non eſſent ſicut Aaron, cum ſibi aſſumerent reliqui, reſtitit medio Quinto Seculo Leo M., *ut præter eos, qui ſunt Domini Sacerdotes, nullus ſibi jus docendi, aut prædicandi audeat vendicare, ſive ſit ille Monachus, ſive ſit Laicus, qui alicujus ſcientiæ nomine glorietur*.

Act. VI. 4. Rom. X. 14. Heb. V. 4. Epiſt. 62.

Poſt hæc tempora perſonalis Epiſcoporum prædicatio fuit intermiſſa, aut rara, vel quia per incurſus Barbarorum non omnia loca tuta forent, vel quia Diœceſes augerentur in dies, vel quia Epiſcopi multi majoribus domeſticis laboribus, & publicis Principum negotiis quaſi unice ſtuderent ob Laicorum in re bene gerenda ſummam imperitiam. Unde factum eſt, ut ſtudiis intenti alienis propria negligerent, ſcientiamque, & mores Epiſcopo dignos exuerent non pauci. Cum vero alios docere alii minime potuerint, qui literas non didicerunt, ſtatuit Concilium Lateranenſe IV. an. 1215., *ut Epiſcopi viros idoneos ad ſanctæ prædicationis officium ſalubriter exequendum aſſumant, potentes in opere, & ſermone, qui plebes ſibi commiſſas, vice ipſorum (cum per ſe iidem nequiverint) ſolicite viſitantes, eas verbo ædificent, & exemplo : quibus ipſi cum indiguerint, congrue neceſſaria ſubminiſtrent, ne pro neceſſariorum defectu compellantur deſiſtere ab incepto*. Hac occaſione inſtituti ſunt Prædicatorum, & Mendicantium Ordines, quorum homines nulli certæ adſcripti Eccleſiæ, quocunque mitterentur, ibant prædicantes Evangelium. *Unde evenit, ut Epiſcopi, & Rectores Parochiarum, ſoliti ad id tempus ſacras ad Populum Conciones habere, deinceps in alto fere otio vixerint :* donec Synodus Tridentina dormientes Paſtores, quibuſcunque cura Animarum commiſſa eſt, profundo ſomno ſuſcitaverit clamans, *præcepto divino Mandatum eſſe omnibus, Oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere*. Adverto tamen contra Blondelli, & Binghami calumnias, contra puſillorum reliquorum ſcandalum, quia frequenter hodie non ſolent per ſe ipſos prædicare, præſumendum eſſe, quod Epiſcopi ſint legitime impediti, quod non ſit amplius tanta perſonalis prædicationis neceſſitas, quod non ſint inculpandi, cum per alios idoneos viros

PRÆDICATIO INTERMISSA. REMEDIUM. c. 15. de Offic. Jud. Ordinar. MENDICANTES PRIMI QUARE INSTITUTI? Papir. Maſſon. Annal. l. 3. in fine. Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. de Reformat. EXCUSANTUR EPISCOPI.

Digitized by Google

ſrangant panem iiſdem puſillis, qui circum plateas, & domos vociferant, & non eſuriunt. Porro cum *nullus Secularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, contradicente Epiſcopo, prædicare præſumat*, invigilare omnino tenetur Epiſcopus, num ipſe Adjutores idoneos ſubſtituerit, qui paſcant gregem commiſſum, non occidant, aut diſperdant. Villicus eſt Epiſcopus, qui ſuæ Villicationis rationem uſque ad ultimum quadrantem reddet, nec propter mercenarios hæreditariæ adminiſtrationi præfectos excuſabitur. Quod ſi vero Eccleſiaſtici Viri ſine licentia Epiſcopali prædicare nequeunt, multo magis Laicis univerſis uſurpare officium prædicandi interdictum erit, *ne vitia ſub ſpecie virtutum occulte ſubintrent*. Adeſt Georgius Fox Anglus anno 1642. Quakerorum infelix Autor, qui poſt alios Laicis ſingulis pro ſuo inſtinctu, aut temeraria ſtultitia indulſit, verba ad populum facere; quidquid ipſis Alexandriæ Presbyteris concionari interdictum fuiſſet ab eo tempore, quo Arius Eccleſiam turbare cepit.

Syn. Trid. 1563. Seſſ. XXIV. c. 4. *de Reformat.*

LAICIS INTERDICTA PRÆDICATIO.

c. 14. *de Hæreticis.*

QUAKERORUM AUTOR.

ORARE.

Jacob I. 17.

Præcipuum illud quoque Epiſcopi munus eſt Orare, quia *omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt; deſcendens a Patre Luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. Nec tantum pro ſe, ſuoque populo nunquam in orando deficere debet Epiſcopus, ſed populum docere, quomodo ſit orandum, quia *pulſanti aperietur*. Decet Epiſcopum Choralibus Officiis, & Miſſæ Conventuali, quantum fieri poteſt, intereſſe: Sacrum ſaltem diebus Dominicis, & aliis ſolemnioribus in Eccleſia Cathedrali perficere; cum quo ſuo Epiſcopo olim Presbyteri celebrabant, & adhuc apud Græcos celebrant: neque facile permiſſum aliquando fuit Presbyteris, niſi abſente, vel ægrotante Epiſcopo, Liturgiam peragere. Ad Epiſcopum ſpectat publicas preces, ſupplicationes, jejunia indicere: Abuſus econtra, ſuperſtitiones, errores tollere, quia Doctor eſt.

DOCERE MODUM.

Luc. XI. 10.

JUDICARE.

Oportet Epiſcopum judicare juxta privatas, atque probatas Locorum conſuetudines, præſertim in cauſis Eccleſiaſticis, etiam quoad perſonas Laicas: vitia Subditorum coarguere, & corrigere, tanquam Paſtorem, non tanquam percuſſorem: pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere: præcedentiæ controverſias, omni appellatione remota, inter Eccleſiaſticas perſonas, tam Seculares, quam Regulares componere: exemptos omnes, etiam Regulares, imo Monachos ipſos compellere ad Proceſſiones publicas, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivunt: Abbatum negligentiam ſupplere

Seſſ. XIII. 1551. c. 1. *de Reformat.*

Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. *de Reformat.*

Seſſ. XXV. 1563. c. 13. *de Regular.*

Digitized by Google

plere ad inſtituendam Sacræ Scripturæ Lectionem in Monaſteriis, *ubi* Seſſ. V. 1546. c. 1. de Reformat.
commode fieri queat : Regularibus ante Profeſſionem exeuntibus omnia re- Seſſ. XXV. 1563. c. 16. de Regular.
ſtituere, quæ ſua erant : Monialibus extra ordinem concedere Confeſſa- *Ibid. c.* 10.
rium : Earumque voluntatem pro libertate Profeſſionis explorare : Regu- *Ibid. c.* 17.
lares extra Clauſtra notorie delinquentes, monito & non puniente Su- *Ibid. c.* 14.
periore, punire : Concubinas, & Concubinarios, multo magis adulte- Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 5. *de Refor. Matr.*
teria, & majora ſcandala coercere : Clericos Concubinarios, aliosque Seſſ. XXI. *c.* 6.
turpiter, & ſcandaloſe viventes ſeveris animadverſionibus cohibere. Non Seſſ. XXV. 1563. *c.* 14. *de Reform.*
ſervientes, & non reſidentes ad ſervitium, & ad reſidentiam adſtringere. Seſſ. XXI. *c.* 3. Seſſ. XXII. *c.* 3.
Præſentatos idoneos in jus patronatus inſtituere, indignos rejicere. Di- Seſſ. XXIII. *c.* 1.
ſtributiones quotidianas, quantum fieri poteſt, ubique inſtituere. No- Seſſ. XXIV. *c.* 12. Seſſ. XIV. *c.* 13.
vas Parochias erigere, easque diſtinguere. Ordines Canonicatuum deſi- Seſſ. XXV. *c.* 9. Seſſ. XXI. *c.* 3.
gnare, in iisque, quæ ad divina Officia ſpectant, providere. Uniones Seſſ. XXII. *c.* 3. Seſſ. XXIV.
juſtis de cauſis facere, & jam factas examinare, aut revocare. Moni- *c.* 12. 13. 15. Seſſ. XXV. *c.* 9.
tiones ad finem revelationis pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus caute de- *Ibid. c.* 3.
cernere. Viſitare beneficia, & Eccleſias exemptas : Commendas, & Seſſ. VII. *c.* 7. 8.
Monaſteria exempta, in quibus non viget Regularis obſervantia : Hoſ- Seſſ. XXI. *c.* 8.
pitalia, Collegia, Confraternitates, Scholas, (*non tamen, quæ ſub Re-* Seſſ. XXII. *c.* 8.
gum immediata Protectione ſunt, ſine Eorum licentia) Eleemoſynas Montis
pietatis, ſive charitatis, & pia loca omnia, quomodocunque nuncupen-
tur : propriamque univerſam Diæceſin, Eccleſiaſque Seculares, quæ Seſſ. XXIV. *c.* 3. 9.
nullius ſunt Diæceſis, & quarum vicinitas proximior ad Eccleſiam Cathe-
dralem. Synodum Diæceſanam convocare quotannis, ſi neceſſitas, atque Seſſ. XXIV. *c.* 2.
utilitas Eccleſiæ poſtulaverit. Cauſas abſentiæ reſidere tenentibus pro- Seſſ. XXIII. *c.* 1.
bare : de Diſpenſationibus cognoſcere : Cum promotis per ſaltum diſ- Seſſ. XXII. *c.* 5.
penſare : licentiam contrahendi Matrimonii vagantibus impertiri : in Seſſ. XXIII. *c.* 14. Seſſ. XXIV. *c.* 7.
irregularitatibus, ſuſpenſionibus nonnullis, & quibuſcunque Caſibus *Ibid. c.* 6.
occultis, alias Sedi Apoſtolicæ reſervatis abſolvere : publicam pœniten- *Ibid. c.* 8.
tiam commutare in aliam : cauſas omnes Eccleſiaſtici fori in prima in- *Ibid. c.* 20.
ſtantia dijudicare : item Matrimoniales, & Criminales. Confeſſarios Seſſ. XXIII. *c.* 15.
quoſcunque etiam Regulares approbare : ultimas voluntates in cauſa Ec- Seſſ. XXII. *c.* 6.
cleſiæ exequi, & circumſpecte commutare : Familiarem ſuum non Sub- Seſſ. XXIII. *c.* 9.
ditum ordinare poſt triennium ſervitii, ſubſequente beneficii collatione:
Sanctorum Ordinum proprias functiones renovare : Seminarium erigere, *Ibid. c.* 17.
ubi fieri poteſt, Erectique rationes exigere. *Ibid. c.* 18.

Singula hæc momenta juxta mentem Tridentinæ Synodi ad judicium
Epiſcopale pertinent, cui juxta Locorum conſuetudines ſtandum erit,

 quia

EPISCOPUS JUDEX, ET DOCTOR.

quia conſuetudo optima legum interpres, imo altera lex eſt. Cœterum in materia Religionis verus, & Ordinarius judex agnoſcitur Epiſcopus, ad quem quæſtiones Doctrinales, & Morales, ex interpretatione Sacræ Scripturæ, & Patrum conſtanti traditione, juxta verum, & ſanum ſenſum, qualem tenuit, & tenet univerſa Eccleſia, fideliter relatis, decidendæ veniunt. Hinc editos purgare, edendos in ſua Diæceſi vel approbare, vel reprobare Libros, cenſuram vero homini idoneo committere debet; quamvis non ægre feramus, Magiſtratui quoque pro ſua parte invigilandum eſſe huic cenſuræ, quantum tranquillitas ſtatus, & juſta Principum ſecuritas poſcit. Politia Eccleſiaſtica Diæceſana tota pendet ab Epiſcopo. Hæc ſtatuta condit, hæc mandata edit, hæc utiles, neceſſarias, nec non Eccleſiaſticæ Diſciplinæ, & publico Juri, aut æquitati conformes promulgat Conſtitutiones. Atque ita *Epiſcopum oportet judicare, interpretari, conſecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.* Hæc inter Epiſcopalia munia, ſive ad Ordinem, ſive ad juriſdictionem pertineant, plurima delegari poſſunt, aliqua delegari non poſſunt; quia per Chriſmatis Unctionem ita ſuæ naturæ propria fiunt, ut ſeparari ab Unctione, ſive a perſona nullatenus poſſint, veluti Ordines conferre, confirmare, ſacrum Chriſma conficere. Quæ de Officio Epiſcopi dicta ſunt, hæc per integras has noſtras Inſtitutiones novis luminibus illuſtrabuntur.

CENSURA LIBRORUM.

Pontif. Roman. *de Conſecrat. Electi in Epiſcopum.*

NON OMNIA MUNIA DELEGARI POSSUNT.

DE VICARIO GENERALI

TITULUS X.

OFFICIUM VICARII.

Vicarius Generalis conſtituitur ab Epiſcopo, ut agat vices ſuas, cum ſolus homo impar ſit, tot & tanta Diæceſeos negotia ſuſtinendi. Adeoque tenetur Epiſcopus Unum, vel Plures pro ratione negotiorum, idoneos viros nominare ſuos Vicarios, ſive Officiales, quocunque nomine veniant, Provicarios, Subſtitutos, Subalternos, Decanos, Archidiaconos, Oeconomos, Adminiſtratores, Civitatenſes, ſeu Rurales, Perpetuos, aut Temporaneos. Cum vero hic de ſolo Vicario Generali agatur, decet Hunc eligi virum probum, fidelem, prudentem, conſilio, & meritis plenum, quia Epiſcopus conſtituit ipſum ſuper familiam ſuam. Et quamvis in defectu aliorum, neceſſitas excuſaret Epiſcopum, qui Tonſuratum tantum aſſumeret Clericum in ſuum Vicarium: ita non deceret vituperio emeritorum Sacerdotum admittere merum

QUIS SIT ELIGENDUS?

Digitized by Google

merum Tonſuratum ad difficile onus, quem imo Theologum, & Canoniſtam doctum videtur deſiderare Tridentina Synodus. Nec decet *Seſſ.XXIV.1563. c. 12. de Reform.* ſane Regulares præferre Secularibus dignis Sacerdotibus, quamvis primi in AN REGULARIS? defectu aliorum poſſint de licentia ſuperiorum ſuorum acceptare Vicaria- Rebuff. Prax. Benef. *de Vicar. Epiſc. n.* 30. tum. Quæ regula fallit in Mendicantibus, ſtrictiori vitæ intentis in Clauſtro.

Jurisdictio Vicarii Generalis ſolet voluntaria ſimul, & contentioſa JURISDICTIO. eſſe, niſi Epiſcopo aliter placuerit, ad certum locum, ad circumſcriptos actus, ad tempus præfixum, hanc juriſdictionem reſtringere: quæ mere delegata, & Vicaria eſt, exſpirans morte concedentis: quia cum EXSPIRAT MORTE CONCEDENTIS. ſit eadem juriſdictio in delegato, ac in delegante, non poteſt in delegato jus vigere, quod jacet extinctum in delegante. Quia vero eadem IDEM FORUM, A QUO NULLA APPELLATIO. juriſdictio eſt, conſtituit idem tribunal; ita ut a Vicario non detur appellatio propria ad Epiſcopum, licet detur ſimplex reviſio, aut revocatio *c. 3. de Appell. in 6. c. 2. de Conſuet. in 6.* judicii, & Judicis, prouti Epiſcopo viſum foret. Olim hanc conten- ARCHIPRESBYTERORUM MUNIA ANTIQUIORA. tioſam Vicarii juriſdictionem exercebat Archidiaconus, factus quaſi Princeps in temporali adminiſtratione, dum Presbyteri incumberent Spiritualibus rebus, doctrinæ, orationi, Sacramentorumque adminiſtrationi. Oſtendit Natalis, quomodo Seculo Sexto munus erat Archipresbyteri, *Tom. V. pag.* 441. Canonum obſervantiam curare in pagis, invigilare vice Epiſcopi tam ſuper Clerum, quam ſuper plebem Chriſtianam; tranſgreſſores Canonum ad Antiſtitem deferre; viduas, pupillos, pauperes a potentibus oppreſſoribus tueri; peccatores admonere, docere, corripere. Quandoque Laici contumaces ſpernebant monita Archipresbyterorum. Unde opus fuit, ut Eccleſia in illos animadverteret uſque ad excommunicationem; Principes vero indicta mulcta eos ad parendum Archipresbyteris compellerent. Quidquid Archidiaconi favore Epiſcoporum freti ſupra ARCHIDIACONORUM SUPREMA AUTORITAS. autoritatem Archipresbyterorum tentaſſent, patet ex Concilio Cabilonenſi an. 813., quod Archidiaconi nondum ordinariam Juriſdictionem, *can.* 15. ſed delegatam dumtaxat habuiſſent, quantam transferre Epiſcopis placuiſſet. Tandem hi vix non omnia uſurparunt. Undecimo Seculo ferme ordinarii Judices habiti ſunt, quorum numerus adeo excrevit in Provinciis, ut Magnus Archidiaconus vocaretur, qui in Civitate manſerat ad latus Epiſcopi. Contra illimitatam potentiam, & non tolerandum fa- REPRIMITUR. ſtum Epiſcopi creaverunt Officiales ad contentioſam juriſdictionem, & ad voluntariam Vicarios Generales, nutu amovibiles. Sano conſilio non reſpondiſſet ſuus eventus, niſi frequens Conciliorum auctoritas Seculo Decimo Tertio acceſſiſſet, quæ ingentem Archidiaconorum repreſſit audaciam.

Digitized by Google

MODERNI VICARII. ciam. Hodie juriſdictionem utramque Vicarius Generalis plerumque exercet, nutu ſemper amovibilem: quæ vero tanta eſt, quantam Epiſcopo placuerit tradere Vicario ſuo uſque ad revocationem. De Archidiaconis antiquioribus conſule Thomaſſinum, & Binghamum.

p. 1. l. 2. c. 17. l. 2. pag. 328.

DE PAROCHIS

TITULUS XI.

OLIM PRESBYTERI PER TITULOS DIVISI.

Vix non ſub ipſis Eccleſiæ primordiis diviſi ſunt quaſi per Titulos Presbyteri, qui Plebis mores obſervarent, & Epiſcopo nunciarent, periclitantibus vero Baptiſmum, & Pœnitentiam elargiri poſſent. Huc facit, quod Natalis ſcribit de Dionyſio, qui anno 258., aut 261 ſucceſſit in Cathedram Sancti Petri. Dionyſium *Ipſum Curatos inſtituiſſe, ignari quidam ajunt, cum Parochiis dumtaxat, quæ graſſante perſecutione Rectoribus ſuis viduatæ fuerant, Sacerdotes præfecerit; illarumque fines diſtinxerit, ut colligitur ex Libro Pontificali, & ex Epiſtola 2. eidem Pontifici falſo adſcripta. Cæterum jure divino inſtitutos eſſe ſecundi Ordinis Sacerdotes, qui ad nutum Epiſcoporum plebem regerent: & hac ratione Venerabilem Parochorum Ordinem jure divino inſtitutum eſſe, certum eſt; idque ex Scriptura, & Traditione facile poſſet demonſtrari, ut exiſtimat ſacra facultas Pariſienſis, quæ contrariam confixit opinionem. Quamvis juris non eſſe divini, ut Eis perpetua Parochiarum cura credatur, & ut amoveri ad nutum Epiſcoporum non poſſint; nec Apoſtolici Inſtituti, ſed Eccleſiaſticæ dumtaxat diſciplinæ, nemo Eruditorum diffiteatur.* Concordat Thomaſſinus, & Binghamus.

Tom. III. pag. 575.

AN INSTITUTIO PAROCHORUM SIT DE JURE DIVINO?

p. 1. l. 2. c. 26.

l. 9. pag. 590.

ORIGO PAROCHIARUM.

Poſt redditam Eccleſiæ pacem, Romæ, & Alexandriæ plures ædificatæ fuerunt Eccleſiæ, quibus ſingulis proprius Sacerdos præfectus fuit, qui populum doceret quidem, ſed ipſe cum ſuo populo maneret proprio Epiſcopo ſubjectus. Talis fuit Arius, & Colluthus. Paulo poſt ruri in commodum ruſticanorum Incolarum oratoria fuerunt erecta, quibus præfuit ſingularis Presbyter, ita ut tempore Athanaſii in agro Mareotes, Alexandrinæ Diæceſis, ſinguli pagi ſuos habuerint Presbyteros. Unde ad Eccleſias in agris erigendas, ac dotandas, Villarum Dominos Chriſoſtomus hortatur. Forte Miſſa non ſtatim celebrari poterat ubique, propter quam conveniebant in majori Civitate Presbyteri omnes. His vero, qui comparere non poterant, mittebatur fermentum ab Epiſcopo confectum, ne quis ſe ab Epiſcopi communione ſeparatum judicet. Tanta fuit

Apolog. II.

Homil. XVIII.

Epiſt. Innocentii I. *ad Decent. Eugub.*

Digitized by Google

fuit Presbyterorum ſubjectio, & charitas erga ſuos Epiſcopos. Cæterum in minoribus Civitatibus unica Eccleſia erat ſufficiens. Ubi plures Eccleſiæ ſerius ædificatæ ſunt, prima Eccleſia manſit plerumque Cathedralis, & ob hanc cauſam Parochialis. Juxta iſta principia Romanæ, atque Alexandrinæ Eccleſiæ, creſcente fidelium numero, propagatæ ſunt tam in Occidente, quam in Oriente reliquæ Parochiæ. Quæ vox jam determinatum Diæceſis diſtrictum, & limitatam portionem, non amplius integram Diæceſin ſignificat.

Dubitari non poteſt, quod ex ipſa inſtitutione Parochis competat Jus prædicandi, Confeſſiones exaudiendi, Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, Matrimonium, & Extremam Unctionem miniſtrandi, ſepulturas dandi, Decimas vero, atque alia commoda Parochialia juxta probatas Locorum conſuetudines exigendi. Quod ſi aliquando Parochi, aut ſimiles Presbyteri confirmarent, minores Ordines conferrent, excommunicarent, vel id fiebat indulgente Epiſcopo: tunc rite; vel ex præſumptione propria: & non rite. Cum enim Presbyteri in adjutorium Epiſcopi fuerint ordinati, exercitium ſuæ poteſtatis, magis, aut minus late patens pendebat univerſim ab arbitrio Epiſcopi, quamvis dicatur poteſtas ipſa in Ordine fundata immediate a Chriſto eſſe. Sub imperio Carolovingicæ ſtirpis iidem Parochorum mores, lectio Sacræ Scripturæ, oratio frequens, moderatum opus manuum, familiaris fidelium inſtitutio ad ſanam fidei doctrinam, Sacramentorum continua adminiſtratio. Tunc ſeverum adeo præceptum erat de Miſſa Parochiali, ut nemini liceret vel Sacrum conficere, vel audire extra propriam Parochiam, niſi licentiam, aut aliam legitimam cauſam purgaſſet. Iſtud vero propter unionem inter Rectorem, & plebem, quæ nec judicium Parochiale, nec juſtas oblationes declinare debuit. Ex his Eulogiis proceſſit panis benedictus, fidelibus diſtributus a Parocho contra infirmitates Animæ, & Corporis: ideſt præter panem ex oblatis conſecratum benedicebatur panis, quem Chriſtiana plebs quaſi medicinæ loco manducabat. Tanta fides, tantus zelus.

Jus Parochi.

Thomaſſin. *ſupra p. 1. l. 2. c. 23.*

ſupra c. 24. Officium.

ſupra c. 25. Missa Parochialis.

Panis benedictus.

Sequitur, quid de Parochis Tridentina Synodus ſenſerit. *Nemo igitur ad Dignitates quaſcunque, quibus animarum cura ſubeſt, promoveatur, niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum attigerit: & in Clericali Ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur.* Explicat Gallemart in Notis: *Congregatio Concilii cenſuit, ad obtinendam Parochialem oportere Eum, cui confertur, attingere vigeſimum quintum annum, atque intra annum a die Collationis debere*

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 12. de Reformat.*

Ætas Parochi, doctrina, et mores.

ipſum

Digitized by Google

ipſum ad Presbyeratus Ordinem ſe facere promoveri, quemadmodum expreſſe cavetur Conſtitutione Gregorii X. in Concilio Generali Lugdunenſi edita, cui inhæret Tridentinum Concilium Decreto c. 3. Seſſ. VII.

RESIDENTIA. Nec minus inconcuſſum eſt Parochos teneri ad perſonalem, & laborioſam Reſidentiam, quibus præcepto divino mandatum eſt, *oves ſuas* Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. *de Reformat.* *agnoſcere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt.* CAUSA ABSENTIÆ. Adeſt tamen multa legitimæ abſentiæ cauſa, ſi ſit *abſque ullo gregis detrimento: Quod an ita ſit, abſcedentium conſcientiæ relinquit* eadem Sacroſancta Synodus, *quam ſperat religioſam, & timoratam fore, cum Deo corda pateant; cujus opus non fraudulenter agere ſuo periculo tenentur.* TERMINUS BIMESTRIS. Cœterum Parochorum Abſentia vix ultra Bimeſtre protrahi poterit, cauſa ab Epiſcopo probata, ſubſtitutoque Vicario idoneo.

PRÆDICATIO VERBI. Seſſ. V. 1546. c. 2. *de Reformat.* Præterea Parochorum officium eſt, ut *per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas, pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant.* Neceſſario hujus ſalutaris inſtructionis ar- Tit. II. c. 11. gumento unice intenta Synodus Namurcenſis an. 1639. *hortatur omnes verbi Dei præcones, ut conciones ſuas ita diſponant etiam diebus ſolemnioribus, ut potius Catechiſmum, quam Concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri poteſt, accomodent.* Ne quis vero ſit, qui verbum Domini Tit. XVI. c. 2. non audivit, monet eadem Synodus Parochos ſuos, *ut tempore meſſis, & etiam illis diebus, quibus opiliones, vel bubulci, vel ſubulci in agris ſunt, illos viſitent ibi, & doceant: imitaturi ea in parte veſtigia Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, qui per vicos, & plateas tranſibat Evangelizare Regnum Dei.* Communia, & privata munia, juraque alia plebanitica diſcere debet quilibet Plebanus a ſuo Epiſcopo, quia non ubique eadem juris, aut Conſuetudinis ratio eſt. Inſuper quemadmodum boni Paſtoris Joan. X. eſt oves ſuas noſcere, qui animam ſuam ponit pro ovibus ſuis, de- Seſſ. XXIV. 1563. c. 4. *de Reformat.* bent oves illum ſequi, quæ ſciunt vocem Ejus: *moneatque Epiſcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode*

id fieri

Digitized by Google

id fieri poteſt ad audiendum verbum Dei. Quare per Laicos Magiſtratus quoſcunque promovendus erit iſte Catechiſmus, quia timor Dei initium Sapientiæ. Populus vero inſtructus, & probus multo magis Præpoſitis ſuis erit obediens, & fidelis, quorum frænum ſalutare abhorrent mali. Cum autem Parochus nec omnibus abundare, nec omnibus carere libris poſſit, velim, inſtituatur aliquod inventarium Librorum, quod Succeſſori relinquere teneatur. Modum primæ acquiſitionis inveniet ſolers Epiſcopus, cupidus Parochus, & plebs diſcreta, ſingulis concurrentibus. Libri autem præter Librum Baptizatorum, Copulatorum, Mortuorum, nec non Rationum Eccleſiæ, ſunt hi, Breviarium, Miſſale, Rituale, Martyrologium, Conſtitutiones Synodales, Mandata Ordinarij, Vulgata Biblia, Corpus Juris Canonici, Concilium Tridentinum, Catechiſmus Romanus. Hos neceſſarios voco libros. Qui plura velit, addat Tractatum Joannis Mabillonii de Studiis Monaſticis, qui ad calcem recenſet ſelectiſſimam Bibliothecam Eccleſiaſticam. Seligat ex hoc ampliſſimo Catalogo Libros, quos ingenium, aut vires ſuppeditant. Citatum Inventarium ſufficere poteſt, unde hauriet ſatis ad docendos alios.

CATECHISMI NECESSITAS.

INVENTARIUM LIBRORUM PAROCHI.

DE CANONICIS
TITULUS XII.

CAnonicorum originem, & originis cauſas breviter, & perſpicue ſuo more inducit in ſuis Inſtitutionibus Claudius Fleury, ubi principio præter Ordines nulli alii fuere Miniſtri Eccleſiæ. Diaconus nihil, niſi Diaconus fuit, Presbyter nihil, niſi Presbyter. Hos inter Senior Ordinatus nuncupabatur Archipresbyter, quaſi primus Presbyter; Diaconos inter Senior Ordinatus nuncupabatur Archidiaconus, quaſi primus Diaconus, donec uterque diverſo tempore juriſdictionem aut volontariam, aut contentioſam acquiſiverit. Quemadmodum Presbyteris Archipresbyter, & Diaconis Archidiaconus præerat, ita minoribus Clericis Primicerius, ſeu Primiclericus, iſque plerumque Subdiaconus, vel Hypodiaconus præerat. Poſt redditam Eccleſiæ pacem magna quoque pars Cleri in ſuis publicis, privatiſque muniis comitabatur ſuum Epiſcopum, velut oves Paſtorem, liberi Parentem, diſcipuli Magiſtrum. Hæc pia inter Epiſcopum, & Clerum conſuetudo, veteri Hieroſolymitanæ Eccleſiæ inſtitutione, communem ſuaſit ſocietatem, communem domum, commune refectorium, commune dormitorium. Hi Clerici nihil amplius ſingulari

Prem. Part. *chap. 17. des Chanoines.*

G nomi-

Digitized by Google

nomine poſſidebant, quibus Eccleſia quavis ſeptimana, aut quovis menſe neceſſaria diſtribuebat. Erat ingens in unum collecta familia, cujus amantiſſimus Parens ſemper fuit Epiſcopus. Sanctiſſimam illam vivendi normam ſectati ſunt Euſebius Vercellenſis, Martinus Turonenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Gregorius M., Chrodogangus Metenſis, & alii plures religioſiſſimi Epiſcopi. Tales Clerici in communione Epiſcopi degentes nova, & latiori appellatione dicti fuerunt Canonici, quaſi Regulares, quia juxta Canones ſeveriores, & certas regulas vivebant, ſublata omni proprietate, licet vota perfectæ paupertatis nondum emitterent. Nonnulli auſteritates Monachorum, quantum per Clericalia munia fieri poterat, ſuſtinebant, & ſuas Communiones Monaſteria vocabant. Sic Auguſtinus minimus inter ſuos pauperes Clericos verſabatur. Sic Gregorius M. in Papatu Monachus manſit, familiamque Monachorum habuit, ex qua miſit Epiſcopos, & Apoſtolos ad multas Eccleſias, atque ad Provincias remotiſſimas novo Chriſtianæ Religionis incremento.

Canonicorum Origo.

Capitulorum Origo.

Hæc proba Communitas compoſuit in majoribus Civitatibus Capitulum Cathedrale, in minoribus Collegiatum: ex quibus locupletiſſimis Seminariis dividebantur Presbyteri per Titulos, Oratoria, & Noſocomia. Illuc ſenes emeriti, corpore non amplius valentes, reſtituebantur, unde juniores olim educati, extracti fuerant. Non prætereundum, quod non ſinguli Clerici participes fierent hujus ſelecti corporis, atque ordinarii Senatus. Extra intimam iſtam Epiſcopi ſui ſocietatem vivebant intra privata tecta bini, vel terni Clerici alii. Ipſi Titulorum, atque Oratoriorum rurales Sacerdotes unum, alterumve alumnum Clericum erudiendum alebant, quem non præſentem modo bonorum morum teſtem, verum etiam futurum ſui muneris Succeſſorem, imitatoremque adhibebant.

Soli Clerici nulli.

Instaurator Vitæ communis Chrodogangus. Natalis *Tom. V. pag. 135. Tom. VI. pag. 135.* Thomaſſin. *p. 1. l. 3. c. 9.* Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 43. n. 37.*

Maximum momentum faciamus, oportet, in Chrodogango Mediomatricum Epiſcopo circa annum 742., qui Clerum ſuum paulo liberiorem in communem ſocietatem congregavit; ſeu Canonicorum Congregationem inſtituit plurimum ex Regula Sancti Benedicti, quæ poſthac pluribus Eccleſiis probata fuit. Hos tamen Canonicos ſuos Chrodogangus voto paupertatis nunquam ligavit: ac ſubinde non fuerunt de illis Regularibus Canonicis, qui in vim ſui Regularis Inſtituti tribus ſolemnibus votis obſtricti moriuntur. Diſcrimen notat Synodus Aquiſgranenſis an. 816., ubi ait, nempe Monachos, *quia nihil ſibi proprium reliquerunt, copioſioribus Eccleſiæ ſumptibus, quam Canonicos, qui ſuis, & Eccleſiæ licite utuntur rebus, indigere*. Ex iis autem Canonicis alii erant Eccleſiæ Cathe-

can. 115.

Varia Capitula.

thedralis, collecti ſcilicet intra, vel juxta Sedes Epiſcopales, atque in his ædibus cum ipſo Epiſcopo viventes, ſub ipſomet, aut alio Præpoſito: Alii Collegialium erant Eccleſiarum, qui nimirum ſub Præpoſito agebant, ſeu in Civitate extra ædes Epiſcopales, ſeu etiam ruri: Alii in Cœnobiis, Monaſteriiſve ſub Abbate agebant. Cautum quoque fuit, ut Canonici Clerici vel in Civitatibus, vel in Monaſteriis degentes certis ſtipendiis donarentur: ideſt ii, qui aliunde victum, & veſtitum non acquirerent. Qui autem non indigerent præbenda, ſuo domeſtico contenti forent beneficio, ne pauperiores defraudarentur. Hodie tanta moderatio niſi ſervetur, nos non afficit, patrimonio, & præbenda utentes juxta conſcientiam. Alia tempora, alii mores.

Salutarem communis vitæ rigorem non multo poſt plura Capitula ægre tulerunt, quam ſerius ocyus deſeruerunt penitus. Obiit Galterus Archiepiſcopus Senonenſis anno 923., qui, cum pro ſecularibus Canonicis, ſeu pro Capitulis Secularium perſonarum certas leges ſtatuiſſet, evidenter ſignificat, jam tum plures a communi vita, & Regula defeciſſe. Narrat Trithemius ad annum 975., quod ſub Theodorico Archiepiſcopo Trevirenſi primi fortaſſis in Germania *Canonici Majoris Eccleſiæ ibidem abjecta vita regulari, quam hucuſque in eadem Eccleſia Majores Eorum continuaverant, deſierunt eſſe Regulares, & facti ſunt nomine, & converſatione Seculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirenſes, S. Caſtoris in Confluentia, Moguntinenſes, Vormacienſes, Spirenſes, & complurium aliarum Eccleſiarum, diverſis quidem temporibus, ſed uno impietatis ſpiritu, Regularis vitæ communitatem abjecerunt*. Hinc Adalberones duo Metenſis, & Rhemenſis per eandem tempeſtatem pulſis Canonicis Secularibus Monachos ſubſtituerunt.

COMMUNIS VITA MULTIS NON PLACUIT.

Chron. Hirſaug.

DESERTA.

Quidquid præter alios Sanctiſſimos Viros conati ſint Nicolaus II. in Synodo Romana an. 1059., & Alexander II. in alia Synodo Romana an. 1063. communem vitam reſtituere, Scriptores Seculi Undecimi, atque Duodecimi frequentiſſimas, nec medendas amplius communis vitæ deſertiones deplorant. Hæ malæ deſertiones novam occaſionem tulerunt diſtinguendorum Canonicorum Secularium, qui abjecta vita communi inter Seculares homines reliquos degebant; & Regularium Canonicorum, qui priorem Regulam ſervarunt. Unde vix conjecturæ locus erit, quod poſt illa tempora Canonici de novo inſtituti, Regulares potius, quam Seculares inſtituti ſint; quales poſtremos ineunte Undecimo Seculo inſtituit in ſuo converſo Regno D. Stephanus Hungarus. Ad luctuo-

ORIGO CANONICORUM REGULARIUM.

Digitized by Google

ductuorum Cathedralium Eccleſiarum exemplar, ipſa Capitula Collegiata ſcandaloſe receſſerunt a communi Monaſtica vita: quæ jam a Septimo Seculo plura in honorariis Regum, & Principum ſacellis dotata fuerunt præcipue ad juges Deo preces coram Reliquiis Sanctorum pie fundendas. Quin & immiſſi ſunt, & ſurrogati in plurima Monaſteria Canonici Seculares, quæ in hunc Secularem ſtatum redacta fuere, propterea quod Regula non amplius coleretur. Sic Tridentinæ Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus a ſuppreſſo Benedictinorum Monaſterio Natales ſuos Seculo Decimo Quinto referre narratur. Benedictus Profeſſus Ord. Bened. in Monaſterio S. Laurentii prope Tridentum (Eccleſiam, & Monaſterium Fratres Prædicatores in hanc diem inhabitant) interfuit Diæceſanæ Synodo an. 1336. ſub Epiſcopo Henrico de Metis olim Abbate Villarienſi Ord. Ciſtercien., deinde ſupremo Cancellario, atque Italiæ Vicario pro Carolo IV. Interfuit ipſe Abbas alteri Synodo anno 1344. ſub Epiſcopo Nicolao Bruna ejuſdem Imperatoris ſupremo Cancellario. Monachi tamen non acquieverunt, donec Martinus V. anno 1424. cauſam Præpoſito adjudicavit, quem Comes Tyrolis ex Indulto ejuſdem Summi Pontificis præſentat.

Origo Præpoſiti Tridentini.

Lachrimoſa Communis Vitæ deſertio tunc debuit quaſi neceſſariam Eccleſiaſticæ diſciplinæ ruinam minari, ut Dionyſius Carthuſianus medio Decimo Quinto Seculo exclamare non dubitaverit: *Quæ, quanta, & qualia vitia orta ſint, atque quotidie oriantur ex relaxatione illa vitæ Communis, Dormitoriique ejuſdem, experientia potius docuit, quam lingua poſſit explicare*. Hinc homines mundanos, carnales, ambitioſos, ſuperbos, avaros, rapaces, ventri deditos, omnibuſque vitiis plenos reperire erat inter Canonicos; Vitaque Canonicorum apud multos poſthac fuit conſiderata, tanquam vita commoda, & delicioſa, imo ſplendida, & juxta Seculum beatiſſima. Hinc Gauffridus Abbas ad Henricum Card., inſatiabilem Parentum curam, & immane ſtudium ad ditandos honorabilioribus Præbendis, & pinguiſſimis Canonicatibus nondum pene natos parvulos ſuos increpabat his verbis: *Hunc nos, inquiunt, illi, vel illi trademus Epiſcopo, apud quem habemus gratiæ locum, aut cui forte ſervivimus, ut ditetur de bonis Domini, nec in tot Liberos noſtra dividatur hæreditas*. Hodie non facile eſt, cur in opulentos nimis Canonicos garruli, loquaces, invidi convicia, & maledicta conjiciant. Si quis male viventes arguat, teſtimonium perhibeat de malo. Cæterum habita ad Eorum inſtitutum, & ſervitium, ad Eccleſiarum, & Generis ſplendorem juſta ratio-

Declam. §. 13. Edit. Mabill. S. Bernardi *Vol. II. Tom. V.*

Canonici moderni.

ratione, præſertim in noſtra Germania, nec non ad diverſorum locorum jura, & conſuetudines, moderni Canonici neque divitias, neque paupertatem habent. Forte aliqui indigent, plus quam quod deceat. Non quidem communem vitam, ſed Eccleſiaſticæ Dignitati conformem laudabiliter vivunt, ut reſpondeat Eorum vita Titulo, vel nomini, ſintve re ipſa, ſicuti nomine Canonici, ideſt Regulares, ſecundum Canones, & Regulas SS. PP., Deo famulantes, ad mentem Teſtatoris, vel veram, vel interpretativam, & juxta ſcientiam reformantis, conniventiſque univerſæ Eccleſiæ. Sed ſi requiſita ad Canonicatus obtinendos ſcire cupias, poſtula hæc a peculiaribus ſingularium Eccleſiarum juribus, Privilegiis, Statutis, & Conſuetudinibus.

Canonici tam Cathedralis, quam Collegiatæ Eccleſiæ de jure Communi, & ex Decreto Concilii Tridentini tenentur ad perſonalem Reſidentiam, quia officium eſt finis, & ratio unica Beneficii; Beneficium vero datur propter officium. Reſidere autem juxta Canones importat cum effectu Eccleſiæ in divinis deſervire. Quid enim prodeſt præſentia in loco iis, qui divinis non adſunt, & reliqua ad privatum ſuæ Eccleſiæ uſum ſpectantia non obeunt munia? — RESIDENTIA. — *c. fin. de Reſcriptis in 6.*

Præterea obtinentibus in iiſdem Cathedralibus, aut Collegiatis inſignibus Eccleſiis *Dignitates, Canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut Conſuetudinis, ultra tres menſes, ab eiſdem Eccleſiis, quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus Earum Eccleſiarum Conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt.* Quia vero non ubique, nec quoad omnia meram diſciplinam concernentia, Concilium Tridentinum recipi potuit, excuſant ſe plura Capitula Inclytæ Germaniæ ab hac rigoroſa trium menſium regula, ſuis exemptionibus, uſibuſque antiquis inhærentia: atque interpellant plura Italiæ Capitula, & præſertim Romæ, ſub oculis Summi Pontificis, imo Baſilicas Majores, Lateranenſem Patriarchalem, Vaticanam, & Liberianam, in quibus Canonici alternant ſua ſervitia, una hebdomada inſervientes, altera abſentes, & quieſcentes: ita ut Eorum abſentia non trium, verum ſex menſium computanda veniat. Quod ſi vero præter ſua Statuta, & Conſuetudines, hi ſe excuſent propter ingentem Beneficiatorum etiam alternatim frequentantium numerum: excuſant ſe Canonici noſtri præter ſua Statuta, & Conſuetudines, propter forte numeroſiores adhuc Capellanos, & Beneficiatos continuo reſidentes, ita ut nullus omnino ſit defectus, quo minus pie, ſancte, abundanterque Divina Cuncta peragantur. Tridenti peremptoria — Seſſ. XXIV. 1563. *c. 12. de Reform.* — ABSENTIA TRIMESTRIS. — LONGIOR ABSENTIA.

noſtra

TRIDENTINÆ ECCLESIÆ RESIDENTIA.

noſtra Reſidentia incipit ad Veſperas Natalis Domini ; interrumpitur ad feſtum S. Joannis Præcurſoris propter maximos calores, & peractis feriis Vindemialibus reaſſumitur ad Feſtum Omnium Sanctorum : ita ut, Quæ juxta Statutum vetus an. 1455. ſub Epiſcopo Georgio Hakio videtur ſemeſtris fuiſſe, hodie juxta Statutum novum an. 1580. ſub Epiſcopo Cardinale Ludovico Madrutio evaſerit octo menſium Reſidentia.

CAUSÆ ALIÆ ABSENTIÆ. Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. de Reformat.

Ubique tamen excuſantur Canonici a Reſidentia, quando *Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abeſſe poſtulent, & exigant*. Cauſam probare debet Epiſcopus, & inſinuare Capitulo, quæ juſta, & honeſta ſit, oportet. Capitulum non poteſt recuſare hoc Epiſcopi ſui Judicium, quod tenetur acceptare, ſalvis ſuis evidentibus Conſtitutionibus. Quod autem Capitulum poteſtatem probandæ abſentiæ communiter non habeat, multa ratio eſt, quia par in parem non habet juriſdictionem : & ubi Domini Capitulares convenire nequeunt, recurritur ad Superiorem, qui eſt Epiſcopus. Ego vero, niſi ſit notoria, & manifeſta abſentiæ cauſa, non diſcederem abſque eo, quod licentiam in ſcriptis ab Epiſcopo haberem, & Capitulo inſinuarem. Notoria præ reliquis cauſa eſt, ſervitium Eccleſiæ, Epiſcopi, Capituli, Principis, aut Provinciæ. Legitime abeſt Familiaris Papæ, quemadmodum Capitulo Metenſi mandat Honorius III., non obſtante contraria Capitulari Conſtitutione. Hi enim omnes plus prodeſſe poſſunt abſentes, quam præſentes. *Docentes vero ipſam Sacram Scripturam, dum publice in Scholis docuerint, & Scholares, qui in ipſis Scholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & Beneficiorum ſuorum in abſentia a Jure communi conceſſis plene gaudeant, & fruantur*. Et hi dicuntur abeſſe ſtudiorum cauſa, cujus abſentiæ licentiam Epiſcopus ultra quinquennium prorogare nequit, nec niſi ad ſtudia Canonica, & Theologica in Univerſitate publica, atque probata. Quæ ſingula Capita ſalvis Locorum, aut privatarum Eccleſiarum uſibus interpretanda veniunt.

c. 14. de Cler. non reſident. — Seſſ. V. 1546. *c. 1. de Reformat.* — *c. fin. de Magiſtris.* — *c. 12. de Cler. non reſident.*

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 12. de Reformat.*

Omnes vero divina per ſe, & non per alios Subſtitutos compellantur obire officia, & Epiſcopo celebranti, aut alia Pontificialia exercenti adſiſtere, inſervire, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, Hymnis, & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare. Præcipuum idcirco Canonicorum munus erit divinum officium, nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrare, ut ad mentem Synodi Aquiſgranenſis an. 816. *Laudes Deo in Communi perſolventes, pro ſuis,* popu-

DIVINUM OFFICIUM CANONICORUM. *cap. 131.*

Digitized by Google

populorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent.

Præter Miſſam Conventualem, in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis ſolet quotidie, & immutabiliter integrum divinum Officium decantari: Quod conſiſtit ex antiqua Eccleſiarum praxi in primis Veſperis, & Completorio, Matutino, & Laudibus, ſingulis Horis Canonicis, Prima, Tertia, Sexta, Nona. MISSA CONVENTUALIS, ET OFFICIUM DIVINUM.

Non ubique tamen per ſe, & non raro per Vicarios ſingulas Horas cum Matutino, & Laudibus peragunt Canonici, Miſſæ, & Veſperis perſonaliter tantum aſſiſtentes. Quando Canonici legitime ſunt impediti, plerumque nulla difficultas eſt Vicarios admittendi, & paſſim admittuntur: nam juſtis de cauſis, *qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum*, dummodo officium, vel ſervitium ex ſui natura delegari poſſit, & æque laudabiliter fiat, nec debitis Eccleſia fraudetur obſequiis. Unde in aliquibus Capitulis ab immemorabili ſatis fit hujuſmodi oneri per Capellanos ejuſdem Eccleſiæ, ita ut Canonici adſint, & præſint, reſervatis certis tantum ſervitiis perſonalibus, quæ Canonicalia Feſta vocant. Uſus Te plura docebit, quem laudo, in quantum probatus erit legitima concurrente præſcriptione. AN LICEAT PER VICARIUM DESERVIRE? *Reg. jur. 72. in 6.*

Quod multis in locis Canonici ſingulas divinas horas non frequentent, ſubſtitutis Eccleſiarum Beneficiatis, ſeu Capellanis, plus quam legitimum impedimentum præſtant frequentia, nec non graviora Canonicorum negotia: quæ ſunt Conſiſtorium, Conſilium, Ablegationes, Mandatum Principis, Reipublicæ bonum, Lites, Inſtrumenta publica, Teſtamenta, Archivium, Piarum Fundationum adminiſtratio, & ſexcenta alia capita. Quæ cum ad honorem Dei, & commune beneficium non minus utiliter ab antiquo introducta ſint, in ſuo priori ſtatu relinqui debent, in quo onus cum onere compenſatur. Quare cum quævis Eccleſia ſuas ſpeciales conditiones ex fundatione, & uſu præſcribat, iiſdem religioſe ſtandum, in quas juravimus ſinguli. EXCUSATIO.

Reſtant Seſſiones Capitulares, quæ Capitula vocari ſolent, inſtituta quidem pro deliberandis Eccleſiæ, & Canonicorum negotiis, ut ſarta tecta maneant ſingula Jura. Sunt autem iſti Conventus Capitulares vel ordinarii, quemadmodum Tridenti diem Veneris ab antiquo ſervamus: vel extraordinarii pro rebus emergentibus indicuntur, ſi neceſſitas ſuaſerit, ſæpius etiam in die. Capituli indicendi jus habet, qui præſidet, Tridenti Decanus, alibi Præpoſitus, ſeu prima Dignitas, & in abſentia dignior poſt illam. Contradicente quidem ordinario Præſide, SESSIONES CAPITULARES. CUJUS SIT INDICERE CAPITULUM?

ſed

Digitized by Google

ſed univerſo penitus Capitulo annuente non dubitamus, quin Congregationes Capitulares rite celebrarentur: quemadmodum contradicente univerſo penitus Capitulo, fruſtraretur cæteroquin jus habentis indictio. Indicto legitimo Capitulo, & duobus tantum Capitularibus cum Præſide intervenientibus, reliquis recuſantibus, legitimum Capitulum facio, quia duo, vel tres conſtituunt Collegium, aut Capitulum: Nolentes vero reliqui præſumuntur renunciaſſe juri ſuo.

Quis fiat Capitularis? Seſſ. XXII. 1562. c. 4. *de Reformat.*

Quærendum, quid requiratur ad habendam vocem in Capitulo? *Quicunque in Cathedrali, vel Collegiata, Seculari, vel Regulari Eccleſia, divinis mancipatus Officiis, in Subdiaconatus Ordine ſaltem conſtitutus non ſit, vocem in hujuſmodi Eccleſiis in Capitulo non habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis libere fuerit conceſſum.* Quia vero non eædem ubique ſervantur qualitates ad conſtituendum Canonicum Capitularem, illas a ſingularibus Eccleſiarum Statutis, & Conſuetudinibus diſcere oportebit, & cuſtodire. Tridenti præter ſuſceptum Subdiaconatus Ordinem requiritur primam rigoroſam Reſidentiam fuiſſe perſolutam; ideſt *Si in Sacris exiſtet Ordinibus, tunc ad Capitulum ut Capitularis non admittatur, nec vocem in Capitulo habere poſſit, niſi primitus primam Reſidentiam perfecerit, adimpleveritque, quod per ſex Menſes ante Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ continue in Civitate Tridenti, Eccleſiæ noſtræ Chorum viſitando, reſederit*; imo per ſex Menſes nunquam extra Civitatem pernoctaverit, quantum fert præſens, & antiqua Conſuetudo.

Tridentinus Capitularis.

Pluralitas Votorum.

Negotia Capitularia per pluralitatem ſuffragiorum definiri debent. Quæ vero a majori parte Capituli definita fuerunt, eundem valorem habent, ac ſi a Capitulo pleno fuiſſent definita, protocollo fideliter inſerenda. Accidit aliquando, ut res ab unico Canonico definiatur, puta Salisburgi, ubi Canonicatus per Turnum conferuntur extra Menſes Papales. Tridenti conferuntur hi Canonicatus per pluralitatem Votorum præſentium, quia abſentes, & non reſidentes non gaudent Voto. Solent alii reſidentes in re gravi vocari, qui non diſtant a Civitate ultra XX. Milliaria Italica. Id vero juxta Decretum Capitulare an. 1734. Ubi paria ſuffragia ſunt, in ſingulis aliis negotiis ſolet prima Dignitas duplex votum ferre.

Turnus.

Paria suffragia.

Quando emittatur Profeſſio Fidei? Seſſ. XXIV. 1563. c. 12. *de Reformat.*

Inſuper Proviſi de Canonicatibus, & Dignitatibus, in Eccleſiis Cathedralibus non minus, quam Proviſi de Beneficiis quibuſcunque curam animarum habentibus, tenentur *a die adeptæ poſſeſſionis ad minus intra duos menſes* in manibus ipſius Epiſcopi, vel Officialis, vel etiam in Capitulo,

Ortho-

Digitized by Google

Orthodoxæ ſuæ Fidei publicam facere profeſſionem; *& in Rom. Eccl. obedientia ſe permanſuros ſpondeant, ac jurent... Alioquin prædicti omnes proviſi, ut ſupra, fructus non faciant ſuos, nec illis Poſſeſſio ſuffragetur*. Tridenti Dignitates, Canonici, imo Proviſi reliqui Capitulares inferiores non faciunt in ſuo ingreſſu Profeſſionem Orthodoxæ Fidei in manibus Epiſcopi, vel Ejus Officialis, ſed in manibus ipſius Capituli. USUS TRIDENTI.

Rurſus a novis Canonicis exigitur juramentum de ſervandis Capitularibus Statutis, & laudabilibus Conſuetudinibus. Fit aliquando, ut in admiſſione novi Canonici ſub vagis, ſpecioſiſque coloribus extorqueantur dulciora, munuſcula, gratificationes, quæ vectigalia, tributa, exactiones, onera a Synodo Tridentina ſub ſeveriſſimis cenſuris reprobantur. Atque ideo *mandat Epiſcopis, ut, quæcunque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui ſimoniacæ labis, aut ſordidæ avaritiæ ſuſpicionem habent, fieri non permittant*; *ipſique diligenter de Eorum Conſtitutionibus, ſive Conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas, & ſcandaloſas rejiciant, & aboleant*. Concordat Bulla Pii V. an. 1570., quæ incipit: DURUM NIMIS &c. JURAMENTUM NOVI CANONICI. NULLÆ INTERVENIANT ILLICITÆ EXACTIONES. *ibid. c.* 14.

Dignitatibus Capitulorum, & Officiis, Præpoſiti ſcilicet, Decani, Archidiaconi, Scholaſtici, Cantoris, Lectoris, Cuſtodis, Primicerii, Theſaurarii, Theologi, Pœnitentiarii non eſt, cur multum immoremur. Habet quævis Eccleſia ſuas Dignitates, & Officia diverſa, quæ ſatius erit ex privatis Locorum uſibus addiſcere. Tridenti Prima Dignitas in Capitulo Decanus eſt, qui regit Capitulum, tanquam Caput: Secunda Præpoſitus, Tertia Archidiaconus, qui duo præeminentiam habent quaſi ſine Officio. Archidiaconus enim adſtat Epiſcopo Sacros Ordines conferenti. Senior præcedit in Seſſionibus Capitularibus tam Præpoſitum, quam Archidiaconum, in quibus poſt Decanum ſinguli juxta ſenium Præbendæ, ſive Poſſeſſionis ſuæ ſedent. Eſt Scholaſticus, qui juxta ſenium Canonicatus ſui ſedet: nec præeminentiam, nec officium amplius habet, niſi ſit, quod Seminario invigilare debeat. Canonici reliqui XIV., Univerſum Capitulum Capita XVIII., olim XXVII. Extat Bulla Bonifacii IX. anno 1396. de Reductione XXVII. Præbendarum Canonicalium ad numerum modernum XVIII. Collatio Decanatus penes Summum Pontificem eſt, Nominatio Præpoſituræ penes Comitem Tyrolis, Proviſio Archidiaconatus, & Scholaſteriæ penes Epiſcopum Tridentinum, Diſtributio Canonicatuum alternis menſibus penes Apoſtolicam Sedem, & Capitulum Tridentinum. Alibi aliter. Numerus ubique variat. DIGNITATES CAPITULORUM, ET OFFICIA. FORMA CAPITULI TRIDENTINI.

H DE

Digitized by Google

DE TRANSLATIONE, ET RENUNCIATIONE EPISCOPI

TITULUS XIII.

c. 4. de Translat. Epiſcopi.

Episcopus suæ adhæreat Ecclesiæ.

can. Apoſt. 14.

can. Apoſt. 15.

Cauſ. VII. *q.* 1.

Adhæreat omnis Clericus.

Spirituale fœdus Conjugii, quod eſt inter Epiſcopum, & Eccleſiam, quod in Electione initiatum, ratum in Confirmatione, & in Conſecratione intelligitur conſummatum. Sic decet Epiſcopum ſuæ Eccleſiæ adhærere, tamquam maritum uxori: nec enim ad informandos hominum mores, ad conciliandam pro informandis moribus opinionem una hora, aut breves dies, ſed multi anni, diuturna virtus vix ſufficiunt. Unde Presbyteris quoque, & minoribus Clericis, Albo, & Matriculæ certæ Eccleſiæ ſemel adſcriptis turpiter diſcedere neſas fuit, propterea quod furtivi tranſitus Eccleſiis in damnum, fidelibus in ſcandalum ſuccedebant ob tranſeuntium puſillanimitatem, avaritiam, atque ſuperbiam. Non omnis tamen Translatio Epiſcopi damnatur. Laudatur illa, *utpote ad majus lucrum, cum poſſit ipſe iis, qui illic habitant, pietatis verba conferre; idque non ex ſe, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & maxima exhortatione.* Talis fuit Translatio Epiſcopi Cappadociæ in Sedem Hieroſolymitanam, cunctis in Palæſtina Epiſcopis in unum congregatis, adnitente Narciſſo Epiſcopo, & Hieroſolymitano Clero. Primum hoc illuſtre Translationis exemplum, in quo divinitus inſpirati fuerunt omnes.

Translatio Canonica. *can. Apoſt.* 14.

Euſeb. *l.* 6. *c.* 9.

Exemplum primum.

can. 15.

Desertor restituebatur Ecclesiæ suæ.

l. 3. *de Vita* Conſtantini *c.* 59.

Socrat. *l.* 2. *c.* 5.

Quia vero Patres Magnæ Synodi an. 325. ſanciverant, ne a Civitate in Civitatem aut Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus tranſeat, ſed Eccleſiæ ſuæ reſtituatur, Euſebius Cæſareenſis, qui Nycæno Concilio interfuit, ad Sedem Antiochenam tranſire noluit, ab Imperatore laudatus. Alter Euſebius Arianorum Princeps, qui primum Berytenſi Sede deſerta Nicomedienſem, deinde Conſtantinopolitanam ope Conſtantii aggreſſus eſt, mandata Dei, & Apoſtolicam Regulam peſſimo exemplo laceravit. Quin & depoſitis Epiſcopis Orthodoxis, aliquando relegatis, necatiſque, in Eorum Epiſcopatus transferebant Ariani ſuarum partium Epiſcopos. Ad malam funditus eradicandam conſuetudinem, Patres Sardicenſes an. 347. Præſide Oſio animadvertentes, quod nullus ſit inventus Epiſcopus, qui non Dominationis cupidus de majori ad minorem tranſiret Eccleſiam, decreverunt ſapientiſſime, ut nec Laicam in fine Communionem talis accipiat Deſertor. Quæ terribilis pœna primis Seculis

Athan. Apol. II. *de fuga.*

can. 1. 2. 3.

Nec Laicam in fine communionem accipiebat.

Morin. *l. 9. c. 19. de Pænit.*

Seculis in aliquibus tantum Eccleſiis vix contra Idololatras, voluntarios homicidas, & adulteros relapſos fulminabatur. Hujus ſalutaris Diſciplinæ incrementum per plura ſecula confirmant innumeri Canones Orientalium, atque Occidentalium Conciliorum: clamabitque cunctis futuris temporibus horrenda, atque inaudita Stephani VI. ſævities, qui Prædeceſſorem ſuum Formoſum, primum omnium ad Romanam Sedem a Portuenſi tranſlatum, exhumari juſſit, in judicium vocavit, in Cathedram Pontificiam Sacerdotalibus ornamentis indutum collocavit, atque hac ſola accuſatione quaſi viventem adhuc interpellavit: *Cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam Sedem univerſalem uſurpaſti?* Sententia dicta cadaver Sacris ſpoliatum veſtibus, tribus abſciſſis digitis, in profluentem Tyberim miſere projectum fuit. Fuit quidem Synodus Romana an. 904. ſub Joanne IX., in qua Acta Stephani VI., alias VII. contra Formoſum habita reſcinduntur, & improbantur. Fuit Synodus Ravennatenſis eodem anno, in qua Formoſi Ordinatio confirmatur, Synoduſque Stephani adverſus Formoſum habita damnatur ad rogum; nullibi tamen diſciplinæ rigor fuit infractus, imo confirmatur in Synodo Romana expreſſis verbis: *quia neceſſitatis cauſa de Portuenſi Eccleſia Formoſus pro vitæ merito ad Apoſtolicam Sedem provectus eſt, ſtatuimus, & omnino decernimus, ut id in exemplum nullus aſſumat, præſertim cum Sacri Canones hoc penitus interdicant, & præſumentes tanta feriant ultione, ut etiam in fine Laicam eis prohibeant Communionem; quippe quod neceſſitate aliquoties inductum eſt, neceſſitate ceſſante in auctoritatem ſumi non eſt permiſſum.*

Luitp. *l. 1. c. 8.*

FATUM FORMOSI.

can. 3.

CONSTANS DISCIPLINA.

Thomaſſin. *p. 2. l. 2. c. 60. & ſeqq.* Natalis *Tom. V. pag.* 177. Bingham. *l. 6. pag.* 381.

Redit illud, quod per priora Quinque Secula tam in Oriente, quam in Occidente commendabantur ſolæ Tranſlationes, & Migrationes, aut Ceſſiones, quæ in utilitatem Eccleſiarum cederent, cum alias omnis ambitus, & deſiderium immoderatum Epiſcopatus illicitum haberetur. Neve privatus ſenſus quempiam deciperet, de his cauſis Metropolitanus, aut Synodus Provincialis, aut Apoſtolica Sedes judicabat aliquando, Principibus ipſis concurrentibus. Gregorius Saſimorum primum ordinatus Epiſcopus ad Cathedram Conſtantinopolitanam judicio Synodi tranſlatus fuit, qui tamen eo fine Conſtantinopolitanam Urbem non intraverat, in qua Synodus agebatur. Proclus Cyzico Conſtantinopolim migravit, Cœleſtino Papa, Cyrillo Alexandrino, & Joanne Antiocheno unanimiter conſentientibus. Cœterum Epiſcopus *tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus*

l. 31. Cod. de Epiſc. & Cleric.

Digitized by Google

refugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt Sacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus. Quam ſententiam multi ignorant, multi non cogitant. Seculo Sexto Agapetus R. P. Anthimum execratus eſt non ſolum ob hæreſin, de qua ſuſpectus erat, ſed quod ab Epiſcopatu Trapezuntino ad Sedem Regiæ Urbis contra divinos Canones migraſſet. D. Gregorius M. Tomitanum Epiſcopum, cujus Urbs Epiſcopalis ab hoſtibus occupata fuerat, ac diruta, in Eccleſiam Aleriensem jamdiu vacantem rite tranſtulit. Idem Paulum Nepeſinum Neapolim transferre decreverat Clero, Nobilibus, & Plebe poſtulantibus. Sed Ipſum rogavit Paulus, ne a Sponſæ ſuæ Eccleſiæ paupercu1æ ſinu abſtraheretur. Unde manſit Nepeſinus Epiſcopus. Synodus Toletana anno 656., exauctorato Potamio Braccharenſi Metropolitano, in illam Sedem tranſtulit Fructuoſum Dumienſem Epiſcopum. Alia Synodus Toletana an. 693. exauctorato Siſberto Toletano Felicem Hiſpalenſem in Toletanam Sedem tranſtulit, Fauſtinum Braccharenſem in Hiſpalenſem. Seculo Octavo eadem conſuetudo, quæ fuit Septimo, ut bonum Eccleſiæ in Tranſlationibus præfigeretur, non tamen abſque ſcitu Apoſtolicæ Sedis. Sic D. Germanus ex Cyziceno Epiſcopatu ad Conſtantinopolitanam Sedem translatus fuit, omnium Ordinum Votis, & Apoſtolico Legato annuente. Seculo Nono, & Decimo Tranſlationes non fiebant, aut fieri non debebant, niſi ob evidentem neceſſitatem, vel Eccleſiæ utilitatem, Synodorum, aut Romani Pontificis auctoritate. Sic anno 871. Actardus Nannetenſis, Epiſcopatu ſuo a Normannis diruto, in Synodo Duziacenſi ad Sedem Turonenſem translatus fuit, petentibus Ordinibus, annuente Carolo Calvo Rege, probante Hadriano II. R. P.; quam Tranſlationem Hincmarus Rhemenſis ab initio promovit, tandem impugnavit, forte quod Actardus utramque Diæceſin regeret. Cum Manaſſes Arelatenſis Archiepiſcopus, Hugoni Italiæ Regi affinis, Veronenſem, Tridentinum, & Mantuanum Epiſcopatum ab Eo obtinuiſſet, ac ſe exemplo D. Petri ab Antiochena ad Romanam Eccleſiam migrantis fruſtra tueretur, probi omnes factum Ejus, & frivolam facti excuſationem vehementer improbarunt: quod ſcilicet D. Petrus Romam migraſſet, *non ambitione inſlammatus, ſed martyrio animatus; non quærens aurum, ſed animarum lucrum.* Magnum diſcrimen inter Petrum, & Manaſſen, ac Manaſſis Sectatores. Hic ope Berengarii III. Italiæ Regis Mediolanenſem Sedem invaſit mortuo Arderico Archiepiſcopo, in cujus locum Cives elegerant Cardinalem Aldemarum. Litem poſtremam diremit prælmatura utriuſque mors.

Natalis *ſupra pag.* 451.

Natalis *ſupra pag.* 699.

Theophan. *ad an.* 514.

Natalis *Tom.* VI. *pag.* 126.

Luitprand. *l.* 4. *c.* 3.

Poſt

Poſt annum Milleſimum, perſuaſiſſimum fuit; non poſſe fieri Translationes abſque auctoritate Papali: conſenſu tamen Regum, & Epiſcoporum transferendorum ſæpe opus fuiſſe: adverſari quoque Translationes omnes Eccleſiaſticis Inſtitutis, niſi uno fiant impulſu utilitatis, & neceſſitatis Eccleſiarum. Speciofum in Hungaria præſtitit exemplum D. Stephanus Rex, qui Sebaſtianum Monachum nominavit Strigonienſem Archiepiſcopum. Hoc oculis orbato Rex tranſtulit Aſtricum Colocenſem Epiſcopum. Oculis recuperatis Rex Apoſtolicus Sebaſtianum Strigonienſi, Aſtricum Colocenſi reſtituit Eccleſiæ, publicum Eccleſiarum bonum, non privatum perſonarum affectum reſpiciens.

Poſthac Summi Pontifices ſoli jus Translationum ſibi reſervarunt, quemadmodum Innocentius III. altum clamat exeunte Seculo Duodecimo, quidquid aliquando Principes, & privatæ aliquæ Eccleſiæ contra nixæ fuiſſent. Nonnunquam poſtulavit Eccleſiæ bonum, ut quaſi inviti uſque transferantur Epiſcopi. Vicit ſemper juſta Romani Pontificis autoritas, ubi Translationes conſiderantur inter cauſas majores, quæ Sedi Apoſtolicæ pleno jure reſervantur. Sed exeunte Seculo Decimo Sexto Bellarminus ſanctiſſime monuit Clementem VIII.: *Translatio Epiſcoporum ſecundum Canones, atque uſum veteris Eccleſiæ non debet fieri, niſi ob Eccleſiæ neceſſitatem, vel majorem utilitatem. Nec enim inſtitutæ ſunt Eccleſiæ propter Epiſcopos, ſed Epiſcopi propter Eccleſias. Nunc autem quotidie Translationes fieri videmus, ea ſolum de cauſa, ut Epiſcopi vel honore, vel opibus augeantur*. Hodie ſi moneretur a Bellarmino Clemens XII., reſponderet cum ſuo Prædeceſſore: ***Nos cum difficultate transferimus***. Utinam ceſſarent importunæ preces Eorum, qui petunt, & commendant, parum ſoliciti, an Eccleſiæ bonum, an potius hominis lucrum promoverint.

Natalis *ſupra pag. 564. De Translat. Epiſc.*

TRANSLATIONES INTER CAUSAS MAJORES.

MONITA BELLARMINI.

Hodie itaque juxta univerſæ Eccleſiæ diſciplinam Electos in Epiſcopos, & Confirmatos transferre poteſt ſolus Romanus Pontifex: ſuper qua Translatione neque Legatus a Latere ſine ſpeciali A. S. Indulto cognoſcere valet: reſcripſitque Innocentius III. Bambergenſi Epiſcopo, & Scholaſtico Moguntinenſi contra Hildeſemenſem Epiſcopum, qui ſua Sede deſerta ad Herbipolenſem tranſmigravit, *ut nec illis præſideat, quos per ſuperbiam ſprevit, nec illis, quos per avaritiam concupivit*. Quare *a Cathedra repelli debeat aliena, & carere propria*. Neceſſe tamen eſt Regem conſentire Translationibus Epiſcoporum, qui ad Ejus priorem Nominationem promoti fuerunt, cum Ejus interſit, tanquam Fundatoris, aut

JAM SOLUS R. P. TRANSFERT.

c. 2. & 4. de Transl. Epiſc. c. 3. de Offic. Legati.

c. 3. de Traslat. Epiſcop.

CONSENSUS REGIUS IN REGIIS ECCLESIIS.

Patro-

Digitized by Google

ATTENDITUR AD OMNES, QUORUM INTEREST.

Patroni. Quæ ratio eſt, cur ſit attendendum ad omnes, quorum intereſt, & in quantum illorum intereſt.

RECENS DISCIPLINA.

Pariformi Decretalium jure, quando Renunciationes, Ceſſiones, Translationes, & Remotiones Epiſcoporum inter Majores Cauſas numeratæ fuerunt, debuerunt reſervari Romano Pontifici, qui ſolus hodie judicat in Majoribus Cauſis, de quibus olim Synodus Provincialis cognoſcere poterat. Sed nec hodie, nec olim alia Translatio laudari meruit, niſi quæ fieret propter neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ, vel invito, vel ſaltem non poſtulante Epiſcopo; qualis fuit noſtra tempeſtate Translatio Benedicti XIII. ab Eccleſia Beneventana ad Romanam Sedem: Qui poſt multas lachrymas novæ ſuæ Electioni non alias conſenſit, niſi retenta priori ſponſa Beneventana Eccleſia.

TRANSLATIO BENEDICTI XIII.

AN EPISCOPATUS DESIDERARI, AN RECUSARI POSSIT?

Cadit opportuna Quæſtio, an concupiſcere quis poſſit, an abnuere Epiſcopatum, & cœteros majores Ordines. Puto poſſe concupiſcere, poſſe reſiſtere; ſed utrumque in Domino tantum. Cœterum ubi repugnatum eſt aliquamdiu, (quemadmodum repugnavit idem Benedictus XIII.) acquieſcendum tandem eſſe imperio ſuperiorum, aut judicio bonorum, niſi apertiſſima, & notoria hominis indignitas foret, & habilitas prorſus nulla ad Sacras Functiones. Conſule Thomaſſinum. Præterea privato auſu, ob malorum opprobrium, in perſecutionibus, aut quando Divina Ira peſte, fame, bello percutit Gregem, non facile aufugere debet bonus Paſtor: nec decet, ut ſe ſolum ſalvet Paterfamilias, & filios Orphanos relinquat. Intra muros obſeſſæ Civitatis Epiſcopus ſe claudere non tenetur, tum quia minima pars Gregis incluſa manet propter defenſionem loci, quæ tamen neceſſario Sacerdote deſtitui non debet; tum quia Epiſcopus tenetur ſe quoque ſervare propter bonum majoris partis ſui Gregis; tum quia Epiſcopus non eſt aptus ad ſe defendendum, nec bello ſe immiſcere debet, niſi major neceſſitas, & Reipublicæ cauſa ſubſit, puta comitandæ perſonæ Regiæ, aut cuſtodiendi pretioſi pignoris occaſio. Præterea quęſtionem hanc copioſe tractat Auguſtinus in celebri Epiſtola ad Honoratum, cujus ſententiæ ſumma eſt: Fugere Sacerdoti licere, cum ipſe privatim ab adverſariis petitur, & ſunt alii, qui pro illo Sacramenta populo adminiſtrare poſſunt: tum etiam quando omnes oves fuga diſſipatæ ſunt: ac denique cum plus abſens, quam præſens juvare poteſt.

p. 2. l. 2. c. 65.

Cauſ. VII. *q.* 1. *c.* 46. *& ſeqq.*

AN LICITA SIT ALIQUANDO FUGA?

QUANDO LICEAT SECEDERE?

Secedere poteſt, cum plus proderit abſens, quam præſens: vel certe, ubi ex ſua abſentia nullum gregi damnum inferatur. Seceſſit quidem piiſſi-

Digitized by Google

piiſſimus Hieroſolymitanus Antiſtes Narciſſus, qui relicta Eccleſia in ſolitudine, ac deviis agris plurimos annos delituit. Redivit, & Alexandrum Succeſſorem inſtituit. Seceſſerunt forte alii Sanctiſſimi Viri in deſerta, obtentu quidem majoris Perfectionis: ſed non ſunt imitandi, quia ſpeciali privilegio, divinoque inſtinctu ducti ſunt, quo non ducuntur reliqui, humanis affectibus ſubditi homines. Sic inter Epiſcopos Tridentinos Conradus II. Vir probus recuperatis multis Eccleſiæ ſuæ bonis, quam per annos ſeptemdecim fortiter rexit, tandem humanarum rerum pertæſus miſſione impetrata anno 1205. ſe abdidit Clauſtro, quod ipſe reſtauraverat, apud S. Georgium in Valle Æni, ubi ſanctiſſime obiit. Sic Conradi Succeſſor Federicus VVanga poſt annos duodecim receſſit Hieroſolymam reverſurus. Redux obiit Cæſareæ anno 1218. Euſeb. *l. 6. c. 9.*

Cum notum ſit ſatis, quod olim Ceſſiones, & Renunciationes Epiſcoporum in Synodo, hodie a Romano Pontifice examinentur, reſtat in unum colligere bonas cedendi, renunciandique cauſas, ex quibus petere poſſunt Epiſcopi, & Papa ſolet admittere Ceſſiones, atque Renunciationes. Quæ altera pars hujus Tituli eſt. Innocentius III. ſex numerat cauſas. Prima cauſa eſt, *Debilitas Corporis*, quæ nos impotentes reddit exercendi muneris noſtri. Altera eſt, *Defectus neceſſariæ ſcientiæ*, quæ debilitas mentis eſt, & multo magis inhabiles nos conſtituit ad exequendum Paſtorale Officium. Tertia eſt, *Malitia Plebis invincibilis*, penes quam duriſſimæ cervicis plebem proficere amplius nequimus. Quarta eſt, *ſcandalum irreparabile*, quia *expedit Ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo Ejus, & demergatur in profundum maris*. Quinta eſt, *Irregularitas notoria, & ſcandaloſa perſonæ*: non quævis occulta, non quævis notoria Irregularitas, ſed grave delictum. Sexta eſt, *Conſcientia graviſſimi criminis tantum*, propter quod etiam peracta pœnitentia, ipſius officii exequutio impediretur. Prudens Judicis ſupremi arbitrium multa diſcernit. CAUSÆ RENUNCIANDÆ ECCLESIÆ. *c. 10. de Renunciat.* Matth. XVIII. *6.*

Sciſcitantibus autem, num liceret Papatum renunciare, cum Papa dicatur non habere ſuperiorem de ſua cauſa cognoſcentem: exemplo D. Cœleſtini V., poſtulantibus, acceptantibuſque ſingularem abdicationem Cardinalibus, pronunciamus, licere Pontifici abdicare ſe Magiſtratu; quam vero Abdicationem Succeſſor Bonifacius VIII. promovit, & tamquam Romanus Pontifex gratis, & abunde ratam habuit; Cujus celeberrimam Conſtitutionem pro merito cauſæ legimus inſertam Sexto Decretalium. Inde eruitur primo poſſe Romanum Pontificem juſta de cauſa; AN LICEAT PAPATUM RENUNCIARE? *c. 1. de Renunciat. in 6.*

non

Digitized by Google

non minus, quam alius privatus Epiſcopus poſſit, abdicationem ſuam proponere: ſecundo teneri Cardinales talem abdicationem acceptare: poſſe tamen rejicere, ubi non fuit juſta petendæ renunciationis cauſa. Quo caſu nulla eſt Ejus abdicatio; quia ſi res eodem modo ſolvi debeat, quo fuit ligata; ad conſtituendum vero legitimum Pontificem non ſufficiat ſimplex Cardinalium Electio, ſed inſuper requiratur neceſſarius Electi conſenſus: ita in abdicatione non ſufficit ſimplex abdicantis voluntarius actus, ſed inſuper requiritur neceſſarius Cardinalium olim eligentium conſenſus, & expreſſa acceptatio: quemadmodum in Abdicatione D. Cœleſtini V. fuit obſervatum. Cauſam Abdicationis memorat Platina in Ejus Vita, ubi ait: *Cum Cœleſtinus a priore Vita ob Pontificatum nequaquam declinaret, adeo benignus, & facilis omnibus petentibus erat, ut eadem diverſis concèderet: unde & contemptus dignitatis, & imminutio Pontificatus oriebatur: Erat ſiquidem ob privatam vitam, quam antea in Eremo duxerat, rebus gerendis parum idoneus*. Petiit, ob inexperientiam graviſſimi regiminis, abrogationem, quam feliciter obtinuit acceptantibus Cardinalibus, & ratam habente Succeſſore. Non defuerunt, qui nuper vel Benedicti XIII. abdicationem expectarent, vel cuperent ſaltem. Cœleſtini pietatem coluit, indolem fovit, magni regiminis fere pertæſus, non incapax.

DE COADJUTORIBUS

TITULUS XIV.

Unus Episcopus in una Diœcesi. can. 8.

AD indicandam Eccleſiæ unitatem unus, non plures in unaquaque Diœceſi conſtitui poſſunt Epiſcopi. Ideo *ne in una Civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*, vetuit Magna Synodus an. 325. Voluit quidem Conſtantius Imperator, ut Liberius, & Felix, ambo ſimul ſederent Romæ Pontifices. Sed illuſit Ei plebs ſalſioribus Dicteriis, ut Diſciplinæ Eccleſiaſticæ illo peritior: & tandem *omnes uno ore vociferantur, unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus*. Ceſſit Imperator, & diſceſſit Felix. Quare nullus, vivente Epiſcopo, alius ſuperimponi, & ſuperordinari poteſt Epiſcopus, niſi forſitan in Ejus locum, quem capitalis culpa dejecit. Unde neque habendus eſt Epiſcopus, qui in locum viventis irrepſit, neque defendendus.

Theodor. l. 2. c. 17.

Cauſ. VII. q. 1. c. 6. 7.

Sed fragiles ſumus, & lutea vaſa portamus: quotidie morimur, ſeneſcimus, infirmamur. Propterea non deliquimus, aut ſaltem ignoramus

Digitized by Google

mus Dei judicium, cum percuſſio corporalis immineat, an pro purgatione, an pro vindicta contingat: noſtro honore, noſtro loco ægri, ſenes, non abjicimur, non expellimur. Tunc viventi Epiſcopo, qui ob ſenium, vel ob quamcunque aliam infirmitatem humanam tanto oneri impar factus erat, Coadjutor, non ſucceſſor dabatur, olim a Metropolitano in Concilio Provinciali, accedente aſſenſu Eorum, qui ad actum Electionis concurrere debebant; adeoque & Regis conſenſus neceſſarius erat, quamdiu ſine Regis conſenſu Electio vires non habuit. Itaque etiamſi Epiſcopus neque ad exitum vitæ, niſi cum Synodo, & cum judicio Comprovincialium Epiſcoporum, ſibi ipſi Succeſſorem dare poſſit, præſertim agnatum, vel cognatum, cum in patrimonio Chriſti jus ſanguinis nullum ſibi titulum vindicare queat: nihilominus Epiſcopo integerrimæ famæ viro dignum pariter virum commendante, a Comprovincialibus Coepiſcopis plurimum ſemper deferebatur. Alexander Athanaſium, Athanaſius Petrum deſignavit ſibi Succeſſorem Alexandrinæ Sedis; Valerius Auguſtinum Hipponenſis. Sic Zacharias P. cum Bonifacio Moguntinenſi diſpenſavit, ut, ſi Dominus dederit hominem perfectum, pro ſui perſona illum ordinaret Epiſcopum. Multa alia per ſucceſſionem adeſſent exempla, quomodo & iſta Concilii Provincialis prærogativa ſenſim ad Romanum Pontificem devoluta ſit, quemadmodum hodie moris eſt. Docet enim nos Tridentina Synodus: *Quod ſi quando Eccleſiæ Cathedralis, aut Monaſterii urgens neceſſitas, aut evidens utilitas poſtulet Prælato dari Coadjutorem; Is non alias cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter a SS. Rom. Pont. ſit cognita, & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ a Jure, & Decretis hujus Sanctæ Synodi in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur. Alias Conceſſiones ſuper his factæ ſurreptitiæ eſſe cenſeantur.*

c. 2. eod.
c. 1. 3. 4. eod.
COADJUTOR INFIRMO DATUR IN CONC. PROVINC.
c. 18. eod.
QUORUM ASSENSU ILLUD FIERET?
Cauſ. VIII. *q.* 1.
AN LICEAT SIBI SUCCESSOREM NOMINARE?
JUSTA COMMENDATIO.
Theodor. *l.* 1. *c.* 26. Socrat. *l.* 4. *c.* 20. Sozom. *l.* 6. *c.* 19. Poſſid. *in Vita.* *Tom.* VI. Concil. *pag.* 1500.
Seſſ. XXV. 1563. *c.* 7. *de Reformat.*
JURE NOVO R. P. COADJUTORES NOMINAT.

Non tamen jure novo, aut noviſſima Tridentina Reformatione innovatum eſt, quominus aſſenſus Eorum, qui ad actum Electionis concurrere debent, præſertim in Germania, accedat etiam ad conſtituendum Coadjutorem: qui legitimus Coadjutor ſine nova Electione, aut Confirmatione, immediate ſuccedit defuncto Epiſcopo, ſedemque vacantem plurima afferentem incommoda impedit.

CONSENTIRE DEBENT, QUORUM INTEREST.

De conſenſu Principum ad conſtituendum Coadjutorem in Eccleſia, quæ Regiæ Nominationis eſt, quotidie docemur. Recens exemplum fecit Carolus VI. Imp. ſemp. Aug., qui tanquam Apoſtolicus Rex, vigore ſui Patronatus, decrepiti Quinque-Eccleſienſis in Hungaria Epiſcopi, nuper

CONSENSUS PRINCIPIS.

defuncti Comitis Neſſelrodiani Coadjutorem cum futura ſucceſſione nominavit an. 1732. tunc Belgradienſem Epiſcopum Comitem de Turri, qui & ipſe exeunte an. 1734. obiit Viennæ, dum cauſam Eccleſiæ Quinque-Eccleſ. multo labore ageret: quem & propter veterem amicitiam mœrens nomino.

CONSENSUS CAPITULI, JUS ELIGENDI HABENTIS.

De conſenſu Canonicorum jure Electivo potiuntium, qui adhiberi ſolet ad conſtituendum liberæ Eccleſiæ Succeſſorem, docuerunt Nos non ita pridem Tridentini Canonici, jure Electivo potiuntes: ubi Tridentinus Epiſcopus, S. R. I. Princeps, Joannes Michael e Comitibus Spaurianis, ob ingentem octoaginta ferme annorum præclaram ſenectutem, poſtulaverat in Coadjutorem cum futura ſucceſſione Nepotem ex Fratre, Suffraganeum ſuum Rhoſſenum Epiſcopum, Virum propter ſua merita inter Illos adſcriptum, qui Cæſari ab intimis Conſiliis aſſiſtunt. In quam poſtulationem Canonici nunquam conſenſerunt ex eo fortaſſis, quod Princeps Epiſcopus nulla majori ope indiguiſſet ad florentiſſimam Diœceſin regendam: in qua Suffraganeus, pluresque Officiales ad ſingula munia, qui vices Epiſcopi laudabiliter, ſufficientiſſimeque implerent, præpoſiti adfuiſſent ſemper, & adeſſent. Obiit ergo poſt longos dies ſine Coadjutore, & ſine paſſo Gregis detrimento. Capitulum vero, Joanne Benedicto Gentilotto, Sacræ Romanæ Rotæ Auditore, electo, & ante Confirmationem defuncto (qui apud mæſtos Cives ingens ſui deſiderium poſt ſe fruſtra reliquit; & cujus Canonicatum anno 1725. mihi per obitum contulit Benedictus XIII.) Succeſſorem libere elegit Dominicum Antonium Comitem a VVolkenſtain, cui ſucceſſit anno 1730. Antonius Dominicus Comes a Thunn uſque in hanc diem. Ad multos annos. Præceſſerunt in Eccleſia Tridentina alii Coadjutores de gremio cum conſenſu Capituli electi. Sic Udalricus de Liectenſtain primus petiit Coadjutorem Georgium Naidekium, quem Capitulum anno 1505. elegit Succeſſorem mortuo Udalrico, antequam Sedes Apoſtolica conſenſiſſet in

MADRUTIANA FAMILIA EXTINCTA.

Coadjutorem. Sic Carolus Cardinalis Madrutius Carolum Emanuelem ex Fratre Nepotem anno 1621. nominavit Coadjutorem: in quo extincta jacet antiquiſſima, atque ampliſſima Familia. Hæc ab anno 1539. ad annum 1658. per annos centum novemdecim continuos rexit Eccleſiam Tridentinam. Chriſtophorus Cardinalis ceſſit Epiſcopatum Ludovico Cardinali, Ludovicus Carolo Cardinali, Carolus Carolo Emanueli, Patruus Nepoti, ita ut neceſſarius Capituli conſenſus ubique intervenerit, in quo propoſitum noſtrum corroboramus.

Cum autem nonniſi ex magna neceſſitate, atque evidenti Eccleſiæ utilitate

litate

Digitized by Google

litate Coadjutores dentur, Romano Pontifici Coadjutorem petenti non facile dandum ducimus, non ſolum ob periculum Schiſmatis, verum quia neceſſitas vix eſſe poteſt, ubi tot, tantorumque adjutorio virorum & conſilio ſtipatus undique ſit. Tentavit Bonifacius II. in Concilio Romano an. 531. Vigilium Diaconum ſibi viventi Succeſſorem eligere: ſed illico in ſe reverſus, in alio Concilio coram Epiſcopis, Clero, & Senatu combuſſit ſuum Decretum, Canonicis Regulis, & antiquæ Sedi Apoſtolicæ injurioſum. Bonifacius III. Concilium Romanum an. 606. congregavit, in quo decrevit, ne de Pontificis ſuperſtitis Succeſſore, ſub pœna anathematis unquam tractaretur, *niſi tertio die Depoſitionis Ejus, adunato Clero, & filiis Eccleſiæ; tunc Electio fiat*. Quod obſervari in unaquaque alia voluit Eccleſia. Recentioribus temporibus Paulus IV. anno 1558. renovat Bullam Symmachi an. 498., ne quis Papa ſuperſtite, & inconſulto præſumat tractare de futura Summi Pontificis Electione. Memini certum Cardinalem ſuſpectum fuiſſe Innocentio XIII., quod quaſi tractaret de futura Electione, quem vix amplius ad ſuum conſpectum admiſit, contentus inanem hominis conatum ſecreto rubore afficere.

Cur non detur Coadjutor R. P.?

Baron.

Anaſtaſ. Biblioth.

Ritus Elect. R. P *Conſtit.* I. & VIII

DE SEDE VACANTE, ET VICARIO CAPITULARI

TITULUS XV.

SEdes vacat, in qua ſuus non amplius Epiſcopus eſt, qui fuit ante. Ceſſat vero Epiſcopus eſſe vel per mortem, quæ omnia ſolvit, vel per Tranſlationem, vel per Renunciationem, vel per Ceſſionem, vel per Depoſitionem, qui poſteriores ſinguli actus coram legitima poteſtate conſummari debent. Fuit olim hæc legitima poteſtas in Synodo Provinciali; hodie ſtat in ſolo Romano Pontifice. Ultra tres Menſes non licuit olim diferre Electionem; non licet hodie ſub pœna Devolutionis: indulgenturque alii tres Menſes ad petendam Confirmationem introducti, ſub amiſſione omnium Jurium. Si ſubſit legitima ratio, Sedes Apoſtolica prorogat terminos tam peragendæ Electionis, quam introducendæ Confirmationis. In Gallia Rex vigore ſui Concordati Semeſtre habet ad nominandum, in Hungaria annum integrum, ſive ex Privilegio, ſive ex Conſuetudine, quibus petentibus, puto, prorogarentur Nominationis Termini, ſi ſubſit juſta cauſa.

Quomodo vacet Sedes?

Diſt. LXXV. *c.* 2. *c.* 41. *de Elect.* *c.* 18. *de Elect. in* 6.

Termini Varii Novæ Proviſionis.

Digitized by Google

Jus Capituli regendæ Eccleſiæ Sede Vacante.

Paſſim citatæ Cleri Carthaginenſis literæ ad Clerum Romanum de neceſſaria, nec non temporanea Cypriani deſertione, atque Romani Cleri literæ ad Clerum Carthaginenſem de novo poſt Fabiani mortem ingreſſu regendæ Eccleſiæ firmant Jus Capituli, Sede Vacante Viduam Eccleſiam tuendi, atque adminiſtrandi. Firmant inconcuſſum hoc Jus Patres, & Canones, ſicut enim Cleri univerſi conſilio Epiſcopus vivus, & præſens regebat Eccleſiam, æquum erat, ut idem Epiſcopo defunčto, & abſente notum non dereſeret regimen. Firmat Conſuetudo.

c. 14. de Majorit. & Obedient. c. un. eod. in 6. c. 3. 4. de ſupplend. Neglig. Prælat. in 6.

Epiſcopus Viſitator.

Sede Vacante nihil innovandum.

Capitulum ſuccedit in Juriſdictione, non in Ordine.

Viſitator Epiſcopus communiter mittebatur, qui defuncto funus, & bonorum Eccleſiæ deſignationem appararet. Sede Vacante, non ſecus ac lite pendente nihil innovandum erat, nec eſt, quod futuro Epiſcopo inviſum accidere poſſet. Recte autem Capitulum Sede Vacante fungitur Epiſcopi ſui vice, antiquum Eccleſiæ Clerum repræſentans: atque in omnibus ſuccedit, quæ ſunt Juriſdictionis ordinariæ, exceptis caſibus in jure expreſſis: licet iſta Epiſcopo non competant de Jure communi, ſed ſolum de Conſuetudine, vel Statuto, vel Indulto ſpeciali, dummodo competant, tamquam Ordinario proprio. Succedit itaque in iis, quæ Juriſdictionis ſunt tam voluntariæ, quam contentioſæ: non tamen, ubi Epiſcopus procedebat, tamquam ſpecialis Apoſtolicæ Sedis Delegatus: neque in iis, quæ immediate ſunt Ordinis, cujus fundamentum in Charactere Epiſcopali inſitum eſt, Ordinatique perſonam excedere nequit. Caſus in jure expreſſus invenitur Collatio Beneficiorum, in qua Capitulum communiter non ſuccedit, ſi Collatio, Inſtitutio, Confirmatio, vel Præſentatio non ſit conjuncta cum Capitulo, ſed disjuncta a Capitulo, nec non privative ad ſolam Epiſcopi perſonam ſpectet. Secus ubi mora damnoſa eſt, quia neceſſitate magna, aut evidente utilitate ſuadente, publica Eccleſiæ cauſa privato ſingularis perſonæ, & necdum Jus in re, aut veram poſſeſſionem habentis commodo præferenda videtur.

Nec in facultate Delegationis Apost.

Nec in Collatione Beneficiorum.

c. un. Ne Sede Vacante quid innovetur in 6.

Casus singularis.

Seſſ. VII. 1547. c. 10. de Reformat.

Dimissoriæ an possint concedi a Capitulo?

Hodie juxta mentem Concilii Tridentini non licet *Capitulis Eccleſiarum Sede Vacante, infra annum a die Vacationis, ordinandi licentiam, aut Literas Dimiſſorias, ſeu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex Juris Communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, Alicui, qui Beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione, arctatus non fuerit, concedere*. Minaturque Tridentinum Concilium Capitulo interdictum, minoribus Clericis illicite ordinatis amiſſionem Privilegii Clericalis, majoribus Clericis ſuſpenſionem ipſo jure ab Ordine illicite ſuſcepto, ad beneplacitum futuri Præſulis incurrendam. Cum autem

tem

Digitized by Google

tem pœnæ ſint reſtringendæ, minores Clerici videntur incurriſſe amiſſionem Privilegii, & Capitulum (recte quod non exprimatur *ly ipſo Jure*, quemadmodum exprimitur in majoribus Clericis) videtur Interdictum incurriſſe ſolum poſt ſententiam latam. Tonſura non cadit ſub pœna, quæ non prohibetur. Ubi vero Tridentina Synodus nondum plene recipi potuiſſet, vel in magna Sacerdotum penuria, manet antiquior Conſtitutio Bonifacii VIII., nempe *Epiſcopo in remotis agente, Ipſius in Spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante Capitulum, ſeu Is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere, dare poſſunt licentiam Ordinandi*. Hodie vero de Bonis Defuncti, de fructibus pendentibus, & vacantibus non eadem ubique diſpoſitio eſt, addiſcenda quidem, & obſervanda pro ratione ſingularium jurium, conſuetudinumque localium. Addit Synodus Tridentina: *Capitula Sede Vacante, ubi fructuum percipiendorum Ei munus incumbit, Oeconomum unum, vel plures fideles, ac diligentes decernat, qui rerum Eccleſiaſticarum, & proventuum curam gerant, quorum rationes Ei, ad quem pertinebit, ſint reddituri*. Non incumbit, ubi jus Regaliæ viget, de quo alibi ſermo erit.

BENIGNA JURIS INTERPRETATIO.

VETUS REMEDIUM.

c. 3. de Temp. Ordinat. in 6.

MENSA EPISCOPALIS QUOMODO ADMINISTRANDA?

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 16. de Reformat.*

Item Officialem, ſeu Vicarium (quæ pars altera eſt hujus Tituli) *infra octo dies, poſt mortem Epiſcopi conſtituere, vel exiſtentem confirmare omnino teneatur, qui ſaltem in jure Canonico ſit Doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Si ſecus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujuſmodi devolvatur: & ſi Eccleſia ipſa Metropolitana fuerit, aut Exempta, Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior Epiſcopus ex Suffraganeis in Metropolitana, & propinquior Epiſcopus in Exempta, Oeconomum, & Vicarium poſſit conſtituere.*

VICARIUS CAPITULARIS.

AD QUEM DEVOLVATUR ELECTIO?

Cum igitur Juriſdictio de Jure devolvatur ad Capitulum Sede Vacante, tota quanta erit, hanc Juriſdictionem vel abſolutam, vel limitatam, vel contentioſam, vel voluntariam, vel utramque ſimul, nutu quidem revocabilem, non tamen facile revocandam, Officialis, vel Vicarius, vel utraque perſona ſimul, non a jure, ſed immediate a ſuo Capitulo habet: quod penes, etiam conſtituto Vicario, remanet cura, & ſolicitudo Eccleſiæ, in Juriſdictione ordinaria fundatæ, cum penes Vicarium remaneat ſolum exercitium, propter commodiorem negotiorum expeditionem facilius apud unum hominem habendam, quia ſegnius expediunt commiſſa negotia plures. Unde Vicarius Epiſcopi, & Capituli pari paſſu ambulant. Juriſdictionem accipit unus ab Epiſcopo, alter a Capitulo tantam, quantam placuerit conſtituentibus, tribuere Con-

NUTU REVOCARI POTEST VICARIUS CAPITULARIS.

Congr. Concil. 28. *April.* 1594.

UNDE HABEAT JURISDICTIONEM?

ſtitu-

Digitized by Google

Cong. Concil. *9. Septemb.* 1594.

ſtituto. Tam Hoc, quam ille poſſunt conſtituere unum, vel plures, de gremio, vel extra gremium, nutu revocare, dummodo Sede Vacante intra octo dies conſtituatur, vel conſtituantur. Ubi tamen nec neceſſitas, nec uſus foret, unus ſufficiat, ne novitas rei pariat ſcandalum. Toties quoties Vicarius Capitularis vel per mortem, vel per renunciationem, vel per infirmitatem, vel per revocationem deficeret, alius infra octo dies ſemper conſtituatur. Exſpirat utriuſque Vicarii juriſdictio, quando ceſſavit in utroque concedente, quia nemo poteſt dare, quod non habet, nec plus juris tribuere alteri, quam quod ipſe habuit. Solent aliquando per Vicarium Capitularem ſpeciales a Summo Pontifice peti facultates, & conceduntur ampliſſimæ extra Italiam, præſertim ubi impune Hæreſum graſſatur lues. Vacare autem dicitur Eccleſia, quouſque juxta hodiernos mores Confirmatus Epiſcopus Poſſeſſionem non cepit. Tenetur pariter Capitulum, tenentur ſinguli Officiales futuro Epiſcopo, ſi petat, Sedis Vacantis rationes fideliter reddere. Praxis & in hoc capite privatarum Eccleſiarum ſervanda, cum ſit laudabilis. Cæterum quidquid a Tridentinis Patribus ſancitum fuit de Vicariis Generalibus, id totum ſpectat ad ſola Capitula Eccleſiarum Epiſcopalium, vel Metropolitanarum, non ad Collegiatarum Eccleſiarum Capitula, Quæ vero ex Jure communi reguntur, & gubernantur. Collegiatæ enim Eccleſiæ obediunt Vicario Capitulari.

Unus communiter ſufficiat.

Quomodo exſpiret Ejus Juriſdictio?

Quamdiu Eccleſia dicatur vacare?

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 16. *de Reformat.* Rationes reddendæ de Sede Vacante.

Collegiatæ Eccleſiæ obediunt Vicario Capitulari.

DE CHOREPISCOPIS
DE EPISCOPIS TITULARIBUS ELECTIS TANTUM
DE EPISCOPIS ALIIS
IN PARTIBUS INFIDELIUM CONSECRATIS

TITULUS XVI.

MUlto magis poſt redditam Eccleſiæ pacem, per omnes Civitates, & Vicos, Eccleſiæ infinita hominum multitudine, velut areæ frugibus plenæ, excreverant. Sed ab Eccleſia frequenter vetitum fuerat, ne in agris, Villulis, aut modicis Civitatibus præficerentur Epiſcopi. Ruri autem jam Seculo Quarto floruerunt per Orientem Chorepiſcopi, qui paulo poſt in Occidente comparuerunt, citius diſparuerunt. Fuerunt autem Vicarii Forenſes, ſive Presbyteri cum ampliſſima poteſtate miſſi, qui ruri

Origo, et Officium Chorepiſcoporum.

Digitized by Google

ruri pleraque Epiſcopi munia exequebantur. Unde Paganorum Eccleſias regebant, plus quam noſtri Decani Rurales, & Archidiaconi noſtri, pauperum imprimis curam gerentes, qui per agros diſperſi vivebant: & licet Ordinatione ſua Epiſcopi non eſſent, Clericos tamen Minores ſingulari diſpenſatione ordinabant, quin Chriſma conficerent, aut Sacramentum Confirmationis adminiſtrarent. Nullum alicujus momenti negotium inconſulto Epiſcopo aggrediebantur. Conformis eſt Propoſitio Natalis: *Chorepiſcopi Ordinatione ſua non erant Epiſcopi, ſed meri Presbyteri aliquo Juriſdictionis Epiſcopalis privilegio adaucti*. Conſule Binghamum.

Tom.IV.pag.577. *l.2. pag. 190.*

Jam tum eo excreverat Chorepiſcoporum potentia, ut Concilium Ancyranum, & Neocæſareenſe eodem an. 314. de illis juſtam mentionem fecerint. Neocæſareenſe concedit, ut Chorepiſcopi præſente Epiſcopo offerant in Civitatibus: quod reliquis Presbyteris ruralibus permiſſum non fuit. Ancyranum vetat, ne hi præſumant Presbyteros, aut Diaconos ordinare. Concordat Antiochenum anno 341., ubi ait: *Nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant, abſque Urbis Epiſcopo, cui ſubjicitur ipſe:* ideſt, *ut ne id poſſint, niſi ordinante Epiſcopo ipſo, cui qui præſto ſunt tunc Presbyteri, una manus imponunt Presbyteris, qui ordinantur*. Hæc matura Thomaſſini præ reliquis interpretatio eſt.

Fastus Eorum cito moderari debuit. *can. 13. vel 14.* *can. 13.* *can. 10.* *p. 1. l. 2. c. 3. n. 6.*

Eorum in Occidente prima fuit mentio anno 439. in Gallia in Concilio Regienſi, ubi Armentarius, quem ſine Metropolitani conſenſu duo tantum ordinaverant Epiſcopi, ita Epiſcopatu abdicatus eſt, ut tamen poſſet eſſe Chorepiſcopus, ſi quis illum ex Epiſcopis hoc vellet ſolari munere. Quemadmodum olim Concilium Nycænum Epiſcopis Novatianis ad Eccleſiam ſe recipientibus, ſi Epiſcopalem retinere Cathedram non poſſent, quod Catholicus jam in eadem Civitate eſſet Epiſcopus, conceſſerat, ut Chorepiſcopali munere ornarentur. Concilium Regienſe aſſignaverat Armentario curam ruralis tantum Parochiæ, *vel minuſculorum Clericorum ordinatione interdicta. Anguſtior ergo erat, & brevior Ejus Juriſdictio, quam Chorepiſcoporum Orientis. Permiſſa tamen illi facultas eſt Neophytos confirmandi, de quo ſilent Canones Græci, qui de Chorepiſcopis agunt.*

Ibid. n. 13. Origo in Occidente. An. 325. Nihil, nisi Presbyteri honoratiores.

Seculo Octavo Chorepiſcopi jam inuſitato metu affecerunt Veros Epiſcopos. Quid facto opus? Ordinati ab Epiſcopis non agnoſcebant ordinatos a Chorepiſcopis. Laici nova inſtigatione precibus ordinatorum a Chorepiſcopis non interveniebant, nec parvulos ſuos amplius mittebant ad Chorepiſcopos, ut illos confirmarent. Tandem conſentientibus Leone III., & Carolo M., ob inſolentiam Eorum penitus abrogati ſunt, poſtquam in Conci-

Contentiosi. Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 45. n. 25.* Abrogati.

lio Ra-

Tom. VII. Concil. pag. 1152. 1169.

lio Ratiſponenſi an. 796., aut ſerius, & Aquiſgranenſi an. 803. definitum fuit, Chorepiſcopos nec eſſe, nec unquam fuiſſe Epiſcopos: *quia nec ad quandam Epiſcopalem Sedem Civitatis translati erant, nec Canonice a tribus Epiſcopis ordinati*. Hic juſtus Sacerdotii, atque Imperii rigor adeo diſplicuit Binghamo R. E. infenſiſſimo Scriptori, ut non vereatur impudentiſſime aſſerere, quod Chorepiſcopi Seculo IX. per Paparum tyrannidem in Eccleſiis Occidentalibus prorſus abrogati fuerint.

Tolerati rursus.

Quamquam vero ſententia Concilii ſortita illico non eſt ſuum effectum; nam uſus Chorepiſcoporum ultra Seculum perduravit: neque hi penitus ante medium Seculum Decimum tam in Oriente, quam in Occidente ceſſaverunt. Difficile erat nimis vanos homines intra limites ſuos arctare, quorum opem Epiſcopi indocti alii, & negligentes ſibi libenti animo para bant. Puto ego duo tandem fuiſſe Chorepiſcoporum genera: Eorum ſcilicet, qui nil niſi Presbyteri ampliori juriſdictione donati erant, & hi quidem frequentiores: Eorum pariter, qui veri Epiſcopi, ſed ſine propria Diæceſi, conſecrabantur, & hi rariores, quales fuerunt introducti poſtea. Quod ipſum dubius loquor de iis, qui jam tum Epiſcopi veri fuiſſent. Balſamon Seculi Duodecimi Scriptor teſtis eſt, quod ſuo ævo in Oriente *Chorepiſcoporum gradus omnino exolevit*; quamvis Petrus de Marca citet literas Alexandrini Patriarchæ ex Valachia ſcriptas an. 1612., quod ab annis ducentis, ideſt a Seculo Decimo Quinto ineunte *in Patriarchatu Alexandrino, deletis Epiſcopis, ſoli Chorepiſcopi curam Patriarchæ in adminiſtratione Eccleſiarum levant*. Sit fides penes autorem. Baudrandus nihil aliud nos docet, niſi quod Alexandriæ Cophti Sedem Patriarchalem teneant, quorum juriſdictio ſe extendat uſque in Abyſſiniam. Cœterum ſi videretur medio Decimo Seculo Chorepiſcoporum nomen penitus extinctum fuiſſe, exercitium tamen aliquod alienis titulis larvatum, extincto nomine, quaſi revivixit. Chorepiſcopis, qui meri fuerunt Presbyteri, ſucceſſerunt Archipresbyteri, Archidiaconi, Vicarii Foranei, Decani Rurales. Chorepiſcopis, qui Epiſcopi veri fuiſſent abſque propria Diæceſi, ſucceſſerunt Suffraganei, qui in Germania plerumque ordinantur, ſuorumque Epiſcoporum munia in Ordinationibus, & reliquis Epiſcopalibus functionibus obeunt.

Duplex genus Chorepiscoporum.

Eorum interitus in Oriente.

Concord. Sacerd. & Imp. *l.* 2. *c.* 14. *n.* 9.

Alieno nomine videtur utrum. que genus exiſtere.

Episcopi Titulares Electi in Hungaria.

Sunt in Eccleſia Dei Titulares Electi tantum Epiſcopi, qui nunquam conſecrantur. Tales hodie ſatis multi in Hungaria numerantur inter Canonicos. Poſt Conſecratos Epiſcopos inter Magnates in Dieta ſedent, & qui Titulares Epiſcopi ſunt, Titulares quoque Regii Conſiliarii vocari ſolent.

Digitized by Google

ſolent. Major numerus in ſingulis Capitulis Hungariæ illorum eſt, qui Titulares Abbates cum Annulo, & Baculo Pontificalia exercent. Nullam aliam prærogativam habent, optime meriti de eo, quod apud jllos, & Epiſcopos Titulares non pereat Jus Regis, & memoria Eccleſiarum, & Abbatiarum, quæ non amplius exiſtunt. Abbates Infulati.

Sed vera, & propria Epiſcoporum in Partibus origo fuit in Oriente ad finem Seculi Septimi, circa quæ tempora invaſiones Muſulmanorum plurimis Conſecratis Epiſcopis impedimento erant ad capiendam Eccleſiarum jllarum poſſeſſionem, pro quibus conſecrati fuerunt. Concilium Trullanum anno 692. his Ordinem, & Juriſdictionem adjudicavit, Clericos ordinandi, atque in Eccleſia præſidendi. Rurſus recuperata Terra Sancta a Gothefrido Bollionio, poſt captam 15. Jul. an. 1099. Hieroſolymam, in Latinorum favorem ſingulis Eccleſiis Latini quoque additi ſunt Patriarchæ, aut Epiſcopi. Id ipſum poſt captam 12. April. an. 1204. Conſtantinopolim in Oriente factum eſt. Poſtremo anno 1291. Ptolemais, Tyrus, & Syria Univerſa ſub Turcarum tyrannide gemuit. Conſtantinopolis anno 1453. a Turcis expugnata fuit. Spe Orientis recuperandi quaſi amiſſa, Epiſcopi æque, ac Principes retinuerunt ferme vanos titulos, nec non Romam, tamquam in communem patriam, ad victum honeſtum mendicandum ſe ſe receperunt. Romæ Epiſcopi iſti Penſionibus, & ſimplicibus Beneficiis ſuſtentati ſunt: quorum aliqui felicioribus, noviſque Epiſcopatibus aucti ſunt, quin priorem vacuum, ſed honoratiorem cederent titulum. In hos Titulos datur ſucceſſio uſque ad Nos. Hac ingenti Epiſcoporum phalange firmatur juſta Summi Pontificis auctoritas in Conciliis. Conſervatur antiquum jus in Eccleſias Græcas, quibus Epiſcopos ſuos reſtitueret, ſi reſtituerentur Epiſcopatus. Horum exemplo creantur quotidie Epiſcopi ſine Epiſcopatibus, veluti Nuncii Apoſtolici, Vicarii Apoſtolici inter Hæreticos, vel in longinquis Miſſionibus degentes; eximuntur ideo Religioſi a ſuis ſuperioribus, adjunguntur Coadjutores, atque Suffraganei Epiſcopi veris Epiſcopis, more hodierno Germaniæ imprimis.

Origo Epiſcoporum in Partibus.

can. 37. Indict. 5.

Wilhelm. Tyr. l. 8. c. 18.

Nicet. & Joan. Villan.

Horum uſus.

In Concilio Tridentino antiqui murmuratores accuſarunt ſatis infelices hos Epiſcopos quæſtus, turpis lucri, ſimoniæ, tamquam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ violatores, tamquam alienæ poteſtatis uſurpatores. Imo veriti non ſunt Eorum Ordinationes damnare, tamquam vagas, & contra Canones, veteriſque Eccleſiæ Diſciplinam introductas. Quare magni conatus, multæ preces, ut ſupprimantur. Suppreſſi tamen non fuerunt, ſed

Fra Paolo Iſtoria del Conc. pag. 361. 524. 753.

Accuſati.

MODERATI. ſed fræno coarctati neceſſario, prout ſequitur: *Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cujuſvis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cujuſvis privilegii ſibi de promovendo quoſcunque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis, continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprii Prælati expreſſo conſenſu, aut literis dimiſſoriis ad aliquos Sacros, aut minores Ordines, vel primam Tonſuram promovere, ſeu ordinare valeat: Contrafaciens ab exercitio Pontificialium per annum, taliter vero promotus ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo jure ſint ſuſpenſi.* Benedictus XIII. multos conſecravit Epiſcopos Titulares, qui in tanto numero ſinguli non potuerunt illico neceſſariis donari alimentis; coacti forte plurimi ſe intra priora ſua Clauſtra recipere, quos non æquo ſatis animo alunt pauperes Conventus, unde Religioſi, facti Epiſcopi, multa ſpe diſceſſerant, aliquando quaſi inviti. Hoc incommodum præmatura Pontificis mors imprimis cauſaſſe videtur.

Seſſ. XIV. 1551. *c. 2. de Reformat.*

INGENS NUMERUS, ET INCOMMODA SUB BENEDICTO XIII.

DE METROPOLITANIS

TITULUS XVII.

Inſtit. Eccleſ. *Prem. Part. chap. 14.*

INGENS EPISCOPORUM NUMERUS.

RECenſet eruditiſſimus Claudius Fleury, qualiter Seculo Quarto in cultioribus Provinciis, veluti in Oriente, Ægypto, Aſia, Græcia, atque Italia, ingens jam fuerit Epiſcoporum multitudo, quam ſubſcriptiones Conciliorum, & Patrum Epiſtolæ teſtantur. In ora Maris interioris a Tripoli uſque ad fretum Gaditanum anno 411. numeratæ fuerunt Sedes Epiſcopales DLXX., quod ex Conventu Carthaginenſi clarum eſt. Papæ quidem per Italiam imprimis novos Epiſcopatus recens condiderunt, veteres ſuppreſſerunt. Ex notitia Imperii ad calcem Codicis Theodoſiani adjecta patet per Græciam non fuiſſe pauciores. Soli Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjecti fuere Metropolitani LXXX., & Archiepiſcopi XXXIX., quorum nonnulli ultra Suffraganeos triginta habuerunt. In Gallia, & Hiſpania rariores fuerunt Epiſcopi ob Civitatum raritatem: quarum etiamſi Seculo Quinto in Scythia major numerus, uno tamen ab Epiſcopo regebantur omnes. Quum Chriſtiana Religio in Germaniam præcipue penetraret, quod Ea Urbibus deſtituta eſſet, pauci fuerunt Epiſcopatus conſtituti, nec aucti poſtea per reliquum Septentrionem, licet cultu creſceret. Unde nati ſunt vaſtæ magnitudinis Epiſcopatus in Germania, Polonia, atque Hungaria. Concilia vix haberi potue-

CUR VASTI EPISCOPATUS PER TOTUM SEPTENTRIONEM?

Digitized by Google

tuerunt ob difficultatem longi itineris, & periculum diuturnæ abſentiæ, deficientibus quoque inferioribus Operariis.

Non defuerunt primis Seculis Magni Epiſcopatus, qui in ampliſſimis Civitatibus fundati erant, puta Romæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Cæſareæ. Sed poſt redditam Eccleſiæ pacem, caput elevare, fines dilatare, auctoritatem extendere majori animo majorum Civitatum Epiſcopi ceperunt. Hinc cum in Imperio Provinciæ contributæ eſſent cuidam primariæ Urbi, quæ Metropolis dicebatur, in qua ſubjectorum cauſas Magiſtratus judicabant, & quo populi frequentius conveniebant, quia ſingulari quodam Jure Civitates a Matre penderent: ita pariter imitatione quaſi Secularis Politiæ, Civiliſque Ordinationis uſu, & conſuetudine potius, quam Apoſtolica inſtitutione, aut præciſa traditione introductum pedetentim fuit, ut Epiſcopi minorum Civitatum recurrerent ad Epiſcopos majorum Civitatum: eo magis quia jam Secundo Seculo Chriſtiani contra frequentes, & novas opiniones provocabant ad auctoritatem, ſcientiam, & probitatem Eccleſiarum Apoſtolicarum, quas Apoſtoli vel fundarunt, vel quibus Literas Decretales aliquando miſerunt. Celebritas ipſa præcipuarum Urbium in ſingulis Provinciis conciliabat Epiſcopis ibi reſidentibus honorem, & quandam auctoritatem, cum etiam minores Civitates illuc paſſim confluerent. Denique cum Eccleſiæ, quas una Provincia Civilis coniunxerat, magis inter ſe forent unitæ, communi quoque conſilio cauſas Eccleſiarum communes dirigebant: Atque ita Provinciis Eccleſiaſticis pedetentim ortis, valde naturale erat, ut ordinis gratia alicui inter Epiſcopos ſingularis prærogativa daretur, qui potiſſimum communi ſaluti in ſingulis Provinciis invigilaret. Unde tandem varii Epiſcoporum gradus, varia orta nomina. Primatus ipſe datus plerumque fuit Epiſcopo majoris Metropoleos, aut Seniori inter omnes Provinciales Epiſcopos. Conſentit Binghamus.

FINITA PERSECUTIONE AUCTÆ ECCLESIÆ.

ORIGO METROPOLITANORUM.

l. 2. pag. 203.

Obſervat Van Eſpen diligens autor: *Tametſi non conſtet Metropoliticam Dignitatem ab Apoſtolis eſſe inſtitutam, vel utrum Apoſtoli aliquibus Eccleſiis a ſe fundatis, aut earum Epiſcopis quædam Jura, & Privilegia in alias Eccleſias conceſſerint, eam tamen antiquiſſimam eſſe nemo inficiari poteſt.* Magna Synodus an. 325. indicat antiquam ſatis Metropolitanorum originem; atque in hanc ſententiam ſequentia Concilia iverunt. Hinc ulterius contingebat, ait Chriſtianus Lupus, *ut diviſa per Principem Provincia, quomodo duos Præſules, ſeu Civiles Rectores, ita duos acciperet Metropolitas Epiſcopos*, Synodo Chalcedonenſi an. 451. acriter improbante

p. 1. t. 19. c. 1. n. 1.

can. 4. 6. 7.

can. 12.

 Epiſ-

Epiſcoporum ambitionem, qui Imperatorem circumveniebant privatas Urbes declarando Metropoles Civiles, ut Eccleſiaſticæ quoque Metropoles hoc ipſo fierent, nec non Metropolitica Jura, & amplas Provinciarum Ordinationes mendicarent. Imo *ſtatuit Sancta Synodus deinceps nihil tale attentari a quolibet Epiſcopo: Eos vero, qui aliquid tale attentaverint, cadere de proprio gradu*. Pro harmonia Civiles inter, & Eccleſiaſticas Metropoles obſervanda, conſultum erit adire Tabellas ad calcem Philippi Cluverii Geographiæ poſitas. Prima eſt, ORBIS ROMANUS, SEU DIVISIO ROM. IMP. IN OCCIDENTALE, ET ORIENTALE JUXTA NOTITIAM IMPERII. Altera eſt, ORBIS ECCLESIASTICUS, SEU DIVISIO ECCLESIASTICI DOMINII IN QUINQUE PATRIARCHATUS. Conſule Binghamum, ideſt Geographicam Deſcriptionem antiquæ Eccleſiæ; ubi de Diviſione illius in Provincias, Diœceſes, & Parochias, & de prima hujus Diviſionis origine agitur. Excipias tamen, quæ præſertim a §. IX. uſque ad finem cap. I. contra Metropoliticam, & Patriarchalem Rom. Pont. juriſdictionem de more effutit. Ex quibus illud imprimis deducere cogitur, quod nulla ſit neceſſitas ſe ſe Rom. Pont. ſubmittendi. Infra.

Diſt. CI.

l. 9.

Et illud ſingulare eſt, quod interpoſita nunquam ſit in Occidente Imperatoria Majeſtas ad novas Metropoles inſtituendas, quantum ſentit Thomaſſinus de Eccleſiaſtica Diſciplina optime meritus Scriptor. In cauſa videtur fuiſſe ſplendor, & præſentia Sedis Apoſtolicæ. Quæ RR. PP. prærogativa ſtatim in ipſo Oriente honorata fuit, cum lites quæcunque (cui nempe Civitati competat Jus Metropolis?) vel a Conciliis, vel a Sede Apoſtolica, nunquam facile ab Imperatoribus diremptæ fuiſſent. De poteſtate, & officio Metropolitanorum per quinque priora Secula, *adverte nihil officere vel Metropolitanorum poteſtati Exarchorum amplitudinem, vel Epiſcoporum dignitati Metropolitanorum authoritatem. Cauſæ omnes aliquanti ſaltem ponderis in commune a Metropolitano, & Epiſcopis Provinciæ pertractandæ erant, præſertim in Concilio Provinciæ, quod ille convocabat, qui præerat. Concilio univerſali intererant ex officio Metropolitani omnes. Epiſcoporum Patres, Magiſtri, Judices audiebant. In ſubditis ſubditorum ſibi Epiſcoporum juriſdictionem depromebant, vel cum ad ipſos erat provocatum, vel cum Provinciam obambulabant. Sedes Metropolitani inſtar habebat, & imaginem præferebat Sedis Apoſtolicæ. Obſervandorum Canonum præfecti erant, & vindices; impune violatorum in ipſos culpa, in ipſos pœna recidebat. Dabant*

p. 1. *l.* 1. *c.* 39. *n.* 11.

AUCTORITAS ROM. PONT.

DISCIPLINA PER PRIORA QUINQUE SECULA.

ſupra c. 40. *n.* 19.

bant Literas Formatas. Eorum aſſenſione & dedicabantur, ac dotabantur Eccleſiæ, & Earum bona diſtrahebantur, ubi ex re erat. Poteſtas ordinandorum Epiſcoporum paternam Eis in illos conciliabat authoritatem; & hinc fluebant reliqua in Eoſdem egregiæ poteſtatis jura.

De Metropolitanis Franciæ, Angliæ, Germaniæ Seculo Sexto, Septimo, & Octavo illud elucet, quod Metropoles Eccleſiaſticæ non aliæ fuiſſent, quam Civiles, excepta Africa, in qua Metropolitanus fuit Epiſcopus Ordinatione antiquiſſimus, probante Gregorio M.; ſed excluſis Donatiſtis. In Galliis multæ Provinciarum Diviſiones, quæ anſam dederunt novis Metropolitanis, & improviſis contentionibus, quæ Metropolitani Sedes eſſet? Lites definitæ vel a Concilio, vel a Summo Pontifice. In Germania Metropoles Moguntia, Colonia, Treviris. Moguntiam Zacharias P. Metropolitanam Bonifacii Germaniæ Apoſtoli Sedem fecit anno 746. Ante annos ferme CL. miſerat Gregorius M. in Angliam Auguſtino Pallium, conſtituitque Metropoles duas Lundonienſem, & Eboracenſem. In Hiſpania Bracarenſis, & Lucenſis Metropoles erant. Forte Hiſpalenſis, non Lucenſis. Item Emeritenſis, Carthaginenſis, Toletana. Gregorius II. anno 716. miſerat D. Corbinianum Friſingenſem Epiſcopum, ut prædicaret Evangelium per univerſam Galliam, atque Germaniam. Sic in Bavariam alios quoque ablegavit Apoſtolicos Viros, qui Epiſcopos, & Archiepiſcopos ordinarent, ubicunque expediret pro ſalute Populorum. Ævo illo D. Rupertus Vormacienſis Metropolitanus a Theodone Bavaro invitatus fuit ad propagandam ſuæ Noricæ Ditioni fidem. Is Salisburgenſem fundavit Metropolim.

ſupra c. 41.

DISCIPLINA USQUE AD FINEM OCTAVI.

ſupra c. 42.

De Metropolitanis ſub Imperio Caroli M., Ejuſque Regiæ Proſapiæ ſancitum eſt in Synodo ſub Rege Pipino in Verno Palatio celebrata anno 755., ut unaquæque Civitas ſuum haberet Epiſcopum; Epiſcopi Metropolitanis Canonicam Obedientiam præſtarent *ſecundum Canonicam Inſtitutionem*: bina Concilia per annum celebrarentur præſente Rege, convenientibus Metropolitanis: invigilarent Provinciæ ſuæ: ab Epiſcopis ad Metropolitanos fierent appellationes, qui contra pervicaces homines pro brachio Regis agant, exilio plectendos. Ordo enim erat, ut Epiſcopi ad Metropolitanum, Hic ad Concilium Nationale, omnes tandem pro exequutione ad Regem recurrerent Eccleſiæ defenſorem: nec facile quidquam Epiſcopi ſine Metropolitano, Metropolitanus ſine Epiſcopis aggrediebantur. Nunquam vero Metropolitani majora Summi Pontificis privilegia non agnoverunt, cui omnem filialem reverentiam ſemper exhibue-

DISCIPLINA USQUE AD ANNUM MILLESIMUM.

ſupra c. 43. Tom. VI. Concil. pag. 1664.

Digitized by Google

buerunt. Fatetur imprimis Hincmarus Rhemenſis, quomodo *ſolicitudo*, *& Primatus totius Eccleſiæ Catholicæ, Sanctæ Sedis Romanæ Pontifici divinitus eſt collata*. Cum Pipinus, & Carolus M. Metropolitanos aliquos pene exoletos reſtituiſſent, Sedis Apoſtolicæ authoritatem interponi voluerunt. Exempla ibi citat ex cultioribus noſtris Regionibus Thomaſſinus. In Oriente mature apparuit effrænis, atque illimitata quædam poteſtas Imperatoribus tributa ab ipſis Græcis ad novas præſertim Metropoles erigendas, atque ad relaxandos pene ubique Sacros Canones. Id vero non tantum relaxatæ diſciplinæ, quantum injuriæ iniquorum temporum magis tribuendum. Non ſemel reſtitum eſt fruſtra. Carolus M. in ſuo Teſtamento Metropoles hic Undeviginti nominat. *Eæ ſunt Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntia, Salisburgum, Treviri, Senones, Veſontio, Lugdunum, Rotomagus, Rhemi, Arelate, Vienna, Burdegala, Turones, Bituriges. De Metropoli Narbonenſi, & Aquenſi mirum ſilentium.* Laureacenſis, Patavienſis, Salisburgenſis vices ſuas ſæpe alternaverunt. Sic inter Rhemenſem, & Trevirenſem conſuetudine bona introductum eſt, ut Is, qui prior fuerit ordinatus Epiſcopus, prior etiam habeatur in Synodo.

ſupra c. 44.

DISCIPLINA POST ANNUM MILLESIMUM.

ſupra c. 45.

Epiſt. CXXXI. ad Mediolanen.

De Metropolitanis poſt Annum Milleſimum, & illud ſatis notum eſt, quod juxta antiquum jus manifeſtum Summus Pontifex novas ſemper, & ubique erexerit Metropoles, adſcito tamen Principum aſſenſu, atque auditis imprimis Epiſcopis, & reliquis hominibus, quorum intereſt. Audiatur Sanctus Bernardus. *Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper univerſas Orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit, Dei Ordinationi reſiſtit. Poteſt, ſi utile judicaverit, novos ordinare Epiſcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ratio ſibi dictaverit; ita ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat; & e converſo, ſi neceſſe fuerit viſum.* Luculentiſſima afferuntur ubique locorum teſtimonia, quanta fuerit ſemper auctoritas Summi Pontificis in erigendis, transferendis, reſtituendiſque Sedibus Metropolitanis, ubi neceſſitas, atque utilitas Eccleſiarum illud poſtulavit.

ſupra c. 48.

CAUSA MODERANDÆ AUTHORITATIS METROPOLITICÆ.

Cauſas ſi inquiramus, quibus debilitata, imminutaque ſit recentiori ævo auctoritas Metropolitanorum, multæ ſunt. Non quod illam Romani Pontifices ad ſe traxiſſent propter libidinem dominandi: non quod Synodus Tridentina illam extirpare intenderet: ſed quod neceſſitas, atque utilitas Eccleſiæ longa manu hanc reformationem pararet. Abuſus pote-

Digitized by Google

poteſtatis anſam dedit illimitatæ ambitioni ſalutare frænum applicandi. Avaritia, atque ſimonia, quæ ante ævum Sancti Bernardi Eccleſiam Dei miſere depopulabantur, conſcientioſos non paucos Electos Epiſcopos coegerunt confugere Romam, ut a Papa, vel a Legatis, Delegatiſque ordinarentur abſque metu nullitatis, quam incurriſſent, ſi a ſimoniaco ordinati fuiſſent. Supervenerunt funeſta diſſidia inter Pontifices, atque Imperatores. Nec his, nec illis ſui defuere Clientes. Qui partes Papæ ſequebantur, ab Eodem ſaltem veniam petebant Conſecrationis percipiendæ a quocunque Epiſcopo, qui modo conſors eſſet Romanæ Communionis. Contigit nonnunquam, ut imperioſior dominatio Metropolitarum impelleret Epiſcopos ad protectionem Sedis Apoſtolicæ interpellandam, quæ nunquam non præſto eſt tribulatis, aut oppreſſis. Contra alii Metropolitani longa forſan incuria exoleſcere paſſi ſunt ſua jura, & in deſuetudinem tandem abire. Sed ipſæ Reſervationes, & Proviſiones Pontificiæ debuerunt authoritatem Metropolitanorum in diem minuere: & qui propius Sedem Apoſtolicam accedebant, longius diſcedebant a ſuis Metropolitanis. Tandem Synodus Tridentina rem undequaque moderavit, ut nec Epiſcopi, nec Metropolitani, nec Apoſtolica Sedes habeant, quod conquerantur, quantum ad exercitium authoritatis, ad honorem Cathedræ, imo ad univerſæ Eccleſiæ bonum attinet.

Atque hæc moderna diſciplina eſt, ut ordo Epiſcopatuum, Metropoleon, Archiepiſcopatuum, Primatuum, Patriarchatuum ab Apoſtolica Sede ſuum incrementum ſumat: Erectiones vero, Uniones, Diviſiones, Translationes, aut Suppreſſiones Eccleſiarum, nonniſi auctoritate Summi Pontificis, interveniente Principis conſenſu, imo fere nonniſi ad Ejus poſtulationem fiant. Sic recens ad poſtulationem Cæſaris Semendrienſis Epiſcopatus Canonice unitus fuit Belgradienſi. Sic nuper Epiſcopus Viennenſis evectus eſt in Archiepiſcopum, & Metropolitam. Obiter inſinuo, quemadmodum *Innocentium III. oravit Auſtriæ Dux, novum ut conderet Epiſcopatum Viennæ, decurtato Patavienſi, cujus fines in immenſum effundebantur. Scripſit Pontifex ad Epiſcopum Patavienſem, qui illud ipſum in votis habebat. Hinc Innocentii epiſtola teſtatum fit, Viennam Urbem jam tum elegantem, & opulentam fuiſſe: Epiſcopali eam quondam Sede floruiſſe, quæ inde Laureacum, Laureaco Patavium translata ſit.* Quæ opinio Thomaſſini indiget majoribus argumentis in hac nuda conjectura nondum adductis. Illud patet ex manuſcripta Tridentina Hiſtoria, quod an. 1480. Præpoſitura Viennenſis fuerit in Epiſcopatum recens erecta, cujus primus

DISCIPLINA RECENS.

ſupra c. 58. *n.* 8.

ANTIQUITAS EPISCOPATUS VIENNENSIS IN AUSTRIA.

Præ-

Præſul fuit Leo Spor Vallis Ananiæ incola ex moderna Spaueriana Familia, quantum audeo.

Vetera Metropolitani Jura.

Redeo ad propoſitum meum, a quo in gratiam mei Natalis ſoli diſceſſeram. Jura Metropolitanorum in ſuperioribus Titulis de Electione, Confirmatione, & Conſecratione Epiſcoporum, non levi manu attigimus docentes, quantam obedientiam Suffraganei Epiſcopi Metropolitanis ſuis præſtarent juxta Canonicam Eorum inſtitutionem: propterea quod Metropolitanus cum ſuis Epiſcopis Comprovincialibus conſecrabat Electum, Confirmatumque Epiſcopum: Concilia Provincialia convocabat, & illis præerat: Univerſas, & ſingulas Comprovinciales Eccleſias viſitabat: quodve plus authoritatis erat, Epiſcopos ſubditos cum Provinciali Synodo judicabat: Formatas Suffraganeis ſuis extra Provinciam migrantibus concedebat: obſervandis Sacrorum Canonum Regulis vigilabat: in Cauſa Appellationis cognoſcebat peremptorie, & finaliter: imo in prima Inſtantia, ubi de Exceſſibus Prælatorum in ſuos Diæceſanos querelæ deferebantur coram Metropolitano, tanquam Ordinario Suffraganeorum Epiſcoporum Judice, contra quos cum juſta cauſa per Cenſuras quoque procedere liberum erat.

Jura Nova.

Seſſ. XIII. 1551. c. 5. de Reformat.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 1. de Reformat.

Hodie cauſæ majores devolutæ ſunt omnes ad Summum Pontificem. Cauſæ Epiſcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referuntur, ac per ipſum terminantur. Cauſæ criminales graviores contra Epiſcopos, etiam Hæreſis, quod abſit, quæ depoſitione, aut privatione dignæ ſunt, ab ipſo tantum Summo Romano Pontifice cognoſcuntur, & terminantur. *Quod ſi Ejuſmodi ſit Cauſa, quæ neceſſario extra Romanam Curiam ſit committenda, nemini prorſus ea committatur, niſi Metropolitanis, aut Epiſcopis a Beatiſſimo Papa eligendis. Hæc vero Commiſſio & ſpecialis ſit, & manu ipſius Sanctiſſimi Pontificis ſignata: nec unquam plus his tribuat, quam ut ſolam facti inſtructionem ſumant, proceſſumque conficiant, quem ſtatim ad Romanum Pontificem tranſmittant, reſervata Eidem Sanctiſſimo ſententia definitiva. Cætera alias ſub fel. rec.* Julio *III. ſuper his decreta, nec non Conſtitutio ſub Innocentio III. in Concilio Generali, quæ incipit* QUALITER, ET QUANDO &c., *quam Sancta Synodus in præſenti innovat, ab omnibus obſervetur. Minores vero Criminales Cauſæ Epiſcoporum in Concilio tantum Provinciali cognoſcantur, & terminentur, vel a deputandis per Concilium Provinciale &c.* Quod ad Cauſas Civiles ſpectat, jam conſuetudo Locorum obſervatur. Metropolitanus nullam ferme amplius immediatam habet in Diæceſanos Suffraganeo-

ganeorum ſuorum juriſdictionem; nec in Eorum Diæceſes, niſi in ſupplenda Prælatorum negligentia, emendandoque defectu, ſuper quibus inquirere poterit pro informatione. Propterea liceret Metropolitano *per totam Provinciam, vel Ejus partem, Viſitationis officium exercere, Civitates, & Diæceſes, Suffraganeos ſuos, & Eorum Subditos, Cathedralium, & aliarum Eccleſiarum Capitula, & Monaſteria, Eccleſias, & alia Religioſa, & pia Loca, Clericos, & populos libere viſitando, ac procurationes a locis tantum recipere viſitatis.* Synodus vero Tridentina limitat, *ne viſitentur Cathedrales Eccleſiæ, neque Diæceſes ſuorum Comprovincialium, niſi cauſa cognita in Concilio Provinciali, & probata.* Quæ Concilia Provincialia, quamvis quolibet Triennio celebranda forent, cum vix hodie ſperari poſſent ad hunc finem, quæcunque Metropolitani Viſitatio ſperari vix amplius poterit eo magis, quod *nulli Epiſcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet conſuetudinis ad Metropolitanam Eccleſiam impoſterum accedere inviti compellantur.*

c. 1. §. 2. de Cenſib. in 6.

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 3. de Reformat.*

c. 2. eod.

Manet tamen inconcuſſa ad Metropolitanum appellationis via: manet ſuus recurſus contra exceſſus Ordinarii: manet antiqua poteſtas negligentiæ Suffraganeorum ſupplendæ. Hinc conſtituit Metropolitanus Lectorem Sacræ Scripturæ, aut Theologiæ, quem Ordinarius conſtituere neglexit. Epiſcopos abſentes corrigit, aut denunciat Romano Pontifici. Legitimas Epiſcoporum abſentias examinat, probat, aut rejicit. Corrigit Epiſcopos negligentes in erigendo, conſervandoque Seminario. Eligit Vicarium Capitularem, ubi Capitulum Sede Vacante neglexerit. Poteſt Synodum Provincialem quolibet Triennio cogere. In quibus tamen diſcedendum non eſt a probatis uſibus, ſeu privatis Locorum juribus, ac conſuetudinibus antiquis. Avertat Deus, quod ipſe corripiendus ſit, qui alios in Domino corripit. Metropolitani negligentiam ſupplet Senior, aut Vicinior Epiſcopus, Synodus Provincialis, Nuntius Apoſtolicus, & ante omnes ipſe Romanus Pontifex. Hic enim ſupra omnes conſtitutus eſt, & Ipſi omnes in Domino ſubſunt Catholici Epiſcopi.

Seſſ. V. 1546. *c. 1. de Reformat.*
Seſſ. VI. 1547. *c. 1. de Reformat.*
Seſſ. XXIII. 1563. *c. 1. de Reformat. c. 18. eod.*
Seſſ. XXIV. 1563. *c. 16. de Reformat. c. 2. eod.*

Digitized by Google

DE ARCHIEPISCOPIS, ET EXARCHIS DE PRIMATIBUS, ET PATRIARCHIS

TITULUS XVIII.

Cum nullus Archiepiſcopus, Exarchus, Primas, & Patriarcha non ſit etiam tum Epiſcopus, tum Metropolitanus, omnia ea, quæ de Epiſcopo, & Metropolitano diximus, de illis quoque in hoc ſenſu dicta ſunto. Archiepiſcopus ſignificat Primus Epiſcopus, quemadmodum Archipresbyter ſonat Primus Presbyter, & Archidiaconus ſonat Primus Diaconus. Juxta Canones Arabicos Magna Synodus an. 325. meminit hujus vocis ARCHIEPISCOPUS. Primus videtur hoc nomine uſus fuiſſe Alexandrinus Epiſcopus, qui reliquos Epiſcopos ſe præcedere ſcivit. Inter primos Epiphanius Alexandrum, & Prædeceſſorem Petrum Martyrem, Alexandriæ Epiſcopos, vocavit Archiepiſcopos. Marcus Diaconus in Vita Beati Porphyrii Cæſareenſis Chryſoſtomum non raro Archiepiſcopum appellat. Quod nomen in Africa novum Synodus Carthaginenſis an. 397. proſcripſit, tanquam vanum, & ſeculare; ita ut *primæ Sedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid hujuſmodi, ſed tantum primæ Sedis Epiſcopus*. Tandem Epheſina Oecumenica Synodus an. 431. hanc Archiepiſcopi appellationem primariis totius Orbis Epiſcopis tribuit, nec minus Cœleſtino P., quam Cyrillo, & aliis. Iſidorus diſtinguit inter Metropolitanum, & Archiepiſcopum, quia *Archiepiſcopus Græco dicitur vocabulo, quod ſit Summus Epiſcoporum: tenet enim vicem Apoſtolicam, & præſidet tam Metropolitanis, quam cæteris Epiſcopis. Metropolitani autem a menſura Civitatum vocantur: ſingulis enim Provinciis præeminent, quorum auctoritati, & doctrinæ cæteri Sacerdotes ſubjecti ſunt, ſine quibus nihil reliquos agere licet Epiſcopos. Sollicitudo enim totius Provinciæ ipſis commiſſa eſt*. Ex Oriente migravit ſpecioſus Titulus in Occidentem. Beda Seculi Octavi Scriptor Auguſtinum Angliæ Apoſtolum, & Ejus Succeſſorem Laurentium vocat Archiepiſcopos. Bonifacius Moguntienſis, Germaniæ Apoſtolus ſe ipſum vocat Archiepiſcopum. Hic a Gregorio II. in Germaniam, Ille a Gregorio M. in Angliam miſſi ſunt. Cæterum hoc nomen, Metropolitanis commune, aliquando plus honoris tribuit, aliquando minus auctoritatis.

[Margin notes: ARCHIEPISCOPI ETYMOLOGIA, ET ORIGO. — Tom. II. Concil. pag. 314. — cap. 26. — EXTENDITUR. — DIFFERT A METROPOLITANO. — Diſt. XXI. c. 1. — Hiſt. Angl. l. 1. c. 3. 4. 7. — Epiſt. VI.]

Exar-

Digitized by Google

Exarchi poſtea appellati ſunt in Oriente Metropolitani præcipuarum Civitatum, ex quibus integræ Provinciæ feliciter regebantur, vel Diœceſes: ita ut qui in Epheſina Synodo an. 431. Archiepiſcopi, in Conſtantinopolitana an. 381. Exarchi, tandem in Chalcedonenſi an. 451. quaſi promiſcua appellatione Patriarchæ vocarentur. In Oriente erant tres Exarchi maxima dignitate, & auctoritate conſpicui. Epheſino ſcilicet parebat Aſiana Diœceſis, Heracleenſi Thracia, Cæſareenſi Pontica: quorum juriſdictio ampliſſima deſiit naſcente Conſtantinopolitano Patriarchatu. Sub hujus tamen Juriſdictione eximiis fruebantur honoribus, & in Conciliis Oecumenicis poſt quinque Majores Patriarchas ſedebant. Contra inſurgentem CP. Epiſcopi potentiam creatus fuit ad fines Orientis, ſed ad Patriarchatum Occidentalem pertinens, Exarchus Theſſalonicenſis, qui *in Conciliis Oecumenicis Quarto, Quinto, Sexto primus poſt Patriarchas ſedit, & ſubſcripſit nonnunquam etiam ante Exarchum Cæſareæ Cappadociæ*. Leo Iſauricus Illyricum, Siciliam, & Calabriam a Patriarchatu Romano penitus avulſit, tranſtulitque ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, relicta Theſſalonicenſi Metropolitæ ſola Macedonia. Aſſulſit exigua ſpes priſtini ſplendoris rebus Latinorum in Bello Sacro proſpere ſuccedentibus; cito evanuit.

EXARCHORUM ORIGO.

ABSORTI A PATRIARCHA CP.

THESSALONICENSIS FATUM.

Thomaſſinus p. 1. l. 1. c. 18. n. 9.

Addere non pigebit, quod hoc fuerint inſigniti nomine ſupremi Imperatorum Orientis Duces. Gothis deletis Longobardi ſuccedunt in Italiam. Fama Gentis novæ concuſſus Imp. Juſtinus II. Longinum Exarchi titulo ornatum mittit anno 569., qui hoſtium impetum exciperet, atque Italiæ fines tueretur. Ravenna fuit Exarchi Sedes, a quo Roma, Neapolis, Beneventum, Spoletum minores Duces ſuos accipiebant. Luitprandus Rex anno 725. Ravennam capit, fugato Paulo Exarcho. Aiſtulphus Rex anno 752. Ravennam denuo capit, fugato ultimo Exarcho Eutychio. Hic Exarchorum Orientis in Italia finis, propter quos aliquantiſper viam reliquimus noſtram. Conſule Paulum Diaconum.

EXARCHI SECULARES IN ITALIA.

Reverſi offendimus Primates, ita dicti, quia Principes, aut Primi. Idem aliquando ſignificarunt Archiepiſcopus, Exarchus, Primas, Patriarcha, ii nempe, qui nulli ſubeſſent, aliis vero præeſſent Metropolitis. Apparuit hoc nomen in Concilio Taurinenſi an. 397., in quo *inter Epiſcopos Urbium Arelatenſis, & Viennenſis... definitum eſt, ut, qui ex iis comprobaverit ſuam Civitatem eſſe Metropolim, is totius Provinciæ honorem Primatus obtineat, & ipſe juxta præceptum Canonum, Ordinationum habeat poteſtatem*.

PRIMATUM ORIGO.

Digitized by Google

Africæ Mos. In Africa ii dicebantur Primates, qui in aliis regionibus Metropolitani dicebantur, ideſt primi in ſua Provincia inter Suffraganeos ſuos: vulgo Primates, ideſt primæ Sedis, aut primæ Cathedræ Epiſcopi. Hoc officium, ſive dignitas iſta non loco, ſed perſonæ affixa erat: cujus enim Epiſcoporum in quavis Provincia erat Ordinatio antiquior, is erat illico Primas, Ejuſque Eccleſia evadebat prima Sedes, ſeu prima Cathedra.

Africana Diæcesis. Africana Diæceſis ſex numerabat Provincias, Proconſularem, Byzacenam, Tripolitanam, Numidiam, Mauritaniam Cæſarienſem, & aliam Mauritaniam Tingitanam. *Solius Carthaginis ſplendor id obtinuerat, ut illius Civitatis Epiſcopus, Primas eſſet Proconſularis Provinciæ, imo vero & Caput reliquarum quinque Provinciarum.* Quamobrem ſingulari privilegio, prouti legitur in Synodo Carthaginenſi an. 397., *fuit ſemper hæc licentia huic Sedi, unde vellet, & de cujus nomine fuiſſet conventus, pro deſiderio cujuſque Eccleſiæ ordinare Epiſcopum.* Præterea cunctarum Africæ Eccleſiarum ſolicitudinem ſuſtinebat, Concilium convocabat, ad illum provocabatur a Metropolitanis, ad illum omnes majores cauſæ ſpectabant, Oecumenicis Conciliis interveniebat, ſingulari quodam privilegio ſupra cæteros Epiſcopos habebatur inter Succeſſores Apoſtolorum, quia Roma ab initio fidem ſuam hauſit Africa. Vandali everterunt Africam univerſam, Juſtinianus reſtituit. Saraceni uſque in hanc diem penitus deleverunt. Hic magni Carthaginenſis Primatis luctuoſus interitus.

Marca Concord. Sacerd. & Imp. ad Calcem *Diſſert. de Primat. n. 3.*

Sedes Carthaginensis. *can. 45.*

Vicarii Apostolici in Occidente. Exemplo Theſſalonicenſis, qui in Oriente munus Vicarii Apoſtolici obivit, alii multi in Occidente conſtituti ſunt Primates, qui idem munus fideliter obirent ad propagandam fidem in Gallia, Anglia, Hiſpania, Germania, aliiſque remotioribus regionibus. Italia ope alterius non indiguit præſente Summo Pontifice, qui ſupremus Religionis Vindex, & Servator exiſtit.

Thomaſſinus *p. 1. l. 1. c. 30. & ſeqq.*

Primates Hispaniæ. Nos ſi per ætates, & provincias diſcurramus, invenimus in Hiſpania Hiſpalenſem Primatem autore Simplicio P. circa annum 482., Tarraconenſem autore Hormiſda P. circa annum 516., Toletanum autore Leone P. circa annum 681., Qui aliquando ſuo loco ceciderunt. Paulo poſt irruentibus Saracenis in Hiſpaniam univerſam, tota Primatis dignitas jacuit.

Primates Galliæ. In Gallia invenimus Arelatenſem, Viennenſem, Rhemenſem, qui videntur defeciſſe deficiente Regia Clodovæi ſtirpe, tunc quando perturbata, atque inverſa ſunt omnia.

Bonifacius Moguntiensis. Zacharias P. miſit Bonifacium, qui lapſis ſuccurreret rebus. Is Moguntiæ Sedem fixit, Archiepiſcopus, & Primas, vel Apoſtolicus Vicarius per omnes Galliæ, Germaniæque Ecle-

cleſias. Adventante Bonifacio *Franci, ut Seniores dicunt, pluſquam per tempus octoaginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum habuerunt.* Accidit circa medium Octavum Seculum adventus Ejus. Hic Metropolitanos instituit, Pallio distributo: atque adeo Primates novi generis dixit Metropolitanos aliquos, qui nulli Primati obnoxii forent, ſed ſoli Romano Pontifici. Hujus ordinis fuiſſe videntur Rotomagenſis, Rhemenſis, ac Senonenſis.

Sed in Primatibus mira varietas, plures nomine tenus, re vix aliquis. Ipſe Bonifacius nonnullis videtur Primatem ad dies vitæ exercuiſſe, Succeſſoribus nullum Jus prorogaſſe: atque ita privilegium fuiſſe perſonæ, non Sedis, quemadmodum cum Auguſtino Anglo contigerat. Poſt obitum Bonifacii ſentiunt alii, *quamdiu rerum potita eſt ſtirps Caroli M., nullam Occidente toto veram, & germanam floruiſſe Primatiam, præter Bituricenſem. Cui ſi qua alia addenda foret, Cantuarienſis ratio potior eſſet.* A quo Carolus M. majorem natu filium Ludovicum P. Aquitaniæ Regno donavit, *Biturgium Civitas novi Regni caput eſſe cepit; ut quæ primæ Aquitaniæ hactenus Principatum habuiſſet, ac proinde novo Primatu, ſive Patriarchatu ſupra omnes Regni Aquitanici Epiſcopos auctus eſt Præſul Bituricenſis.* Extincto Aquitaniæ Regno Narbonenſis, & Burdigalenſis anſam arripuerunt excutiendi jugi Primatum Bituricenſium. Nullibi majores, & frequentiores duraverunt contentiones de Primatu, quam in Gallia: ubi hodie manſit Primas Lugdunenſis, cui Gregorius VII. an. 1079. confirmavit Primatiam ſuper quatuor Provincias in perpetuum. *Itaque* juxta doctiſſimum Præſulem Petrum de Marca *in Univerſum duo quædam aſſerere licet. Unum eſt, Primatus Lugdunenſis jus in ſola dirimendarum appellationum a judiciis Metropolitanorum juriſdictione verſari. Alterum eſt, jus idem Bituricenſi, Burdigalenſi, Narbonenſi, Viennenſi, licet ſe Primates indigitent, extra Provincias ſuas non competere, imo vero nec ulli alteri Primati in Europa.* In Anglia redit celebris controverſia de Primatu Cantuarienſi, & Eboracenſi. Uterque ſuam originem a Gregorio M. ducit. Cauſa in Concilio Angliæ anno 1072. præſide Alexandri II. Legato adjudicata fuit Lanfranco Cantuarienſi, paulo poſt reſtaurata, aliquando compoſita, nunquam ſatis terminata. Certe ex actis Thomæ Volſeii ſub Henrico VIII. liquet, quod Archiepiſcopi Eboracenſes ſemper ſe ſcripſerint Angliæ Primates. Hodie vero cum Angli non ſint noſtræ communionis, quamvis Eos facile præterire poſſimus, obſervabimus ex Baudrando, quod Archiepiſcopus Cantuarienſis ſit Angliæ Primas, qui Regem

PRIMATUM GENUS DIVERSUM.

BITURICENSIS.

LUGDUNENSIS.

l. 6. epiſt. 34. 35.

Diſſert. de Primat. n. 122.

CANTUARIENSIS.

con-

conſecrat, Suffraganeis ſuis Coadjutores mittit, juribus vacantium Sedium fruitur, Suffraganeos numerat viginti tres. Alexander IV. an. 1255. Primatiam Hiberniæ adjudicavit Armachano, cum de Ea inter Armachanum, & Toannenſem controverſia excita eſſet. Nihil ad Nos amplius. Urbanus II. an. 1092. Lundenſem Epiſcopum conſtituit Primatem Sueciæ, Daniæ, ac Norvegiæ, quæ Regna Hamburgenſi Archiepiſcopo avulſa ſunt, a quo fidem ſuſceperunt. Sed omnes iſtæ Provinciæ miſere a nobis defecerunt.

ARMACHANUS.

LUNDENSIS.

Atque ut finem faciamus de Primatibus, nullam ſpecialem de Juribus Eorum mentionem facit Tridentina Synodus. Sed & hodie Primas Italiæ quoque dici poteſt Romanus Pontifex, qui univerſis & ſingulis in Hierarchia Eccleſiaſtica Dignitatibus, gradibus, juribus, prærogativis, præeminentiis Unus gaudet, excepta Univerſalis Epiſcopi denominatione, quæ in Hierarchia Eccleſiaſtica non obtinet locum. Extat quidem Piſanus, quem Urbanus II. an. 1092. fecit Archiepiſcopum, & Legatum in Sardinia, Primatem vero Alexander III. an. 1167. in Provinciis hujus Inſulæ Turritana, Calaritana, & Arborenſi. Primas Sardiniæ, qui caret omni juriſdictione. Manet hodie Galliarum Primas Lugdunenſis. Toletanus, & Bracarenſis *nullum Jus in Provincias ſibi arrogant, præter nudam procedendi pompam cum antelatione Crucis*. Germaniæ Primas, & Legatus Natus Salisburgenſis, poſtquam Magdeburgenſis in pace Oſnabrugenſi anno 1648. ſecularizatus fuit. Archiepiſcopus Pragenſis ſe Legatum Natum, & Primatem Regni Bohemiæ vocat. Hungariæ Primas, & Legatus Natus Strigonienſis. Forte Sylveſtri II. illud Primatiæ privilegium fuit, ab Innocentio III., ſive a Gregorio IX. confirmatum. Contendit aliquando Colocſenſis, nunquam evicit jus Coronandi Regis. Eſt in Polonia Gneſnenſis Primas, & Legatus Natus. Originem deſumunt aliqui ab anno 999., quando idem Sylveſter II. poſtulante Ottone III. Imp. Gneſnenſem Archiepiſcopum, & Primatem nominavit. Certe Gneſnenſis an. 1207. Innocentii III. patrocinio uſus eſt contra Polonorum Ducem Leſchum, nuncupatum Album. Hæc Primatum ſeries. Plurimi nomine, pauci Officio, quod ad Succeſſores tranſmiſerunt. Finis in erigendo Primate vel ad tempus, vel in perpetuum, imprimis Chriſtiana Fides, & Commune Nationis univerſæ bonum. Plerumque Principes, & Populi petierunt Primatem, quem ſemper miſit Apoſtolica Sedes. Ad hanc Sedem ſpectat regimen, unde vera Religio exivit. Hic eſt ſingularis Petri Primatus, quem elegit Chriſtus inter Apoſtolos ſuos Primum.

ROMANUS PONTIFEX.

Diſt. XCIX. c. 4. & 5. De Marca *ſupra num.* 25.

PRIMAS SARDINIÆ PISANUS. LUGDUNENSIS. TOLETANUS. BRACARENSIS.

SALISBURGENSIS.

PRAGENSIS.

STRIGONIENSIS.

GNESNENSIS.

CUR SINT ERECTI PRIMATES, ET A QUO?

Pa-

Digitized by Google

Patriarcha Græca lingua Summus Patrum interpretatur, quia primum, ideſt Apoſtolicum retinet locum; & ideo, quia ſummo honore fungitur, tali nomine cenſetur, ſicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus. Romana quidem Metropolis totius Occidentis caput, Antiochena Orientalis Imperii, Alexandrina Meridionalis Imperii. Quia vero Præfectura Alexandrina, vel Auguſtalis ab ipſo Auguſto dicta, ſingularibus, magnificentiſſimiſque privilegiis nobilitata fuit, ita ut ſex Provinciis Ægypti, totique Ægypto jus diceret: ob eandem rationem, quia poſt Auguſtalem Præfecturam recenſebatur Syriæ Præfectura, cujus Metropolis Antiochia fuit; ideo Alexandrinus Antiocheno præceſſiſſe videtur. Multa ratio pro tribus his Patriarchalibus Sedibus potuit eſſe, quod ſingulas fundaverat Beatus Petrus. Antiochiæ ſedit, Alexandriæ Marcum præfecit, Romæ ſanguinem fudit, quæ poſtrema tempore, prima honoris Sedes eſt, & erit. Conſule Binghamum ſalvo Romanæ Eccleſiæ jure, ut infra.

Diſt. XXI. *c.* I.

PATRIARCHARUM ORIGO, ET ORDO.

ROMANUS.

ALEXANDRINUS.

ANTIOCHENUS.

l. 2. *pag.* 232.

Illud autem permagna Dei providentia factum eſt, ut præter Eccleſiæ Unitatem, cujus fundamentum eſt Patriarcharum Concordia, Unanimis Eorum conſenſus de Doctrina Orthodoxa firmiſſimum ſemper fuerit præſidium Sanctiſſimæ Fidei noſtræ in univerſali Eccleſia. Ad firmandam hujus immaculatæ Fidei unionem, Patriarchæ imprimis poſt Ordinationem ſuam mittebant ſibi invicem conſuetas inviolandæ Communionis Literas: imo ſua Nomina mutuo ordine recitabant in ſolitis Sacris Diptychis, quamdiu uno, atque eodem ſtringebantur vinculo Fidei, & Communionis Catholicæ. Graviſſimis Eccleſiæ negotiis finem imponebat conſenſus Primarum Sedium, præſertim in Oecumenicis Conciliis, quibus ſaltem per ſuos Legatos intereſſe debebant. Videtur Hieroſolymitanus ob ſanctitatem Loci, & peregrinantium frequentiam in Concilio Chalcedonenſi an. 451. Quartus inauguratus fuiſſe Patriarcha, qui primum Cæſareenſi Metropolitano ſuberat. Jura Patriarcharum non aliter intelligenda veniunt, niſi ſalva ſemper Sanctæ Romanæ Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritate ſupra reliquos omnes Patriarchas. Unde falſo aſſerit Binghamus, quod reliqui Patriarchæ a Romano Pontifice non dependerent juxta primævam Inſtitutionem ſuam. Nam inſequutis temporibus Concilia, atque Imperatores multa de Eorum inſtitutis non tam immutarunt, quam quod cum ipſa Eccleſia natus ſit Primatus Petri, & Succeſſorum ſuorum. De Metropolitis ſuis judicabant Patriarchæ. A judicio Metropolitanorum fas erat Epiſcopis ad Patriarcham appellare, ſalva appellatione ad Majorem Sedem, quæ fuit, & erit ſemper Romana. Oecumenici Patriar-

UNITAS ECCLESIÆ PATRIARCHARUM CONCORDIA.

HIEROSOLYMITANUS.

JURA PATRIARCHARUM.

triar-

Digitized by Google

triarchæ nomen forte ſinguli aliquando uſurparunt. Celebris fuit controverſia inter Pelagium II., & Gregorium M. ex una, nec non Joannem Jejunatorem Patriarcham Conſtantinopolitanum ex alia parte de nomine Oecumenici Patriarchæ non tantum, quantum de ſuprema poteſtate, quam Conſtantinopolitanus immerito ſibi arrogare intendebat. Verum quoniam ea auctoritate in Patriarchas omnes Unus pleno jure, ac ſine controverſia ulteriori uſus eſt Romanus Pontifex, hinc rite dici poſſet, Ei Uni Oecumenici Patriarchæ nomen tribui quodammodo, qui ſe exemplo ejuſdem Gregorii M. ſervum ſervorum Dei appellat. Convocabant Patriarchæ in ſua Ditione Univerſalia quædam Concilia, ubi & de Cauſis majoribus ageretur, & Statuta, atque Leges conderentur, ſalva Sedis Apoſtolicæ approbatione. Exempla numerum vix habent.

Quis Patriarcha Oecumenicus?

Constantinopolitanus.

De Conſtantinopolitani Patriarchatus Inſtitutione eruditam edidit Diſſertationem Petrus de Marca, qui hæc ab initio refert. *Igitur aſſero conſtanter de conſilii mei ſententia Jus* Πατριαρχικὸν *Epiſcopo Conſtantinopolitano attributum fuiſſe in Synodo Chalcedonenſi, honorem ſolum in Synodo Conſtantinopolitana: ita ut ſpeciem Patriarchatus obtinuerit in Secunda Synodo, vim autem, & effectum in Quarta.* Byzantii, quæ a Conſtantino nova Imperii Sedes, & nova Roma dicta fuit, ſed poſt Ejus mortem ab ipſo nomine Conſtantinopolis, ſeu Conſtantini Civitas, Bizantii, inquam, Epiſcopus ab incunabulis ſuis fuit Suffraganeus Heracleenſis in Thracia Metropolitani. Hic urgente Juſtiniano Imp. ſuam autoritatem ſatis potuit firmare. Quidquid ſit de antiquis controverſiis, Innocentius III. in Concilio Lateranenſi anno 1215. ſancivit, *ut poſt Romanam Eccleſiam (quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater Univerſorum Chriſti Fidelium, & Magiſtra) Conſtantinopolitana Primum, Alexandrina Secundum, Antiochena Tertium, Hieroſolymitana Quartum locum obtineat*. Idem Concilium Generale his Patriarchis confirmat antiqua privilegia geſtandi, & diſpenſandi Pallii, Crucis Dominicæ ante ſe deferendæ, Appellationum in Provinciis ſubjectis recipiendarum, *ſalvis Appellationibus ad Sedem Apoſtolicam interpoſitis, quibus eſt ab omnibus humiliter deferendum*.

An. 451.

An. 381.

c. 23. de Privileg. & Exceſſ. Privilegiat.

Novus Ordo.

Privilegia.

Patriarchæ Latini.

Cœterum amiſſo Oriente manent hodie Latini Patriarchæ, tanquam Epiſcopi in partibus Infidelium, cum honore quidem Sedis, ſed abſque juriſdictione, qui extra ſuas Diæceſes vagari coguntur. Ii autem, qui nobiſcum non communicant, apud Thomaſſinum quoque leguntur. *Sedem nunc habet Patriarcha Græcus Alexandrinus apud Cayrum, Antiochenus*

p. 1. l. 1. c. 17. n. 8.

nus Damaſci, *Hieroſolymæ Hieroſolymitanus*. Horum juriſdictio multum labefactata eſt ab aliis, qui ſe Patriarchas vocant, & ab illis deſciverunt, *quemadmodum illi a Capite Eccleſiæ*, *& ab Unitatis Eccleſiaſticæ centro deſciverant*. Habent Ruſſi ſuum Patriarcham, qui non amplius a Conſtantinopolitano dependet, Schiſmaticus uterque. Eligitur a Clero inter Monachos Baſilianos, qui ſoli tolerantur in Moſcovia. Confirmatur ab Imperatore ſuo per traditionem Baculi Paſtoralis. Moſchæ reſidet. Metropolitanis quatuor, Archiepiſcopis ſeptem, Epiſcopis duobus, Abbatibus pluribus præeſt. Refert Baudrandus. Habent Schiſmatici Ditionis Auſtriacæ ſuum ſingularem Patriarcham, qui Albæ Græcæ in Servia reſidet ſatis potens, ſparſis hinc inde Metropolitis ſuis. Habent Cophti, Syrii, Melchitæ, Jacobitæ in Oriente ſuos Patriarchas, qui cum reliquis Schiſmaticis non communicant, quodcunque tandem inter has hominum ſpecies diſcrimen inveniatur. Singuli vero non verentur ſe antiquæ fidei homines prædicare, Germanico vocabulo *Altglaübig*, qui primi antiquam fidem vel non agnoverunt, vel dereliquerunt. *Quanquam autem alienati prorſus videri poſſint a Pontifice Romano Patriarchæ iſti omnes*, *certo tamen conſtat*, *ab Eodem non procul ſæpe abfuiſſe*, *& abeſſe etiamnunc Eos*, *& niſi optatiſſimam hanc concordiam excluderet impotens Turcici Imperatoris Dominatio*, *brevi eam coalituram eſſe*, *pacemque ſæpe hactenus tentatam ad optatos exitus perventuram*. Sic facile ſibi blanditur Thomaſſinus. Sic meus non fert timor. Summa difficultas eſt, quod pauciſſimi Eorum literis incumbunt, & convinci nolunt. Noctuis pejores lucem oderunt, tenebras amant. Sunt alii quoque in Oriente Minores Patriarchæ, quorum alii Catholici eſſe volunt, & in noſtra Communione vivunt, quales ſunt Maronita, & Armenus.

SCHISMATICI.

RUSSUS.

BELGRADIENSIS.

MULTIPLEX SCHISMA IN ORIENTE.

QUANTA SPES DELENDI SCHISMATIS?

ſupra n. 9.

MARONITA, ET ARMENUS.

Redeamus in Occidentem, ubi minores Patriarchæ Catholici exiſtunt. Primus Aquilejenſis, cui ortum dedit poſt annum 553. Schiſma ex celebri trium Capitulorum Damnatione natum. Epiſcopi Longobardis ſubjecti adhæſerunt Schiſmati, quorum Metropolitanum Longobardi Principes Patriarcham dixerunt, ne ab alio extra ſuas Ditiones dependerent Eccleſiæ ſuæ. Narrat Paulus Diaconus in Hiſtoria ſuæ Gentis, quod Paulinus Patriarcha *Longobardorum barbariem metuens ex Aquileja ad Gradi inſulam confugit*, *ſecumque omnem Eccleſiæ ſuæ Theſaurum deportavit*. Severus Patriarcha, ſecundus Paulini Succeſſor cum tribus Epiſcopis Ravennam abductus eſt, ubi Exarchus Smaragdus illos coegit Schiſma abjurare. Quamvis ab initio nulla fuerit coacta hæc abjuratio, paulo poſt

AQUILEJENSIS.

l. 2. c. 8.

vix non omnes Schiſma, & Patriarcham ſponte deſeruerunt. Patriarcha enim Aquilejenſis a Longobardis ad ſuam priſtinam Sedem revocatus in ſuo Schiſmate permanſit. Tum vero creatus eſt Gradi primum Epiſcopus, inde Patriarcha, cui morem gererent Epiſcopi, tum qui a Schiſmate reſipuerant, tum qui nunquam a Communione deflexerant Romana, tum denique qui ſuberant Romanis Imperatoribus, a quibus recepta interim Gradus, & aliæ devictæ Civitates erant. Hæc cauſa fuit dividendi Patriarchatus únius in duos. Ita hæc Provincia ſub Patriarchatus nomine bipartita fuit, Longobardis Schiſmaticum, Imperatoribus, & Pontificibus Romanis Catholicum Patriarcham tuitione ſua foventibus. Reſiliit tandem a Schiſmate Aquilejenſis, Sede ſua in Oppidum Cormans, deinde ad Forum Julii translata, Quod demum ſub Rege Luitprando contigit, ut Auctor eſt Paulus Diaconus.

GRADENSIS.

AQUILEJENSIS UTINI JAM RESIDET.

Hodie Aquilejenſis ſedet Utini, quem Veneti nominant, quia Utinum Venetæ Ditionis eſt: ne, ſi Aquilejæ reſideret, quæ Ditionis Auſtriacæ eſt, ab Auſtriacis quoque nominaretur Patriarcha. Hoc ne unquam fiat, vivus ſibi hactenus nominat Coadjutorem.

SUFFRAGANEUS. TRIDENTINUS. *l.* 1. *t.* 15. *n.* 13.

Præ reliquis Suffraganeum ab antiquo ſervat Tridentinum Epiſcopum: errantque plures, & ipſe Vitriarius in ſuis Inſtitutionibus Juris Publici, qui nobis Salisburgenſem affingunt Metropolitanum, forte quia Brixinenſis illuc pertinet. Hos inter corrigendus iccirco Sprengerus in ſuis Inſtitutionibus Juris Publici, Beckers in Synopſi ſui Juris Publici, & auctor Libelli gallice inſcripti METHODE DE LA GEOGRAPHIE, qui Tridentinum falſo aſſerunt eſſe Suffraganeum Salisburgenſem. Singulare eſt, quod in quadam Bulla Alexandri VII. ſcripta III. Idus Novembris A. S. MDCLXV. ad Cardinalem Erneſtum Adalbertum ab Harrach Archiepiſcopum Pragenſem, cujus Poſtulatio ad Eccleſiam Tridentinam admittebatur, legantur hæc verba: SANE ECCLESIA TRIDENTINA SEDI APOSTOLICÆ IMMEDIATE SUBJECTA &c. Quid futurum ſit, ignoramus.

l. 3. *c.* 10.

l. 3. *c.* 3.

Gradum Urbem Aquilejenſes ab Attila fugati condiderunt, ubi diu Aquilejenſis Patriarcha habitavit. Aquileja reædificata, & Aquilejenſi Patriarcha ad ſuos lares redeunte, ut vidimus, Gradenſes proprium ſibi elegerunt Patriarcham, cujus Sedes vel ob aeris inclementiam, vel ob repertas Venetiis reliquias D. Marci translata fuit Venetias: ſuppreſſoque Gradenſis nomine Primus Venetiarum Patriarcha ab Eugenio IV. creatus eſt anno 1441. D. Laurentius Juſtinianus, ſive juxta alios a Nicolao V. paulo poſt. Et hunc nominant Veneti.

GRADENSIS VENETIAS TRANSLATUS.

Ni-

Digitized by Google

Nicolaus I. conceſſit olim Bulgaris Patriarcham, quem Innocentius III. confirmavit, ut Latinis faveret, qui Conſtantinopolin poſſidebant. Evanuit; niſi Schiſmaticus Ille Patriarcha, quem Albæ Græcæ ſedentem notavimus, ſe Bulgarorum Patriarchis ſuccedere præſumat. Paulus III. Indiarum, ſeu novi Mundi Patriarcham creavit. Recenſitus fuit aliquando hujus Ordinis Patriarcha Æthiopiæ. Poſtremum flagitante moderno Rege Ulyſſipponenſem Occidentalem Patriarcham dixit Innocentius XIII. BULGARUS. INDUS. ÆTHIOPS. ULYSSIPPONENSIS.

Hæc Patriarcharum ſeries. Plures nomine, vix aliquis exercitio ſupereſt, aut nullus, excepto Summo Pontifice, qui ſuo ſplendore reliquos quaſi obſcurat: inde autem ſuam lucem majori ex parte mutuarunt reliqui. Finis inſtituendorum Patriarcharum, vel moderandæ hujus poteſtatis, aut neceſſitas, aut utilitas permagna Eccleſiæ. Plerumque Principes, & populi petierunt Patriarcham, quem tandem confirmavit Apoſtolica Sedes. Hæc de Patriarchis ſæpe judicavit, quorum nonnulli, præſertim Conſtantinopolitanus, in hæreſin, & in ſchiſma turpiter lapſi ſunt. Romanæ Eccleſiæ fides maculam habuit nunquam, quæ Prima Sedes eſt. Hic eſt ſingularis Petri Primatus, quem elegit Chriſtus inter Apoſtolos ſuos Primum. SUPREMA R. E. POTESTAS.

DE PALLIO

TITULUS XIX.

ISidorus Peluſiota ineuntis Seculi Quinti Scriptor refert, quod *Epiſcopi Pallium* Ὠμοφόριον *ex lana, non ex lino contextum, ovis illius, quam Dominus aberrantem quæſivit, inventamque humeris ſuis ſuſtulit, pellem ſignificat. Epiſcopus enim; qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque etiam ipſo habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius, ac Magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* Forma hujus Veſtis, quaſi Caſula ſine manicis undequaque patens, a collo uſque ad talos. Forte & hæc veſtis olim tam Epiſcopis, quam Presbyteris fuit communis, niſi quod iſtorum ſimpliciſſima, illorum magis ornata, & culta. Origo Ejus in Oriente antiquiſſima, nec ab initio ſtatim diſcrimen aliud inter Metropolitanos, & Comprovinciales Epiſcopos, niſi pulchrius forte, ac pretioſius debuerit eſſe Pallium Metropolitanorum. Et illud non ſatis certum eſt, an in omnibus, an in aliquibus tantum officiis Pallio uſi ſint antiquiores Græci Epiſcopi: incertum, an Patriarchæ Orientis mitterent communiter Pallia Metropolitanis, quemadmodum Epiſcopi in VETUSTISSIMA PALLII FORMA. ORIGO IN ORIENTE.

M 2 Con-

Digitized by Google

Conſecratione accipiebant Pallia forte etiam a ſuis Metropolitanis. Illud certum eſt, hanc quoque piam conſuetudinem in Oriente natam eſſe. Legitur apud Liberatum Archidiaconum Carthaginenſem, acerrimum illum defenſorem trium Capitulorum, quia *Conſuetudo fuit Alexandriæ, illum qui defuncto ſuccedit, excubias ſuper Defuncti Corpus agere, manumque dextram Ejus capiti ſuo imponere, & ſepulto manibus ſuis, accipere collo ſuo Beati Marci Pallium; & tunc legitime ſedere*. Videtur itaque Pallium quaſi ſignum inveſtituræ, ſeu poſſeſſionis in Ejus traditione fuiſſe, quemadmodum Ejus avulſio ſignum exauthorationis erat. Sic de Paulo Alexandrino tradit idem Liberatus in ſuo Breviario: *Et auferentes Paulo Pallium, depoſuerunt Eum, & ordinaverunt pro Illo Zoilcum*.

ALEXANDRIÆ MOS VETUS.

FORMA IMMUTATA.

Sed jam circa Seculum Octavum mutaverat formam iſtud Pallium, prout teſtatur Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus: *Habet autem & Cruces, quia Chriſtus ſuper humeros ipſe quoque geſtavit Crucem*. Imo jam pridem in Occidente ſub Gregorio M. effigies nova. Pallii uſus migraverat in Occidentem vix ante finem Seculi Quinti. Teſtatur enim Vigilius poſt annum 540. ſe Pallium concedere Auxanio Arelatenſi, quod Symmachus poſt annum 498. forte conceſſerat Cæſario Arelatenſi, ita tamen ut Auxanius uſum Pallii differat, donec certiorem faciat Juſtinianum Imp. Vigilius, non neceſſitate inductus, ſed obſequio, & amicitia motus. Poſthac multa exempla citat poſt alios Gratianus. Jam tum Summi Pontifices ſtudioſis, & benemeritis Viris Epiſcopis poſt multas aliquando preces tum ipſorum, tum principum, ſingularem Pallii honorem diſtribuerunt, donec ſingulis ad honorabile ſervitium Metropolitanis Pallium iſtud commune, & neceſſarium ſit adeo factum, ut infra tres Menſes fidem ſuam exponere, & a Romana Eccleſia Pallium ſuum, nonniſi inter Miſſarum ſolemnia utendum, exigentibus cauſarum meritis, fortiter poſtulare quiſque Metropolitanus teneretur.

Joan. Diac. *in Vita. l. 4. c. 81. & 84.*
ORIGO IN OCCIDENTE.
Epiſt. VI.

Diſt. C.

Illud quoque certum eſt, quod Gregorius M. miſerit Pallium præſertim Metropolitanis ſuæ Ditionis, tamquam Patriarcha, non Latinis tantum, ſed Græcis primæ Juſtinianæ, Corinthi, Nicopolis. Ita pariter videtur ſingulare hoc ornamentum a reliquis Patriarchis miſſum poſtea fuiſſe Metropolitanis ſuis, prope jam diſtinctum ab illa primitiva oblonga caſula. Gregorii ævo quæ fuit hujus veſtis forma, ſic depingit Joannes Diaconus: *Pallium Ejus byſſo candente contextum, nullis acubus perforatum, ſic ipſum circa ſcapulas devolutum, non autem confixum, ſicut vetuſtiſſimis muſivis, vel picturis oſtenditur*. Nec jam hæc fuit quotidiana

FORMA PALLII ÆVO GREGORII M.

Veſtis,

Digitized by Google

Veſtis, cum idem Summus Pontifex Joanni Ravennatenſi vitio vertat, quod præter morem, etiam extra Eccleſiam, publicis Litaniarum proceſſionibus Pallium ſuum circumferret: hoc autem nulli amplius in Oriente Metropolitani facerent, *qui ſub ſe etiam tricenos, vel quadragenos Epiſcopos habent*. Argumentum manifeſtum, quod Pallium jam erat ſingulare Metropolitanorum ornamentum, non amplius omnibus Epiſcopis commune, quamvis olim nec omnibus, nec ſolis Metropolitanis conceſſum. Sic Pallium a Gregorio M. recepit Auguſtinus Anglus, Leander Hiſpalenſis, Donus Meſſanenſis, Syagrius Auguſtodunenſis, Epiſcopi Londinenſes, atque Eboracenſes, quin pro uſu Pallii aliquid dari, vel accipi licuiſſet.

l. 4. ep. 9. & 15.

Joan. Diac. *l. 3. c. 5. in Vita.*

De Jure Decretalium, & juxta hodiernum uſum ſolus Papa conferendi Pallii jus habet. Confertur autem Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis, ſeu Metropolitanis. Poſtquam ſub Innocentio III. Latini Conſtantinopolitanam Urbem, & Orientale Imperium ſuæ ſubjecere poteſtati, Statutum eſt in Concilio Lateranenſi anno 1215., ſub eodem Pontifice, ut deinceps Patriarchæ Orientales Pallio donarentur a Pontifice, eoque deinceps obnoxios ſibi Suffraganeos impertirent. Aliquando & aliis benemerentibus de Apoſtolica Sede Viris Epiſcopis extra ordinem, & ex ſpeciali privilegio indultum eſt perſonale Pallium. Sic forte ſuo Pallio uſus eſt Fridericus VVanga circa annum 1206., Septuageſimus Septimus, ut fertur, Epiſcopus Tridentinus, Othonis IV. Cancellarius, nec non Italiæ Vicarius. Sic forte ſuo Pallio uſus eſt Udalricus Frundsbergius circa annum 1486., Nonageſimus Octavus, ut fertur, Epiſcopus Tridentinus, ab Innocentio VIII. confirmatus, qui ſe Archiepiſcopum vocat ſolus. Quod factum Janus Pyrrhus Pincius Mantuanus De Vitis Pont. Trid. vel neſcivit, vel tacuit. Gentilottus vero ſupra ſic habet: *Extant quidem Epiſtolæ duæ, in quibus Udalricus de Frundsberg* ARCHIEPISCOPUM *ſe ipſe vocat, & ita ab alio vocatur. Sed non auſim hujuſmodi inſcriptionibus inniti*. Sic his diebus inſignitus fuit honore Pallii Joannes Erneſtus Comes ab Harrach, Nitrienſis Epiſcopus, jam Cæſareus in Curia Romana Pro-Miniſter, nuper pro Natione Germanica Sacræ Romanæ Rotæ Auditor, qui in utraque provincia æqualem adeptus eſt ſingularem laudem. Quod tamen privilegium perſonæ eſt, non loci, nec Succeſſoribus commune. Sunt aliæ Sedes, quarum Epiſcopi Pallio condecorati ſunt. Quod privilegium loci eſt, non ſolius perſonæ. Hi ſunt Oſtienſis, Papienſis, Lucenſis, Bambergenſis, & Patavienſis.

HODIE SOLUS PAPA CONFERT PALLIUM: ET QUIBUS?

Ughell. Italia Sacra *cum Notis, ſive* Gentillot. Collect. *ex MS. Biblioth. Cæſar. Vindobon.*

Errat

GASPARRI ERROR IN QUINQUE-ECCLES.

c. 15. de Præſumpt.

Errat poſt alios Gaſpartus in Quinque-Eccleſienſi, de quo ſcribit Innocentius III. *Cum in Juventute ſua Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus adeo maturum, honeſtum, & providum ſe exhibuerit, ut ab Eccleſia Romana meruerit Pallio decorari.* Contextus oſtendit privilegium fuiſſe perſonæ, non Eccleſiæ, cujus Succeſſores nulli forte participes facti ſunt. Quid plura? Cardinalis Alvarus Cienfuegos Montis Regalenſis in Sicilia Archiepiſcopus, & tandem ingruente Triennali Italico bello Quinque-Eccleſienſis Adminiſtrator, qui nondum in Hungariam venire potuit, emeritus Octoagenarius vir, noviſſime apud Clerum Hungariæ, Poſonii anno 1737. congregatum ſe inſinuavit, ut velit ſuam intentionem ſecundare ſuper petendo Pallio. Clerus unanimi conſenſu, Primas, Rex negaverunt, quod hoc Jus competat Quinque-Eccleſienſi. Quare novæ petitioni ſuperſedendum eſſe deliberaverunt. Conſulantur Manuſcripta in Conventu Cleri Acta.

c. 4. de Auctorit. & Uſu Pallii. PRIVILEGIUM SEDIS APOSTOLICÆ.

CASUS SINGULARIS. cap. 23.

Solus Romanus Pontifex in Miſſarum ſolemniis Pallio ſemper utitur, & ubique: quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per Pallium ſignificatur. Alii autem Eo nec ſemper, nec ubique, ſed in Eccleſia ſua, in qua juriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt, certis debent uti diebus; quoniam vocati ſunt in partem ſolicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Animadverſione dignum eſt, quod refert Rotgerus Monachus in Vita Sancti Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis, cui Pallium miſit Agapetus II. circa medium Decimum Seculum cum ſingulari, & inſolito privilegio, Eo utendi, *quoties vellet*. Hodie extra Diæceſin, abſque Ordinarii licentia, nec niſi diebus ſolemnioribus in Tabella Pontificalis Romani expreſſis, nemini licet Pallium geſtare.

c. 1. 5. 6. 7. de Auct. & Uſu Pallii.

RITUS.

Ritus legitur in eodem Pontificali Romano, & traditur Pallium intra Miſſarum ſolemnia. Juramentum Ejus, cui traditur Pallium, Forma Clementis VIII. eſt. Juramento præſtito Pontifex ſpecialiter a Sede Apoſtolica deputatus Pallium ſuper humeros Electi imponit per hæc Verba:

Pontif. Roman.

Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ ſemper Virginis, ac Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, D. N. Papæ N., & S. R. E., nec non Eccleſiæ N. tibi commiſſæ, tradimus tibi Pallium de corpore B. Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificialis Officii, cum Patriarchalis, vel *Archiepiſcopalis nominis appellatione, ut utaris Eo intra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis*. Terminantur Sacræ Cæremoniæ ſolemni benedictione, quam Electus novo indutus Pallio impertitur præſenti populo. *Et quia Pontificalis Officii plenitudo con-*

Digitized by Google

conſertur per Pallium, antequam obtinuerit quis Pallium, licet ſit Conſecratus, non ſortitur nomen Patriarchæ, Primatis, aut Archiepiſcopi; & non licet Ei Epiſcopos conſecrare; nec convocare Concilium; nec Chriſma conſicere; neque Eccleſias dedicare; nec Clericos ordinare, etiamſi Pallium in alia Eccleſia habuiſſet, cum oporteat petere novum Pallium... Neque ante habitum Pallium poteſt ante ſe Electus Crucem deferre... Et quia Pallium eſt perſonale, ideo accomodari non poteſt, neque in morte alicui relinqui; ſed Patriarcha, vel Archiepiſcopus cum eo ſepeliri debet. Qui pluribus Sedibus Archiepiſcopus præfuit, poſteriori Pallio induitur Ejus Cadaver, reliquis corpori, aut capiti ſubſtratis. Quemadmodum autem Pallii traditio ſignum eſt plenæ poteſtatis, ita ademptio, vel reſtitutio Ejus ſignum eſt, & fuit ſemper Exauthorationis, Depoſitionis, Abdicationis, ſeu Renunciationis.

NECESSITAS PALLII.

PALLIO INDUITUR CADAVER.

SI AUFERATUR, SIGNUM EXAUTHORATIONIS.

DE RELIQUO ORNATU EPISCOPI

TITULUS XX.

NOn unicum Ornamentum Metropolitani, ſive Archiepiſcopi fuit Pallium. Præferebatur Illis Crux. Jam ævo Chryſoſtomi poſt Quartum Seculum invaluerat uſus deferendæ Crucis in publicis ſupplicationibus. Imo vero obſervat Thomaſſinus: *Ut moris erat prodiri in occurſum hominum meritis, & dignitate eminentium, ita & præferri Cruces in uſu erat.* Narrat Anaſtaſius Bibliothecarius, quomodo Romani *laudum vocibus Francorum ſuſceperunt Regem; obviam illi Ejus Sanctitas dirigens venerandas Cruces, ideſt ſigna, ſicut mos eſt ad Exarchum, aut Patritium ſuſcipiendum, Eum cum ingenti honore ſuſcipi fecit.* Cultus Carolo M. dignus fuit. Narrat idem Anaſtaſius, quod Subdiaconus Romæ Summo Pontifici equitanti eam prægeſtaret auream Crucem, quæ a Carolo M. Leoni III. donata fuit. Quare ſenſim inductum eſt, ut Primatibus quoque, & Metropolitanis Sancta præferretur Crux, quæ pia Conſuetudo uſque ad Nos perduravit. Cujus rei infinita exempla ſuppeditat Eccleſiaſtica inprimis Hiſtoria. Sicut autem Pallio extra Diæceſin, aut Provinciam uti non licet abſque licentia Ordinarii, videtur nec alias utendum Cruce, quæ itidem coram Legato, Primate, aut Cardinale ob honorem majoris Dignitatis non debet geſtari a Metropolitano. Cæterum præferendæ Crucis Privilegium & hodie ſervat Apoſtolicus Hungariæ Rex.

ORIGO DEFERENDÆ CRUCIS.

p. 1. l. 2. c. 58. n. 6.

in Vita Adriani I. *an. 772. Edit. Rom. 1718. pag. 248.*

in Vita Leonis IV. *an. 847. pag. 366.*

In

Digitized by Google

Ignis in Oriente præferebatur. Ornamenta Patriarcharum.

In Oriente accenſæ Lampades, & thymiamata odoriſera Patriarchis præferebantur vel religioſo cultu, vel imitatione, & voluntate Imperatoris. Nec ſolum alia Patriarcharum inſignia ab Imperatoribus ſunt derivata, puta purpureos calceos veſtire, encauſto eodem ſubſcribere, acu pictas Divorum imagines albis capitum velaminibus aſſuere: quin in ipſos Imperatores antiqua ornamenta aliqua Eccleſiæ redundarunt, puta Polyſtaurium, quæ erat Tunica Crucibus intextis plena. Crux autem non præferebatur in Oriente.

Crux Pectoralis.

Inter Ornamenta ſingulis Epiſcopis communia Crux Pectoralis eſt, quæ ſorte a Græcis Ἐγκόλπιον dicebatur. Hujus mentionem propriam nullus Rituum Eccleſiaſticorum interpres facit, quantum ſcio. Silent Alcuinus, Amalarius, Strabo, & alii etiam recentiores. In Miſſa Illyrici, & in Miſſis, quas edidit Menardus, cum omnia indumenta Pontificalia numerentur, nihil tamen de Cruce: *ex quo ſit, ut hunc Ritum non admodum antiquum exiſtimem*. Conjicit Bona. Fideles quidem cujuſcunque gradus, ſexus, atque ætatis collo appenſam ferebant Crucem, aut Reliquias multi: quem piiſſimum uſum multo magis Epiſcopi cuſtodire debuerunt, ut memoria Sanctiſſimæ Paſſionis nunquam non ſit apud Illos. Innocentius III. nos docet, quod Romanus Pontifex præter alias ſuas Veſtes, *Crucem quandam inſertam catenulis a collo ſuſpenſam ſibi ſtatuit ante pectus*. Facilis conjectura, quod hic Ritus ſenſim in reliquos omnes Epiſcopos certa lege migraverit, exemplo Romani Pontificis. Sic in Anniverſario Tranſlationis Corporis Beatiſſimi Gregorii M. honorabantur oſculo Fidelium *Pallium Ejus, & Philacteria, & Baltheus*. Tranſlatio Romæ fuit. Philacteriorum nomine venit Crux Pectoralis Reliquiis referta, quam geſtari ſolitam fuiſſe innuit ipſe Gregorius M. ad Theodolindam Reginam Longobardorum, ubi ait: *Excellentiſſimo autem Filio noſtro Adulovvaldo Regi tranſmittere Philacteria curavimus, ideſt Crucem cum Ligno Sanctæ Crucis Domini, & Lectionem Sancti Evangelii theca Perſica incluſam*.

Rer. Liturgic. *l.* 1. *c.* 24. *n.* 10.

l. 1. *Myſt. Miſſ. c.* 53.

Joan. Diac. *l.* 4. *c.* 80. *in Vita*.

Pedum Paſtorale.

Antiquiſſimum tamen Epiſcopi inſigne eſt auctoritatis, ſolicitudinis, & correctionis Pedum Paſtorale, cujus in Ordine Romano, & jam in Concilio Toletano an. 633., deinde in Aquiſgranenſi an. 816. fit mentio. Quam humilis fuerit hæc Sacra Virga, oſtendit aureum Apoſtolici Viri dictum, aureos olim Epiſcopos ligneis Baculis uti ſolitos fuiſſe, nunc aureis uti Baculis Epiſcopos ligneos. Sanctus Burchardus Primus Epiſcopus Herbipolenſis an. 743. Epiſcopus vere aureus ligneo utebatur

cap. 28. *cap.* 9.

tur

tur Baculo. *Hinc prona eſt conjectura*, ait Thomaſſinus, *Ejuſmodi Baculos, ſeu Regum, ſeu Epiſcoporum manu geſtarentur, vere Baculos illos ipſos fuiſſe, quibus gradum fulciebant, ubi longum emetiendum erat iter; ideoque nec materiæ Ejus pretium, nec formæ artem curæ magnopere fuiſſe: poſt varias temporum vices, myſticas Eis additas fuiſſe ſignificationes; ita & opulentiam Eis acceſſiſſe, quæ inſignia jam eſſent ſummæ poteſtatis ſive Regiæ, ſive Sacerdotalis. Regium porro ſceptrum non aliud ab origine erat, quam Paſtoralis Baculus; Eorum nempe olim inſigne, qui & Gregum Paſtores una erant, & Populorum Reges. Ejuſmodi enim prima fuere Regna, ut ex Literis Sacris, & ex Homero liquet.* Carolus M. Virgam auream manu tenebat ſatis longam, cum ipſe ſeptem pedibus altus fuerit, & Virgam ad ſtatum ſuum fieri juſſerit, quam videre eſt pictam cum Imagine in Editione Ejus Vitæ ab Eginhardo ſcriptæ, & recuſæ Trajecti ad Rhenum an. 1711. Tandem Pedum & apud Epiſcopos ornari cepit, nec amplius in Communibus Uſibus, verum in Sacris tantum Cæremoniis adhibitum. Ornatus utriuſque Eccleſiæ Præſulibus quocunque tempore familiaris. *ſupra n. 2.*

Præterea nulla natio tam antiqua, quæ non annulos in digitis ferebat, imprimis Romana. Quoties non memorant frequentem adeo, ac veterem uſum Sacræ Literæ? *Uſum autem ferendi annulum a Chriſto receptum fuiſſe, Clemens Alexandrinus l. 3. ſui Pædagogi c. 11. teſtis eſt. At vero Epiſcopis inter reliqua ſui Ordinis inſignia traditos annulos, mille & amplius annorum teſtimonia habemus, tum in Ordine Romano, & aliis Sacramentorum ampliſſimis Libris, tum apud Surium die 3. Decembris in Vita S. Brini Dorceſtrenſis Epiſcopi, qui vixit anno 640., tum demum in IV. Conc. Tolet. c. 28., quo ſancitur, ut Epiſcopo injuſte depoſito, tamquam ſuæ Dignitatis ſignum, annulus reſtituatur, qui dudum recepto in Eccleſia ritu in ſua Ordinatione ipſi dari conſueverat.* Quod autem Alcuinus, Amalarius, Rabbanus ſileant, argumentum aliquod eſt, univerſalem nondum fuiſſe in Occidente uſum, quamvis Synodus Nemauſenſis an. 885. paulo poſt commemoret, Pſeudo-Epiſcopo Narbonenſi Selvæ dejecto ſciſſa fuiſſe indumenta Epiſcopalia, annulum avulſum, baculum Ejus capiti nefando illiſum, & confractum. ANNULUS. Bona *ſupra n. 23.*

Mitra tecti quoque incedebant Veteris Legis Sacerdotes. Erat & profanum capitis ornamentum apud Jonios, Ægyptios, Syros, & Lydos, nec non muliebris aliqua Corona. Videtur *Mitram quidem, qualis eſt hodie, nuperum ornatum eſſe, qui ante Milleſimum Chriſti annum vix fuerit in Eccleſia: negari tamen non poſſe, quin a temporibus Apoſtolorum ali-* MITRA. Bona *ſupra n. 14.*

quod fuerit capitis ornamentum, quo peculiariter, ſi non omnes, aliqui ſaltem Epiſcopi uſi ſunt. Græci non utebantur Mitra præter Alexandrinum Patriarcham, quia juxta Balſamonem reliqui hanc honoris prærogativam a Romano Pontifice non habuerunt. Cyrillo Alexandrino miſit Inſulam Cœleſtinus P., cum Eum juſſerit Epheſino Concilio præſidere.

SANDALIA. Epiſcopi ſolemniter celebrantes adhibent Sandalia, & Caligas. Olim autem Presbyteri, & Miniſtri reliqui in peragendis Sacris Myſteriis mundiora induebant Sandalia, quæ in deſuetudinem abierunt, illis ſolis permanentibus, quibus Epiſcopi induuntur Pontificalia exercentes. Idem ferme de Dalmaticis, & Chirothecis interpretamur, quæ ex uſu conſueto profano ad Eccleſiaſticum uſum ab antiquo migraverunt. Hæc ſunt Pontificalia Epiſcopi communia, quæ non licet extra Diœceſin exercere abſque licentia alterius Diœceſani.

DALMATICÆ, ET CHIROTHECÆ.

PONTIFICALIA ABBATIBUS COMMUNICATA.

Act. SS. Bened. *Tom. V.*

Hæc eadem Pontificalia in Occidente præſertim poſt Annum Milleſimum fuerunt communicata nonnullis inſignium Monaſteriorum Abbatibus. Stephanus III. Virgam Paſtoralem tradidit anno 753. Anſelmo Abbati Nonantulæ, qui frater erat Reginæ Giſeltrudis, & cum Aiſtulpho Rege Romam venerat. Damnat uſum Pontificalium in Abbatibus Petrus Bleſenſis vel veræ humilitatis ſpiritu, vel zelo ſincero ductus erga Dignitatem Epiſcopalem. Hodie vero uſus Pontificalium tam late patet, ut ipſis Communibus Plebanis in Hungaria cum dedecore fortaſſis Eccleſiæ, & Ordinis Eccleſiaſtici conceſſus aliquando inveniatur. Loquor de iis, qui propter non culpoſam inopiam Dignitati ſuæ quaſi injuriam irrogant, non de iis, qui ditiores facti uſum Pontificalium cum honore exercent. Ad hæc quid ſentiret Petrus Bleſenſis? Nos committimus amabilibus Deo Epiſcopis conſiderandum, quid Dignitas Eccleſiæ impoſterum magis ſuadeat.

Epiſt. 90. ad Guill. Abbat. Fratr.

DE LEGATIS APOSTOLICIS

TITULUS XXI.

Utilitate, & neceſſitate inductum fuit apud homines, ut, quæ ſoli ubique negotia expedire nequimus, illa per alios idoneos viros expediamus, qui perſonas, & jura noſtra utiliter repræſentant. Hoc remedio utimur omnes. Ad hunc finem pro Eccleſiæ bono Romani Pontifices diverſos diverſis temporibus miſſos, ſeu Nuncios adhibuerunt. Et olim miſſi ſunt Legati ad Oecumenica Concilia, quibus præſiderent nomine

LEGATI VARII.

Digitized by Google

mine Romani Pontificis. Miſſi ſunt alii Legati, Reſponſales, ſive Apocriſiarii propter incidentia momenta ad Imperatores, Reges, Principes, Viros potentes, Epiſcopos, Eccleſias, Provinciaſque integras, aliquando ad brevem, aliquando ad diuturniorem moram agendam: de quibus variis Legationibus, pro varietate temporum, & rerum continua Eccleſiaſticorum Annalium documenta plenam fidem cauſabunt.

Sunt Legati a Latere, qui aſſumuntur de Latere Papæ, cum quo unum corpus conſtituunt, Cardinales. Ordinarii Legati ſunt Bononienſis, Ferrarienſis, Romandiolenſis, qui ad ſubjectam Provinciam triennio regendam a Summo Pontifice mittuntur, prorogato ſæpiſſime termino Regiminis. Extraordinarii Legati ſunt, qui extra ordinem emergentibus majoribus negotiis ad Principes pro bellis componendis, pro fœdere adverſus Infideles, aut Hæreticos inſtituendo, pro ſalutando vicino, tranſeunte, inauguratoque Rege, aut Regina, pro ſingulis honoratioribus, gravioribuſque cauſis in diem deputari ſolent. Iſti quoque Crucem Dominicam præ ſe ferunt. Præſente Legato nullus Patriarcha ſuæ Crucis vexillo uti debet, ac ſi Romæ, vel coram Papa alibi foret, quem eminenti gradu repræſentat ſuus Legatus. Præſente Legato nullus Epiſcopus ſuum populum benedicere, aut Mozzettam induere debet, quæ Veſtis ſignum Juriſdictionis Ordinariæ profert. Par dignitati reverentia.

LEGATI A LATERE. LEGATI ORDINARII. LEGATI EXTRA ORDINEM. HONOR LEGATORUM.

Sunt Legati Nati, qui hodie Apoſtolici Legati honorem magis, quam antiqui muneris exercitium retinent. Vidimus, quod tales Legati ortum ſuum duxerint, ubi ad confirmandam fidem, & Apoſtolicæ Sedis obedientiam in remotis Regionibus, Majores Epiſcopi a Romano Pontifice creati ſunt Vicarii Sedis Apoſtolicæ: quibus vero ad Reipublicæ, & Religionis incrementum valde profuit Principum favor.

LEGATI NATI.

Sunt Legati Miſſi plerumque cum poteſtate Legati a Latere, qui mittuntur ad certam Provinciam, quales hodie ſunt Nuncii Apoſtolici, ſive Internuncii. Nuncii ſunt apud Imperatorem, apud Reges Galliæ, Hiſpaniæ, Portugalliæ, Poloniæ, & Neapolis, apud Venetam Rempublicam, Lucernæ, Florentiæ, Bruxellis, & Coloniæ, qui nomine Pontificis invigilant. In iis vero Regnis, & Principatibus, in quibus ſupremus Princeps non reſidet, ſed Ejus Vicarius, vel alter Supremus Magiſtratus, Papa deputat Officiales ſub nomine Collectorum, Internunciorum, ſeu Reſidentium, qui quandam Nunciorum Apoſtolicorum imaginem habent, iiſque facultates majores, aut minores communicari ſolent pro emergenti neceſſitate, & arbitrio Summi Pontificis. Hi Collectores hodie non ſem-

NUNCII. MINORES MISSI.

Digitized by Google

per, non ubique ſolent admitti, prouti privilegia, & conſuetudines Locorum ferunt. Nuncii vero nonniſi conſentiente Principe, ad quem profecturi ſunt. Decet enim mittere gratos. Nuncii Majores ſolis Cardinalibus cedunt. Qui ad Cæſarem, & Reges Galliæ, nec non Hiſpaniarum mittuntur, ſua Legatione egredi non conſueverunt, antequam Cardinalatus honore ditentur. Quam Dignitatem præmii loco præſtolantur Venetus, Polonus, ac Ulyſſipponenſis.

Nuncii primi Ordinis.

Quanta Miſſorum auctoritas ?

Fuit olim, & eſt hodie tanta Miſſorum auctoritas, quantam placuit Summo Pontifici juxta Literas Credentiales in Mandato Procuræ, ſeu in privatis Eorum Inſtructionibus conſiſtentes Illis communicare. Exigua ante Annum Milleſimum perſæpe Miſſorum conſideratio facta eſt, qui frequenter meri Diaconi eligebantur. Poſt Annum Milleſimum Leo IX., Alexander II., & Gregorius VII. maximos viros elegerunt ad eliminandam e Clero Occidentali labem Simoniæ, & Incontinentiæ. Celeberrimi Legati fuerunt Petrus Damiani Cardinalis, Anſelmus Epiſcopus Lucenſis, Hildebrandus. Hic poſtea dictus Gregorius VII., ille Alexander II. Non omnes tamen Legati tantis viris pares eſſe ſtuduerunt. Avaritia quorundam Legatorum non fuit toleranda. Teſtes Ivo Carnotenſis ſub Paſchali II., Bernardus ſub Eugenio III., Cardinalis Papienſis ſub Pio II. Hinc recte infert Thomaſſinus : *Si eum tenuiſſent modum Legati, quem Apoſtolica Sedes præfixerat, non tam crebro, non tam fervide Reges interceſſiſſent Legationibus : non denique hanc Regnis ſuis vindicaſſent libertatem, ut, niſi ipſorum aſſenſu explorato, Legati ne admitterentur.* Sed aliquorum error non damnat reliquos. Hodie non eſt, cur conqueramur. Legatos eundo, & redeundo honorifice tractamus, tributa non ſolvimus. Nec quoad jura ſingulorum certam regulam ſtatuere valemus, cum totum pendeat a tenore facultatum. Multa, quæ de iis in Decretalibus, & recentioribus Conſtitutionibus leguntur, in deſuetudinem abierunt.

Finis Legationum antiquarum.

Avaritia quorundam Legatorum.

p.1.l.2.c.119.n.4.

Jura Vetera Legatorum.

Olim liberum erat Legatis in ſua legatione cogere Concilia; præſidere Metropolitanis; Epiſcopos judicare, & Metropolitanos in cauſis majoribus; cauſas omnes ad ſe avocare; non tantum appellationes admittere; ſed in prima inſtantia inter privatas etiam perſonas judicium ferre; beneficia conferre; diſpenſationes tribuere, & alia multa. In Concilio Tridentino cautum eſt, ne Legati de Latere, aut Nuncii præſumant Epiſcopos impedire in quacunque cauſa, quæ procedit in prima Inſtantia coram ſuo legitimo, & conſueto Epiſcopali foro. Dum hæc ſcriberem, olim apud Helvetios, jam apud Cæſarem agebat Nuncium Apoſtoli-

Seſſ.XXIV.1563. *c. 20. de Reformat.* Moderantur.

Digitized by Google

ſtolicum Dominicus Paſſioneus, Archiepiſcopus Epheſinus, hodie Cardinalis, & apud Summum Pontificem a Secretis Literarum vulgo Brevium, Vir multa pietate, & bona Doctrina præclarus, quem ideo nomino, non tam ut obſequium meum erga Patronum eluceſcat, quam ut poſteri in illo optimi Legati, ſive Cardinalis exemplar ſumant. Elogium Dominici Passionei.

DE CARDINALIBUS
TITULUS XXII.

Aevo D. Gregorii M., ideſt exeunte Seculo Sexto, Presbyter, aut Diaconus Cardinalis vocabatur, qui alicui Eccleſiæ, Oratorio, Titulo, ſeu cuicunque alteri pio Loco, tamquam proprius, verus, legitimus, & ordinarius Presbyter, aut Diaconus erat præpoſitus, affixus, intitulatus, & incardinatus, ad diſcrimen aliorum ſecundi ordinis Miniſtrorum, qui tamquam ſubſidiarii, & adventitii homines non ita Eccleſiis, & aliis piis Locis perpetuo adſtricti erant, quoſve Epiſcopus vel certis diebus, vel ad tempus determinatum eo mittebat. Imo Epiſcopus Cardinalis antiquitus nuncupabatur forte omnis Epiſcopus, quia Eccleſiæ certæ erat præpoſitus, affixus, intitulatus, & incardinatus, tamquam proprius, verus, legitimus, & ordinarius Epiſcopus determinatæ Diæceſis, ad diſcrimen aliorum Viſitatorum, aut Commendatariorum Epiſcoporum, qui tamquam vacantes Eccleſias jure fiduciario adminiſtrabant vicini, donec rediret ſuus Epiſcopus, vel eligeretur novus. Hæc appellatio non tantum Romanæ Eccleſiæ, ſed cunctis reliquis Eccleſiis erat communis. Tales fiduciarii Epiſcopi in Africa vocabantur Interceſſores, ſive Interventores, qui ad neceſſariam evitandæ fraudis cautelam ultra annum non perdurabant; nec eligi propter metum ambitus, & colluſionis poterant in Epiſcopatum.

Origo hujus Vocis.

Diſt. XXIV. *c.* 3.

Quamvis permagna fuerit ſemper auctoritas Presbyterorum, & Diaconorum Cardinalium in Eccleſia Romana, complementum tamen ſuum propriori origine accepit inſigne Collegium circa Seculum Decimum. Narrat Onuphrius Panvinius, quomodo tempeſtate illa *Eccleſiæ Lateranenſi, quæ eſt ſpecialis Sedes Romani Pontificis, propter ſuam, & Romani Epiſcopi excellentiam, ſeptem Epiſcopi ex circumvicinis Civitatibus aſſignati ſint, qui ſuis ſtatis, ſolemnibuſque diebus ſinguli coram Romano Pontifice in eadem Baſilica celebrarent divina myſteria, vel Pontifici celebranti aſſiſtentes eſſent*. Hinc Petrus Damiani & ipſe Cardinalis Epiſcopus circa an. 1057. Epiſ-

Origo Cardinalium.

De Epiſcopat. Titul. & Diacon. Cardinal. *pag.* 13.

l. 2. *epiſt.* 1.

Digitized by Google

Epiſcopos iſtos appellavit Lateranenſis Eccleſiæ Cardinales. *Hæc*, ait, *ſeptem Cardinales habet Epiſcopos, quibus ſolis poſt Apoſtolicum, Sacroſanctum illud Altare licet accedere, ac Divini cultus myſteria celebrare.* Sic illi ſeptem, vel ſex Epiſcopi, (poſtquam Velitrenſis ab Eugenio III. fuit unitus Oſtienſi) unum Corpus, aut unum Collegium cum reliquis Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus Presbyteris, & Diaconis circa Annum Milleſimum conſtituerunt.

COLLEGIUM APOSTOLICUM.

Porro conjecturæ locus eſt, quod efformato excelſo Senatu tunc quoque Regionarii Diaconi a ſuis Titulis, & Diaconiis ſolemniori appellatione nominari voluerint Cardinales Diaconi, puta SS. Coſmæ, & Damiani, vel S. Theodori. Diaconiæ erant *publicæ pauperum hoſpitales Domus, quæ Oratoria, & Sacella adjuncta habebant, in quibus a Patre Diaconiæ, ſive Diacono egenis neceſſaria ſubminiſtrabantur. Nam Diaconi inopia laborantium Viduarum miniſtri erant, hiſque Domibus hoſpitalibus præerant. Antiquitus in Romana Eccleſia per ſingulas Urbis Regiones Diaconi diſtincti erant, Diaconique Regionarii, vel talis, & talis Regionis appellabantur. Poſt Eorum præcipuo uſu exoleſcente, & hoſpitalibus domibus ipſorum negligentia dirutis, ipſorum Sacella, vel ædiculæ ſuperfuerunt, quæ Diaconiæ nomen retinuerunt: a quibus Diaconi Cardinales Urbis Romæ poſtea denominationem habuerunt.* Frequenter in his Titulis, & Diaconiis Regulares ſero ſuas Eccleſias ædificaverunt, retento nomine Tituli, aut Diaconiæ, puta S. Laurentii in Lucina, aut S. Marcelli.

VETERES DIACONIÆ.

Panvin. Interpr. *voc. obſcur. Eccleſ.*

Verum illi ſeptem Lateranenſis Eccleſiæ Cardinales Epiſcopi ab initio, *neque Patriarchis*, ait Panvinius, *neque Metropolitanis, vel Archiepiſcopis, neque etiam Epiſcopis aliarum Civitatum, licet Cardinales non eſſent, ante ſe tamen conſecratis, digniores erant, nec etiam Eos præcedebant. Sed Eorum præcedentia erat ratione temporis, quo Epiſcopi creati fuerant.* Hoc argumento non defuerunt in Concilio Tridentino, qui petiiſſent duce Quinque-Eccleſienſi Epiſcopo an. 1562. hunc ordinem reſtitui in Eccleſia, ne Cardinales Epiſcopis Superiores amplius habeantur. Evanuit inanis fervor inter illos, qui neſciverunt, quid petiiſſent, exemplo Matris filiorum Zebedæi, quæ pariter pro filiis ſuis petiit primum locum in Regno Jeſu, quod de hoc mundo eſſe incauta cogitavit. Hoc ſuum argumentum non ſatis firmum credidiſſent, ſi legiſſent, quæ citatus Petrus Damiani mature ſcripſerit de Cardinalibus Epiſcopis, *qui videlicet & Romanum Pontificem principaliter eligunt, & quibuſdam aliis prærogativis non modo quorumlibet Epiſcoporum, ſed & Patriarcharum, atque Primatum jura tranſcendunt.*

DIGNITAS EPISCOPALIS. De Epiſcopat. *pag.* 30.

VANI CONATUS ADVERSUS CARDINALES.

Matth. XX. 20.

l. 1. *epiſt.* 20.

Duo

Digitized by Google

Quomodo Cardinales Episcopos præceſſerint?

Qui fere ſoli Papam eligebant aliquando.

Duo imprimis notatu digna ſunt; primum, Cardinales ſenſim præceſſiſſe, cum Epiſcopi multi, aut omnes ferme jam poſt illos ſponte ſederent: alterum, quod ex Bulla Nicolai II. an. 1059. videatur ſumma Electionis Papalis in Cardinalibus Epiſcopis quodammodo collata fuiſſe, qui procul dubio in Electione, vel potius Conſecratione Electi Summi Pontificis fungi debebant Metropolitani vice, cum Sedes Apoſtolica cunctis in Orbe Terrarum præferretur Eccleſiis, atque ideo Superiorem Metropolitanum habere non poſſet. Hæc forma Electionis, ubi Cardinales Epiſcopi primas partes agebant, videtur perduraſſe uſque ad Alexandrum III., qui in Concilio Lateranenſi anno 1179. eligentes Cardinales pares fecit, Epiſcopos nempe, Presbyteros, & Diaconos: ita ut electus a duabus partibus Cardinalium, cujuſcunque demum Ordinis ex his tribus ſint, ille nulla exceptione obſtante legitimus foret Papa. Ergo ad augendam auctoritatem Cardinalium hæc magna eligendi Romani Pontificis poteſtas, imo frequentiſſimæ Legationes, copioſi recurſus maximum pondus addiderunt. Contenti omnes, quod jam ii, qui ex Univerſis ferme Mundi partibus meliores aſſumebantur in adjutorium Sanctiſſimi Papæ, Univerſas ferme Chriſtiani Orbis cauſas cum Sanctiſſimo definiant. Sic enim Suprema Cardinalium dignitas cum ipſa Romanæ Eccleſiæ, nec non Summi Pontificis dignitate non potuit non creſcere in immenſum. Alexander III. is fuit, qui victo Frederico Ahenobarbo Eccleſiam Romanam ad maximum in Terris faſtigium evexit.

Electus a duabus partibus Cardinalium cenſetur Papa verus.

Multæ rationes augent dignitatem.

Baron.

Præcedentia roboratur.

Poſthac major in dies potentia. In Concilio Lugdunenſi anno 1245. *Ad dextram, & in eminentioribus locis ſederunt Epiſcopi Cardinales, ex altera vero Presbyteri Cardinales, Archiepiſcopi, & Epiſcopi poſt eos.* Sic deciſa fuit longa lis.

Honores Novi.

Innocentius IV. tunc omnes Cardinales purpureo galero condecoravit præter purpuream veſtem Legatorum. Paulus II. poſt an. 1464. addidit birretam coccineam, dum equitarent. Gregorius XIV. poſt an. 1590. etiam Regularibus Cardinalibus pileum rubrum conceſſit, qui tantum Secularibus Cardinalibus competebat. Urbanus VIII. Cardinales vocavit Eminentiſſimos poſt an. 1623., quo titulo uti licet Eccleſiaſticis quoque S. R. I. Electoribus, nec non ſupremo Melitenſium Equitum Magiſtro. Puto pari jure ſupremum Ordinis Teutonici Magiſtrum hujus nominis, & honoris participem fieri poſſe. Innocentius X. poſt an. 1645. vetuit, ne quis Cardinalium aliam appellationem aſſumat, quamvis Regia, aut Principe ſtirpe ille Natus ſit. Ritum non ſervat Ludovicus Cardinalis Bor-

Quanta ſit appellatio Eminentiſſimi?

Borbonius, Hiſp. Infans: qui ante annum Nonum ætatis ſuæ factus eſt Cardinalis. Hic ſe Celſitudinem Regiam potius, quam Celſitudinem Regiam Eminentiſſimam, multo minus Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum juxta diſpoſitionem Innocentii X. ſimpliciter dixit. Sed res Romæ compoſita eſt. In Germania Cardinales, qui nati Principes exiſtunt, vocari ſolent Sereniſſimi, Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi: alii, qui electi Principes ſunt, vocari ſolent Eminentiſſimi, Celſiſſimi, ac Reverendiſſimi.

Quam non servat Infans Hispaniarum.

Nec Germani servant.

Creatio Cardinalium.

Ut aliqua de creatione, & de numero Cardinalium ſubjungamus, quantum neceſſitas poſcit, Rituale anno 1338. editum præſcribit, Conſiſtorium indici Fer. IV. Quatuor Temporum, in quo deliberabatur ex collectis Cardinalium votis, an novos creari Cardinales expediat, & quo numero? qui Fer. VI. in ſolito Conſiſtorio creabantur, Sabbato ſequente publicabantur, atque ordinabantur, ſoluto prius vinculo aliarum Eccleſiarum, quibus alligati forent. Unde Cardinalatus habebatur pro beneficio, in quo reſidere oportebat ad latus Papæ. Neque enim extra Romanam Urbem præter reverſuros Legatos, alii forte Cardinales erant ante Alexandrum III., qui Epiſcopatus in Provinciis regerent. In Abbatibus multiplex exemplum adeſt. Victor II. an. 1057. Fridericum Caſſinenſem, Nicolaus II. an. 1059. Deſiderium Caſſinenſem creaverant Cardinales. Gregorius VII. an. 1079. firmavit Electionem Richardi Cardinalis in Abbatem Monaſterii Maſſilienſis. Raro tamen in Provinciis numerabantur Cardinales Epiſcopi, donec exiguus numerus aliquandiu vix ſe ultra viginti magnos Viros extenderat, qui ſupremum Pontificis Romani Conſiſtorium formabant. Propagato horribili Avenionenſi Schiſmate, quod incepit ab Electione Urbani VI. an. 1378., & ſopitum fuit in Concilio Conſtantienſi an. 1417., electo Martino V., quomodo potuit non excedere numerus, tribus aliquando pro Pontificatu Electis contendentibus, quos ſingulos ſequebantur ſuæ partis Cardinales? Tres Pontifices, tria Cardinalium Collegia. Senſerat quidem Concilium Baſileenſe an. 1431. indictum, ut numerus nunquam excreſceret ſupra viginti quatuor. Sed Leo X. poſt detectam anni 1517. Conjurationem, una die triginta, & unum novos Cardinales creavit, quorum fides nullatenus ſibi foret ſuſpecta. Paulus IV. an. 1555. numerum quadrageſimum elegit. Tandem Sixtus V. an. 1585. poſuit Numerum Septuageſimum, quorum debent eſſe Diaconi quatuordecim, Presbyteri quinquaginta, Epiſcopi ſex, Oſtienſis, Portuenſis, Sabinus, Præneſtinus, Tuſculanus, & Albanus. Habita ratione ad immenſa negotia non tantum Romæ, quan-

Residere tenentur apud Rom. Pont.

Cardinalatus Abbatibus collatus.

Episcopis raro.

Quomodo numerus augetur?

Rainald. Spond.

Numerus recens.

Digitized by Google

quantum in Univerſo Orbe Chriſtiano, demptis abſentibus Epiſcopis Cardinalibus multis, Numerus Septuagenarius nihil minus, quam exceſſivus videri poteſt.

Quod autem Cardinales, qui communi omnium Fidelium Parenti aſſident, præclaris virtutibus, & moribus integerrimis eſſe debeant, docet Eorum Officium in traditione Galeri Rubri deſignatum, ſcilicet quod uſque ad mortem, & ſanguinis effuſionem incluſive pro exaltatione Sanctæ Fidei, pro pace, & quiete Populi Chriſtiani, pro augmento, & felici ſtatu S.R.E. ſe intrepidos exhibere teneantur. Docet Leo X. in Concilio Lateranenſi an. 1514.: *Cum S. R. E. Cardinales, cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt Summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant, conveniens, ac debitum eſt, ut vitæ munditia, ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant*. Adeſt Synodus Tridentina: *Ea vero omnia, & ſingula, quæ de Epiſcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina, & cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo conſtituta ſunt, decernit Eadem etiam in creatione S. R. E. Cardinalium, etiamſi Diaconi ſint, exigenda; quos Sanctiſſimus Romanus Pontifex ex omnibus Chriſtianitatis Nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneos repererit, aſſumet. Poſtremo eadem Sancta Synodus tot graviſſimis Eccleſiæ incommodis commota non poteſt non commemorare, nihil magis Eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quam ut Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſolicitudinem univerſæ Eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, Eam hic potiſſimum impendat, ut lectiſſimos tantum ſibi Cardinales adſciſcat.*

DOTES ANIMI.

Cær. Rom. *l.* 1. *ſect.* 8. *c.* 7.

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 1. *de Reformat.*

ASSUMENDI CARDINALES EX ORBE UNIVERSO LECTISSIMI.

Sane decent Excelſum Senatum inſignia privilegia, quorum nullum adeo ſublime, quam jus eligendi Romanum Pontificem de Gremio. Quicunque hoſtiliter inſequuntur Cardinales, aut Eorum domos invadunt, tamquam læſæ Majeſtatis rei puniuntur tam ipſimet, quam filii ipſorum, & nepotes, imo fautores, & receptatores. Has pœnas S. Pius V. an. 1569. ampliavit ad quoſcunque ſcientes, & non revelantes conſpirationem a perverſis hominibus attentatam contra Cardinalem Borromæum piiſſimum Mediolanenſem Antiſtitem. Cardinales omnibus ferme potiuntur Epiſcopalibus privilegiis, quæ non ſint Ordinis: neque Generalibus quibuſcunque Ordinationibus, aut prohibitionibus ſubjacent; quia non cenſentur comprehenſi ſub Mandato Generali, ubi ſpecialis Eorum mentio non fuerit facta. In Titulis ſuarum Eccleſiarum juriſdictionem quaſi Epiſcopalem exercent, dummodo ſint in Urbe præſentes; Beneficia conferunt; reſignationes acceptant; perſonas ratione Tituli ſubjectas viſitant,

PRIVILEGIA.

c. 5. *de Pœnis in* 6. *c.* 2. *Sept. Decretal. l.* 1. *t.* 4.

ibid. c. 3.

O tant,

tant, & gravi de cauſa delinquentes excommunicare poſſunt; Minores Ordines ſuis ſubditis, & familiaribus diſpenſant, etiamſi ſint meri Presbyteri. Hoc ſi excipias, Diaconi Cardinales, iiſdem gaudent juribus.

CONDITIO CARDINALIS EX REGULARIBUS.

Per aſſumptionem ad Cardinalatum Regularis eximitur ab obedientia ſuorum Superiorum, non a Votis, quantum hic novus ſtatus cum Votis compatibilis eſt. Quare Dominium, & proprietatem non ſibi, ſed Monaſterio acquirit; quia non ceſſavit eſſe Regularis, & quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio. Hinc abſque diſpenſatione Summi Pontificis teſtari nequit, & ab inteſtato ſuccedit ſuus Ordo Religioſus, ſi ſit ſuccedendi capax. Secus Papa providebit.

CARDINALES TESTARI NEQUEUNT.

Nulli vero Cardinales, etiam non Regulares, teſtari queunt, niſi diſpenſante Summo Pontifice. Quæ praxis quotidiana eſt. In ornamentis Capellæ exiſtentibus in propriis ædibus, in pretio annuli dari ſoliti, ubi quis ad Cardinalatum aſſumitur, ibi Camera Apoſtolica ſuccedit, hic Congregatio Propagandæ Fidei. Utrinque ſolent ſe Cardinales componere, tunc quando Galerum Rubrum ab ipſo Papa ſuſcipiunt Romæ. Cœterum Papa non ſolet Cardinalibus etiam Religioſis activam teſtandi facultatem petentibus denegare. Eugenius IV. creationem Cardinalis non prius ratam, & validam haberi ordinavit, donec ſingula Cardinalatus inſignia acceperint, & in perſonali Galeri Rubri ſumptione Conſiſtorialiter ad hunc effectum Ei os apertum fuerit, ut communibus utamur verbis: donec ſcilicet in Conſiſtorio veniam obtinuerit a Summo Pontifice, pro deliberandis rebus Votum ſuum declarandi, quemadmodum reliqui faciunt Cardinales.

c. 1. Sept. Decretal. l. 1. t. 4.

APERITIO ORIS.

DE ROMANO PONTIFICE

TITULUS XXIII.

PETRUS PRIMUS ROMÆ EPISCOPUS.

Divum Petrum Apoſtolorum Principem Romanam Eccleſiam fundaſſe, primumque Romæ Epiſcopum fuiſſe, ubi poſtremo Cruci affixus eſt, nemo amplius negat. Fatentur omnes Orthodoxi, atque Heterodoxi. Res ſic contigit. Petrus anno Octavo poſt paſſum Chriſtum venit Antiochiam, ubi annis Septem ſedens, interim Pontum, Aſiam, Cappadociam, Bithyniam peragravit; intra quod ſpatium prope finem Hieroſolymis fuit in carcere, a quo per Angelum liberatus redit Antiochiam; unde brevi Romam anno Secundo Claudii migravit. Anno Nono Claudii cum Urbs annona laboraret, exulare cum Judæis tamquam vagis per-

Digitized by Google

perſonis, & advenis forte coactus, eodem anno potuit adeſſe Concilio Hieroſolymitano; donec mortuo Claudio rediverit Romam, ubi anno decimoquarto Neronis, ſcilicet 67. Æ. V. crucifixus fuit. Sedit itaque ſub Claudio annos Undecim, ſub Nerone Quatuordecim, a primo itinere Romano Viginti quinque. Concordat potior Eruditorum pars.

Sicut autem Petrus Apoſtolus jure divino Primus Apoſtolorum fuit, ita Eccleſia Romana ſuo nomine fundata, ſuo ſanguine conſecrata, Prima eſt, & jure divino Caput cæterarum Eccleſiarum: unde qui Illi præeſt Epiſcopus Romanus eodem jure divino Primus eſt omnium Epiſcoporum, cœteroſque Epiſcopos omnes neceſſario antecellit. Quare ad Romanam Eccleſiam tamquam ad Matrem, atque Univerſorum Chriſti Fidelium Magiſtram omnes majores Eccleſiæ, & Epiſcopi ſui, Domino diſponente, omnibus Seculis recurrunt: & ab Eadem tamquam a Capite dona velut in corpus omne diffunduntur. Cum itaque Chriſtus Dei filius voluerit Unam Sanctam eſſe Eccleſiam, & ſuper hanc Petram ædificaverit Eccleſiam ſuam, portæ Inferi non prævalebunt adverſus Eam, non magis, quam prævaluerint hactenus. Hinc non ſolum Petrum fuiſſe, ſed Romanum Epiſcopum eſſe legitimum Petri Succeſſorem, & pro tempore verum ipſius Dei in Terris Vicarium credimus, atque confitemur; Cui vero juxta Sacroſancta Conciliorum Decreta, & Patrum ſcripta veram, ſinceram, & fidelem obedientiam præſtare ſinguli Chriſtiani tenemur. Non enim Primatus inſtitutus fuit propter Petrum, qui Martyrio vitam finivit; ſed propter Eccleſiam, in qua fides Petri nunquam deficere poteſt. Hæc Fides nunquam defecit in Romana Sede, quæ ſæpe defecit in aliis, in hæreſin, & in ſchiſma turpiter lapſis. Fuerunt quidem alii Romani Pontifices, qui per ſuos peſſimos mores indignos ſe ſe tanto honore reddiderunt. Nullus fuit, qui in idololatriam, aut hæreſin lapſus ſit; aut ita deceptus fuerit, ut non illico a ſuo errore reſipuerit, qui fuit error intellectus, non voluntatis. Unde Sedes maculam non contraxit. Non ſic aliæ Sedes, quæ in hodiernam diem antiquæ ſuæ Contumaciæ lugubre teſtimonium ferunt. Signum evidens, quod Primatus Eccleſiæ Romanæ perpetuo alligatus ſit, non aliis Eccleſiis; quia non ſoli Petro, ſed Romano Epiſcopo Canonice Electo, & legitimo Petri Succeſſori mandatum fuit a Chriſto Jeſu: *Paſce Agnos meos. Tibi dabo Claves Regni Cælorum, & quodcunque ligaveris ſuper Terram, erit ligatum & in Cælis: & quodcunque ſolveris ſuper Terram, erit ſolutum & in Cælis.* Sane ſi Novatores recentiores Unitatem amore habuiſſent, neque hi

PRIMATUS R. P.

Natalis *Tom.* III. *pag.* 87.

Matth. XVI. 18.

Joan. XXI. 15.

Boſſuet Expoſit. de la Doctr. Cath. *art.* 21.

ECCLESIÆ UNITAS.

hi Epiſcoporum poteſtatem ab ipſo Chriſto inſtitutam, & ab Apoſtolis uſque ad Nos conſtanter traditam evertiſſent, neque Sedis Apoſtolicæ autoritatem in Evangelio, & Traditione perpetuo fundatam excuſſiſſent: quin imo neceſſariam Epiſcopatus dignitatem, atque Inſtitutionem ſolerter cuſtodiſſent, unde Unitas oritur in privatis Eccleſiis, Primatuſque in Cathedra Sancti Petri, Quæ commune Univerſæ Catholicæ Unitatis centrum eſſe debet.

SUMMA VICARIÆ POTESTATIS.

Firmata Vicaria hujus Primatus poteſtate, ſtat Papam cum Eccleſia circa fidem errare non poſſe, quia Portæ Inferi non prævalebunt adverſus Eam, & tam pro Petro, quam pro Legitimis ſuis Succeſſoribus oravit Chriſtus, ut non deficiat hæc fides, quæ nunquam defecit. Stat Papam, licet Hic in divina, & naturali lege immediate, & directe diſpenſare nequeat, poſſe tamen interpretari: quia in hac neceſſaria interpretatione potiſſimum conſiſtit Vicaria Poteſtas, ubi Legislator ipſe nequit adiri. Stat Papam poſſe condere, & abrogare Leges Eccleſiaſticas, in iiſdemque diſpenſare. In Dogmate nunquam variare poteſt, nunquam homini licet. In mera Diſciplina variare poteſt, licet ſæpe, expedit raro. Cauſæ condendi, & abrogandi Leges, in iiſque diſpenſandi quoad humanas Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Ordinationes, legitimæ quidem multæ ſunt, quæ tandem ad neceſſitatem, vel utilitatem Eccleſiæ revertunt; immutatio ſcilicet temporum, & perſonarum, merita ſupplicantis inſignia, periculum graviorum diſſenſionum, ſcandalum puſillorum ingens, & ſpes illos lucrandi, imperitia, bona fides, aut multitudo delinquentium, hominum duræ cervices jugum aſpernantium, periculum moræ, metus majoris mali, atque alia hujuſmodi. Quamobrem Romanum Epiſcopum, Maximum, & Viſibile Eccleſiæ Caput agnoſcamus, oportet, *firmiſſimum, valentiſſimum Conciliorum Autorem, Principem, Exequutorem, Canonum Cuſtodem, atque, ubi res poſtulat, æquum Interpretem, & Diſpenſatorem providum, imo etiam Conditorem, Fidei, & Traditionis toto Orbe Terrarum aſſertorem a Chriſto inſtitutum; denique adverſus Contumaces quoſque, ſive Epiſcopos, ſive alios in Chriſti Nomine contemptæ Eccleſiæ præſentem vindicem.* Quæ ſingula in Romano Pontifice momenta, uti a Chriſto profecta, veneramur, atque profitemur. Hujus ſupremæ Vicariæ Poteſtatis a Petro uſque ad Clementem XII. per integra Septemdecim Secula corroboratum uſum Integra Hiſtoria Eccleſiaſtica invictis documentis docet. Ignorare poteſt nemo.

c. 15. *de Reſtitut. Spoliat.* *c.* 4. *de Uſuris.* *c.* 18. *de Jurejurando.*

AUCTORITAS ROM. PONT.

Boſſuet in Defenſionem Declarat. Cleri Gallicani 19. *Mart.* 1682. *Præfat.*

ELECTIO CANONICA.

Verum enim vero noſtri argumenti non eſt per interminatos latiori cala-

calamo diſcurrere campos, & tam procul divagari. Curſum ſiſtimus in Electione Romani Pontificis. Electioni Romani Epiſcopi (quo ſuperſtite, & inconſulto nefas de futura Electione tractare) ex Apoſtolica traditione, & uſu aliarum Eccleſiarum olim interveniebat Clerus, & Populus, quem viciniores Comprovinciales Epiſcopi conſecrabant, habita ratione ad reliquos Ordines ex potentioribus, Nobilibus, Magiſtratu, & ipſis Monachis conſtitutos. Hic Ritus fuit Seculo Quarto, qui ante redditam Eccleſiæ pacem multa ſæpe ſolemnitate carere debuit; & ſatis mihi veriſimile videtur, quod non raro ſuperſtes cum conſenſu Fidelium propter Eccleſiæ bonum nominaret impellente Deo ſuum Succeſſorem. Hoc neceſſitas ipſa Eccleſiæ, donec ſub Idololatris Imperatoribus lateret in abditis, & ſubterraneis viis, valde innuere videtur. Hoc Symmachus intellexit forte, quando pœnas minatur Ei, qui inconſulto Papa de futura Electione tractat: ac ſi conſulto Papa de futura Electione tractare aliquando non tantum foret licitum, verum etiam neceſſarium. Idem claris verbis declarat infra: *Si tranſitus Papæ, quod abſit, inopinatus evenerit, ut de ſui Electione Succeſſoris, ut ſupra placuit, non poſſit ante decernere, ſiquidem in unum totius inclinaverit Eccleſiaſtici Ordinis Electio, conſecretur Electus Epiſcopus.*

Diſt. LXXIX. *c.* 2.

ibid. c. 10.

Hic Ritus viguit uſque ad ævum Caroli M. Tunc Stephanus V. (quia Sancta Romana Eccleſia multis petebatur violentiis, quia abſque omni Imperatoris notitia interdum Electio, & Conſecratio R. P. fiebat, nec Canonico Ritu, & antiqua conſuetudine amplius fiebat, factionibus malis obnoxia) ideo voluit, *ut, cum inſtituendus eſt Pontifex, convenientibus Epiſcopis, & univerſo Clero eligatur, præſente Senatu, & Populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus Electus, præſentibus Legatis Imperialibus conſecretur.* Jam tum Electio pendebat ab Epiſcopis, & Clero, cum Imperiales Legati partes agerent Defenſorum, non eligentium. Hinc derivat, quod in hanc diem Cæſareus Legatus extra ordinem mittatur ad Conclave. Hinc mittuntur Cæſarei Legati ad Electiones Canonicas, quæ in Germania ſuperſunt, ut ipſi tueantur Libertatem Electionis, non ut eligant. Totum concluditur ex facto Hadriani II. ad annum 867. *Cum Hadrianus Secundus ad Romanum Pontificatum ab Eccleſia Dei Genitricis Dominæ Noſtræ, quæ dicitur ad Præſepe, traheretur ad Lateranenſe Patriarchium, certatim a Clero, & Proceribus, & Plebe deportatus eſt. Quod audientes Miſſi Ludovici Imperatoris moleſte tulerunt, indignati ſcilicet, quod, dum præſentes eſſent, non fuerunt invitati, nec optatæ a ſe futuri Præſulis Ele-*

LEGATI IMPERIALES PRO TUENDA ELECTIONIS LIBERTATE.

Diſt. LXIII. *c.* 28.

ibid. c. 29.

Digitized by Google

Electioni intereſſe meruerunt. Qui accepta ratione, quod non cauſa contemptus Auguſti, ſed futuri temporis proſpectu omiſſum hoc fuerit, (ne ſcilicet Legatos Principum in Electione Romanorum Præſulum expectandi mos per hujuſmodi fomitem inoleſceret) omnem indignationem medullitus ſedaverunt, & ad ſalutandum Electum etiam ipſi humiliter acceſſerunt. Probavit Imperator liberam Electionem Romani Pontificis: quæ poſt Annum Milleſimum jam ad Epiſcopos Cardinales, & Clericos Cardinales ſpectavit, accedente reliquo Clero, & Populo, ſalvo honore debito, & reverentia erga Imperatorem. Tandem Alexander III. in Concilio Lateranenſi anno 1179. ſtatuit, quod *ille abſque ulla exceptione ab Univerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus.* Jam non amplius Clerus, & Populus vocabatur. Multa vero conſideratio fit hodie, ne Papa eligatur, qui Cæſari imprimis, nec non Galliarum, & Hiſpaniarum Regibus diſpliceat, quibus ſemel in quavis Electione competere dicitur Jus Excluſivæ, fundatum in Bulla Nicolai II. an. 1059., & in æquitate naturali propter inſignia merita tantorum Principum erga Romanam Eccleſiam, cujus eximios Defenſores continuo ſe ſe offerunt, ac præbent. Sic in nullis inferioribus Electionibus conſultum eſt præficere Antiſtitem, aut eligere virum, qui non ſit gratus, & acceptus ſupremo Principi.

Ibid. c. 30. *Diſt.* XXIII. *c.* I. — Recens Disciplina. *c. 6. de Elect. & Electi poteſtate.* — Jus Exclusivæ.

Ex Conſtitutione Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi an. 1274. Cardinales in Civitate præſentes tenentur, abſentes tantummodo expectare decem diebus, quibus elapſis, ſive abſentes venerint, ſive non, ad validam Electionem pergere poſſunt. Solent tamen tamdiu hodie expectare, quamdiu Cardinales alios eſſe venturos ſperant. Inſtitutor Conclavis fuit Gregorius X., in quo loco incluſi manent Cardinales, donec non fuerit peracta futuri Pontificis Electio. Ibi vero celebrari debet, ubi Papa obiit, vel potius, ubi Curiam reliquit. Ideo præcepit Benedictus XIII. Beneventum iturus, ut Eo moriente extra Urbem futura tamen Electio Romæ ageretur, ubi Curiam reliquerat. Ex Conſtitutione Clementis V. in Concilio Viennenſi an. 1311. Cardinales Conclave deſerentes Romano nondum electo Pontifice compelluntur a Magiſtratibus redire, & ad Electionem intermiſſam procedere, ac ſi non fuiſſet intermiſſa. Cardinales vero per exceptionem Excommunicationis, Suſpenſionis, vel Interdicti ab Electione non repelluntur. Ex Conſtitutione Julii II. an. 1505. Electio Papæ per Simoniam facta omnino nulla eſt, quæ per ſubſequentem Inthronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium Cardina-

c. 5. de Elect. in 6. — Quamdiu Electio suspendi debeat? — Autor Conclavis, et Locus. — *c. 2. Clementin. de Elect.* — Poena desertorum. — Censuræ non impediunt Electionem. — Cærem. elect. R.P. *num.* VII. — Secus Simonia:

dinalium adorationem, ſeu obedientiam nullo unquam tempore convaleſcit; licebitque ſingulis Simoniacum impune vitare, uti Magum, Ethnicum, Publicanum, & Hæreſiarcham; brachiumque Seculare contra ipſum implorare. Cardinales non complices alium poſſunt eligere, & Concilium Generale indicere. Ex Conſtitutione Pauli IV. an. 1558. proſcribitur ſub graviſſimis pœnis crimen ambitus, quod contra divinum, atque humanum jus clamat. Pius IV. an. 1562., Gregorius XV. an. 1621., Urbanus VIII. an. 1625. circa formam, & Ritum, atque alia Electionem concomitantia præcepta in Cæremoniali citato opportune diſpoſuerunt. Opportune diſpoſuit Clemens XII. his diebus. Alexander VII. anno 1669. de bonis Eccleſiæ non alienandis, Innocentius XII. an. 1692. pro moderandis erga Conſanguineos, vel Affines R. P. ſumptibus, neceſſarias, atque utiles Sanctiones laudabiliter condiderunt. At proh Dei, atque hominum fidem, ſi in quibuslibet Eccleſiarum Paſtoribus tantopere providendum ſit, ne quis aſſumatur indignus, quanto majorem, & perſpicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo adhiberi oportet, qui cæteris Paſtoribus eſt præfuturus, & totius Dominici Gregis curam habiturus?

ſupra num. VIII.

VITIUM AMBITUS.

NE DITENTUR CONSANGUINEI.

QUANTA CURA IN ELIGENDO R. P.?

DE STATU MONASTICO, ET REGULARI

TITULUS XXIV.

Clericorum alii Seculares, de quibus a prima Tonſura uſque ad ſupremum Pontificatus apicem tractavimus: alii Regulares, de quibus modo tractamus. Regularis ſtatus vulgo definitur Vita Communis, quæ verſatur in tribus neceſſariis perpetuæ Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ Votis, poſtquam hæc communis Vita fuit ab Eccleſia rite confirmata, & approbata. In hoc ſtatu alii Monachos, alii Canonicos, Regulares, alii Mendicantes, alii Clericos Regulares ſe vocant. Hoc ordine nati ſunt. Quintam ſpeciem nondum habemus, quamvis ſub quavis nominata ſpecie claſſes diverſæ, & Reformationum Reformationes lateant.

DEFINITUR STATUS REGULARIS.

DIVIDITUR.

A Monachis ordimur. Jam tum, quando *Multitudinis autem credentium erat Cor unum, & Anima una, nec quiſquam Eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia Communia:* jam tum Chriſtiani aliqui ferventiori charitate eminebant, qui exemplo Rechabitarum, & Prophetarum, atque ipſius Præcurſoris Domini, deſerta loca incolentes,

MONACHI.

Act. IV. 32.

tes,

Digitized by Google

tes, Orationi, jejuniiſque intenti erant, ut Aſcetæ ab exercitio, Monachi a ſolitudine vulgo dicerentur. Alii in ipſis Civitatibus ſolitarii facti ſanctiori morum Philoſophiæ ſtudebant, qui tandem poſt Narciſſum Hieroſolymitanum in remotos ſeceſſus penetraverunt. Alii metu perſecutorum abſcondebant ſe, quemadmodum Paulus adoleſcens ſub Decio metu perſecutionis fugit in deſertum Thebaidis, in quo ſenex obiit. Hic vero ſoli fere Antonio notus fuit. Primus autem Antonius iſte fuit in Ægypto Monachorum Parens, qui collegit ingentem ſolitariorum turbam, & in deſerto communem vivere vitam juſſit. *Quam plurimos autem habuit diſcipulos Viros certe ſpectatiſſimos, quorum alii in Ægypto, & Lybia, alii in Palæſtina, Syria, & Arabia, magna gloria fuere.* Paulo poſt Pachomius Palemonis auditor Tabennenſia Ejuſdem Provinciæ Monaſteria inſtituit, *vir cum primis benignus, & Deo valde charus, adeo ut prænoſceret futura, & perſæpe cum ſanctis Angelis in colloquium, & congreſſum veniret... His legibus vitam inſtituentes* ſui Monachi *ſunt maximam famæ celebritatem conſecuti: Eorumque ita crevit multitudo, ut viri ad ſeptem millia una ætatem traducerent. Nam Conventus Eorum, qui Inſulam Tabennam incolebant, quibus cum vixit Pachomius, circiter mille & trecentos numero habebat. Cæteri autem in Thebaide, & Ægypto habitabant. Una eſt vivendi ratio, & diſciplina omnibus, & omnia omnium communia.* Ubi ſunt extra Ægyptum locupletiſſima Cœnobia, quæ Antonii Diſcipulus, unus Hilarion per Palæſtinam, & Syriam fundavit? ubi, quæ Baſilius in Ponto, & Cappadocia collocavit? ubi tandem, quæ per Orientem univerſum, Æthiopiam, Perſiam ad Indos uſque penetraverunt? Ubi ſunt in cæteris Ægypti partibus Scetenſia, Oxyriagica, Nitroſienſia, Mareotenſia Monaſteria?

Euſeb. *l.* 6. *c.* 8.
Hieron. *in Vita.*
ANTONIUS AUTOR VITÆ COMMUNIS.
Sozom. *l.* 1. *c.* 13.
PACHOMIUS.
ſupra l. 3. *c.* 13.
HILARION.
BASILIUS.

In Occidentem Monaſticos mores, & inſtitutum Monachorum invexit Athanaſius, Vitam B. Antonii adhuc viventis, Monaſteriorumque Pachomii in Thebaide, & Virginum, ac Viduarum diſciplinam Romæ celebrando, ubi adhuc ignominioſum, & vile nomen Monachorum ſonabat. Invexit Hieronymus, qui paucos poſt annos ipſe Romam venit, quam in Hieroſolymam beatiorem brevi converſam fuiſſe idem non ſatis miratus fuit: quia *crebra Virginum Monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo, ut pro frequentia ſervientium Deo, quod prius ignominiæ fuerat, eſſet poſtea gloriæ.* Mediolani Ambroſius, Vercellis Euſebius, Turoni Martinus Monaſteria prima fundarunt. In Lerina Inſula, in Inſulis Dalmatiæ ad oras, & ad oras Italiæ celebres Monachi vixerunt. Teſtis

ORIGO MONACHORUM IN OCCIDENTE.
Hieron. *in Epitaphio Marcellæ.*
Idem *ad Principiam.*

ſtis Hieronymus de Fabiola: *Quod Monaſterium non illius opibus ſuſtentatum eſt? Anguſta miſericordiæ Ejus fuit Roma. Peragrabat ergo Inſulas, & totum Etruſcum Mare, Volſcorumque Provinciam, & reconditos curvorum littorum ſinus, in quibus Monachorum conſiſtunt Chori, vel proprio corpore, vel tranſmiſſa per ſanctos, & fideles Viros munificentia circuibat.* Multa pariter Auguſtinus in Africa Monaſteria Virorum, ac Fœminarum continentium cum ſuis Præpoſitis vel condidit, vel gubernavit. *in Epitaphio.* ORIGO IN AFRICA. Poſſid. *in Vita.*

Alii cito ſolitudinem deſeruerunt. Monachis vero, qui contra inſtitutum ſuum judiciariis alebantur injuriis, interdictæ fuerunt Civitates; deſertaque loca, & vaſtas ſolitudines ſequi, atque habitare a Valentiniano juſſi ſunt. Biennio poſt, anno 392. ſcilicet, ſubmota lex eſt, liberique in oppidis ingreſſus dati ſunt: ne, dum alii vagi abuterentur libertate ſua, alii innocentes Monachi deſtituantur neceſſario Civitatum concurſu, quæ jam ſingulis patent ferme hominibus. Monachi diu nihil, niſi pœnitentes Laici ſub regimine Epiſcoporum, & Presbyterorum erant: & ad Monaſteria indulgentibus ſuis Heris eo hilariores convolabant homines ſerviles, quia poſt triennium probationis in Monaſterio liberi fiebant. Infantes offerebantur a Parentibus, ſervi a Dominis. Indocti, illiterati, vitiati admittebantur, quia nemini denegabatur Pœnitentia. Quale Diverſorium, quanta Familia? Sed Siricius P. circa annum 384. ſatis cito optavit, & voluit *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas, & vitæ, ac fidei inſtitutio ſancta commendat, Clericorum officiis aggregari.* Idem ſentit Auguſtinus, qui ſub iſto Pontifice baptizatus eſt; & inde factus Epiſcopus Hipponenſis: quia *Ordini Clericorum fit indigniſſima injuria, ſi deſertores Monaſteriorum ad militiam Clericatus eligantur, cum ex iis, qui in Monaſterio permanent, non tamen niſi probatiores, atque meliores in Clerum aſſumere ſoleamus.* Quotidie vero major indulgentia, cum ad regendos difficiles Epiſcopatus præſtantiſſima Monachorum ope uteretur Eccleſia. Si multi ex Monachis facti ſint Epiſcopi, quanto plures Presbyteri, & Diaconi? Vix aliquando inveniri poterat Epiſcopus, qui non fuerit Monachus. Obiter dico. Binghamus rite laudat veteres Monachos, non rite damnat modernos Regulares viros duce iniquo Marco Antonio de Dominis olim Spalatenſi Archiepiſcopo, ac turpiter jurat in verba infelicis Magiſtri. Hinc Binghamus Sacrificii noſtri, & Monachorum inimicus vitio vertit Clementi V., quod anno 1311. omnes Monachos obligaſſet ad ſuſcipiendos Sacros Ordines, ut Miſſam privatam in honorem Dei celebrare poſſent. *Quæ res*, ait, *manifeſta legum antiquæ*

Cod. *Theod. de Monachis.* QUARE MONACHIS INTERDICTÆ URBES? RESTITUTÆ. MERI LAICI AB INITIO. *l.*40. & 52. Cod. *de Epiſcop. & Cleric. Cauſ.* II. *q.* 1. *c.* 12. Auth. *Novell.* V. *c.* 2. *Epiſt.* I. *c.* 13. MELIORES ASSUMUNTUR IN CLERUM. *Epiſt.* LXXVI. MULTI EPISCOPI EX MONACHIS. *l.* 7.

Digitized by Google

Eccleſiæ erat conculcatio, & ignominioſa praxeos ejuſdem contemptio. Quæſo. Res Diſciplinæ eſt, non Dogmatis. Utraque Praxis fuit laudabilis. Recens laudabilior, & moribus noſtris accomodatior. Quæſo. Qualis contemptus in re, quæ in honorem Dei ordinata eſt? Clamant adverſarii noſtri, quod aliquando Eccleſia coacta fuerit variam diſciplinam adoptare. Clamant ii, qui Dogma immutabile pro genio ſuo invertunt; ſimiles illis, qui feſtucam in oculo fratris deprehendunt, trabem in oculo proprio non ſentiunt.

JAM PROPRIUS SACERDOS REGEBAT MONASTERIUM.

Ævo Gregorii M. credibile eſt, quod jam ſingula, aut vix non ſingula Monaſteria ſuos Abbates, & Presbyteros ex ipſis fratribus Monachis eligerent, cum antiquitus nulli Presbyteri proprii eſſent, qui tamen ab Epiſcopo mittebantur olim ad poſtulationem Abbatis pro agenda re divina. Gregorius ipſe multis ſtipatus Monachis vivebat in Apoſtolico Palatio, unde ad remotas regiones exiverunt multi Apoſtolici Viri.

MULTÆ REGULÆ.

Interea ante S. Benedictum tot fere regulæ Monaſticæ erant, quot Monaſteria: & quilibet Abbas pro ſuo ingenio Monachis ſuis (quibus imperium ſuperioris erat inſtar vivæ cujuſdam regulæ) peculiares ex traditione, & conſuetudine collectas methodos præſcribebat. Primus ergo Benedictus, qui ſub Juſtino, & Juſtiniano vixit, Monaſterio poſito Romam inter, & Neapolim in Monte Caſſino, certam Diſcipulis ſuis normam, per Occidentem integrum brevi diffuſam propoſuit, a qua deinceps recedere non licuit: ubi remiſſo quotidiano jejunio, præter panem, duo fercula, & modicum vinum indulſit, ſed juge ſilentium, & ſtrictam ſolitudinem ſervavit. Cum autem primi Monachi meri Laici fuiſſent, non ſatis conſtat, an S. Benedictus aliquem Ordinem Sacrum ſuſceperit, motus forte contemptu ſui; unde dignior ſane evaſit. Nihilominus & Ille prædicatione infideles multos convertit, & Monachos ſuos ſingulari privilegio ſæpe miſit ad prædicandum Religioſis Fœminis. Erant tunc Presbyteri, & Diaconi ad poſtulationem Abbatis ordinati ab Epiſcopo, qui ſupremam Monaſterii curam nondum dimiſerat.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 32. *n.* 13.
FUNDATIO MONTIS CASSINENSIS AN. 529.
REGULA S. BENEDICTI.

MONACHI PROPAGATI UBIQUE.
Thomaſſinus *p.* 1. *l.* 3. *c.* 16.
DISSIPATI.
RESTAURATI.

Quantum curæ poſuerint pii Epiſcopi in propagandis præſertim in Occidente Monaſteriis, omne ævum teſtatur. Sed Longobardi per Italiam, Saraceni per Hiſpaniam, horrenda ſub Merovingicis bella per Galliam Monaſteria quoque, & Monachos deſtruxerunt: quos reſtituit adjutore altero S. Benedicto Anianenſi Carolus M. Hunc emeritum Virum conſtituit Ludovicus P. Monaſteriorum omnium Præſidem, quemadmodum jam pridem in Oriente quaſi Religioſi Exarchi, ſive Generales, ſive Archi-

chi-

Digitized by Google

chimandritæ in ſua Ditione omnia unius Regionis Monaſteria regebant. Circa annum 731. Gregorius III. Romæ juxta Eccleſias S. Chryſogoni, & S. Joannis Lateranenſis Monachos conſtituit ad pſallendas divinas laudes. Ex Monacho S. Chryſogoni Stephanus IV. an. 768. evectus eſt ad Pontificatum. In Occidente vero nova rerum facies, poſtquam Carolovingica ſtirps lapſas Monachorum res ſublevaſſet. Abbates de Republica, & de Principe ſuo optime meriti facti ſunt Domini Seculares, inſtructi Vaſſallis, & cum Epiſcopis ad Parlamenta admiſſi. Bellis Civilibus immixti, lectorum exercituum Duces ante prima ſigna nonnunquam pugnarunt. Non amplius manualis labor, qui poſtea ſtudiis, & orationi ceſſit, cum jam omnia negligerentur obtentu Principatus, & Militiæ. Hi vero non potuerunt non interdum cum victo ſocio Principe vinci, & exulare. Ditiſſimæ interim Ditiones ſine Principe, pinguiſſima Monaſteria ſine Abbate jacebant, quæ facile impetrabant a victore alii victoriæ participes. Sic potentiores Laici non raro, obtentu quoque vacuæ Eccleſiæ protegendæ, ampliſſimas poſſeſſiones Principe diſſimulante, aut inveſtituram largiente invaſerunt. Hoc ſenſu interpretamur, quod in Capitularibus legitur: *Abbatibus quoque, & Laicis ſpecialiter jubemus, ut in Monaſteriis, quæ ex noſtra largitate habent, Epiſcoporum conſilio, & documento, ea, quæ ad Religionem Canonicorum, Monachorum, Sanctimonialium pertinent, peragant, & Eorum ſalubrem admonitionem in hoc libenter audiant, & obediant.* Laici iſti per modum commendationis, ſeu adminiſtrationis hæc Monaſteria poſſidebant; cum id exigeret quaſi neceſſitas Reipublicæ. Unde Laicorum Commendæ exortæ ſunt.

Anaſtaſ. Biblioth.

EORUM POTENTIA.

MILITIAM EXERCENT.

COMMENDÆ LAICORUM.

l. 2. c. 8.

Normanni mala malis addiderunt. Monachos quoque in Gallia vel occiderunt, vel fugarunt. Quæ vix ſupererant Monaſteria, a Monachis tam rudibus inſidebantur, ut verſus finem Seculi Noni ne legere quidem ſcirent multi. Dominabantur ſuperiores vel extranei, vel peregrini, vel intruſi. Atque ita labefactata Carolovingica Proſapia, Diſciplina tota cecidit una Regni, & Eccleſiæ, Cleri, & Monaſtici ſtatus, non tantum in Gallia, verum etiam in univerſo Occidente, quemadmodum deplorat Synodus Troslejana an. 909.; poſtquam Saraceni an. 884. Italiam, & Montem Caſſinum ferro, atque incendiis vaſtaſſent.

NORMANNI IN GALLIA.

Petav. Ration. Temp. *p. 1. l. 8. c. 11.*

SARACENI IN ITALIA.

Anno 910. VVilhelmus Aquitaniæ Dux fundavit Monaſterium Cluniacenſe in Burgundia, cui Bernonem præfecit Abbatem. Hic ex Comite factus Monachus jam pridem fundaverat ex propriis bonis Gignienſe Monaſterium Diæceſis Lugdunenſis. Inde Cluniacenſium autor adjutore

Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 54. n. 45.*

ORIGO CLUNIACENSIUM.

Digitized by Google

Hugone Monacho ſuo Regulam S. Benedicti reſtituit. Sanctum opus perfecit S. Odo, qui an. 994. atrum ſuis Monachis amictum impoſuit, ab aliis Odilo vocatus, quem S. Majolus vivens ſibi Succeſſorem in Abbatia Cluniacenſi deſignavit.

Augmentum.

Præceps fuit Cluniacenſium augmentum, quibus nova, & vetera Monaſteria fere omnia credita ſunt, cum de hoc Odone legatur: *Abbas ordinatus Franciarum, Aquitaniarum, Hiſpaniarumque partium, atque Romanæ Urbis circumſtantium Cœnobiorum effectus eſt Dux, & Pater dulciſſimus.*

Biblioth. Cluniac. pag. 15.

Cassinensis Primus Abbas.

Nihilominus primus locus ſemper fuit Caſſinenſi, qui in Synodo Romana (puto an. 1122. ſub Calixto II. Sed annum omiſit Thomaſſinus aſſertor) pronunciatus fuit Abbas Abbatum, præſente Pontio Cluniacenſi Abbate, qui Seculo Duodecimo floruit vir inquietus.

p. 1. l. 3. c. 25. n. 6.

Exemptio prima ab Episcopo.

Domus Cluniacenſis ex teſtamento VVilhelmi comendatur ſpeciali Tutelæ S. Petri, & Romanorum Pontificum. Hoc titulo Cluniacenſes ſe exemptos ab Epiſcopali juriſdictione forte primi fecerunt, abnuente quidem Synodo Anſana an. 1025., ſed annuente Synodo Cabilonenſi an. 1063., donec ab unica domo ad ſingulas Cluniacenſes familias privilegium antiquum tantæ exemptionis propagatum fuit. Quam immunitatem Seculo Duodecimo ſtrenue vindicavit Petrus Venerabilis, qui collapſam ſub Pontio memorato diſciplinam probatiſſimis Statutis reſtituit. Pro tuenda ſua Exemptione, quæ a Fundatoribus ipſis veterem originem traheret, fidenter addit: *Hoc non ſoli Cluniacenſes obtinent, ſed & quam pluribus datum cernimus, & longe ante Cluniacum conditam multis aliis Monaſteriis in eadem Apoſtolica Sede conceſſum videmus.* Jura vetera, & Conſuetudines Cluniacenſium Natalis ex probatiſſimis Autoribus collegit.

l. 1. epiſt. 28.

Tom. VI. pag. 141. & 584.

Ex eadem S. Benedicti Regula plures ortæ ſunt Regulæ, ſive Congregationes poſt Annum Milleſimum, in quibus varii mores, eadem charitas.

Monachi Varii.

Camaldulenſes inſtituit Eremitas an. 1012. S. Romualdus; Vallumbroſanos an. 1030. S. Joannes Gualbertus; Grandimontenſes anno 1076. S. Stephanus de Tierno, ſive de Mureto; Carthuſianos anno 1086. S. Bruno; Ciſtercienſes an. 1098. S. Robertus Moliſmenſis: qui poſtremi reaſſumpta veſte candida vocabantur candidi, quemadmodum Cluniacenſes nigri a veſte nigra.

Cisterciensium Regimen.

Hujus Ordinis Ciſtercienſis Monaſteria *Cartam Charitatis*, ideſt unionis an. 1119. erexerunt inter ſe, quæ erat pactum unionis veluti Ariſtocraticæ ad evitandam Cluniacenſem Monarchiam. Placuit enim, ut Abbates alter alterius viſitarent Monaſterium, qui in Conventu annuo curabant bonum univerſi Ordinis regimen.

Augmentum.

Ciſtercienſes intra quingentos annos quingenta Monaſteria numerabant. Cele-

Digitized by Google

Celeberrimum fuit Clarevallenſe a S. Bernardo conditum anno 1115.; tantæ famæ viro, ut ipſe vix non conditor univerſi Ordinis haberetur; & Ciſtercienſes promiſcua appellatione Bernardini adhuc ſonent. Obiit Sanctus Bernardus anno 1153. Commendabatur imprimis primæva Ciſtercienſium paupertas, labor manualis, ordinata charitas, quadrageſimalis cibus, divinum officium, juge ſilentium, virtus ſine fuco, liberalitas erga egenos, miſericordia erga afflictos, mundiſſima ſupellex tam in Eccleſia, quam domi, conſtans Diſciplina. Verum Bernardo vix ſepulto, quid non debuit Alexander III. ſcribere ad Abbates, & Conventus Ordinis Ciſtercienſis? *Dolentes dicimus, quod, etſi non ab omnibus, neque in omnibus, a pleriſque tamen, & in pluribus ab illa ſancta inſtitutione dicitur declinatum: in tantum, ut aliqui ex vobis primæ inſtitutionis obliti, contra Ordinis veſtri regulam, Villas, Eccleſias, & Altaria poſſident, fidelitates, & hominia benigne ſuſcipiunt, juſtitiarias, & tributarias tenent.* Unde facile eruitur, quod omne inſtitutum ſit ſanctum, dummodo fideliter ſervetur. Non ſervata regula nec Cluniacenſibus Monarchicum regimen, nec Ciſtercienſibus Ariſtocraticum profuit ſatis. Primos ab initio reformavit Petrus Venerabilis, alios Bernardus, & Alexander III.

LAUDES.

IMMINUTÆ.

c. 3. de ſtatu Monachorum.

Oportet Monachum nunquam quieſcere; qui cum orationi vacare non ſemper potuiſſet, manuum labori addictus fuit. Duas autem rationes proferimus, quare Monachi labores manuales plerumque deſeruerint. Prima eſt, divitiæ multæ, ne manu ſibi victum amplius quærere cogantur: quamvis & ideo inſtitutus ſit labor manualis, ut non ſolum evitaretur otium, ſanitas corporis rudibus cibis nutriti conſervaretur, ſpiritus ipſe quieſceret, verum etiam ut cum Paulo loqui poſſet Monachus: *Argentum, & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ.* Hinc S. Bernardus Clarevallenſibus ſuis ſalutare exercitium reſtituit in antiquo labore manuali. Altera ratio ceſſandi laboris manualis fuit propter novas preces plurimas, quibus onerati recens fuerunt Monachi. Has inter numerabatur Officium Defunctorum, Pſalmi Pœnitentiales, & Graduales, præter Suffragia, & commune Divinum Officium Diurnum, atque Nocturnum. Quomodo amplius juxta præſcriptum S. Benedicti abſumerent Monachi ultra ſeptem horas in labore quotidiano?

QUARE INTRODUCTUS FUERIT LABOR MANUALIS APUD MONACHOS?

QUARE INTERMISSUS?

Act. XX. 33.

Tertia in promptu eſt digniſſima cauſa, Literarum neceſſitas contra frequentiſſimas Hæreſes, vocatis Monachis in adjutorium Epiſcoporum.

LITERARUM NECESSITAS.

Imo

Digitized by Google

Imo inſcitia non tam Laicorum, quam Clericorum adegit Monachos Seculi Octavi, & Noni ad incumbendum inuſitatis ſtudiis. Tunc non ſolum bonæ Theologiæ, quæ potiſſima Hieronymi, & veterum cura fuit in ſacris paginis ſummopere fundata, ſed toti Sacrorum Canonum Diſciplinæ intenti erant: quæ juriſprudentia Epiſcopis, & Presbyteris fit ad regendam plebem neceſſaria. Teſtis eſt celebris Gratianus anno 1151. Autor Decreti. Jus Canonicum indiguit Civili, poſtquam Digeſta, & reliqui Juſtinianæi Libri reperti fuerunt. Charitas movit Monachos ad Medicinam addiſcendam, ut ex Libris Hippocratis, & Galeni derelictis morbos ſanarent, deficientibus aliis Phyſicis. Monachus S. Dionyſii fuit Medicus Caroli Craſſi Regis. Alterius meminit S. Bernardus, qui inter Monachos ſuos celebrem ſe in hac arte reddiderat. Charitas impulit, avaritia fovit, cum jam nonnulli quæſtum exercerent; nimis vero tam Juriſprudentia, quam Medicina Monachorum animos ſolitudine relicta diſſiparent. Quæſtus iſte proſcribitur in Synodo Rhemenſi anno 1131., Romana anno 1139., Turonenſi anno 1163. Hæc ſtudia Monachis, & Canonicis Regularibus tantum vetita fuerunt, licita vero Clericis Secularibus, quouſque Laici indocti, atque illiterati permanſerunt. Non unum ferme ubique occurrit exemplum. Occurrit in antiquiſſimo Eccleſiæ Tridentinæ Capitulo. Veteri enim Statuto ſub Epiſcopo Georgio Hakio publicato an. 1455. interfuit Joannes Canonicus, & Scholaſticus in Medicinis Doctor. Hodie Laicis plurimum relinquenda periculoſa ars, quæ cum non omnes morbos ſcire poſſit, multa remedia quaſi divinando applicare cogitur. Ideo Ejus, qui medendi ſcientiam novit, duo ſunt ſcopi, ut ſcilicet præter naturam affectos, quoad ejus fieri poteſt, ad naturalem ſtatum ſciat reducere, aut ſi id fieri nequeat, ut ſaltem dignoſcat, qui ſanabiles ſint, & qui deplorati. Eos vero, qui ſanabiles ſunt, boni Medici officium eſt, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet, quod apud Aſclepiaden legitur. Hic de Monachis ſermonem ſuſpendimus, qui durioribus Seculis fontes veræ pietatis, & doctrinæ nobis conſtanti traditione cuſtodiverunt. Neque enim multa ſcripta ad nos pervenerunt, quæ non in Archiviis Monachorum inventa ſint. Singulari Dei providentia id factum fuiſſe quis non videt ad conſervandam puram Religionem Chriſtianam?

Juriſprudentiam diſcunt Monachi.

Medicinam exercent.

Quæſtus interdictus. can. 6. can. 9. can. 8.

Medici officium.

Monachi optime meriti de re Literaria.

Canonici Regulares.

Monachos iterum exceperunt Canonici Regulares autore Beato Petro de Honeſtis in Eccleſia S. Mariæ in Portu Agri Ravennatis, ubi Canonicis ſuis ſcripſit regulam, quam an. 1115. Paſchalis II. probavit. Poſt qua-

Digitized by Google

quadriennium obiit piiſſimus Inſtaurator, qui ex contemptu ſui ſe Petrum Peccatorem nominare ſolitus erat. Poſthac Canonici Regulares ſub variis Regulis tranſplantati ſunt ad multas in Occidente Provincias. Jam pridem S. Petro Damiani impulſore Nicolaus II. an. 1059. Romæ Concilium CXIII. Epiſcoporum pro emendatione Cleri convocaverat. Ibi Simonias, & Concubinas damnavit, Vitam communem in communi domo, refectorio, & dormitorio reſtituit. Sed perfectam peculii abdicationem ipſis non imperavit, ſuaſit dumtaxat. Præcepit quidem, ut communiter habeant, quidquid eis ab Eccleſia competebat, ideſt Beneficiorum proventus: non vero interdixit, ne patrimonio ſuo fruantur. Primus id quoque in Italia hac ætate aggreſſus eſt Petrus de Honeſtis, quem æmulati ſunt in univerſo ferme Occidente alii. Cœterum reluctantibus aliis, aliis annuentibus, hinc Cathedralium, Collegiatarumque Eccleſiarum Clerici omnes, qui antiquis, & novis Vitæ communis regulis ſe ſubmiſerunt, Canonici Regulares vocati fuerunt: qui vero in ſeculo manſerunt inter ſeculares reliquos homines, Seculares quoque Canonici vocari ceperunt. Seculo Undecimo, atque Duodecimo Regularium Canonicorum ingens excrevit auctoritas, ut ad imitationem Eccleſiæ Lateranenſis an. 1063. in pleraſque Cathedrales Eccleſias reciperentur. Hos inter emicuerunt Præmonſtratenſes a S. Norberto in Diæceſi Laudunenſi an. 1120. inſtituti, qui ab initio tum auſteritate vitæ, & perpetua abſtinentia, tum difficili paupertate ſe ſe omnibus probarunt. Regulam S. Auguſtini ſelegit Fundator optimus, mandavitque, ut albam veſtem ex lana ferant domi, ex lino in Eccleſia ſuperimpoſitam. Sed Deo charitatem ipſorum, & hoſpitalitatem munerante ditiſſimi intra breviſſimum tempus evaſerunt. Statuit Sanctiſſimus Vir, ut quotannis Abbates Ordinis univerſi Præmonſtratum ad Capitulum Generale convenirent in Feſto S. Dionyſii. Ita vero propagatus eſt Ordo Sacer, ut Abbates pene centum convenerint non ſolum ex Francia, vel Burgundia, ſed ex Alemannia etiam, & ex remota Saxonia, licet nondum anni triginta ab Ordine condito effluxiſſent. Quin etiam trans maria Hieroſolymam uſque novus Ordo pervaſerat. Nec viros dumtaxat, ſed etiam pias fœminas ad cœleſtis vitæ normam informavit. Jam tum ultra decem millia Sanctimonialium in Monaſteriis Præmonſtratenſis Ordinis recluſæ in ſumma auſteritate, & ſilentio famulabantur Chriſto Sponſo.

PRÆMONSTRATENSES.

Hermannus *Hiſt. Reſtaurat. Abbat. S. Martini Tornac.*

Seculo Duodecimo Equeſtres Ordines prodierunt, quos in prima diviſione omiſimus, cum exteriorem Monaſticam, aut Regularem Inſtitutio-

Andreas Mendo *de Ordin. Militar.*

tutionem, non obſtantibus tribus votis, non ſequantur. Ordo Templariorum anno 1118. prope Templum Hieroſolymitanum in ipſo Palatio Balduini II. Regis Hugone de Paganis, & Gaufrido de Sancto Aldemaro promotoribus inſtitutus fuit ad cuſtodiam Templi, & viarum, peregrinorumque defenſionem adverſus prædones, confirmatus in Synodo Trecenſi an. 1128. Veſtes Fratrum Militiæ Templi candidæ extiterunt, quibus Eugenius III. rubeam Crucem attexi curavit. Extinctus Ordo in Concilio Viennenſi an. 1311. ſub Clemente V. ad accuſationem Philippi Pulchri Galliarum Regis. Ordo S. Joannis Hieroſolymitani principio Monaſticus fuit, & ſuam originem a Xenodochio Latinorum duxit. Raimundus de Puteo Tertius Xenodochii Rector anno 1154. diviſit Ordinem in Equites, Clericos, & Fratres Servientes. Amiſſa Terra Sancta Rhodum petierunt anno 1310., unde Rhodii Equites. Amiſſa Rhodo anno 1522. proditione Andreæ Merali Equitis Luſitani Equites poſt Septimum annum invitante Carolo V. in Melitam Inſulam tranſportati hactenus contra barbaros piratas pergunt multo Chriſtianæ rei præſidio eſſe. Ordo Teutonicus a Cœleſtino III. anno 1192. confirmatus fuit in gratiam hoſpitalitatis, quam exercebat erga Teutonicæ Nationis peregrinos in Domo S. Mariæ Hieroſolymitanæ. Factus poſtea Equeſtris ſimul, & Hoſpitalis. Melitenſes quoque albas Cruces intextas geſtant, Teutonici nigras. Hodie ſupremus Ordinis Teutonici Magiſter reſidet Mergethi, quæ Franconiæ Urbs eſt, nec non Mariæ Domus vocatur ab antiqua Hieroſolymitana S. Mariæ Domo. Ordinis Supremus Magiſter ab anno 1732. exiſtit Clemens Auguſtus Bavarus, Colonienſis Elector. Ordo Calatravæ inſtitutus fuit anno 1159. a Beato Raimundo Abbate Fiterii, quod eſt celebre Monaſterium Ord. Cittercien. in Navarra. Occaſio fuit defendendæ Urbis contra Saracenos, quam deſeruerant Templarii. Supremus Ordinis Magiſter Rex Caſtellæ, in cujus ditione Urbs Calatrava ſita eſt. Singulos militares Ordines recenſere non tam operoſum, quam prolixum foret.

Templarii. Hierosolymitani. Teutonici. Ordo Calatravæ.

Ex prima diviſione Tertia Regularium ſpecies ſequuntur Mendicantes: quorum homines nulli certæ adſcripti Eccleſiæ, quocunque mitterentur, ibant prædicantes Evangelium. Clariſſimi Mendicantium habiti ſunt Fratres Prædicatores, & Minores. Sanctus Dominicus Oſimenſis in Provincia Caſtellana Canonicus Epiſcopi ſui in itinere comes anno 1206. in Septimania ſubſtitit, atque ad converſionem Albigenſium, animum induxit una cum aliis nonnullis Presbyteris. Propter rite adminiſtratam Provinciam Honorius III. an. 1216. peculiare impertivit privile-

Mendicantes. Prædicatores.

vilegium Clericis in Prioratu S. Romani Tholoſani ad regulam S. Auguſtini viventibus, ad quam Dominicus Clericorum iſtorum Prior, olim Canonicus Oſmenſis, obſtrictus erat cum Sociis ſuis. Hi poſtea vocati ſunt Fratres Prædicatores propter novum concionandi munus.

Iiſdem temporibus S. Franciſcus Aſſiſienſis Mercatoris filius, qui extremam paupertatem profeſſus voce, & exemplo omnes ad pœnitentiam excitabat, nonnullos Socios partim Clericos, partim Laicos adſcivit, ipſe literarum pene rudis, & propter honorem Sacerdotii neglecto Presbyteri gradu, Diaconi Ordine contentus. Ipſe laborem corporis ſalutarem exercuit, quem pariter ſuis commendavit, ita tamen, ut, ſi opus eſſet, panem emendicare non erubeſcerent. Vix quarto anno ſepultus erat Vir Sanctus, quando ſui in Conventu Generali an. 1230. Bullam obtinuerunt a Gregorio IX., Teſtamentum obſervari non debere, Regulam vero explicatione indigere. Quamobrem labor manualis nunquam in uſum deductus fuit apud Fratres Minores, orationi, & prædicationi intentos. Hoc nomine S. Franciſcus vocavit ſuos, quaſi cœteris hominibus inferiores: formavitque ad certam illam regulam, quæ fuit an. 1223. ab Honorio III. confirmata, ſed multa ſæpe interpretatione agitata, quemadmodum diſſenſiones variæ, & tot Reformationum Capita declarant. Regulam S. Franciſci eodem tempore amplexa eſt cum ſuis Virginibus S. Clara Concivis, quarum Ordo nuncupatur ſecundus Ordo S. Franciſci. Tertius conſiſtit in cœtu hominum, ex viris, & fœminis etiam in matrimonio viventibus, ſed tamen peculiari voto ad pietatem, & ad Regulam Franciſcanam obſtrictis, quoad fieri poterit. Obiit S. Dominicus an. 1221., S. Franciſcus an. 1226. Perdurat in hodiernam diem inter filios, & hæredes juſta concordia, quæ ex mutua Parentum, & Teſtatorum amicitia derivavit.

MINORES. SECUNDUS ORDO. TERTIUS.

Hoc anno Carmelitæ ex Monte Carmelo Eremitæ in Europam profecti impetrarunt ab eodem Honorio III. confirmationem ſuæ Regulæ, quam vero illis circa annum 1209. præſcripſerat Albertus Hieroſolymitanus Patriarcha. Et his Albertus laborem manuum, & ſilentium ſummopere commendavit, quos S. Ludovicus IX. anno 1254. Pariſios ex Eremo traduxit. Hinc & hodie alii in Civitatibus, alii in Eremo degunt.

CARMELITÆ.

Alexander IV. an. 1256. multos diſperſos Eremitas ſub obedientia Unius Generalis Lanfranci univit, quos vocavit Eremitas S. Auguſtini. Verum nec Honorius III., nec Alexander IV. in approbandis ſalutaribus

AUGUSTINIANI.

Q his

Digitized by Google

his inſtitutis propter honorem Dei, & ſalutem animarum metuerunt contra mentem Concilii Lateranenſis IV. an. 1215. ire, in quo juſſerat Innocentius III. : *Ne nimia Religionum diverſitas gravem in Eccleſiam Dei confuſionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniant: ſed quicunque ad religionem converti volunt, unam de approbatis aſſumant*. Idem ſentit Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi II. an. 1274.; *quia non ſolum importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit, verum etiam aliquorum præſumptuoſa temeritas diverſorum Ordinum præcipue Mendicantium, quorum alii nondum approbationis meruere principium, effrænatam quaſi multitudinem adinvenit*. Declarat tamen ad calcem Conſtitutionis ſuæ Dominicanos, Franciſcanos, Carmelitas, & Auguſtinianos ſub hac generali prohibitione non comprehendi, ex quibus evidens Eccleſiæ univerſalis utilitas hauritur.

CONFUSIO RELIGIONUM EVITANDA VENIT.

c. 9. de Religioſis Domibus.

NOVÆ NON INSTITUANTUR.

c. un. de Religioſis Domibus in 6.

Ab his duobus Generalibus Conciliis non fuit ſatis repreſſus novorum Ordinum inſtituendorum pius fervor. Prævivit S. Joannes de Matha Ordinis SS. Trinitatis autor propter captivos Chriſtianos ab infidelibus redimendos, quem Innocentius III. an. 1198. confirmavit. Similis Ordo eſt Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, quem autore S. Petro Nolaſco, adjutore S. Raimundo de Pennafort celeberrimo Decretalium Compilatore Gregorius IX. an. 1238. approbavit. Servorum B. M. autores an. 1233. Viri ſeptem Nobiles Florentini. Silveſtrinorum autor an. 1247. B. Silveſter Guzolinus. Cœleſtinos confirmavit an. 1294. Ejuſdem Ordinis inſtitutor S. Cœleſtinus V., qui primus Romano Pontificatu ſe abdicavit. Hujus Congregationis Benedictinæ Generalis Cœleſtinus Galianus me Romæ an. 1728. ſtudiis Eccleſiaſticis imbuit. Factus Archiepiſcopus Tarentinus, cui renunciavit ob Regiam Capellaniam Majorem, ad honorarium Archiepiſcopatum Theſſalonicenſem translatus fuit. Vir ſingularis, de quo incertum, an major ſit Ejus probitas, an major doctrina. Certum illud eſt, quod adhuc utramque ſuperet modeſtiſſimi hominis laus. Quod non tam gratus, quam inſtructus loquor. Congregationem Montis Oliveti confirmavit an. 1344. Clemens VI. autore B. Bernardo Ptolomæo. Eremitas S. Pauli in Hungaria autore B. Euſebio Strigonienſi Archiepiſcopo confirmavit an. 1328. Joannes XXII. Monachos S. Hieronymi, qui ſunt S. Laurentii Eſcurialis inquilini, confirmavit an. 1374. Gregorius XI. autore Petro Fernando Hiſpano. Alios Eremitas S. Hieronymi inſtituit circa annum 1380. B. Petrus Gambacurta Piſanus, qui nullis obſtricti votis, victum ſibi manibus quærebant, & ſub-

ORDO SS. TRINITATIS.

ORDO B. M. DE MERCEDE.

SERVITÆ.

SILVESTRINI.

COELESTINI.

ELOGIUM COELESTINI GALIANI.

OLIVETANI.

PAULINI.

HIERONYMITÆ MONACHI.

HIERONYMITÆ EREMITÆ.

Digitized by Google

ſublevandis pauperibus toti incumbebant. S. Pius V. literis, & concionibus Eos applicavit. Conventuales aliqui S. Bernardinum Senenſem ſtrictioris obſervantiæ Reſtauratorem circa annum 1419. ſequuntur. Sixtus IV. an. 1473. Minimos autore S. Franciſco de Paula confirmavit, qui primam S. Franciſci Regulam propius videtur attigiſſe, Diſcipulis ſuis in Eremo congregatis, dum vix annum vigeſimum ætatis ſuæ ageret.

Bernardini.

Minimi.

Seculo Decimo Sexto comparuerunt Clerici Regulares, qui ſibi Eccleſiaſticæ diſciplinæ emendationem propoſuerunt, quemadmodum Mendicantes videntur ſibi propoſuiſſe Unionem vitæ Monaſticæ, & Clericalis; quamvis functiones Clericales obſuerint labori corporis, ſolitudini, & ſilentio veterum Monachorum: incerta vero ſedes, & obedientia erga ſuos Superiores ſecum tulerit nullam propriam Eccleſiam, & exemptionem vix non pleniſſimam ab Epiſcopi ſui Juriſdictione. Ex his Theatinos S. Gajetanus Tienenſis, & Petrus Caraffa Theatenſis Epiſcopus, in Pontificatu Paulus IV., anno 1524. fundavit, Clemens VII. approbavit. Præter conſueta vota inauditum aſſumpſerunt propoſitum, non tantum ne quid poſſideant, verum etiam nec mendicando, nec poſtulando vitam ſuſtentent, ſed ſpontaneis dumtaxat oblationibus & eleemoſynis alantur, abjectaque prorſus rerum terrenarum ſolicitudine in ſolo providentiæ ſinu quieſcant.

Clerici Regulares.

Theatini.

Jeſuitas an. 1534. mirabiliter inſtituit ex voto in Oratorio apud Montem Martyrum prope Pariſios S. Ignatius de Loyola cum Sociis. Confirmavit Societatem anno 1540. Paulus III., & inter Mendicantes poſuit Pius V. Ratio eſt, quia multæ Domus Profeſſæ inveniuntur, quæ immobiles fundos non poſſident. Poſſident quidem ampliſſimo nomine Collegia, quæ ad majorem Dei gloriam magnis publicæ rei ſumptibus Magiſtros ſtudioſæ juventutis ſuſtentant. In hoc præclaro Cœtu ſunt Jeſuitæ ſuccreſcentes, qui poſt Tyrocinium, & poſt Rhetoricam, Philoſophicis, & Theologicis facultatibus toti incumbunt. Sunt Coadjutores ſpirituales, ſive Presbyteri aggregati, & iiſdem muniis vacantes, quibus vacant Profeſſi, excepta Theologiæ inſtitutione, Profeſſis tantum propria, & competente. Non Profeſſos, ſi graviſſimæ cauſæ præceſſerint, pro lubitu Societas dimittit, cum tamen ipſi pro lubitu diſcedere nequeant. Sunt alii Coadjutores temporales, qui temporalibus, œconomicis, domeſticis miniſteriis applicantur nutu Superiorum. Sunt Profeſſi totius Societatis robur, & vires, qui non amplius dimittuntur. Præter

Jesuitæ.

Digitized by Google

ter tria conſueta Vota, Quartum eſt iſtorum Obedientia erga Summum Pontificem in omnibus, quæ ad ſalutem animarum; & ad fidem propagandam pertinent. Hoc argumento Miſſiones agunt apud Indos Orientales, Japonios, Æthiopes, Congitanos, Sinas, aliaſque remotiſſimas

Matth. X. 6. XV. 27.

Gentes. Non tantum miſſi *ad Oves, quæ perierunt Domus Iſrael*, in viam gentium abeunt, & in Civitates Samaritanorum intrant, quia *& Catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum.*

Somaschi.

Eodem anno, quo Jeſuitæ confirmati ſunt, Paulus III. an. 1540. approbavit Somaſchos, quos Hieronymus Æmilianus pro Orphanis inſtituit

Barnabitæ.

an. 1531. Sed præceſſerunt Barnabitæ ab Eccleſia S. Barnabæ, ubi quidam nobiles Mediolanenſes promotore Seraphino Firmano Canonico Regulari Congregationem iniverunt S. Pauli Decollati an. 1528. confirma-

Philippini.

tam a Clemente VII. Congregationem Oratorii S. Philippus Nerius promovit, quam an. 1575. Gregorius XIII. confirmavit. Alia Congregatio

Ministri Infirmorum.

Clericorum Regularium miniſtrantium infirmis autorem habuit Camillum de Læliis Presbyterum, quam Sixtus V. anno 1585. confirmavit.

Clerici Regulares Minores.

Alia Congregatio Clericorum Regularium Minorum autorem habuit Joannem Auguſtinum Adornum Presbyterum, quam Sixtus V. an. 1588.

Oratorium Gallicanum.

confirmavit. Alia eſt Congregatio Piorum Sacerdotum, quam ſub vulgato nomine Oratorii Jeſu, ad petitionem Mediceæ Reginæ, & Henrici Gondii Archiepiſcopi Pariſienſis, in Gallia inſtitutam Paulus V. anno 1613. approbavit. Primus Generalis Præpoſitus fuit Petrus de Berulle, Presbyter Pariſinus, poſtea Cardinalis, qui fuit inſtitutor Oratorii Gallicani Piiſſimorum, Doctiſſimorumque Virorum Seminarii. Pone ſequi-

Scholæ Piæ.

tur Venerab. Joſeph Calaſantius, qui Scholas Pias Romæ inſtituit pro pauperibus pueris, ut legere, ſcribere, & arithmeticam gratis diſcant. Hæc Congregatio Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ſub Paulo V. an. 1617. erecta fuit, & inter Congregationes Clericorum Regularium

Elogium Adolphi Episcopi Jaurinensis.

ſub Gregorio XV. numerata. Jactat illa poſt Seculum integrum inter optimos ſuos alumnos Adolphum modernum Epiſcopum Jaurinenſem, Virum & in Hebraicis Literis doctum. Singularia Ejus merita univerſus Ordo teſtatur, cui Generalis præfuit. Sed ut cuncta præteream, quæ laudes ſuas extollerent, unum ſufficit nobis ſcire, quod ſit Cæſari cha-

Pii Operarii.

rus. Præterea Carolus Caraffa Pios Operarios a Gregorio XV. approba-

Presbyteri Missionarii.

tos circa annum 1619. inſtituit. Vincentius a Paulo Presbyteros Miſſionarios ab Eodem approbatos circa annum 1626. inſtituit. Omiſſus fuit ſu-

Fratres Misericordiæ.

pra Ordo Charitatis autore S. Joanne de Deo, propter infirmos a Pio V. confirmatus an. 1572. Hæ

Digitized by Google

Hæ mihi videntur forte ſingulæ Congregationes Clericorum Regularium uſque ad noſtram ætatem. Medio tempore tam Mendicantes, quam Illis antiquiores Canonici Regulares non paucos aſpexerunt ſuos Reformatores. Vix non omnes juxta ſenium nominabo. Congregatio Minorum S. Franciſci ſtrictioris Obſervantiæ confirmata eſt a Clemente VII. an. 1532. Hanc quidem Ejuſdem Ordinis Profeſſores excogitaverunt, qui ſe Recollectos vocant, eo quod Regulam primam S. Franciſci juxta literam, & juxta declarationes Nicolai III., & Clementis V. obſervare ſatagerent. Præceſſerunt anno 1525. Capuccini, quos autore Mattheo de Baſſio Ordinis Minorum Obſervantium confirmavit poſt biennium Clemens VII., qui vero ab initio regebantur ab eodem Fratrum Minorum Conventualium Generali. Carmelitæ Diſcalceati etiam habent proprium Generalem. Confirmavit anno 1580. Gregorius XIII. hanc S. Thereſiæ Reformationem. Clemens VIII. Diſcalceatos Auguſtinianos, & Diſcalceatos Trinitarios circa annum 1595. confirmavit. Gregorius XIII. Monachos Baſilianos in Hiſpania, Sicilia, atque Italia ſeparatos ſub unica Congregatione anno 1579. poſuit. Congregationem B. M. Fulienſis propagavit an. 1577. Joannes de la Barriere Ciſtercienſis Abbas, qui Monachos ſuos ad ſeveriorem diſciplinam, primævumque SS. Benedicti, & Bernardi inſtitutum per carnis abſtinentiam, aliaque arctiora inſtituta reduxit, approbante Sixto V. an. 1586. Celeberrimæ in Gallia Congregationes Sancti Mauri pro Monachis ſub Gregorio XV., & S. Genovievæ pro Canonicis Regularibus ſub Urbano VIII. confirmatæ jam ab anno 1618. prodierant de Eccleſiaſtica quidem Diſciplina, de ſolida rerum Eccleſiaſticarum eruditione genuina optime meritæ, quantum non alii homines meriti ſunt. Tandem novæ, & ſtrictioris Monaſticæ Diſciplinæ Ordinis Ciſtercienſis Congregationi initium fecit anno 1662. Armandus Joannes Butillierius Rancæus Abbas Monaſterii B. M. Domus Dei de Trappa Ord. Ciſterc., qui ſibi propoſuit veteres Ordinis Ciſtercienſis uſus reſtaurare. Vita communis, victus ex ſolis herbis, leguminibus, radicibus, lacte, pane, & vino, juge ſilentium, Chorus frequens, labor manualis, Veſtis, alba Cuculla cum capuccio, & cingulo coriaceo, lectus ſupra paleas, templa munda abſque auro, & argento, obedientia prompta, charitas multa, atque perfecta. Propediem morituri in terram deponuntur in cilicio, & cinere; ibique Sacro extremæ Unctionis Oleo delibuti inſtar victimæ Holocauſti ſuper Altare poſitæ, conſummato Sacrificio, placide in Domino moriuntur.

Reformatores Religioſi.

Recollecti.

Capuccini.

Carmelitæ Diſcalceati.

Auguſtiniani, et Trinitarii Diſcalceati.

Monachi Baſiliani.

Congregatio B. M. Fulienſis.

Congregatio S. Mauri, et S. Genovievæ.

Reformatio Trappenſis.

Pios

Digitized by Google

Pios iſtos Monachos, qui nihil, niſi Deum ſciunt, vidi in Monaſterio Caſæmarii, Verulanenſis Diœceſis: cujus Monaſterii Abbas Commendatarius eſt Cardinalis Annibal Albanus. Hæc de ſtatu Monaſtico, & Regulari ſcripſi, ſalvo ſingulorum honore, ordine, ac jure, ubi vix non omnes Regulares recenſui, aut ſaltem plures, quam quos ab initio recenſere mihi propoſuiſſem, aut neceſſitas ipſa poſtulaſſet. Majoris, ac alienæ Inſtitutionis locupletiſſimum Argumentum.

DE TYROCINIO, ET RELIGIOSA PROFESSIONE

TITULUS XXV.

TYRO, SACER MILES.

QUomodo aptus erit difficili bello, qui non novit arma tractare? Sacram Militiam aggreſſurus diſcat; oportet, quanta bella, quanti hoſtes maneant ipſum, quibuſve armis debellari valeant? Colluctatio enim adverſus carnem, & adverſus tenebrarum poteſtates eſt. Juxta Regulam S. Benedicti non Ei facile tribuendus ingreſſus, qui noviter ad Religionem venit. Probandus, an ex Deo ſit Spiritus. Si veniens perſeveraverit pulſans, & illatas ſibi injurias, & difficultates ingreſſus poſt congruum temporis ſpatium viſus fuerit patienter portare, & inſiſtere petitioni ſuæ, detur Ei ingreſſus. Hoc ſenſu Clemens VIII. mandat, ut *Superiores diligenter inquirant, quo ſpiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis Vitæ genus elegerint, quem ſibi finem propoſuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberius famulari poſſint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur.* Quid de miſeris, qui blanditiis, & munuſculis trahuntur non ſine gravi horribilis Simoniæ ſuſpicione, ſanum & liberum rationis uſum non ſatis habentes, aut minis, & vi peſſima adiguntur? væ illis, quia corpus intra inviſa clauſtra ponunt, animam vero mittunt in Gehennam.

INGRESSUS DIFFICILIS.

Bullar. Roman. *p.3.§.23.pag.128. Edit. Lugd. 1673.*

FINIS.

LIBERTAS.

Hunc Titulum de jure noviſſimo conſideramus. Admiſſo Tyrone iſte per annum integrum continuum poſt habitum ſuſceptum, aut nulla ſaltem notanda mora intermiſſum, in probatione ſtare debet, antequam ad Profeſſionem admitti poſſit. *Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut ad alios quoſcunque effectus.* Sed non improbant Tridentini Patres Statuta, & Conſuetudines Religionum, quæ prolixius Probationis tempus requirunt. *Rurſus in quacunque Religione tam virorum, quam mulierum profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum.* Sed non

ANNUS PROBATIONIS.

Seſſ. XXV. 1563. *c. 15. de Regular.*

ANNUS PROFESSIONIS.

non improbant Tridentini Patres Statuta, aut Conſuetudines Religionum, quæ veram Profeſſionem protrahunt ad maturiorem, vel conſummatam potius ætatem. Quidquid enim agimus, ut prudenter agamus, finem reſpiciamus, oportet.

Nulla quoque renunciatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, valeat, niſi cum licentia Epiſcopi, ſive Ejus Vicarii, fiat intra duos menſes proximos ante Profeſſionem. Aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renunciatione, etiam jurata, ſit irrita & nullius effectus. Sub hoc Decreto, quod ſummopere animadvertendum eſt, prohibentur renunciationes tantum irrevocabiles; & factæ ſolum intuitu ingreſſus Religionis, ob quam vero in dubio factæ præſumuntur maxime, ſi notabilem quantitatem contineant. Quod ſi Renunciatio ante ſuſceptum habitum facta fuerit, vel ante ingreſſum Religionis, quamvis renuncians jam foret acceptatus, Concilium non habet locum, quia loquitur præciſe de ſumentibus habitum, vel intrantibus Religionem. Suppono enim hunc Renunciationis actum præſcindere ab omni ingreſſu Religionis, ita ut Renuntians ex quocunque alio titulo tunc motus fuerit. Alias quomodo verificaretur, hanc Renunciationem non eſſe ſequutam intuitu ingreſſus? Unde ſi Donatio, aut Renunciatio facta fuerit intuitu Religionis ingrediendæ, & Religionem is non ingrediatur, Donatio, aut Renunciatio illa omni jure nulla eſt: quia cenſendum eſt appoſitam fuiſſe tacitam conditionem, qua non purificata nullus producitur effectus. *Finito tempore Novitiatus, ſuperiores Novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant, aut e Monaſterio Eos ejiciant*: ſalvo ſcilicet Inſtituto Societatis Jesu, quæ uſque ad ſecundam Profeſſionem pro lubitu ſuos homines dimittit. Præterea *abeuntibus ante Profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant. Quod ut recte fiat, Epiſcopus etiam per Cenſuras Eccleſiaſticas, ſi opus fuerit, compellat.* Juſtum enim non eſt, ut, qui diſcedens neminem lædit, & ſuum jus ſequitur, ille amiſſa ſua re puniatur, tamquam reus. Hinc Bonifacius VIII. ſcripſit, quatenus *Beneficium illius, qui Religionem ingreditur, non eſt intra Probationis annum alicui conferendum: niſi ad id Ipſius accedat aſſenſus, aut conſtet, quod vitam voluerit abſolute mutare, vel Profeſſionem expreſſam fecerit, ſeu ſcienter habitum receperit Profeſſorum. Sed interim eidem Beneficio per alium deſerviri debebit, aſſignata ſibi congrua de ipſius proventibus portione.*

c. 16. eod. QUOMODO NOVITIUS VALEAT RENUNTIARE?

PROFESSIO NON DEBET SUSPENDI.

SALVO INSTITUTO SOC. JESU.

DISCEDENTI OMNIA RESTITUANTUR.

c. 4. de Regul. in 6. AN VACET BENEFICIUM NOVITII?

Profeſſio omnis Religioſa, quæ fit per ſolemnia vota, ex neutra parte revo-

CONTRACTUS PROFESSIONIS.

Digitized by Google

revocari poteſt, Religioſi ſcilicet Profitentis, & Religionis, ſeu nomine Religionis, coram Deo Superioris acceptantis. Inter Religionem, & Religioſum quaſi contractus intercedit mutuo obligatorius, ubi Religioſus ſuam obedientiam, & ſervitia, Religio autem juſta alimenta pollicentur

Ritus S. Bened.

juxta Regulas. Exordium, & Ritus Profeſſionis in antiqua S. Benedicti Regula fundatur, juxta quam erat præſcriptum, ut *Suſcipiendus in Oratorio coram omnibus promittat de ſtabilitate ſua, & converſione morum ſuorum, & obedientia coram Deo, & Sanctis Ejus: ut, ſi aliquando aliter fecerit, ab Eo ſe damnandum ſciat, quem irridet, de qua Promiſſione ſua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum Reliquiæ ibi ſunt, & Abbatis præſentis. Quam petitionem manu ſua ſcribat, aut certe, ſi non ſcit literas, alter ab Eo rogatus ſcribat. Et ille Novitius ſignum faciat, & manu ſua Eam ſuper Altare ponat. Quam dum poſuerit, incipiat ipſe Novitius mox hunc verſum: Suſcipe me Domine ſecundum Eloquium tuum, & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. Quem verſum omnis Congregatio tertio reſpondeat, adjungentes Gloria Patri. Tunc ille Frater Novitius proſternatur ſingulorum pedibus, ut orent pro Eo, & jam ex illa die in Congregatione reputetur.* Ex regula S. Bene-

Olim sola expressa Professio, Serius tacita.
c.8. & 9. de Regul. c.1. & 3. eod. in 6. c. 2. Clement. eod. c. 4. de Regul.
Hodie utraque viget.

dicti non alia Profeſſio vera apparet, quæ non ſit expreſſa. Decretales tacitam quoque admiſerunt profeſſionem, quæ æque revocari nequit: quando nempe Religioſus poſt annum Probationis triduo integro geſtavit habitum profeſſum ab habitu Novitiorum diſtinctum: vel quando ſponte ſe ingeſſit actibus propriis Profeſſorum. Tacitæ Profeſſiones a Tridentino ſublatæ omnino non ſunt, dummodo actus, per quos introducenda eſt Profeſſio tacita, fiant legitimo Superiore approbante; ſpontanee non coacte fiant, ſcienter, non ignoranter. Unde facile conſtat tales actus ordinatos eſſe ad inducendam ſtrictam obligationem, per quos Novitius deliberatum profitendi animum habeat. Denique fiant poſt annum decimum ſextum completum integrum.

Non ubique.

Conſtit. Molin. *art.* 55.
Edict. Perpet. Alberti, & Iſabellæ *art.* 2.
Journal des Audiences *p.* 2.

Standum tamen erit certis locorum uſibus, quia neque Galli, neque Belgæ aliam legitimam, & veram agnoſcunt Profeſſionem, niſi quæ ſit non ſolum expreſſa, verum etiam ſcripto appoſita. Refert de Freſne, quod non ita pridem certam Puellam, quæ poſt annum Probationis per triginta circiter annos habitum Monialium Profeſſarum geſtaverat, & cum aliis Monialibus tamquam Profeſſa Capitulo, & deliberationibus intervenerat, ad hæreditatem paternam, tamquam non profeſſam eſſe admittendam judicaverit Senatus Pariſienſis, eo quod de expreſſa Profeſſione non

Collect. Statut. *Ord. Carthuſ. c.* 18.

conſtaret. Refert VVameſius Carthuſianus: *Profeſſionem tacitam in noſtro Ordi-*

Digitized by Google

Ordine non habemus, neque permittimus. Sed omnes volumus expreſſe, & publice Profeſſos.

Cum vero plurima mala orta ſint ex eo, quod olim liberum fuerit omni tempore allegare, & probare nullitatem Profeſſionis, neque Monachus reclamans compellatur ante finem cauſæ ad Monaſterium redire: Synodus Tridentina opportuno remedio ſtabilivit, ut, *Quicunque Regularis prætendat ſe per vim, & metum ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante ætatem debitam profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa, aut etiam cum habitu diſcedere ſine licentia Superiorum: non audiatur, niſi intra quinquennium tantum à die Profeſſionis; & tunc non aliter, niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario.* Duo conſideranda, nempe quod poſſit tale impedimentum eſſe, quod ſit ex natura ſua perpetuum; puta ſi mulier, aut non baptizatus ſub veſte mentiti Profeſſi lateat. Alterum, quod variæ ſint privatæ Conſuetudines ad introducendam querelam: puta in Gallia, unde recurſus fit ad Summum Pontificem, qui delegat Judices in partibus. *Quod ſi antea habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandam quamcunque cauſam admittatur: ſed ad Monaſterium redire cogatur, & tanquam Apoſtata puniatur; interim vero nullo privilegio ſuæ Religionis juvetur.* Reaſſumpto habitu audiri debet, quia omnia redeunt ad priſtinum ſtatum. *Nemo etiam Regularis cujuſcunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem.* Ad ſtrictiorem tranſire Regulam jam ſæpius fuit permiſſum, ad laxiorem raro. *Nec detur licentia cuiquam Regulari occulte ferendi habitum ſuæ Religionis.* Juſta cauſa excuſat, ubi inter inimicos, aut infenſos homines vivitur. Sic multi pii Miſſionarii in partibus alienigenis, in quibus ægre feruntur Catholici, ſub veſtibus ſecularibus latere coguntur.

MODUS EXCLUDENDÆ PROFESSIONIS.

ſupra c. 19.

TEMPUS RECLAMANDI INFRA QUINQUENNIUM.

Fevret de Abuſu *l. 5. c. 3. n. 28.*

NON LICET HABITUM DIMITTERE.

NEC AUDITUR, NISI REASSUMPTO HABITU.

AN LICEAT MUTARE RELIGIONEM?

Aliquando invitus, aut in pœnam Religioſus incorrigibilis ex ſuo Ordine ejicitur. S. Benedictus, a quo normam ſumunt cœteri, hæc habet: *Si quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, ſe etiam excommunicatus non emendaverit, acrior Ei accedat correptio; ideſt ut verberum vindicta in Eum procedat. Quod ſi nec ita ſe correxerit, aut forte, quod abſit, in ſuperbiam elatus, etiam defendere voluerit opera ſua, tunc Abbas faciat, quod Sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, ſi unguenta adhortationum, ſi medicamina Scripturarum divinarum, ſi ad ultimum uſtionem excommunicationis, vel plagarum virgas; etiamſi viderit nihil ſuam prævalere induſtriam, adhibeat etiam, quod majus eſt, ſuam & omnium fratrum*

EJECTIO RELIGIOSI.

R *pro*

pro eo orationem, ut Dominus, qui potens eſt omnia, operetur ſalutem circa infirmum fratrem. Quod ſi nec iſto medio ſanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abſciſſionis, ut ait Apoſtolus; Auferte malum ex vobis; & iterum; Infidelis ſi diſcedit, diſcedat: ne una ovis morbida omnem gregem contaminet. Hæc diſciplina ejiciendi Monachos a Gregorio IX. mitigata fuit, propterea quod nonnulli Religioſi Superiores nimis prompti fuiſſent ad exuendos criminoſos habitu Regulari, qui poſtea cum magno ſcandalo vagabantur. Unde videtur Gregorius IX. loco Ejectionis periculoſæ carceres etiam perpetuos conſuluiſſe. Tandem Urbanus VIII. jam ante Seculum de Apoſtatis, & Ejectis omne dubium ſolvit, ubi ait: *Ad hæc ut impoſterum nullus legitime Profeſſus ejici poſſit, niſi ſit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime cenſeatur, niſi non ſolum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris diſpoſitione requiruntur, ſublatis in hac parte Statutis, & Conſtitutionibus cujuſcunque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apoſtolica approbatis, & confirmatis; verum etiam unius anni ſpatio in jejunio, & pœnitentia probetur in Carceribus: proindeque Religio privatos habeat carceres in qualibet ſaltem Provincia. Elapſo autem anno ſi nihilominus non reſipuerit, ſed animo indurato in ſua pervicacia perduraverit, ne contagione peſtifera plurimos perdat, tamquam pecus morbidum, ac membrum putre ejici poſſit: Sed ab ipſomet Generali tantum, ex conſilio, & aſſenſu ſex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in ſingulis Capitulis, vel Congregationibus Generalibus; tumque nonniſi inſtructo ſecundum Eorum ſtylum, & conſtitutiones proceſſu, & plene probatis cauſis expulſionis ad Sacrorum Canonum præſcriptum.* Aliquando ſola Ejectio non ſufficit. Propter graviora crimina Religioſi delinquentes ad ergaſtula, & ad triremes, ſacco induti, amandantur, ne veſtis Religioſa profanetur. Sæpe carceres perpetui in Religione ſeliguntur, ut honor Religionis ſalvus fiat, quæ innocens eſt.

MITIGATA.

c. fin. de Regular.

CARCERES.

PROVISIO URBANI VIII.

GRAVIORES POENÆ.

IDEA BONI RELIGIOSI.

Supereſt unum in tanta Regularum varietate, *ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque imprimis, quæ ad ſuæ Profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, ac ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad Eorum reſpective eſſentiam, nec non ad communem vitam, victum, & veſtitum conſervanda, pertinentia fideliter obſervent. Omniſque cura, & diligentia a Superioribus adhibeatur tam in Capitulis Generalibus, & Provincialibus quam in eorum viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non intermittant, ut ab illis non recedatur: cum compertum ſit ab Eis non poſſe ea, quæ ad ſub-*

Digitized by Google

ad ſubſtantiam Regularis Vitæ pertinent, relaxari. Si enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius Regularis Diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium, neceſſe eſt. Hæc pia Tridentinæ Synodi mens eſt: quæ, poſtquam Proprietatis vitium in privatis Regularium perſonis ſummopere damnavit, concedit tamen omnibus Monaſteriis, & Domibus Regularibus, (*exceptis Domibus S. Franciſci, Capuccinorum, & Eorum, qui Minores de Obſervantia vocantur*) *ut deinceps bona immobilia Eis poſſidere liceat.* Verum enim vero *is tantum numerus conſtituatur, ac impoſterum conſervetur, qui vel ex reditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis Eleemoſynis commode poſſint ſuſtentari. Nec de cætero ſimilia loca erigantur ſine Epiſcopi, in cujus Diœceſi erigenda ſunt, licentia prius obtenta.* Princeps Terræ, & omnes, quorum intereſt, audiri ſolent. De Votis plura loqui abſtineo, miſſo homine ad ſuum ſingulare Inſtitutum: Unumquodque recenſeri nequit. Fieret enim ingens volumen, in quo propoſitum meum non eſt. Memor conditionis ſuæ Religioſus vir recogitet corde, quantum promiſerit, & cui promiſerit, Deo ſcilicet, qui non irridetur.

Seſſ. XXV. 1563. c. 1. 2. 3. *de Regul.*

PAUCI BONA IMMOBILIA NON POSSIDENT.

NUMERUS RELIGIOSORUM.

QUOMODO POSSIT FUNDARI DOMUS RELIGIOSA?

DE REGULARIUM EXEMPTIONIBUS

TITULUS XXVI.

Quam obnoxia Epiſcopis, & ſubjecta eſſent Monaſteria vel jure ſupremæ adminiſtrationis Diœceſanæ, vel titulo liberaliſſimæ fundationis, vel nomine fidelis defenſionis, docent multa Secula, multæ Regiones. Primas forte querelas tulerunt ad Calixtum II. in Synodo Rhemenſi an. 1119. Epiſcopus Matiſconenſis, & Archiepiſcopus Lugdunenſis, ſed ſine fructu, contra Cluniacenſes, qui nec decimas ſolvebant, nec Ordinationem amplius a ſuo Diœceſano petere præſumebant, ac ſi nulla lex, nulla neceſſitas, nulla æquitas foret. Poſt triennium in Synodo Romana *ceperunt Epiſcopi dicere, nihil ſupereſſe aliud, niſi ut ſublatis virgis, & annulis, Monachis deſervirent: illos enim Eccleſias, Villas, Caſtra, Decimationes, vivorum, & mortuorum oblationes detinere.* Ad hæc Calixtus II.: *Caſſinenſe Cœnobium ab omni mortalium jugo quietum, & liberum manere, & ſub ſolius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ defenſione perpetuo manere decernimus. Cætera vero Monaſteria, in quo Ordine antiquitus conſtructa ſunt, manere jubemus.* Caſſinenſe Monaſterium Summis Pontificibus ſemper cordi fuit, quod Illud magno ære reſtauraſſent, ubi non ſemel tutiſſimum aſylum inve-

QUERELÆ CONTRA CLUNIACENSES,

ET CONTRA CASSINENSES.

Digitized by Google

Baron. inveniſſent. Immunitas Caſſinenſium fert autorem Alexandrum II. anno 1066., quando Cluniacenſes jam exempti erant.

CISTERCIENSES AB INITIO EXIMI NOLUNT.

c. 43. de Simonia.

Ciſtercienſes econtra ab omnibus privilegiis quaſi abhorruerunt: nec aliter Paſchalis II. an. 1110. ſpecialem Apoſtolicæ Sedis Tutelam Illis conceſſit, quam *ſalva Cabilonenſis Eccleſiæ canonica reverentia*, qua mediante Abbates Ciſtercienſes Archiepiſcopis, & Epiſcopis poſt annos centum ſubjectionem, & obedientiam ſecundum regulam S. Benedicti deſponderunt. Erat quidem annexa clauſula *ſalvo Ordine meo*, quam poſtea iidem Ciſtercienſes citaverunt, cum & ipſi Privilegiorum cupidi ab Innocentio IV. circa an. 1243. impetraſſent exemptionem ab Epiſcoporum viſitatione, & correctione. S. Bernardus magnus Ordinis inſtaurator ante annos centum nec omnes immunitates probavit, nec omnes rejecit, ubi ait: *Nonnulla tamen Monaſteria ſita in diverſis Epiſcopatibus, quod ſpecialius pertinuerint ab ipſa ſui fundatione ad Sedem Apoſtolicam pro voluntate fundatorum, quis neſciat? ſed aliud eſt, quod largitur devotio, aliud, quod molitur ambitio impatiens ſubjectionis*. Ergo finis, & charitas cohoneſtat facinus, unde pro bono Eccleſiæ conjiciamus, quæ ſint laudabiles Exemptiones. Paulatim ipſi Epiſcopi, alii mira Monachorum pietate tacti alii tædio oneroſæ juriſdictionis affecti, vel exemptiones ſponte indulſerunt, vel impetrandarum ad Apoſtolicam Sedem proni autores fuerunt. Alia ab aliis Monaſteriis exemplum duxerunt. Tandem ubi præſertim Seculo Decimotertio Mendicantes comparuerunt, invitis uſque Epiſcopis infinitæ Exemptiones conceſſæ ſunt, ne aut provocati, aut propter quamcunque aliam cauſam hi nocere poſſint recens exemptis. Sic præſtantiſſimis erga Romanam Sedem ſervitiis Regulares locupletiſſima privilegia, largiſſimaſque immunitates adepti ſunt: Exemptionem ſcilicet fere integram ab Ordinariorum juriſdictione, Indulgentias abſque numero pro quibuſcunque benefacientibus, facultates Sanctorum ſuorum Officia, & Anniverſaria Sacra colendi, concionandi, Confeſſiones exaudiendi, Pœnitentiam, & Euchariſtiam adminiſtrandi, Sepulturas in ſuis Eccleſiis elargiendi etiam extraneis, Parochias poſſidendi, Dignitates, & Epiſcopatus acceptandi, Miſſarum onera interdum reducendi, & alia multa, quæ ut pleno obtinerent numero, juvit apprime illos, Summos aliquando Pontifices e ſuo cœtu habuiſſe. Conſule Joannem Baptiſtam Confecto in ſua Collectione Privilegiorum Ordinis Mendicantium.

EXIMUNTUR.

SENTENTIA S. BERNARDI DE EXEMPTIONIBUS.

EXEMPTIONUM CAPITA.

Thomaſſinus p. 1. l. 3. c. 38.

Non tamen inficias ibo cum doctis viris multis, Sanctiſſimos Epiſcopos quoſcunque æquiſſimo tuliſſe animo, ut Regulares ſuis fruantur Pri-

Privilegiis, quamdiu conſultius fuit ad animarum ſalutem. Plures etiam mirabili ſapientia, & ſanctitate Regulares viri privilegiis his uſi non ſunt, niſi Epiſcopi aſſentirentur. Multo minus probaſſent privatum aliquorum Regularium ſpiritum, qui ſtatum ſuum tam perfectum conſiderant, ut contemnant eos, qui Regulares non ſunt. Quid ni? Presbyteros ipſos ſeculares, & vix non Epiſcopos contemnunt; quibus amplius indigere illos vix putarent, niſi ab Epiſcopis Ritum Ordinationis petere tenerentur. Spiritus iſte neutiquam ex Deo eſt. Sane de privilegiis Monachorum aut temperandis, aut prorſus revocandis toties deliberatum non fuiſſet, ſi inflectere ſe illi potuiſſent, ut nonniſi de conſenſu Epiſcoporum iis uterentur. Mitto motus in Gallia, in Anglia, in Germania, in Italia ipſa Epiſcopos inter, & Monachos, qui tandem unitis viribus contra novos Mendicantes inſurrexerunt. Fidem faciunt plura Concilia, imprimis Viennenſe an. 1311., Conſtantienſe an. 1414., Lateranenſe an. 1512., ad cujus poſtremam Seſſionem an. 1517. Spondanus Apamienſis Epiſcopus celeberrimus Annalium Scriptor non potuit præſens non exclamare: *Hæc eſt, eritque, quamdiu res ita perſtiterit, perpetua, & æquiſſima Epiſcoporum expoſtulatio*. Mitto teſtimonia plurimorum Summorum Pontificum, & Conciliorum, qui non potuerunt non coarguere exceſſus Privilegiatorum, ubi non ſemel falſa, & ſuppoſitia documenta producta ſunt, quemadmodum inter reliquos teſtantur Petrus Bleſenſis, & Cæſar Baronius Annalium Eccleſiaſticorum Parens. Has tandem aliquando prodigioſas Regularium exemptiones, ubi Eccleſiaſtico Regimini nimis periculoſas fore, & jam eſſe metuebant multi, Patres Tridentini reſtrinxerunt, quibuſcunque exceptionibus remotis; ita ut omnia Privilegia S. A., quatenus contraria forent Concilio Tridentino, ſint penitus ſublata, & ad terminos ejuſdem Concilii redacta: niſi recentius Apoſtolicum Privilegium derogaret Conciliari Diſpoſitioni, quæ in hunc caſum ceſſaret. Singulare eſt, quod ſcribit in Relatione Diæceſana ad Limina Apoſtolorum Joſephus Victorius de Albertis Epiſcopus Tridentinus, & Princeps: nempe *Præcipua ſunt Canonicorum Regularium S. Auguſtini Monaſteria Duo, quibus ſinguli præſunt Prælati, Præpoſiti nuncupati, uſum Mitræ, & Baculi Paſtoralis habentes, qui per Capitula Monaſteriorum eliguntur, & ab Epiſcopo, cui obedientiam, & ſubjectionem præſtant, confirmantur*. Aliud ſonat Monaſterium S. Michaelis ad Atheſim, aliud S. Mariæ ad Portam Clauſam in Gries. Nec tantum Epiſcopus confirmat Electos Præpoſitos, verum etiam hodie præeſt per ſuum delegatum Officialem Eorum Canonicæ Electioni. In-

CONCORDIA EPISCOPOS INTER, ET REGULARES.

LEVIS OPINIO DE NON REGULARIBUS.

SÆPE DE PRIVILEGIIS REVOCANDIS FUIT TENTATUM.

JUDICIUM SPONDANI.

Epiſt. LXVIII. *ad an.* 1109. *n.* 56.

RES COMPONITUR.

Seſſ. XXV. 1563. *cap. fin. de Regul.*

RECENS SUBJECTIONIS EXEMPLUM.

Digitized by Google

Seſſ. XXI. 1562. *c. 8. de Reformat.* Seſſ. XXV. 1563. *c. 8. de Regular.*

Interea Epiſcopus quaſcunque Eccleſias exemptas etiam Regulares viſitat, quibus ſit annexa cura animarum. Supplet negligentiam Deputatorum Regularium in Domibus vel ſub Protectione S. A., vel ſub directione Regis exiſtentibus, qui non coaleſcunt quovis triennio in Congregationem Provincialem pro bono communi. Viſitat Curatos tam Seculares, quam Regulares, in Monaſteriis degentes, quoad curam animarum, & Sacramentorum adminiſtrationem. Eccleſias vero Regulares etiam Curatas, quæ nullius Diœceſis ſunt, Epiſcopus viſitare nequit, quia Concilium loquitur tantum de iis, quæ in ſua Diœceſi ſitæ ſunt. Perſonæ tamen Regulares nunquam viſitari poſſunt, quamvis curam animarum gerant, quia Concilium loquitur tantum de Eccleſiis Regularibus. Hoc diſcrimen tam ſubtile eſt, ut non ſemper obſervari poſſet, ubi Eccleſia a perſona ipſa ſeparari non poſſet, eo magis, ſi extra Monaſterium degat. Tunc non foret tutus. Sed intra Clauſtra non tam facile licet penetrare. Recenſet Fagnanus capita quadraginta ſeptem, in quibus Regulares etiam intra Clauſtra degentes ſubſunt viſitationi, aut juriſdictioni Epiſcopi. De Proſpero Fagnano loquimur, quem Paulus V. loco celebris Joannis Franciſci Fagnani Ejus Patrui, ſed Patruo majorem, Sacræ Concilii Tridentini Congregationi a ſecretis jam anno ætatis ſuæ ſecundo ſupra vigeſimum ſuffecit. Ab hoc initio ſub octo Summis Pontificibus ſumma cum laude ſervivit per annos ſexaginta novem. Anno nonageſimo primo ætatis ſuæ poſt longam experientiam obiit doctiſſimus Vir, cujus auctoritas in Curia Romana tanta eſt, ut vix non ſolus audiri mereatur, quantum ad ſcientiam imprimis Decretalium ſpectat. Quare apud emeritum hunc autorem quærere oportet, quidquid etiam in hac cauſa de Exemptionibus occurrere unquam poteſt.

ibid. c. 11.

Seſſ. VI. 1547. *c. 3. de Reformat. In L. 1. Decretal. ad c. Grave. de Offic. Ordinand. pag. 597. num. 37.*

ELOGIUM PROSPERI FAGNANI.

EPISCOPORUM PRÆSENS JURISDICTIO IN REGULARES.

Seſſ. V. 1546. *c. 2. de Reformat.* Seſſ. XXIV. 1563. *c. 4. de Reformat.* Seſſ. XXIII. 1563. *c. 15. de Reformat.*

Contenti ſimus, ſi levi digito attigerimus, quod poſt Concilium Tridentinum Regulares ſine licentia Epiſcopi, multo minus Eo invito, & contradicente, verba ad populum facere, etiam in propriis non præſumant Eccleſiis. Præter poteſtatem abſolvendi acceptam in Ordinatione, debent etiam Regulares, antea idonei ab Ordinario reputari, & prævio examine approbati eſſe, ut Secularium audiant Confeſſiones. Unde concludunt Regulares aliqui ſe non indigere licentia Epiſcopi, ſed tantum ſuorum Superiorum ad exaudiendas Confeſſiones Regularium. Eſto. Videant ipſi, ſi ita ſonent eorum privilegia. Fundamentum ſemper redit in Ordinatione Epiſcopi, in qua, & a quo primitus acceperunt abſolvendi poteſtatem; eo magis, quod Epiſcopus Religioſo ſcandaloſe viventi Confeſſiones omnes,

Digitized by Google

omnes, etiam intra ſua clauſtra quoad reliquos Religioſos interdicere debet, ſaltem monito, & negligente ſuo Superiore. *Cenſuræ, & Interdicta nedum a Sede Apoſtolica emanata, ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo, a Regularibus in Eorum Eccleſiis publicentur, atque ſerventur. Dies etiam feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præceperit, ab exemptis omnibus etiam Regularibus ſerventur.* Controverſias inutiles de Præcedentia inter Eccleſiaſticas Perſonas tam Seculares, quam Regulares amota appellatione componit Epiſcopus. *Exempti autem omnes tam Seculares, quam Clerici Regulares quicunque, etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuo vivant.* Inſuper *Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra Clauſtra Monaſterii degit, & extra Ea ita notorie deliquerit, ut Populo ſcandalo ſit, Epiſcopo inſtante, a ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum ſevere puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat. Sin minus, a ſuo Superiore Officio privetur, & delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit.* Extra clauſtra S. Congregatio intellexit Regularem delinquere, etiam cum in Eccleſia Monaſterii delinquat, niſi clauſis portis, & ſolis Regularibus in Ea exiſtentibus delictum ſit commiſſum. Multa quidem Juriſdictio in Regulares conceditur Epiſcopo a Concilio Tridentino. Multa deeſt; & quæ remanet, facile declinari valet, quando Superiores dimittant ex Diœceſi Regulares delinquentes ad alios Conventus, aut illos, propter quos contentionis ſcandalum fuit excitatum. Hodie vero nulla potior ſupereſt via, quam juſta Epiſcopos inter, & Regulares Superiores harmonia, ut in charitate vera ad laudem Omnipotentis Dei cuncta procedant. Alias firmum manet Spondani judicium: *Hæc eſt, eritque, quamdiu res ita perſtiterit, perpetua, & æquiſſima Epiſcoporum expoſtulatio.*

[Margin: Seſſ. XXV. 1563. c. 12. de Regul. — ibid. c. 13. — ibid. c. 14. — JURISDICTIO EPISCOPALIS FACILE ELUDITUR. — REMEDIUM.]

DE DEVOTO FOEMINEO SEXU
TITULUS XXVII.

STudioſæ ad pietatem ipſam imitatrices Virorum fuerunt ab initio Mulieres. Aliæ divino inſtinctu ſolæ in deſerto, aliæ in ſeparatis ædibus, quantum licuit, privatam, aut communem ducebant vitam. Stipendiis Fidelium alebantur Virgines, & Viduæ æque, ac reliqui Clerici. Omnes æque adſcriptæ erant Canoni Eccleſiæ. Conſule Binghamum. More Beatæ Mariæ Virginis, quæ fuit in Templo præſentata, Parentes Chriſtiani Infantulas ſuas devovebant. Hæ vix ſeptennes jam tum ediſcebant

[Margin: MULIERES SOLITARIÆ. — VIRGINES, ET VIDUÆ. l. 7. pag. 96. — EDUCATIO SANCTA.]

Digitized by Google

bant Pſalmos, Cantica, Proverbia, & novum Teſtamentum; aut ex his rudimenta quædam, quantum licuit per tenellam ætatem. Adoleſcentulæ lectioni, jejunio, vigiliis, orationi, & labori manuum totæ incumbebant. Heu quam diverſis imbuuntur moribus Puellæ noſtræ, quæ aut nullos, aut damnoſos amoris Libros volvunt, ſomno, ſpeculo, aut ſpectaculis intentæ. Non deſunt, quæ pie educantur. Sed major pars non eſt Iſtarum. Olim autem Virgines aliæ Deo ſacræ, veſtes obſcuras ſolæ induebant: aliæ inter Miſſarum ſolemnia populo univerſo ſpectante benedicebantur ab Epiſcopo, vel a Presbytero Delegato. Idem Ritus in Viduis, quæ aut ſe velabant, aut velabantur ab Epiſcopo. Virgines ſuam Virginitatem, Viduæ Continentiam vovebant. Neutri parti contra votum Caſtitatis nubere fas erat: & ſi qua publice nupſiſſet, ſegreganda erat, incapax novi contractus. Satis conſtat uſque ad Milleſimum Annum fuiſſe in Eccleſia Latina tales Virgines, & Viduas Deo Sacras, ſimplici voto Continentiæ alligatas, velo, & habitu notabiles, in paternis, propriiſve Domibus habitantes.

Comparatio Seculi noſtri.

Velum Virginum, et Viduarum.

Votum Continentiæ.

Monaſteria Mulierum in Oriente,

et in Occidente.

Hiſt. Religioſ. *an.* 444.

Epitaph. Marcellæ.

Interea Fœminarum Deo Sacrarum Monaſteria in Oriente non minus antiqua ſunt, quam Monachorum. Antonii Soror, vetula Virgo, multarum Puellarum Magiſtra: Pachomii ſoror brevi tempore magnæ multitudinis Mater effecta eſt. Interlabente fluvio Virorum, & Fœminarum Monaſteria erant poſita, quibus Pachomius Petrum Monachum ſenem præpoſuit Viſitatorem. Fuerunt ſenſim hæ Sanctimoniales, ſive Canonicæ Fœminæ late per univerſum Orientem, atque Occidentem ſparſæ: *ita ut ducentæ, & quinquaginta*, ait Theodoretus, *aut eo plures, paucioreſque una degant, uno cibo veſcentes, ſuper ſtoreis ſolis dormire ſolitæ, & manus quidem lanificio exercentes, linguam vero hymnis conſecrantes*. Romæ vero per idem ferme ævum, atque in tota Italia, & ultra Italiam S. Hieronymus teſtatur, quod fuerint *crebra Virginum Monaſteria, Monachorum innumerabilis multitudo*. Lætam, & Paulam Beatas Abbatiſſas, vel Virginum Matres laudat idem Hieronymus. S. Auguſtinus Sororem ſuam Monaſterii Præpoſitam fecit, præſcripta Regula. Celebris in Gallia Regula eſt S. Cæſarii Arelatenſis, quam ſcripſit Sanctimonialibus in gratiam Cæſariæ Sororis ſuæ, & Monialium, quibus præerat in Monaſterio Arelatenſi, Ejus ſumptibus extructo, & fundato, anno circiter 536. Hujus Regulæ meminit imprimis Holſtenius, & Cointius. S. Leander Hiſpalenſis, S. Iſidori Frater, de Inſtitutione Virginum ad Florentinam Sororem Librum ſcripſit verſus finem Seculi Sexti.

Cod *Regul.* Annal. *Eccleſ. Francor.*

Jam

Ordo Juſtiniani.

l. 44. Cod. *de Epiſcopis, & Cleric. Gloſſar.*

Jam tum in Oriente Juſtinianus Imp. ſeparaverat Monaſteria virorum a Monaſteriis Mulierum, *quantumvis Eos adoptaverint ſibi Fratrum, Cognatorum, aut Dilectorum loco*. Inde *neceſſariis autem Reſponſis apud ſe degentium ſeparatim Mulierum unum ſenem a Deo amantiſſimo Epiſcopo Civitatis ſegregari: ad divinas vero peragendas Liturgias, & Sancta Communione participandas unum Presbyterum, & unum Diaconum honeſtæ vitæ dari, qui hæc ſola ſupradicta agere debeant, non etiam conveſci, & converſari, aut cohabitare cum ipſis*, illud cautum fuit. *Non ingredientur autem*, ait providus Imperator, *neque mulieres in virile Monaſterium, neque viri in Fœmineum, occaſione Mortui, & ob ibi ſepulti memoriam, vel per aliam cauſam... Neque enim Viros Mulierum ſtudia decent, neque rurſus virilia Mulierum Collegiis conveniunt*. Propterea ſequens inſtitutus fuit in Monaſteriis Mulierum Ordo, ut, qui probatiſſimæ virtutis ſenes ſeligebantur Reſponſarii uniuſcujuſque Monaſterii, hi loquantur Abbatiſſæ, & nulli alteri. *Oportet enim tales aliquas ad Januas ordinari, quæ ſimiliter ingreſſus, & egreſſus prohibeant, & inacceſſibiles viris ingreſſus, præterquam Aprocriſiariis conſtituant. Illi vero ad Oſtiariam loquentur, & dicent ſuum adventum: Abbatiſſæ vero per Eas agnoſcentes, & deſcendentes his loquentur; & Illi referent ad Illas de Earum gubernatione, aut utilitate, pro qua venerint; & ita, & quæ humana ſunt, agentur bene, & caſtitas permanebit undique a nullo tentata malo.*

Novell. 133. *c.* 3.

Clauſura stricta.

cap. 19.

Varia Diſciplina.

Irritum Sanctimonialis Conjugium.

Poſthac ex Synodo Aurelianenſi anno 549. manifeſtum fit, non ubique ſervatam in Occidente Legem Clauſuræ: Viduas, & Virgines Sacras fuiſſe alias, quæ a paternis, aut propriis ædibus nunquam recedebant: anno Probationis obſervari ſolitam fuiſſe Clauſuram in Laica Veſte: in Profeſſione Veſtem fuiſſe mutatam. Nulla Sanctimonialis vel in Clauſtro, vel domi abſcondita nubere poterat: irritum Conjugium, ſacrilega vota, ſeparandus quaſi adulterinus thorus; neque alias Excommunicationis vinculum ſolvebatur. Hanc ipſam ferme Diſciplinam Hiſpaniæ fuiſſe Synodus Barcinonenſis anno 599., Hiſpalenſis anno 619., Toletana anno 633. fuſe docent. Ex Italia, in qua Regulam ſuam ſcripſit S. Benedictus, migravit in alias Regiones rigor Diſciplinæ. Quomodo ergo non Romæ, & in univerſa Italia non ſervaretur Clauſuræ Lex? quomodo impune violaretur votum Continentiæ? Satis deploraverunt infandum tertiæ Sororis caſum duæ S. Gregorii M. Amitæ, & ipſe Gregorius M. Nepos, quod, cum omnes uno ardore converſæ, uno eodemque tempore ſacratæ, ſub diſtrictione Regulari degentes, in propria Domo

VIOLATI SACRAMENTI CASUS.

ſocialem vitam duxiſſent, una demum oblita Dominici timoris, oblita pudoris, & reverentiæ, oblita Conſecrationis, conductorem agrorum ſuorum poſtmodum maritum duxit. Triſte exemplum facit pro non incluſis Virginibus. Veriſimile eſt nec incluſas aliquando ſanctiori vita ſe ſe cuſtodiviſſe, aut ſaltem ſtrictas Clauſuræ Leges frequenter fractas fuiſſe. Seculo Octavo Sanctimoniales ante vigeſimum quintum annum non conſecrabantur, *niſi rationabili neceſſitate cogente*, cum ſcilicet periclitaretur pudicitia Virginalis, & vel petitor potens, vel raptor formidaretur, aut Virgo in mortis diſcrimine verſaretur. Zacharias P. Pippino Regi ad mentem Innocentii I. reſpondit, Virgines etiam a Sacerdote non velatas, quæ a propoſito Virginitatis defecerunt, Pœnitentiæ ſubjiciendas eſſe. Ante illam vero ætatem Puellæ ignobiles æque, ac nobiles recipiebantur in Monaſteria, in regulari diſciplina erudiebantur, & Virginitatem ſuam Chriſto devovebant. Monachorum, & Sanctimonialium in quovis Monaſterio determinatus erat numerus ſecundum facultates Monaſterii, cum Earum introitus ab omni novo exactionis onere immunis eſſe debuiſſet.

ÆTAS VELANDÆ SANCTIMONIALIS.

CONTINUA DISCIPLINA. *can.* 7.

Capitularia Caroli M. frequentem quoque ſtrictæ Clauſuræ mentionem faciunt. Synodus Arelatenſis an. 813. aditum in Monaſteria Puellarum non permittit, niſi probatæ vitæ, & ætatis provectæ viris, ubi neceſſitas poſtulaverit. Completo Miniſterio Presbyteri illico egrediebantur. Ex Regula Sanctimonialium Canonicarum circa an. 816. edita juſſu Ludovici P., & cura Amalarii Metenſis Diaconi, conſtat Has voto Paupertatis adſtrictas non fuiſſe, imo & ancillas aluiſſe. Concordat Synodus Pariſienſis an. 829. quoad Clauſuram. Synodus Rhemenſis an. 1148. Sanctimonialium Statuta reformat, quorum duo præcipua capita, Clauſura, & Vita communis. Pœna Interdicti, & privationis Chriſtianæ ſepulturæ decreta in Eas, quæ Pontificium, & Synodicum Mandatum non implerent. Synodus Pariſienſis anno 1212. ſtatuit, ne circa Moniales verſentur Clerici, vel ſervientes ſuſpecti: ne inanes confabulationes Clerici ſeculares cum juvenibus habere permittantur: ne Earum Parentes ſecretum ad Eas acceſſum habeant ſine teſtimonio ſeniorum, & omni ſuſpicione carentium mulierum: ne in eodem lecto binæ jaceant: ne ad inviſendos Parentes exeant ſine cuſtodibus boni teſtimonii, & ut infra breve tempus redeant ad Clauſtrum: ut choreas non ducant: ut religioſam in veſtibus, & ſuppellectili modeſtiam, & paupertatem ſervent: ut de bonis Monaſterii in communi Eis neceſſaria ſubminiſtrentur: ſi facultates Monaſterii deficiant, numerus minuatur: ut Epiſcopi Confeſſarios diſcretos, & honeſtos,

Digitized by Google

ſtos, & omni exceptione majores ipſis provideant, ne ſanguis ipſarum in die judicii de manibus Eorum requiratur: ut Abbatiſſæ, & Prioriſſæ circa obſervantiam Ordinis negligentes ab Officiis ſuis ſuſpendantur, aut deponantur, niſi ſe correxerint. Synodus Oxonienſis anno 1222. prohibet velum, vel peplum ſericum, acus argenteas, vel aureas, zonas ſericas auro, vel argento intextas, & omnem ornatum non decentem. In reliquo concordat cum citata Synodo Pariſienſi. Synodus Londinenſis anno 1368. Monialibus ſolitudinem ſummopere commendat, ne ex frequenti præſertim ſecularium converſatione quies Earum, & contemplatio perturbetur. Synodus Lambethenſis anno 1281. Monachos, & Moniales anno Probationis expleto Profeſſionis vinculo declarat obligari, nec ad Seculum redire poſſe. *can. 38.* *can. 19.*

Neceſſarium Clauſuræ rigorem Seculo Decimotertio exeunte Bonifacius VIII. reſtituit contra periculoſum, & deteſtabilem quarundam Monialium ſtatum, *quæ honeſtatis laxatis habenis, & Monachali modeſtia, ſexuſque verecundia impudenter abjectis, extra ſua Monaſteria nonnunquam per habitacula ſecularium perſonarum diſcurrunt, & frequenter intra eadem Monaſteria perſonas ſuſpectas admittunt, in Illius, cui ſuam integritatem voluntate ſpontanea devoverunt, gravem offenſam, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum*. Unde ſancivit Summus Pontifex præſenti Conſtitutione perpetuo irrefragabiliter valitura, *univerſas, & ſingulas Moniales præſentes, atque futuras, cujuſcunque Religionis ſint, vel Ordinis, in quibuslibet Mundi partibus exiſtentes, ſub perpetua in ſuis Monaſteriis debere de cætero permanere Clauſura: ita quod nulli Earum Religionem tacite, vel expreſſe profeſſæ ſit, vel eſſe valeat quacunque ratione, vel cauſa (niſi forte tanto, & tali morbo evidenter Earum aliquam laborare conſtaret, quod non poſſit cum aliis abſque gravi periculo, ſeu ſcandalo commorari) Monaſteria ipſa deinde egrediendi facultas: nullique aliquatenus inhoneſtæ perſonæ, nec etiam honeſtæ (niſi rationabilis, & manifeſta cauſa exiſtat, ac de illius, ad quem pertinuerit, ſpeciali licentia) ingreſſus, vel acceſſus pateat ad Eaſdem: ut ſic a publicis, & mundanis conſpectibus ſeparatæ omnino ſervire Deo valeant liberius, & laſciviendi opportunitate ſublata Eidem corda ſua, & corpora in omni Sanctimonia diligentius cuſtodire*. Hujus Conſtitutionis mentionem facit Synodus Colonienſis an. 1310., quæ inſuper Monachos, & Moniales ad reſignandum peculium intra menſem ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ compellit. RESTITUTA CLAUSURA. *c. un. de ſtatu Regul. in 6.*

Synodus Tridentina Conſtitutionem Bonifacii VIII. renovat, atque CONFIRMATA.

Digitized by Google

Seſſ. XXV. 1563. c. 5. de Regular.

univerſis Epiſcopis ſub obteſtatione Divini Judicii, & interminatione maledictionis æternæ præcipit; ut in omnibus Monaſteriis ſibi ſubjectis, ordinaria, in aliis vero, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, Clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime procurent; Inobedientes, atque Contradictores per Cenſuras Eccleſiaſticas, aliaſque pœnas quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcentes, invocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachii ſecularis ... Et quia Monaſteria Sanctimonialium, extra Mœnia Urbis, vel Oppidi conſtituta, malorum hominum prædæ, & aliis facinoribus ſine ulla ſæpe cuſtodia ſunt expoſita, curent Epiſcopi, & alii Superiores, ſi ita videbitur expedire, ut Sanctimoniales ex iis ad nova, vel antiqua Monaſteria intra Urbes, vel Oppida frequentia reducantur invocato etiam auxilio, ſi opus fuerit, Brachii Secularis.

QUATUOR SANCTIMONIALIUM CLASSES.

Quemadmodum Religioſos viros ad quatuor claſſes reduximus, ita ad quatuor claſſes diſtribuimus Religioſas Fœminas. Sunt nempe Sanctimoniales Monaſticæ, Canoniſſæ Regulares, Mendicantes, & Clericæ, ut ita dicam, Regulares: quarum aliæ Monachorum, aliæ Canonicorum Regularium, aliæ Mendicantium, aliæ Clericorum Regularium Inſtitutum, & Regulas (quantum per pias fœminas fieri licet) ſervant, atque imitantur. Unde aliæ Regulam S. Benedicti, aliæ S. Auguſtini, aliæ S. Franciſci, & S. Dominici, aliæ alias recentiores Regulas ſectantur. Sic qualis fuit Monachis Benedictus, talis fuit Monialibus Scholaſtica Soror: qualis fuit Mendicantibus Franciſcus, talis fuit Sacris Virginibus Clara Concivis, aut Thereſia Abulenſis Reformatrix. Potuitne per Mulieres Deum timentes propius attingi Clericorum Regularium inſtitutio, qui pueros divina, & humana docent? nonne illam æmulantur ſatis de inſtituendis puellis optime meritæ tam Saleſianæ, quam Urſulinæ? Verum

CANONISSÆ REGULARES, AUT SECULARES.

inter Canoniſſas quoque reperiuntur hodie aliæ Regulares, aliæ Seculares, ſicut inter Canonicos ſuperſunt alii Regulares, alii Seculares. Mabillonius poſt alios autores vult circa Seculum Nonum quædam Sanctimonialium Monaſteria in Canonicarum Collegia, quædam etiam Monachorum Clauſtra in Canonicorum Capitula degeneraſſe. Saltem Synodus

AD COMMUNEM VITAM REDIGUNTUR.

Aquiſgranenſis an. 816. Canonicas Sanctimoniales ad Vitam communem redactas perpetuæ caſtitatis vinculo obſtrinxerat, Clauſura firmata, ita ut nobiles genere nequaquam ignobilioribus ſe præferant, quia perſonarum acceptor non eſt Deus. Nigræ veſtes, nunquam ſericeæ, commune Refectorium, commune Dormitorium, in quo Lucerna de nocte jugiter ardeat, ſingulæ in ſingulis lectis. Vernulæ famulandi gratia paucæ. Nondum

dum

Digitized by Google

dum tamen rerum ſuarum abdicationem devoverant, quas interdum Monaſterio donabant. Unde indigentibus tantum Domus Religioſa diſpenſabat veriſimiliter ſtipendia neceſſaria.

Imo nonnullis Viris Doctis apparet admodum veriſimile, quod, ſicuti Canonici circa Seculum Duodecimum deſerta vita communi tranſiverunt ad vitam ſingularem, ita pariter Canonicæ circa idem tempus a vita communi tranſire ceperint ad vitam ſingularem. Quemadmodum aliqui Canonici vi ſui Canonicatus non exiſtimaverunt ſe voto perpetui Cælibatus conſtringi, ſolamque ſufficere Tonſuram, ut dimiſſo Canonicatu libere valeant ad Matrimonium tranſire: ita Canonicæ ſenſim a voto perpetuæ Caſtitatis ſe eximere, & relicta vita Canonicali ad Nuptias migrare ceperunt. Porro ſicuti Canonici poſt dimiſſam vitam communem, & arreptam ſingularem Oeconomiam dicti fuerunt Seculares, ad Eorum diſcrimen, qui manſerunt ſub certa Regula in vita communi: ita Canonicæ poſt tranſitum ad vitam ſingularem, dici ceperunt Seculares. Harum meminit Bonifacius VIII., & Clemens V., *per hoc tamen non intendentes Earum ſtatum, Regulam, ſeu Ordinem approbare*. De quibus ſic habet Clemens V.: *Illas quoque Mulieres, quæ vulgo dicuntur Canonicæ ſeculares, & ut ſeculares Canonici vitam ducunt, non renunciantes proprio, nec Profeſſionem aliquam facientes, per locorum Ordinarios, ſi exemptæ non fuerint, ſua: ſi vero exemptæ fuerint, Apoſtolica auctoritate præcipimus viſitari.*

Quam et ipsæ deserunt.

c. 43. §. pen. de Elect. in 6. Clement. *c. 2. de ſtatu Monachor.*

Nunquam approbatur talis Desertio.

Visitandæ ab Episcopis.

De his Scriptor Seculi Decimitertii Cardinalis de Vitriaco narrat: *Ad imitationem, & exemplum prædictorum Canonicorum, in partibus Hannoniæ, & Brabantiæ, & in quibuſdam Teutonicorum, & Alemannorum Provinciis ſunt Mulieres, quas Canonicas Seculares, ſeu Domicellas appellant. Non enim Moniales nominari volunt, ſicut Canonici Seculares Monachi non dicuntur. Hæ ſiquidem adeo perſonas accipiunt, quod nonniſi filias Militum, & Nobilium in ſuo Collegio volunt recipere, Religioni, & morum nobilitati Seculi nobilitatem præferentes. Purpura autem, & byſſo, & pellibus griſeis, & aliis jucunditatis ſuæ veſtibus induuntur, circumdatæ varietatibus, cum tortis crinibus, & ornatu pretioſo circumamictæ... Pellibus autem agninis, quantumcunque ſubtilibus, & delicatis utuntur... Clericorum autem, & Puellarum, & Juvenum ſervorum etiam ſibi miniſtrantium cinctæ obſequio, in domibus propriis magnifice, & ſplendide epulantur. Nec deſunt Menſis Earum conſanguinei, in primo gradu ſibi propinqui, quos Cognatos appellant. In Dormitorio autem juxta Eccleſiam ſuam de nocte quieſcunt... Sunt autem in iiſdem Eccleſiis pariter Canonici ſeculares diebus feſtis, & ſo-*

Hiſt. Occid. *c.* 31.

Illarum Mores.

Digitized by Google

CANONICI, ET CANONICÆ IN EODEM CHORO. *& ſolemnibus ex altera parte chori cum prædictis Domicellis canentes, & Earum modulationibus æquipollenter reſpondere ſtudentes... Similiter in Proceſ-*
ET IN PROCESSIONIBUS. *ſionibus compoſitæ, & ornatæ, Canonici ex una parte, & Dominæ ex alia*
TANDEM SI PLACET, NUBUNT. *parte concinentes procedunt. Quædam ex ipſis, poſtquam diebus plurimis de Chriſti patrimonio vixerunt, relictis præbendis, & Eccleſiis, carioribus ſibi*
Juriſ. Eccleſ. *p.* 1. *t.* 33. *n.* 16. TALES HODIE IN BELGIO. *perſonis matrimonio copulantur.* Proſequitur Van Eſpen: *Quod de ſui temporis Canonicabus ſcribit Vitriacus, hoc pene totum de hodiernis Belgicis Canonicabus verificatur*, ideſt de ſecularibus. Hæ ſeculares Canonicæ libere nubunt. Abbatiſſa, & Officiales Canonicæ perpetuo Caſtitatis voto ligantur: exemplo fortaſſis Decani in Capitulis Canonicorum, & certarum Dignitatum, qui ad Sacerdotium ſæpe adſtringuntur; ſeu potius ob ſupremam Collegii adminiſtrationem, ut præſint exemplo magis, & virtute.
ABBATISSÆ AUCTORITAS. Paſſim Abbatiſſa utramque habet juriſdictionem, ſpiritualem, & temporalem, annulum, & baculum gerens, imo per Procuratorem Conventibus Synodalibus, & Provincialibus aſſiſtens.

In reliquo tam Moniales, quam Canonicæ juxta piam Fundatoris
REQUISITA ABBATISSÆ. Seſſ. XXV. 1563. *c.* 7. *de Regular.* mentem ſuis regulis, & laudabilibus uſibus vivere debent. Abbatiſſis, vel Prioriſſis reguntur; quarum ulla juxta Tridentinam Synodum *non eligatur minor annis quadraginta; & quæ octo annis poſt expreſſam Profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio Ejuſdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui Electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis poſt Profeſſionem recte vixerint, Epiſcopo, vel alio Superiore conſentiente eligatur. Duobus vero*
Seſſ. XXII. 1562. *c.* 8. *de Reformat.* MONASTERIA REGIA. *Monaſteriis nulla præficiatur.* Aliquando Abbatiſſæ nominantur a Rege, & tunc, quia ſub Regum immediata protectione ſunt, Monaſteria hæc ſine Eorum licentia viſitari per Epiſcopum nequeunt. Abbatiſſæ aliæ
IN IMPERIO PRINCIPES ABBATISSÆ. ſunt perpetuæ, aliæ triennalis. In Terris Imperii ſupremæ Principes eſſe ſolent cum Voto, & Seſſione.
BENEDICUNTUR. Solemni more benedicuntur Abbatiſſæ: Ritusque Benedictionis in Pontificali Romano de Benedictione Abbatiſſæ extenſus habetur una cum juramento fidelitatis præſtari ſolito, Epiſcopo, & Succeſſoribus Canonice intrantibus, ſi non ſit exempta. Secus jurat fidelitatem, & obedientiam Summo Pontifici, & Superiori Ordinis juxta Regulam Fundatoris. Peractis cæremoniis Pontifex cum Mitra inthronizat Abbatiſſam in Sede, & ſi ſit in proprio Monaſterio, dicit: *Accipe plenam, & liberam poteſtatem regendi hoc Monaſterium, & Congregationem Ejus, & omnia*

quæ

Digitized by Google

quæ ad Ejus Regimen interius, & exterius ſpiritualiter, & temporaliter pertinere noſcuntur. Si vero Benedictio fiat extra Monaſterium ſuum, dicit: *Sta in juſtitia, & ſanctitate, & tene locum a Deo tibi delegatum. Potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam ſuam.*

Monaſteria Sanctimonialium Sanctæ Sedi immediate ſubjecta gubernentur ab Epiſcopis, tamquam dictæ Sedis Delegatis. *Quæ vero a Deputatis in Capitulis Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, ſub Eorum cura, & cuſtodia relinquantur*. Vehementer cupit Sancta Synodus, *ut ſaltem ſemel ſingulis menſibus Confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant; ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes Dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem Confeſſorem, alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus, bis aut ter in anno offeratur, qui omnium Confeſſiones audire debeat. Quod vero Sanctiſſimum Chriſti Corpus intra Chorum, vel ſepta Monaſterii, & non in publica Eccleſia conſervetur, prohibet Sancta Synodus, non obſtante quocunque Indulto, aut Privilegio.* *ibid. c. 9.* Cujus sit regere Moniales? Pia Officia. Duplex Confessarius. Ubi servanda Eucharistia?

Maximum momentum in libertate Profeſſionis. *Puella, quæ habitum Regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit*. Neque ad Profeſſionem admittatur, niſi libera Virginis voluntas diligenter fuerit explorata, num ſit coacta, & ſeducta, an libera? num ſciat, quid agat? habuerit vero reliqua requiſita juxta Regulam Monaſterii. *Cujus Profeſſionis tempus ne Epiſcopus ignoret, teneatur Præfecta Monaſterio Eum ante menſem certiorem facere*. Secus ab Officio ſuſpendenda venit. Anathematizantur quicunque cogentes Puellam, Viduam, aut quamcunque Mulierem ad ingrediendum Monaſterium, & emittendam Profeſſionem, aut quocunque modo in hanc vim injuſtam conſentientes. *Ab his tamen excipiuntur Mulieres, quæ Pœnitentes, aut Converſæ appellantur, in quibus Conſtitutiones Earum ſerventur*: quemadmodum probatæ Conſtitutiones, & laudabiles Conſuetudines cum reliquis obſervari debent, quantum fieri poteſt. *ibid. c. 17.* Libertas Professionis. Exploranda voluntas. *ibid. c. 18.*

Solemni more benedicuntur Virgines, conſecrantur, deſponſantur Chriſto, quarum manibus Epiſcopus annulum porrigit, capitique velum imponit, Diras imprecando violaturis Virgines illas, vel Earum bona. Quæ ſalvo Sedis Apoſtolicæ judicio de Perſonis Eccleſiæ in Primo Libro dicta ſint. Utinam recte. Benedictiones Virginum.

LIBRI PRIMI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM
JURIS PONTIFICII
LIBER SECUNDUS
DE
SACRAMENTIS
NOVÆ LEGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM JURIS PONTIFICII

LIBER SECUNDUS

DE SACRAMENTIS NOVÆ LEGIS

TITULUS I.

PRimus Liber fuit totus de Perſonis Eccleſiæ : Alter agit de Sacramentis Novæ Legis . Docet Catechiſmus ad Parochos juſſu S. Pii V. editus, quemadmodum Sacramentum eſt ſignum rei *pag.* 171.
ſacræ ; vel inviſibilis gratiæ viſibile ſignum , ad noſtram ſatisfactionem DEFINITIO SACRAMENTI.
inſtitutum. Illud enim ſignum eſſe S. Auguſtinus teſtatur, quod præter rem , quam ſenſibus objicit, efficit etiam, ut ex ſe rei cognitionem capiamus. Sic apud Latinos Patres, qui res divinas ſcriptis tradiderunt, Sacra- *pag.* 169.
menti nomen aliquam rem ſacram , quæ in occulto latet , declarat : quemadmodum Græci ad eandem rem ſignificandam Myſterii vocabulo uſi ſunt. Quanquam, ut D. Gregorio placet, ob id Sacramenta dici poſ- *pag.* 170.
ſunt, quod divina virtus ſub rerum corporearum tegumentis occulte ſalutem efficiat. Nec vero quiſquam putet hoc vocabulum nuper in Ec- VOX ANTIQUISSIMA.
cleſia inductum eſſe ; nam qui Sanctos Hieronymum , & Auguſtinum legerit, facile perſpiciet antiquos Religionis noſtræ Scriptores ad eam , de qua loquimur, rem demoſtrandam ſæpiſſime Sacramenti nomine, interdum etiam Symboli, vel myſtici ſigni, vel ſacri ſigni voce uſos eſſe. Præterea cum Deus ſit, qui homines juſtos efficit : ipſa vero Sacramenta *pag.* 186.
juſtitiæ adipiſcendæ mirifica quædam inſtrumenta ſint ; patet unum, AUCTOR.
eundemque Deum in Chriſto Juſtificationis, & Sacramentorum Auctorem agnoſcendum eſſe. Sacramenta ergo Novæ Legis omnia a Jeſu Chriſto Syn. Trid. 1547. Seſſ. VII. *can.* 1. *de Sacramentis*.
Domino Noſtro inſtituta ſunt : nec plura, nec pauciora, quam ſeptem, NUMERUS.
videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium.

Cauſas diligenter exponit laudatus Catechiſmus, cur Sacramenta inſti- CAUSA INSTITUTIONIS.
tui oportuerit : quarum prima eſt, humani generis imbecillitas ; nam, *pag.* 177.
ut præclare a S. Chryſoſtomo dictum eſt, ſi homo corporis concretione caruiſſet, nuda ipſa bona neque illis integumentis involuta, ei oblata eſſent : quoniam vero anima corpori conjuncta eſt, omnino opus fuit, ut rerum, quæ ſentiuntur, adminiculo ad ea intelligenda uteretur. Altera

Digitized by Google

vero cauſa eſt, quod animus noſter haud facile commovetur ad ea, quæ nobis promittuntur credenda. Ideo Dominus promiſſionem ſuam multa ſignorum varietate firmavit. Quemadmodum igitur in Veteri Teſtamento Deus fecerat, ut magni alicujus promiſſi conſtantiam ſigna teſtificarentur: ita etiam in Nova Lege Chriſtus Salvator noſter, cum nobis peccatorum veniam, cœleſtem gratiam, Spiritus Sancti communicationem pollicitus eſt, quædam ſigna oculis, & ſenſibus ſubjecta inſtituit, quibus Eum quaſi pignoribus obligatum haberemus; atque ita fidelem in promiſſis futurum dubitare nunquam poſſemus. Tertia cauſa fuit, ut illa tamquam remedia, ut ſcribit S. Ambroſius, atque Evangelici Samaritani medicamenta ad animarum ſanitatem vel recuperandam, vel tuendam præſto eſſent. Virtutem enim, quæ ex paſſione Chriſti manat, hoc eſt, gratiam, quam ille nobis in Ara Crucis meruit, per Sacramenta, quaſi per alveum quemdam, in nos ipſos derivare oportet. Aliter vero nemini ulla ſalutis ſpes reliqua eſſe poterit. Quarta etiam cauſa accedit, ut ſcilicet notæ quædam, & ſymbola eſſent, quibus fideles internoſcerentur. Quinta eſt, quod Sacramentis fidem noſtram in hominum conſpectu profiteri, & notam facere videmur. Poſtrema, quod humanæ mentis ſuperbiam edomant, ac comprimunt, noſque ad humilitatem exercent, dum ſenſibilibus Elementis ſubjicere nos cogimur, ut Deo obtemperemus, a quo antea impie defeceramus, ut Mundi Elementis ſerviremus.

MINISTER. *pag.* 187.

Quamvis Deus Sacramentorum auctor ſit, Ea non per Angelos, verum per homines miniſtrari in Eccleſia voluit, ut adſit ſemper inter nos ipſos Miniſter, nullo novæ Majeſtatis metu incuſſo. Non minus officio Miniſtrorum, quam materia, & forma ad conficiendum Sacramentum, opus eſſe perpetua Patrum traditione confirmatum eſt: atque hi Miniſtri quoniam non ſuam, ſed Chriſti perſonam gerunt, ſive boni ſint, ſive mali, (modo ea forma, & materia utantur, quam ex inſtituto Chriſti Eccleſia Catholica ſervavit ſemper, idque facere proponant, quod Eccleſia Sancta facere intendit) ii vere Sacramenta conficiunt, & conferunt; ita ut gratiæ fructum nulla alia res impedire poſſit, niſi ſuſcipientes tanto bono ſe ipſos fraudare, & Spiritui Sancto velint obſiſtere. Et quemadmodum arboribus nihil obeſt eorum improbitas, quorum manu ſatæ ſunt: ita nihil vitii aliena culpa contrahi ab illis poſſe, qui malorum hominum miniſterio inſiti ſunt Chriſto, ſatis intelligitur. Tunc auctor Sacramenti ſupplet Chriſtus: ita tamen ut Sacramentorum valori nihil deſit, ſi ab im-

CHRISTUM REPRÆSENTAT. CONDITIO SACRAMENTI.

Cauſ. I. *q.* I.

Digitized by Google

improbo conſerantur. Ineſt enim efficacia, quam ex divina inſtitutione habent.

Atque ut a recto tramite non deflectamus, genuinam, & orthodoxam fidem de Sacramentis in genere ad mentem Tridentinæ Synodi more noſtro tradimus. Imprimis Sacramenta Novæ Legis ab Antiquæ Legis Sacramentis differunt non quo ad ſolas cæremonias, & quo ad ſacros externos Ritus: ſed quia ad diſcrimen Veteris Legis in Nova Lege continent gratiam, quam ſignificant; & non ponentibus obicem, quantum eſt ex parte Dei, ex opere operato ſemper, & omnibus hanc gratiam conferunt. Unde neceſſaria ad ſalutem ſunt; & ſine Eis, aut Eorum Voto, per ſolam fidem homines a Deo gratiam Juſtificationis non adipiſcuntur, licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint. In Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine imprimitur animæ Character, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, ac indelebile, unde Ea iterari nequeunt. Non omnes Chriſtiani in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habent poteſtatem. Sed in Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, requiritur intentio ſaltem faciendi, quod facit Eccleſia: qui propterea in peccato etiam mortali exiſtentes, (modo omnia Eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum pertinent, rite ſervaverint) conficiunt, & conferunt Sacramentum. Quamobrem & Ordinatio facta per Hæreticum, ſi ex Catholico Epiſcopo Hæreticus evaſerit, iteranda non eſt. Væ tamen homini illi, per quem Sancta non tractantur ſancte, cui minatur æternus Deus: *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum; tu vero odiſti Diſciplinam?* Quod ſi non ſervata Eccleſiæ forma concedantur ab iiſdem Hæreticis Sacramenta, virtute carent omni. Legitimi autem Sacramentorum Miniſtri ſunt Parochi in ſuis Parochiis, & ii communiter Presbyteri eſſe debent; quia Baptiſmum, & Euchariſtiam conficiunt, extremam applicant Unctionem, & Pœnitentiam, Matrimonium benedicunt. Aſt qui confirmat, & ordinat, ſolus Epiſcopus eſt. Cuncta ſuo loco expendenda.

[Margin notes: DOGMA. — *ſupra can.* 2. — *can.* 6. — *can.* 7. — *can.* 8. *can.* 4. — *can.* 9. — *can.* 10. — *can.* 11. — *can.* 12. — *Pſal.* XLIX. 16. — *Cauſ.* I. *q.* 1. *c.* 51. — LEGITIMUS MINISTER.]

DE

DE BAPTISMO

TITULUS II.

Heb.VI. 4. X. 31. Tit. III. 5.

BAptiſmus magnum Fidei, & illuminationis Sacramentum, *lavacrum Regenerationis, & Renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in Nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem Noſtrum, ut juſtificati gratia Ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*, Baptiſmus ille primum

PRIMUM SACRAMENTUM.

eſt omnium Sacramentorum, a quo incipit *omnis Fidei Origo, & ad ſpem vitæ æternæ ſalutaris ingreſſio, & purificandis, ac vivificandis Dei ſervis divina dignatio*. De fide eſt Baptiſmum a Jeſu Chriſto fuiſſe inſtitutum. Quidquid ſit de optima Patrum conjectura, Chriſtum ea die mirabile hoc inſtituiſſe Sacramentum, qua fuit baptizatus a Joanne in Jordane (Die ſexta Januarii fortaſſis, M. Vinitio Quartino, & C. Caſſio Longino Coſſ., Æ. V. XXX., Anno Domini veriori XXXIV.) falſtem vix amplius in dubium verti debet Baptiſmi inſtitutionem vivo Joanne peractam fuiſſe, eo quod ignari Ejus diſcipuli accuſarent Jeſum: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti, ecce Hic baptizat, & omnes veniunt ad Eum*. Baptizante autem Joanne in Ænnon juxta Salim, Jeſus baptizabat in Judæa, *quamquam Jeſus non baptizaret, ſed Diſcipuli Ejus*. Conſule Binghamum, ſi excipias, quæ contra Baptiſmum Campanarum ſomniat. Hic Baptiſmus mera cæremonia exiſtit, Benedictio, non Sacramentum. Quære Reſponſum malignæ hujus objectionis Lib. III. Tit. VII. Præterea peſſime infert de Conſecratione aquarum Baptiſmi, quod nempe *effecta, & mutatio per hanc Conſecrationem producta, eadem ac in pane, & vino Euchariſtiæ*. Patebit diſcrimen Tit. IV., ubi de Præſentia Reali. Hic enim ſenſus literalis, ibi ſenſus myſticus penes conſtantem Eccleſiæ Traditionem.

Cyprian. *ep.* 73. *n.* 37. ad Jubajan. AUCTOR.

Conſule Lamy *Appar. ad Concord. Evangel. p.* 2. *c.* 7.

TEMPUS INSTITUTIONIS.

Joan. III. 26. *ibid.* 22. & 23. *idem* IV. 2. *l.* 11. *pag.* 138.

FIGURÆ.

Miſſis obſcurioribus Diluvii, Maris Rubri Tranſitus, Lotionis Naaman Syri, & Piſcinæ Probaticæ tegumentis, clariores habentur Baptiſmi figuræ in Circumciſione, & Joannis Baptiſmo: atque adeo claræ, ut Apoſtoli, & ſeniores Fratres his, qui Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratres ex gentibus erant, contra quoſdam de hæreſi Phariſæorum reſcribere debuerint, quod non oportebat eos circumcidi amplius. Contra Recentiores vero definivit Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti, anathema ſit*. Maximum autem diſcrimen eſt, quod neque Circumciſio, neque Baptiſ-

Act. XV. 23.

ſupra can. 1. *de Baptiſmo.*

Digitized by Google

ptiſmus Joannis gratiam conferrent, quam conferunt ſingula Novæ Legis Sacramenta. Hoc diſcrimen legitur & in Synodo Florentina Generali anno 1438. Ideo neceſſaria ad ſalutem Circumciſio non fuit, quia præcepta ſolis Maſculis Abrahæ Poſteris in ſignum fœderis. Alias ab æterna vita olim excluſi fuiſſent reliqui Hebræi, excluſi parvuli ex ipſa Abrahæ ſtirpe ante octavam diem obeuntes, excluſi Iſraelitæ in deſerto mortui, excluſus Job plurimos inter piiſſimos Gentiles, excluſæ omnes fœminæ, pro quibus nullum ſimile Sacramentum dictum erat. Ideo neceſſarius ad ſalutem Baptiſmus Joannis non fuit. Alias quomodo juſſiſſet Paulus eos, qui a Joanne baptizati fuerunt, iterum Chriſti Baptiſmate initiari? Econtra *ſi quis dixerit, Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit:* quia, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Alia via nobis non ſupereſt: Natura enim ex Adam filii iræ naſcimur, per Baptiſmum vero in Chriſto filii miſericordiæ renaſcimur.

EXCELLENTIA SACRAMENTORUM NOVÆ LEGIS.
NEC CIRCUMCISIO NECESSARIA.
NEC BAPTISMUS JOANNIS.
Act. XIX.
ſupra can. 5. *de Baptiſmo.*
Joan. III. 5.

Hæc Baptiſmi neceſſitas parvulis æque, ac adultis eſt communis: quippe *Adæ peccatum, quod Origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt unicuique proprium*. Nec vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium tolli poteſt, *quam per meritum unius mediatoris Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui nos Deo reconciliavit in Sanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio*, cujus ſine fine meritum tam adultis, quam parvulis per Baptiſmi Sacramentum in forma Eccleſiæ rite collatum applicatur, quia non eſt aliud nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri. Subjectum Baptiſmi capax, ſolus homo viator eſt, nondum baptizatus, tam parvulus, quam adultus: cum diſcrimine iſto, quod parvuli in fide Parentum, ſive Eccleſiæ, adulti in fide ſui, & ſaltem in attrito corde baptizantur; quia *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur*. Imo vero *pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum*. Quam repromiſſionem teſtatur Petrus factam eſſe non Judæis tantum, & filiis eorum, ſed *omnibus, qui longe ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter*. Sic Salvator noſter *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*. Propterea *ſi quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo, inter fideles, computandos non eſſe; ac propterea, cum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos; aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio creden-*

QUARE COMMUNIS NECESSITAS BAPTISMI?
Seſſ. V. 1546. *de Peccato Origin.*
Act. IV. 12.
SUBJECTUM.
Marc. XVI. 16.
Act. II. 38.
I. Timoth. II. 4.
Seſſ. VII. 1547. *can.* 13. *de Bapt.*

tes

Digitized by Google

tes baptizari in ſola fide Eccleſiæ, anathema ſit. Ita pariter *ſi quis dixerit,*
ibid. can. 14. *hujuſmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod Patrini, Eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant, anathema ſit.* Sed infans in utero materno baptizari nequit, quia Baptiſmus corpoream ablutionem neceſſario includit: quæ quidem, ut patet, fieri nequit, niſi infans aliqua ſaltem ſui parte ex Matris utero prodierit. Sacramentum autem Baptiſmi profecto Sacramentum Regenerationis eſt, quocirca ſicut homo, qui non vixerit, mori non poteſt, & qui mortuus non fuerit, reſurgere non poteſt; ita qui natus non fuerit, renaſci non poteſt. Ex quo conficitur neminem in ſuo parente renaſci poſſe non natum. Infidelium infantes invitis, & inſciis Parentibus baptizare non licet, quia Eccleſia non vult in illos jus habere. Quid enim de his, qui ita foris ſunt, ut, ſi adoleverint, (præterquam quod a Parentibus propter educationem abſque injuſtitia vix avelli poſſint) in infidelitate ſua ad contumeliam ſacri fontis permanſuri ſint. Pono talis Baptizatus invito Parente adolevit in infidelitate. Tandem in ſe reverſus, vult Chriſtianus eſſe. Debetne rebaptizari? Nego, quia Baptiſmus fuit illicitus, ſed validus. Unde reiterari nequit. Gratia vero Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſuſpenſa reviviſcit in nova contritione, & voto. Licet tamen baptizare Infantes in bello juſto captos, quia per captivitatem ſubtrahuntur a Patria Poteſtate, & ſubduntur Chriſtiano Victori. Licet baptizare tales Infantes, etiam invitis, & inſciis Parentibus, ob imminens mortis periculum: quia morientes in infidelitate permanere, aut relinqui non debent.

An Infans in utero Matris baptizari queat?

Auguſt. l. 2. c. 27. *de Peccat. Merit. & Remiſſ.*

An liceat baptizare infidelium Infantes?

Casus singularis.

Materia.

pag. 199.

Quemadmodum ſingula Sacramenta ex materia, & forma conſtituuntur, icirco docet Catechiſmus ad Parochos, materiam igitur, ſive Elementum hujus Sacramenti eſſe omne naturalis aquæ genus, ſive ea maris ſit, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, aut fontis, quæ ſine ulla adjunctione Aqua dici ſolet. Nam & Salvator docuit: Niſi quis renatus
Joan. III. 5. fuerit ex aqua, & ſpiritu, non poteſt introire in Regnum Dei. Et Apo-
Epheſ. V. 26. ſtolus inquit, Eccleſiam lavacro aquæ mundatam eſſe. Et in B. Joannis
I. Joan. V. 8. Epiſtola ſcriptum legimus: Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Quod etiam aliis Sacrarum Literarum teſtimoniis comprobatur. Quod vero a Joanne Baptiſta dictum eſt, venturum

rum

Digitized by Google

rum eſſe Dominum, qui baptizaret in Spiritu Sancto, & igne, id quidem nullo modo de Baptiſmi materia, ſed vel ad intimum Spiritus Sancti effe-ctum, vel certe ad miraculum referri debet, quod die Pentecoſtes apparuit, cum Spiritus Sanctus e Cœlo in Apoſtolos, ignis ſpecie, delapſus eſt; de quo, alio loco Chriſtus Dominus Noſter prædixit: Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto non poſt multos hos dies. Formam docuit Apoſtolos Chriſtus: *Euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Unde neceſſaria Eccleſiæ Latinæ forma conſiſtit ab antiquo in his verbis: *Ego Te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Eccleſiæ Græcæ forma conſiſtit in his æquivalentibus verbis: *Baptizatur, vel baptizetur Servus, vel Serva Dei, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Vel etiam: *Baptizetur manibus meis &c.* vel *ſervus Chriſti &c.* Quod autem Petrus voluerit, ut baptizetur unuſquiſque in nomine Jeſu Chriſti: quod Evangelizante Philippo de regno Dei baptizarentur Viri, ac Mulieres in nomine Jeſu Chriſti: quod Paulo jubente ii, qui a Joanne baptizati fuerant, baptizati ſint in nomine Domini Jeſu; æquivalere ſibi mutuas formas facile dixerim: qui enim Jeſum Chriſtum dicit, ſimul & Patris Perſonam, a quo unctus, & Spiritum Sanctum, quo unctus eſt, ſignificat. Æquivaleret fortaſſis hæc ipſa: Ego Te baptizo in nomine Dei, vel in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis. Sed quidquid ſit de validitate, nulla alia forma licita eſt, niſi priores duæ, Latina ſcilicet in Eccleſia Latina, Græca in Eccleſia Græca. Quapropter baptizatos a Latinis Græci rebaptizare non præſumant, nec a Græcis baptizatos Latini. Ubique autem tutior via ſeligenda venit, maxime ubi de validitate Sacramentorum agitur.

Matth. III. 11. — *Act.* II. — *Act.* I. 5. — Matth. XXVIII. 19. — FORMA. — Sacram. S. Greg. Vet. Ord. Rom. Joan. Moſch. Arcud. Goar. — Decr. Eugenii IV: *pro Armenis.* — *Act.* II. 38. — *Act.* VIII. 12. — *Act.* XIX. 5. — Catechiſ. *cit. pag.* 105. — *c.* 6. *de Baptiſmo.*

Ordinarius Miniſter Baptiſmi ſolus Epiſcopus eſt, qui prioribus Seculis Baptiſmum plerumque ſuis manibus contulit. *Baptiſmum quidem dandi*, ait Tertullianus, *habet jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri; non tamen ſine Epiſcopi autoritate propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt.* Hæc fuit Eccleſiæ primitivæ Diſciplina, ut in Majoribus Civitatibus communiter baptizaret Epiſcopus, in Minoribus Presbyter, in quibus non erat Epiſcopus. Obſervat poſt alios in ſuo docto Commentario de Sacramentis Juenin Oratorii Gallicani Presbyter, Poſt Seculum Quintum tum in Oriente, tum in Occidente, in Locis etiam, ubi ſedebant Epiſcopi, Presbyteros, non expectata Epiſcopi juſſione, paſſim baptizaſſe, ut videre eſt in Sacramentario S. Gregorii, & in

MINISTER. — *L. de Baptiſ. c.* 17. — Hieron. *Dialog. adverſ. Luciferian.* — *Diſſert.* II. *q.* 6. *c.* 1. — QUANDO CESSAVERINT EPISCOPI BAPTIZARE?

Libris, qui poſtea de Sacris Ritibus conſcripti fuerunt. Seculo Septimo uſus ille ita invaluerat, ut pauci tunc Epiſcopi munus, de quo agitur, obirent. Ex his concluditur antiquam prohibitionem de conferendo Baptiſmate, ubi aderat Epiſcopus, diſciplinæ cauſa ab Eccleſia editam fuiſſe, ut ſcilicet Presbyteri, & Populi intelligerent, Epiſcopos Eccleſiæ principari, illius regimen ad Eos ita ſpectare, ut, quamvis Parochis de jure Divino (ut ajunt Sorbonici) competat, non tamen ſine dependentia ab Epiſcopis, quos (ut Paulus definit) poſuit Spiritus Sanctus regere

QUOMODO DIACONUS ADMITTATUR?

Eccleſiam Dei. Extra ordinem Miniſter Baptiſmi Diaconus eſt, qui jubente Epiſcopo, vel Presbytero tantum, non proprio Jure baptizat; quamvis inter multas querelas non ultima olim fuerit adverſus Diaconos, quod Baptizandi Jus vix non ſibi ſolis arrogare præſumpſiſſent in contemptum Presbyterorum. Cœterum annuentibus Apoſtolis Philippus Diaconus Eunuchum Candacis, & Samaritanos baptizavit: & longa traditione conſtat, Baptiſmum a Diaconis fuiſſe collatum, jubente ſcilicet, aut non contradicente Epiſcopo, ſive legitimo Presbytero.

Act. VIII. 12. 38.
Tertull. Hieron. *loco citato*.

QUOMODO ALII EXTRA ORDINEM ADMITTI DEBEANT? Catechiſ. *cit. pag.* 211.

Extremus Ordo Illorum eſt, qui cogente neceſſitate, ſine ſolemnibus cæremoniis baptizare poſſunt, quo in numero ſunt omnes etiam de populo, ſive mares, ſive fœminæ, quamcunque illi ſectam profiteantur. Nam & Judæis quoque, & Infidelibus, & Hæreticis, cum neceſſitas cogit, hoc munus permiſſum eſt; ſi tamen id efficere propoſitum eis fuerit, quod Eccleſia Catholica in eo adminiſtrationis genere efficit. Unde Binghamus falſo aſſerit, *quod Baptiſmus mulierum omnino fuerit prohibitus; quod Baptiſmus Judæorum, & Infidelium nunquam ratus fuerit, etiamſi nunc in Eccleſia Romana admiſſus*. Si enim adſit neceſſitas, etiam mulieribus licet baptizare. Si Baptiſmus in ſenſu Catholico citato perficiatur, valet, a quocunque homine collatus ſit. Sic ſenſit ab initio Eccleſia, quamvis non omnibus hic ſenſus ſatis innotuiſſet. Alias ab initio ſublatæ fuiſſent multæ contentiones, quæ Eccleſiam Dei agitarunt olim. Hæc autem cum multa veterum Patrum, & Conciliorum Decreta confirmarunt, tum vero a Sacra Tridentina Synodo anathema in eos ſancitum eſt, qui dicere audeant, Baptiſmum, qui etiam datur ab Hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia,

RATIO.

non eſſe verum Baptiſmum. In quo profecto ſummam Domini bonitatem, & ſapientiam licet admirari, nam cum hoc Sacramentum neceſſario ab omnibus percipiendum ſit, quemadmodum aquam inſtituit, qua nihil magis commune eſſe poteſt, ſic neminem ab Ejus adminiſtratione

ex-

Digitized by Google

excludi voluit, quamvis, ut dictum eſt, non omnibus liceat ſolemnes
cæremonias adhibere, non quidem quod Ritus, aut cæremoniæ non plus
dignitatis, ſed quod minus neceſſitatis habeant. Neque vero hoc munus
ita omnibus promiſcue eſſe permiſſum fideles arbitrentur, quin ordinem SERIES, ET ORDO.
aliquem Miniſtrorum ſtatuere maxime deceat. Mulier enim, ſi mares
adſint, Laicus item præſente Clerico, tum Clericus coram Sacerdote,
Baptiſmi adminiſtrationem ſibi ſumere non debent. Quanquam obſte-
trices, (ideo examinandæ, & approbandæ auctoritate Ordinaria) quæ
baptizare conſueverunt, improbandæ non ſunt, ſi interdum præſente
aliquo Viro, qui hujus Sacramenti conficiendi minime peritus ſit, quod
alias Viri magis proprium officium videretur, ipſæ exequantur. Se ip-
ſum autem baptizare nemo valet, quia inter Baptizatum, & Baptizantem *c. 4. de Baptiſmo.*
debet eſſe neceſſaria diſcretio: & ipſe Chriſtus baptizatus fuit a Joan- SE IPSUM NEMO BAPTIZARE POTEST.
ne, ſe ipſum non baptizavit.

Locus Baptiſmi Apoſtolica tempeſtate ubique aptus erat. Eunuchus LOCUS.
in via, Cornelius domi baptizati ſunt. Alii in fluvio, alii in mari. Multi *Act.* XIII. & X.
in Jordane baptizari voluerunt, in quo lotus eſt Chriſtus. Sed *nequid-*
quam, ait Tertullianus, *refert inter Eos, quos Joannes in Jordane, & quos* *de Baptiſmo c. 4.*
Petrus in Tiberi tinxit. Nihilominus de Conſtantino M. narrat Euſebius
in Vita, ſtatuiſſe Eum, olim Baptiſmum in flumine Jordane ad Ser-
vatoris noſtri exemplum ſuſcipere. Sed Deum, qui optima norit, quæ
eſſent ipſi utilia, ipſius conſilia impediviſſe, Eumque paullo ante obitum
ſuum Nicomediæ fuiſſe baptizatum. Veriſimile tamen eſt certa loca,
ſeu Baptiſteria erecta fuiſſe, in quibus Baptiſmus communiter adminiſtra-
batur. Cum nondum Chriſtianis forent Templa, hæc Baptiſteria in pri-
vatis ædibus, in antris, in Cæmeteriis ipſis ſubterraneis, metu perſe- BAPTISTERIA.
quutionis latitabant. Reddita Eccleſiæ pace, ad fores Eccleſiarum, aut
in ipſis Eccleſiis conſtruebantur Baptiſteria, quorum Dedicationes in De-
dicatione Eccleſiæ fieri ſolitas fuiſſe Apollinaris Sidonius Seculo Quinto *Epiſt. 15. l. 4.*
meminit. Sed jam præcedenti Seculo in minoribus Urbibus, atque in
frequentioribus pagis & Eccleſias, & Baptiſteria fuiſſe non minus veri-
ſimile apparet. Baptiſmus enim in qualibet Parochia, ubi primum erecta
fuit, diſpenſari debuerat, niſi gravis ratio contrarium ſuaderet. Qui &
hodie mos eſt. Præterquam quod vel in pœnam, vel ob alias rationes
prorogaretur Baptiſmus, puta propter ſupinam ſalutis neglectionem,
propter infirmum animum Mundo renuntiare, Religioniſque ſeveritati
ſe ſubmittere detrectantem, propter ſtolidum metum novi lapſus, pro-

V 2 pter

Digitized by Google

pter ſuperſtitioſas perſuaſiones ratione temporis, & miniſtrorum, propter annos Chriſti, quos tamen expectare periculoſum ſæpe fuit; certe non una fuit omnibus olim Eccleſiis Baptiſmi ſolemnis conferendi dies. Eccleſia Romana, aliæque adjacentes Sabbatis, quæ Paſcha, & Pentecoſten immediate præcedunt, Baptiſmum ſolemnem conferre conſueverant: adeo ut Siricius P. Seculo Quarto deſinente irrepentem Natalitiis Chriſti, ſeu Apparitionis, nec non & Apoſtolorum, ſeu Martyrum feſtivitatibus baptizandi uſum improbaverit, reſtitutis duobus tantum Sabbatis. Medio Seculo Quinto Leo M. damnat Epiſcopos Siciliæ, qui contra Apoſtolicam Inſtitutionem & in Vigilia, & in Die Epiphaniæ baptizabant: quamvis ii, qui in neceſſitate mortis, ægritudinis, obſidionis, perſequutionis, & naufragii urgebantur, omni tempore poterant baptizari. Sic Gelaſius, & Gregorius M. ſenſerunt. In Gallia Clodovæus primus Rex Chriſtianus Natali Domini die anno 496. baptizatus fuit. Teſtis eſt Avitus Viennenſis Epiſcopus, qui Regi gratulatur. Seculo ſequenti innuit Gregorius Turonenſis Natalem Præcurſoris ſolemni Baptiſmo conſecratum fuiſſe. Invaluerat hic uſus etiam in Martyrum feſtis, quem Synodus Matiſconenſis an. 585. ſuſtulit, reſtitutis duobus tantum Sabbatis. Verum per illos dies in ſolemnitate Dominicæ Nativitatis Auguſtinus plus quam decem mille Anglos baptizavit. Non aliter honorari debuit novus in Anglia fidei triumphus, quem Gregorius M. vidit. Diu perduravit duorum Sabbatorum cultus, cum adhuc Synodus Rothomagenſis an. 1072. vetuiſſet, ne Baptiſmus Generalis, niſi Sabbato Paſchæ, & Pentecoſtes fiat: hoc quidem ſervato, ne Regenerationis lavacrum differatur parvulis, quandocunque petitum fuerit. Verum Seculo Duodecimo *poſtquam Chriſtianitas crevit, quia periculoſum erat tantam multitudinem differre propter occaſiones mortis, viſum eſt Sanctæ Eccleſiæ, paſſim indulgentia baptizandi conceſſa, imo oblata, cuncta antevenire pericula*. Apud Græcos Paſcha, Pentecoſtes, Epiphania ſtata ſolemnis Baptiſmi tempora erant pro Catechumenis. Hodie plurimis abhinc Seculis utraque Eccleſia, qualibet anni die, & ferme qualibet hora Baptiſmum ſolemnem celebrat. Veſtigia ſolemnioris Baptiſmi ſunt in Sabbato Sancto, quo Epiſcopus baptizat Catechumenos, ſi adſint: *& per Octo dies ante in ipſa Eccleſia, niſi periculum immineat, nullus infans baptizetur*, ut poſſit ſolemnis Baptiſmus ab ipſo Epiſcopo adminiſtrari. *Olim Baptiſmus nudis conferebatur. Baptizandus exuebat veſtes, & nudus intrabat aquas, quibus totum ſe immergebat ſub manu Ejus, cujus ſe Diſcipulum profitebatur, & ideo Baptiſ-*

TERMINUS BAPTISMI SOLEMNIS.

Epiſt. ad Himeriū Tarraconen. *c.* 2.

De Conſecr. Diſt. IV. *c.* 12. *& ſeqq.*

BAPTISMUS CLODOVÆI. *Epiſt.* XLI.

Hiſt. Franc. *l.* 8. *c.* 9.

can. 3.

BAPTISMUS ANGLORUM.

can. 24.

Rupert. Abb. *l.* 4. *de Div. Offic.*

FREQUENTIOR BAPTISMUS.

Goar. *in notis ad Euchológ. Græc.*

Cærem. Epiſcop. *l.* 2. *c.* 27. *n.* 18.

Lamy *Apparat. ad Concord. Evang. p.* 2. *c.* 7. §. 7.

ANTIQUUS IMMERSIONIS RITUS.

Digitized by Google

ptiſmum Ejus ſubibat. Hinc in antiquis Baptiſteriis videre eſt Balneum, in quo totus homo, imo multi unico contextu ſe lavabant. Erat ſeparatum Balneum pro fœminis, quæ a Diaconiſſis exuebantur honeſtatis gratia. Patet ex Chryſoſtomo Baptiſterium Mulierum intra Templi ambitum Conſtantinopoli fuiſſe, ubi ait: *Ipſo magno Sabbato collecta manus militum ad Veſperam Diei in Eccleſias ingreſſa, Clerum omnem, qui nobiſcum erat, vi ejecit, & armis gradum undique munivit. Mulieres quoque, quæ per illud tempus ſe exuerant, ut baptizarentur, metu graviorum inſidiarum nudæ aufugerunt.*

SEPARATUM MULIERUM BALNEUM.

Epiſt. I. ad Inoc. I.

Extat curante Sirmondo, quo Viro doctiſſimo rite gloriantur Patres Societatis Jeſu, Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis de Ordine Baptiſmi Liber, in quo ſolvuntur Quæſtiones quædam a Domino, & Glorioſo Imperatore Carolo tranſmiſſæ ad Magnum Senonenſem. Ibi Infans efficitur Catechumenus, ut ſervetur antiquus mos, quo Apoſtoli eos, quos baptizaturi erant, primum docebant, & inſtruebant. Exſufflatur in Signo Crucis malus Dæmon, & exorcizatur. Sale Sapientiæ accepto Catechumenus recitat Fidei Symbolum. Ideo Scrutinium de Fide pro adultis. Tanguntur ſputo aures, & nares, ut audiat, quid loquatur Dominus, ut Chriſti bonus odor efficiatur. Pectus oleo ungitur, & ſcapulæ liniuntur, ut totus ſit unctus Domini. Abrenunciat Satanæ, & operibus Ejus, quia nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Albis induitur Veſtibus, quæ ſunt Symbolum innocentiæ primæ. Sacro Chriſmate perungitur Caput, ut in Regno, & in Sacerdotio Eccleſiæ delibutus & Chriſtiani nominis prærogativam accipiat, & Ejus membrum, qui ipſum redemit, & Ejus caput effici valeat. Myſtico tegitur velamine, quaſi Regio Diademate Chriſtianæ Religionis, in qua ſervire Deo regnare eſt, & omnes Servi ſunt Reges. Confirmatus ab Epiſcopo per manus impoſitionem, Septiformis gratiæ Spiritum accipit, Corpore, & Sanguine Dominico repletus, ut ſatietur in bonis deſiderium Ejus, & cum Propheta exultet: *Ego autem cum juſtitia apparebo in conſpectu tuo, ſatiabor, cum manifeſtabitur gloria tua.*

Tom. II.

ORDO BAPTISMI SUB CAROLO M.

Pſal. XVI. 15.

Idem ferme Ordo hodie eſt in Rituali Romano, ubi Baptizato candela accenſa, quaſi lumen juſtitiæ traditur. Albæ Veſtes aliquamdiu deferuntur; & ſi Baptiſmus Sabbato Sancto celebratus fuerit, uſque ad Dominicam ſequentem deferuntur: quæ ideo dicta eſt Dominica in Albis, quia tunc Neophyti deponebant candidas Veſtes. De quibus autem Theodulphus ſiluit, Patrinus hodie unus, & una ſuſcipiunt Infantem, vel Adultum de Sacro Fonte.

MODERNUS ORDO.

QUARE DOMINICA IN ALBIS?

Nec

Digitized by Google

Græcorum Ritus. Juenin *ſupra q. 10. c. 2. in fin.*

Nec enim Græci cum Latinis conveniunt in Ritu Baptiſmi. Primo enim Presbyteri Græci conſecrant oleum, quo totum Catechumeni corpus inungunt. Secundo, præmiſſo triplici Exorciſmo expedita a Baptizando conſueta abrenunciatione, recitato Symbolo, variiſque præmiſſis Orationibus, Sacerdos rectum tenet Catechumenum, & converſum ad Orientem baptizat hac forma Verborum: Baptizatur Servus Dei N. in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen, ſingulis appellationibus deducens Eum, & educens. Tertio invocata Spiritus Sancti ſeptiformi virtute ad robur, Neophyto Confirmationis Sacramentum immediate confertur. Quarto, confirmato Neophyto, ſive adultus ſit, ſive infans, Euchariſtia diſtribuitur.

Quare Latini non amplius baptizent per trinam immerſionem.

Maximum diſcrimen eſt, quod Græci adhuc per trinam immerſionem baptizent; Latini vero ſaltem a Seculo Decimotertio Baptiſmum per effuſionem ſive introduxerunt, ſive ſolemnius confirmarunt: imprimis ob penuriam Miniſtrorum ad immergendos adultos; deinde ob periculum parvulorum, quorum jam ingens numerus ad baptizandum offerebatur, ut nonnulli aliquando ſubmergerentur; demum ob pudorem mulierum, quibus interdum viri, deficientibus Diaconiſſis, miniſtrare cogebantur, vel ob inevitabile quaſi ſcandalum Miniſtri, & ſuſcipientium propter aſpectum nudarum mulierum. Quæſo, quo jure potuit Eccleſia Latina tot Seculorum præſcriptionem evertere, atque immerſionis inveteratum uſum in Effuſionis Ritum immutare? Potuit eodem jure, (cum & hic Ritus non ſit Dogmatis, ſed meræ Diſciplinæ) quo juſtis de cauſis, quas attigimus ſæpe, immutare poteſt, quæcunque ad meram temporaneam Diſciplinam, non ad inevitabile Dogma ſpectant. Sic plura alia immutavit provida benignæ Eccleſiæ Matris libertas. Sic nonnulla hujuſmodi immutabit forſan impoſterum, neceſſitate, aut utilitate nova ſuadente.

Quo Jure?

Nullius autem Dogmatis, ſed meræ Diſciplinæ hunc eſſe Ritum conſtat, vel ex eo, quod præter aquam, & verba in Evangelio nihil diſpoſitum inveniatur. Per immerſionem Eunuchus a Philippo: per aſperſionem, vel per effuſionem ſemel circiter tria millia, iterum quinque millia Virorum a Petro baptizati ſunt. Veriſimile eſt Lydiam cum ſua Domo Philippis baptizatam fuiſſe a Paulo per effuſionem, quia forte nec in privata domo, nec in obſcuro carcere paratum Balneum invenire erat ad immerſionem totius corporis.

Senſus Scripturæ. *Act.* VIII. 38. *Act.* II. 41. *Act.* IV. 4. *Act.* XV. 33.

Sublatæ Catechumenorum classes?

Sublatis quoque variis veterum Catechumenorum claſſibus apud Nos *ſi quis adultus ſit baptizandus, debet prius ſecundum Apoſtolicam Regulam in*

Digitized by Google

in Chriſtiana Fide, ac Sanctis Moribus diligenter inſtrui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, Ejuſque voluntas, & propoſitum ſæpius explorari, & nonniſi ſciens, & volens, probeque inſtructus baptizari. At vero ſi quis, dum inſtruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel neceſſitatis baptizetur in Eccleſia, ſeu in Baptiſterio. Patrinus Ei aſſiſtat, unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una, *inter quos, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem; nec non inter Baptizantem, & Baptizatum, Baptizatique Patrem, ac Matrem tantum, ſpiritualis cognatio contrahatur.* Non ultra, ſicut olim. Olim quoque ſponſores dabantur tam infantibus, quam adultis, quaſi Teſtes Fidei ſuæ. Hoc officium præcipue Diaconis, & Diaconiſſis impoſitum. *Patrini ſpirituales Filios ſuos, quos de Baptiſmi fonte ſuſceperint, ubi opus fuerit, opportune docere tenentur. Præterea ad hoc etiam admitti non debent Monachi, vel Sanctimoniales, neque alii cujusvis Ordinis Regulares a Seculo ſegregati.* In nonnullis Locis viget ſana Conſuetudo, ut etiam Regulares admittantur Patrini, quantum Chriſtiana charitas ſuadet. Videre eſt, an Amentes, & Furioſi baptizari debeant? Rituale negat, niſi tales a Nativitate fuerint. *Tunc enim de iis idem judicium faciendum eſt, quod de infantibus: atque in fide Eccleſiæ baptizari poſſunt. Sed ſi dilucida habeant intervalla, dum mentis compotes ſunt, baptizentur, ſi velint. Si vero, antequam inſanirent, ſuſcipiendi Baptiſmi deſiderium oſtenderint, ac vitæ periculum immineat, etiamſi non ſint compotes mentis, baptizentur. Idem dicendum eſt de Eo, qui lethargo, & phreneſi laborat,* cum militet par ratio. *Omnes autem, de quibus re diligenter investigata probabilis dubitatio eſt, an baptizati fuerint, ſi nihil aliud impediat, ſub conditione, baptizentur.* Formam præſcribit Alexander III. *Si baptizatus es, non Te baptizo: ſed ſi nondum baptizatus es, Ego Te baptizo &c.* Temere tamen dubitandum non eſt, quia ſemper ſupplet deſiderium Baptiſmi, ſeu Baptiſmus in Voto, qui etiam nuncupatur Baptiſmus Flaminis. Talis fuit Confeſſio, Contritio, ſeu Votum Boni Latronis, quem ideo Chriſtus Concrucifixus ſecum duxit in Paradiſum.

Opportune conſideramus tertiam dari ſpeciem in Baptiſmo Sanguinis, ſeu in Martyrio, quod oritur ex Charitate perfecta: quia *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Sic Infantibus, quos Herodes in odium Chriſti enecavit, Originale peccatum ſpeciali charitate, & privilegio amoris fuit penitus deletum tam per Martyrium, quam in fide Eccleſiæ.

Rit. Roman. | PATRINI. | Seſſ. XXIV. 1563. *c. 2. de Ref. Matr.* | COGNATIO. | OFFICIUM. | Rit. Roman. | QUID CUM AMENTIBUS? | QUID, SI DUBIUS SIT BAPTISMUS? | *c. 2. de Baptiſmo.* | BAPTISMUS IN VOTO. | Luc. XXIII. 43. | MARTYRIUM. | Joan. XV. 13.

Hære-

Rit. Roman.

Quid cum Hæreticis converſis?

Heretici vero ad Catholicam Eccleſiam venientes, in quorum Baptiſmo debita forma, aut materia ſervata non eſt, rite baptizandi ſunt. Sed prius errorum ſuorum pravitatem agnoſcant, & deteſtentur, & in fide Catholica diligenter inſtruantur: ubi vero debita forma, & materia ſervata eſt, omiſſa tantum ſuppleantur, niſi rationabili de cauſa aliter Epiſcopo videatur. Baptizati ſemel non debent iterum baptizari. Rebaptizantium, & Rebaptizatorum pœnæ Canonicæ ſunt graviſſimæ: non tamen ultimi ſupplicii, quam pœnam dictavit Imperator. Denique *ſi quis Presbyter ordinatus deprehenderet ſe non eſſe baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur.* Hinc Janua Sacramentorum Baptiſmus, & Chriſtiani hominis maximum fundamentum, in quo prima ſalus, & vita. Sed non omnes, qui eundem Baptiſmum habent, eandem fidem cuſtodiunt. Quod ab initio fuit ſic, utinam non ſic futurum ſit uſque ad finem.

Diſt. IV. de Conſecr. c. 107. & ſeqq.

Baptismus reiterari nequit?

l. 2. Cod. Ne Sanct. Baptiſma iteretur. c. 1. de Presbyt. non baptizato.

DE CONFIRMATIONE

TITULUS III.

Diſt. V. de Conſecr.

Confirmatio, quam deſcribit autor Epiſtolæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ab Urbano, Melchiade, Euſebio, Rabbano, & Iſidoro, nec non a plurimis Concilis vocatur manuum impoſitio, a Cornelio Sigillum Domini, a Tertulliano, & Cypriano Chriſma, ſive Unctio. Contra Librum Joannis Dallæi Calviniſtæ, quem Binghamus quaſi hæreditario errore ſequitur, Natalis Alexander invicte concludit, Confirmationem non eſſe merum Baptiſmi Ritum, ſed verum Novæ Legis Sacramentum. Confirmationem, quæ apud veteres impoſitio manuum appellabatur, Sacramentum Novæ Legis eſſe Synodus Tridentina docet, a Jeſu Chriſto inſtitutum, continens gratiam, quam ſignificat, ſemper, & omnibus, quantum ex parte Dei eſt, ex opere operato, imprimens characterem in anima, unde iterari nequit. Propterea *ſi quis dixerit*, ait Synodus Tridentina, *Confirmationem Baptizatorum otioſam cæremoniam eſſe, & non potius verum, & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam Catecheſin quandam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant, anathema ſit.* Item *ſi quis dixerit, injurios eſſe Spiritui Sancto eos, qui Sacro Confirmationis Chriſmati virtutem aliquam tribuunt, anathema ſit.* Quæ Doctrina innititur Sacris Literis, & conſtanti Traditioni. *Cum autem audiſſent Apoſtoli, qui Jeroſolymis erant, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad Eos Petrum, & Joannem. Qui cum veniſſent, oraverunt pro ipſis,*

Variæ Voces.

Tom. III. pag. 418.

Autor.

Dogma.

Seſſ. VII. 1547. *can. 1. de Confirm.*

can. 2.

Act. VIII. 14.

Testimonium Scripturæ.

ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum? nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu. Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum Sanctum. Item quidam Diſcipuli Epheſii *baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu, & cum impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper Eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*. Idem Apoſtolus uno contextu monet Hebræos, *Baptiſmatum Doctrinæ, Impoſitionis quoque manuum, ac Reſurrectionis Mortuorum, & Judicii æterni*. Rurſus conſtans, ac perpetua Eccleſiæ univerſalis traditio firmatur in argumento negativo, quod ante Lutherum, Melanchonem, Calvinum, & ſuos homines nullus inter Chriſtianos Confirmationem ex albo Sacramentorum expunxerit; neque Novatiani, neque Valdenſes, neque VVicleffiſtæ, neque Huſſitæ expunxerint. *Act.* XIX. 5. Hebr. VI. 2. TRADITIO. Juenin *Diſſ.* III. *q.* 1. *c.* 1.

Tempus Inſtitutionis non definiunt Sacræ Literæ; neque ego divinare auſim. Puto, quod *ſunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, Libros*. TEMPUS INSTITUTIONIS. Joan. XXI. 25.

Si neceſſitatem hujus Sacramenti perpendamus, atque illud imprimis docendum eſt, hoc Sacramentum ejuſmodi neceſſitatem non habere, ut ſine Eo ſalvus quis eſſe non poſſit. Quanquam vero neceſſarium non ſit, a nemine tamen prætermitti debet: ſed potius maxime cavendum eſt, ne in re Sanctitatis plena, per quam nobis divina munera tam large impertiuntur, aliqua negligentia committatur. Quod enim omnibus communiter ad Sanctificationem Deus propoſuit, ab omnibus etiam ſummo ſtudio expetendum eſt. Imo videtur Confirmationem tunc neceſſariam eſſe ex præcepto divino, quando imminet perſequutio, vel aliquod grave periculum: quia in Baptiſmate homo ad militiam recipitur, & in Confirmatione coarmatur ad pugnam: in fonte Baptiſmatis Spiritus Sanctus plenitudinem tribuit ad innocentiam, Confirmatione autem perfectionem ad gratiam miniſtrat: in Baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt Baptiſmum ad pugnam confirmamur: in Baptiſmo abluimur, poſt Baptiſmum roboramur: Regeneratio per ſe ſalvat in pace Baptiſmum recipientes, Confirmatio armat, atque inſtruit ad agones. QUANTA SIT NECESSITAS? Catechiſ. *cit.* *pag.* 253. BENEFICIUM.

Hinc vetus Diſciplina traxit originem recens Baptizatos confirmandi, cujus infinita apud primæ, & mediæ ætatis Scriptores Græcos, & Latinos teſtimonia adſunt. Viget eadem hodie Diſciplina apud Græcos, qui Baptiſmum, Confirmationem, & Euchariſtiam unico contextu diſpenſant tam adultis, quam parvulis. Latini forte circa Seculum Undecimum VETUS DISCIPLINA, GRÆCIS RECENS.

X com-

Digitized by Google

communiter ceſſaverunt, quando jam vix non ſoli infantes baptizabantur. His Baptiſmum differre cum non amplius viſum fuerit, Confirmatio ſaltem ad uſum rationis plerumque fuit dilata, ut modo confirmarent ſcientes, quæ olim promiſerant ignorantes. Singulare eſt, quod in Diœceſi Tridentina Ritus ille adhuc Seculo Decimoquinto ſeneſcente viguiſſe legatur. Nam ex quodam Manuſcripto autographo (in quo quædam excerpta ex proceſſu criminali judiciario adverſus Judæos occiſores inſtructo, tum plurima S. Simonis Menſium XXIX. infantis, & Martyris Tridentini Miracula, tum indulgentiæ ab Urbano VIII. conceſſæ narrantur) in fine hæc verba recenſentur: *Natus eſt glorioſus Simon die Veneris VI. Kal. Nov., ideſt in Vigilia Apoſtolorum Simonis, & Judæ: & eadem luce a Presbytero Balthaſare Peruſino Eccleſiæ S. Petri Plebano in eadem Baptiſmatis unda renatus, atque expoſt Sacri Chriſmatis unctione manu Epiſcopali confirmatus anno Domini* 1472., *Patre Andrea Teutonico, Matre vero Itala Maria legitimis Conjugibus*. Viget tamen antiqua Diſciplina

APUD LATINOS IN ADULTIS VIGET.

Rit. Roman.

etiam apud Latinos in adultis, ubi *ſi adſit Epiſcopus, qui id legitime præſtare poſſit, ab Eo Neophyti Sacramento Confirmationis initiantur: deinde ſi hora congruens fuerit, celebratur Miſſa, cui Neophyti interſunt, & Sanctiſſimam Euchariſtiam devote ſuſcipiunt*. Statuit Synodus Tridentina, ut

Seſſ. XXIII. 1563. c. 4. de Reformat.

prima Tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint. Quam vero Confirmationem, prouti declarat Synodus Senonenſis

USUS NON CONTEMNENDUS.

an. 1528., *Omnes Chriſtiani tam viri, quam mulieres uſum rationis habentes obligantur ſuſcipere, aut ſaltem non contemnere. Contemni autem dicitur,*

QUI CONTEMNANT?

quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit ſuſcipere. Examinent ſe multi Confirmati nondum, an non hujus contemptus ſe reos inveniant. Ergo adeant Medicum, qui vulnus ſanare poteſt, & erunt fortiores ad reſiſtendum tentationibus, promptiores ad ſerviendum Deo in præceptis ſuis.

SUBJECTUM.

Confirmationis validæ ſuſcipiendæ capaces eſſe omnes, & ſolos Baptizatos longa, atque inveterata utriuſque Eccleſiæ Diſciplina teſtatur. Confirmat ratio recta, quia Baptiſmus eſt Janua, & via, quæ ducit ad reliqua Sacramenta; vel etiam fundamentum, & petra, ſuper quibus fabricatur, & erigitur Chriſtianus homo, & ſine quibus totum ædificium

ERROR SCOTI PRESBYTERI.

ruit. Confirmat S. Bonifacii ad Zachariam P. querela adverſus Scotum Presbyterum, qui homines ſine Baptiſmo per ſolam manuum impoſitionem Chriſtianos fieri non dubitavit. Duplex error, quod ſine Baptiſmo quis Chriſtianus fiat, & quod Confirmatio nondum baptizato proſit. Hunc

ne-

Digitized by Google

nequiſſimum virum talia prædicantem, & ab Eccleſia Dei condemnatum Germaniæ Apoſtolus amandavit juſſu Pontificis. Manuum impoſitio, quam Apoſtoli ſemper adhibuerunt ad confirmandos Fideles, cum ſuum verum finem, deſcendente in cor hominis Spiritu Sancto per infuſionem Septiformis gratiæ, totum ſit aſſequuta, Hanc neutiquam rejicere debuiſſent adverſarii noſtri ſub falſo colore, quod Spiritus Sanctus nunquam amplius ſuper Nos in viſibili forma deſcendat. Nihilominus omnes Eccleſiæ Catholicæ hunc uſum ab Apoſtolis traditum ſumma religione ſemper cuſtodiverunt. Imo Sacro Chriſmate utuntur ad ſignificandam exteriori unctione interiorem Spiritus Sancti Unctionem, quæ eſt ipſa virtus Sacramenti: vel enim ſolam manuum impoſitionem, vel Sacrum Chriſma, vel utrumque ſimul veram Confirmationis materiam dicere mavis. Certum eſt, quod Scriptura multam de manuum impoſitione mentionem ſecerit, de Chriſmate vero nullam. Manet Traditio, quam nobis de Unctione Tertullianus, de Chriſmate Cyprianus primi integram tranſmiſerunt. Forma Confirmationis fuit illa ſemper oratio Confirmantis, per quam mediante manuum impoſitione Confirmandi accipiebant Spiritum Sanctum in ſuis cœleſtibus donis. Sic oraverunt Petrus, & Joannes pro Samaritanis, ut acciperent Spiritum Sanctum. His igitur verbis Confirmationis forma abſolvitur: *Signo Te ſigno Crucis, & Confirmo Te Chriſmate ſalutis, In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Boſſuet *Expoſ. de la Doctr. Cathol.*

NON RITE FUIT REJECTUM HOC SACRAMENTUM.

MATERIA.

Tertullianus *l. de Baptiſ. c.* 7. Cyprian. *Epiſt.* 71. ad Januar.

FORMA.

Catechiſ. *cit. pag.* 250.

Ordinarius Confirmationis Miniſter, ſolus Epiſcopus eſt. Ideo *ſi quis dixerit*, ait ſupra Synodus Tridentina, *Sanctæ Confirmationis ordinarium Miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit*. Fundatur in Scriptura, ubi invenire eſt Philippum Diaconum, & Diſcipulos Chriſti, qui baptizent: alios vero, quam Apoſtolos, qui imponerent manus, invenire non eſt. Hinc miſſi ſunt Samariam Petrus, & Joannes, in qua Philippus Diaconus ipſum Simonem Magum inter reliquos baptizaverat, manus impoſuerat nemini ſcilicet ex defectu poteſtatis. Hæc manuum impoſitio ſpectavit ad Apoſtolos, quam Epiſcopis ſuis Succeſſoribus reliquerunt. Impoſuit quidem Ananias manus Saulo, ſed tantum ut viſum recipiat, atque impleatur Spiritu Sancto per Baptiſmum. De facto confeſtim ceciderunt ab oculis Ejus tamquam ſquamæ: & viſo primum recepto, ubi impoſitio manu s jam præceſſerat, ſurgens tandem baptizatus eſt, ex Saulo factus Paulus, ex lupo ovis. Fundatur in Traditione, quæ potiſſimum argumento negativo, & contradictorio confirmatur præter teſtimonia veterum Patrum. Divus quo-

MINISTER EPISCOPUS. *can.* 3.

Act. IX. 17.

Digitized by Google

Catechiſ. cit. pag. 252.

que Auguſtinus graviter queritur de corrupta Ægyptiorum, & Alexandrinorum conſuetudine, quorum Sacerdotes audebant Confirmationis Sacramentum adminiſtrare. Veriſimile eſt hunc uſum invaluiſſe, vel quod primi Presbyteri ex bona fide, alii poſtea ex mala præſumptione ſibi non minus Confirmationem, quam Baptiſmum licere judicaſſent, cum Baptiſmus, & Confirmatio unico contextu conferrentur: vel quod Epiſcopi facile conſenſiſſent. Seculo Quinto Innocentius I. contradixit Eugubianis Presbyteris. Seculo Sexto Gregorius M. contradixit Sardis Presbyteris. Verum ubi intellexiſſet quoſdam ſcandalizatos, & contriſtatos fuiſſe, conceſſit, ut Presbyteri etiam in frontibus Baptizatos Chriſmate tangere debeant in iis tantum locis, in quibus Epiſcopi deſunt. Hanc ſpecialem Diſpenſationem ex rationabili, & urgenti admodum cauſa factam laudavit coram Armenis Eugenius IV., cujus rei novum exemplum non tam cito occurrit in Occidente. Quidquid ſit, ſi credamus Gaſparo Juenin, ante Seculum Nonum mos per Presbyteros confirmandi ubique apud Occidentales deſiit. Alias Græci Latinis crimini vertere nunquam potuiſſent, quod apud iſtos Presbyteri non confirmarent, ſicut apud Orientales. Nicolaus I. factum non negat; imo Scriptura, & Traditione evincit, (Ratramno Corbejenſi Monacho Occidentales vindicante adverſus Orientales Epiſcopos, atque adverſus Imperatores Græcorum Michaelem, & Baſilium) ſiquidem Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ſequentes iſta proponunt, non aliquam Divinæ Legis autoritatem. Ab illa tempeſtate Romani Pontifices vix ſimplicem Presbyterum delegaverunt ad Confirmandos Fideles: quamvis & Hunc adhuc poſſe extra ordinem delegari non dubitemus. Sic delegantur frequenter Abbates Inſulati tam Regulares, quam Seculares nonnulli poteſtate quaſi Epiſcopali donati ad Confirmationem, Tonſuram, & Minores Ordines conferendos. De facto apud Græcos Presbyteri ſimplices multis abhinc Seculis confirmarunt, & adhuc confirmant, connivente Apoſtolica Eccleſia. Patet, quia Græcos Schiſmaticos in ſua Eccleſia confirmatos Eccleſia Romana nuſquam iterato confirmavit, dum ad unitatem Catholicam rediverint. Patet, quia Ritus iſte Presbyteris Orientalibus unitis nondum fuit prohibitus. Fateor equidem Nicolaum I., Innocentium III., Innocentium IV. omnem operam impendiſſe ad extirpandam inveteratam Conſuetudinem: quam vero pro bono pacis, & ad evitandum gravius ſcandalum tolerare debuerunt admirando S. Gregorii M. exemplo.

Quomodo Presbyteri se immiscuissent?

Epiſt. ad Decent. Epiſcop. *c.* 3. *Epiſt.* 9. & 26. *l.* 4. ad Januar. Calaritan.

Diſſ. III. *q.* 5. *c.* 2. *art.* 1. §. 2.

Desiit mos in Occidente.

Potestas dispensandi adest.

Exemplum pro Abbatibus.

Exemplum pro Græcis.

Locus.

Apoſtoli quocunque in loco baptizaverant, ibi confeſtim manus impoſuiſſe videntur. Hunc uſum Succeſſores Apoſtolorum ſatis cuſtodiverunt

Digitized by Google

runt, ut jam dicas eundem fuiſſe locum Baptiſmi, ac Confirmationis. Poſthac quævis Eccleſia, aut Oratorium, aut munda ædes, imo platea ipſa profana pro commodo Confirmandorum ſeligitur. Sed illud quoque ſolemni religione in Eccleſia Dei ſervatum eſt, ut in Pentecoſte præcipue hoc Sacramentum adminiſtraretur, quod hoc maxime die Apoſtoli Spiritus Sancti virtute roborati, & confirmati ſint. Hodie vero *hoc Sacramentum poteſt conferri minus ſolemniter quocunque die, hora, & loco, ex cauſa, ad arbitrium Epiſcopi.* Neque enim poſt Seculum Duodecimum aut Confirmans, aut Confirmandus jejunare tenentur, quia hodie Communio præcedit Confirmationem, quæ olim Confirmatio juxta alios præceſſit Communionem, ſaltem in certis caſibus, puta in Baptiſmo Clinicorum, vel abſente Epiſcopo. Unde facile colligi poteſt, quod ſtatus gratiæ ſit neceſſaria diſpoſitio ad ſuſcipiendam Confirmationem. Tempus. Catechiſ. cit. pag. 259. Rit. Roman.

Scimus, quod nullam ætatem excluſerit Chriſtus a receptione Confirmationis, quæ cum Baptiſmo eandem horam diu ſervavit. Quoniam vero hoc Sacramentum ad omnes fideles æque pertinet, illud obſervandum eſt, omnibus quidem poſt Baptiſmum, Confirmationis Sacramentum poſſe adminiſtrari; ſed minus tamen expedire hoc fieri, antequam pueri rationis uſum habuerint: quare ſi Duodecimus Annus non expectandus videatur, uſque ad Septimum certe hoc Sacramentum differre maxime convenit. Sunt tamen tam vaſtæ, tam diſſitæ, tam deſertæ Diæceſes, ut ſingulos angulos vel nunquam, vel raro viſitare poſſit Epiſcopus, quem nec omnes tam procul adire poſſunt Diæceſani ſui. Unde ſi quando contingat adeſſe Ordinarium, quem in obſcuris ſuis tuguriis non tam cito reviſuros ſe ſperent, puto ibi Lactentes, & Senes confirmari debere, quia ſemper expedit magis Confirmationem eos ſuſcepiſſe, quam non amplius forte ſuſcipere dabitur. Ætas. Catechiſ. cit. pag. 254.

Ritus brevis. In utraque Eccleſia Epiſcopus extenſis manibus orat, ut Spiritus Sanctus in Confirmandum deſcendat ad robur firmitatis; atque illius frontem Chriſmate per Crucis ſignum inungit. Deinde vero, qui unctus, & confirmatus eſt, ut meminerit ſe tamquam fortem Athletam paratum eſſe oportere ad omnia adverſa invicto animo pro Chriſti nomine ferenda, manu leviter in maxilla ab Epiſcopo cæditur. Seculo Nono de hac percuſſione ſilentium, quæ recentior eſſe debet. Poſtremo autem pax Ei datur, ut intelligat ſe gratiæ Cœleſtis plenitudinem, & pacem, quæ exuberat omnem ſenſum, conſecutum eſſe. Vitta linea ob honorem Chriſmatis ligabantur Chriſmatorum frontes, olim per ſeptem Ritus. Catechiſ. cit. pag. 259.

Digitized by Google

dies, poſtea per tres: hodie per horas aliquando, imo in pluribus locis nunquam, propter multitudinem nimis magnam. Illico frons diligenter abſtergitur, atque exſiccatur pane, ſale, & bombyce, quæ comburuntur.

Patrinus.

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 2. de Reformat. Matrimonii.*

Pontif. Roman.

Confirmando æque Patrinus aſſiſtat, ac Baptizando. Hinc explicat Synodus Tridentina: *Ea quoque Cognatio, quæ ex Confirmatione contrahitur, Confirmantem, & Confirmatum, Illiuſque Patrem, & Matrem, ac tenentem non egrediatur*. Tandem ſequitur, quatenus *nullus Confirmatus debet reconfirmari. Nullus, qui non ſit Confirmatus, poteſt eſſe in Confirmatione Patrinus; nec Pater, aut Mater, Maritus, aut Uxor. Nullus, qui ſit excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Chriſtianæ Fidei rudimenta non edoctus, ingerat ſe ad percipiendum hoc Sacramentum, vel ad tenendum Confirmandum*. Si dubitaretur de Confirmatione, ſub conditione Confirmandum aliquem eſſe nondum legi: neque auſim affirmare, quia neceſſitas medii non adeſt, ſicuti in Baptiſmo.

Photii, et Græcorum querela.

Olim fuit conqueſtus Photius contra Latinos Epiſcopos in Bulgariam miſſos a Romano Pontifice, quod præſumerent reconfirmare illos, qui antea per Presbyteros Græcos fuerant inuncti. Imo Latini Epiſcopi paulo ante Synodum Florentinam an. 1438. Chriſtianos a Græcis Presbyteris confirmatos iterum confirmarunt, prouti narrat præſens Proto-Syncellus Gregorius. Sed fortaſſis erraverunt in facto, exiſtimantes neque Græcis Presbyteris hanc legitimam, & delegatam eſſe poteſtatem: vel bona fide, & multo zelo egerunt contra Photium, & alios Schiſmaticos, a quibus nullam poteſtatem legitimam acquirere poterant ſui Presbyteri. Saltem Eccleſia Latina nunquam fortaſſis ſingulare eorum factum laudavit, aut ſilentio bonam fidem excuſavit. Tandem ſi rite fecerint, Chriſmationem Presbyterorum non dubiam, ſed nullam omnino judicaverunt. Manet, quod Confirmatio ſub mera conditione dari nequeat, quamvis detur Baptiſmus ſub conditione: quia nempe in Confirmatione neceſſitas medii non adeſt, ſicuti in Baptiſmo.

Sirmondus *Tom.* III. *pag.* 595.

Apostolis data est post Baptismum Confirmatio.

Ceterum veriſimile apparuit Goffrido Abbati Vindocinenſi Beatæ Priſcæ Cardinali, quomodo *ipſi etiam Apoſtoli poſt Baptiſmum acceperunt Spiritum Sanctum, quem in ipſo Baptiſmo jam acceperant in remiſſionem peccatorum. Acceperunt iterum Spiritum & in die Pentecoſtes, ad totius virtutis, & ſcientiæ perfectionem*.

DE

Digitized by Google

DE EUCHARISTIÆ SACRAMENTO

TITULUS IV.

VEnerabilis, & Divina Euchariſtia juxta ſanam, & ſinceram Doctrinam, quam ſemper Catholica Eccleſia, ab ipſo Jeſu Chriſto Domino Noſtro, & Ejus Apoſtolis erudita, atque a Spiritu Sancto Illi omnem veritatem in dies ſuggerente edocta, retinuit, & ad finem uſque Seculi conſervabit, duplicem rationem habet Sacramenti, & Sacrificii. Propterea Titulos ſeparamus, quorum præſens erit de Euchariſtiæ Sacramento, ſequens de Euchariſtiæ Sacrificio. Euchariſtia vox Græca, quæ latine ſonat agere gratias, Autori nempe ſuo, *cum Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Ipſe enim verus eſt Agnus, qui abſtulit peccata Mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit.* Euchariſtia, quæ apud veteres, & recentiores ſuſtinet diverſas appellationes, Sacramentum eſt Corporis, & Sanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini ad ſpiritualem Fidelium refectionem ab ipſo Chriſto inſtitutum. Sicut enim panis communis nutrit corpus, ita panis myſticus fovet animam. DUPLEX MEDITATIO. ETYMOLOGIA. Præfat. Paſchal. DEFINITIO.

Euchariſtiæ inſtitutionem narrat Matthæus: *Cœnantibus autem Eis, accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: Hoc eſt Corpus meum. Et accipiens Calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim Sanguis meus Novi Teſtamenti, Qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Non, quod pro omnibus non ſit effuſus iſte Calix, ſed quod non omnes digne bibant ſalutarem Calicem: ideſt non, quod pro omnibus non ſit mortuus Chriſtus, ſed quod non omnes vivendo luxurioſe, & in peccatis ſuis moriendo participes fiant mortis Dominicæ, & non omnes capiant fructum æternæ ſalutis. Narrat Marcus: *Et Manducantibus illis, accepit Jeſus panem, & benedicens fregit, & dedit Eis, & ait: Sumite; Hoc eſt Corpus meum. Et accepto Calice gratias agens dedit Eis, & biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Narrat Lucas: *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit Eis dicens: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur; Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit dicens: Hic eſt Calix Novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Hanc ipſam Cœnam (quam hic Joannes leviter attingit, alibi fuſe locutus) INSTITUTIO. Matth. XXVI. 26. Marc. XIV. 22. Luc. XXII. 19. Joan. XIII. 2. & VI. 50.

Digitized by Google

I. Corinth. XI. 23. cutus) commemorat Paulus : *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi Vobis; quoniam Dominus Jeſus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate : Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur : Hoc facite in meam Commemorationem. Similiter & Calicem, poſtquam cœnavit dicens : Hic Calix Novum Teſtamentum eſt in meo Sanguine. Hoc facite, quotieſcunque bibetis, in meam Commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Mira Evangeliorum Harmonia, quam multi intelligere nolunt, atque in alienum ſenſum detor-

l. 15. quent. Detorquet Binghamus. Myſterium, & Figuram explicat : Præſentiam realem negat. Romanam Eccleſiam de more variis calumniis

INSTITUTIONIS TEMPUS. onerat. Quod autem Inſtitutionis tempus cadat in ultima Cœna ante Paſſionem, nemo controvertit.

FIGURA. Figuram hujus Sacramenti, quod vere, & realiter continet *Auctorem*

Hebr. XII. 2. *Fidei, & conſummatorem Jeſum*, vel figuram Altaris, *de quo edere non habent*

Hebr. XIII. 10. *poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*, abſcondit Manna in Deſerto. Sed Patres Noſtri manducaverunt Manna in Deſerto, & mortui ſunt. *Hic*

Joan. VI. 50. *eſt panis de Cœlo deſcendens, ut, ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur.* Hanc prænunciavit Sacram Cœnam Sapientia, quæ parvulis, & inſipien-

Proverb. IX. 5. tibus ipſis locuta eſt, invitans ſingulos, & clamans. *Venite, comedite panem meum : & bibite vinum, quod miſcui vobis.* David quoque Regius Vates ſæpius hujus myſterii magnitudinem contemplatus eſt, quia

Pſal. XXI. 27. 30. *edent pauperes, & ſaturabuntur … Manducaverunt, & adoraverunt omnes*

Pſal. CX. 4. *pingues Terræ*; quia *memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors, & mi-*

MATERIA DUPLEX. Catechiſ. cit. pag. 265. *ſerator Dominus. Eſcam dedit timentibus ſe.* Materia hujus Sacramenti eſt panis ex tritico, & vinum de vite. Sed quod panis, & vinum ante conſecrationem erat, confecta conſecratione vere eſt Corporis, & Sanguinis

EX BINIS SPECIEBUS UNUM SACRAMENTUM. Domini ſubſtantia. Licet autem duo ſint Elementa, panis ſcilicet, & vinum, ex quibus integrum Euchariſtiæ Sacramentum conficitur : non tamen plura Sacramenta, ſed unum tantum eſſe, Eccleſiæ auctoritate docti confitemur. Aliter enim ſeptenarius numerus, quemadmodum ſemper traditum, atque a Conciliis Lateranenſi, Florentino, & Triden-

QUIA EANDEM REM SIGNIFICAT. tino decretum eſt, conſtare non poterit. Unum quidem, non quia indiviſum ſit, ſed quia unius rei ſignificationem habet. Ait Bona : *nulla*

Rer. Liturgic. l. 1. c. 23. n. 1. *unquam de vino inter Chriſtianos quæſtio fuit. Omnes enim vini nomine audito, illud ſtatim mente concipiunt, quod ab uvis exprimitur, & hominibus in potum exhibetur, cujuſcunque coloris & qualitatis ſit. De pane vero poſt*

Deci-

Digitized by Google

Decimum Æræ Chriſtianæ Seculum acerrimæ motæ ſunt lites, & diu agitatæ inter Orientales, & Occidentales, partium potius, quam veritatis inveniendæ ſtudio, ut in ſimilibus fieri ſolet. Nam Orientales fermentato utuntur, & hunc ſolum legitimam eſſe materiam hujus Sacramenti affirmant. Occidentales in azymis conficiunt, utentes tamen fermentato non damnant. Utrique autem pertinaciter contendunt, ſuam quiſque conſuetudinem a Chriſto, & ab Apoſtolis ad noſtra uſque tempora derivare. Si non curamus, an Chriſtus rubrum vinum, an album conſecraverit: quare curamus, an azymum panem, an fermentatum conſecraverit? Si nobis ſufficit qualecunque vinum, quare non ſufficit, quicunque ſit panis? Par ratio eſt. Cæterum in facto veriſimilius videtur, Chriſtum in fermentato conſecraſſe: quia Sacro Textui valde conforme eſt, Jeſum, qui Paſcha noſtrum immolatus eſt in Cruce, non quidem ultimum Paſcha cum ſuis Apoſtolis manducaſſe, (nondum enim aderat Quartadecima dies ad Veſperum, ideſt Phaſe Domini) ſed ſimplicem cœnam communem feciſſe poſt Veſperum Feriæ Quintæ: eadem nocte captum fuiſſe in horto: in Paraſceve Paſchæ ante magnum Illius Sabbati diem, circa horam nonam, ideſt circa tertiam horam poſtmeridianam expiraſſe: propter imminens Sabbatum (erat enim magnus dies ille Sabbati) illico ſepultum fuiſſe. Quin Judæi illo mane adducentes Jeſum a Caipha in prætorium Pilati, *ipſi non introierunt in pretorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha*, quod cadebat eodem mortis die poſt Veſperas. Ergo Chriſtus in Cœna Noviſſima conſecravit fermentatum uſualem panem, cum nondum tempus azymorum eſſet, quemadmodum Joannes præciſe teſtatur, *ante diem feſtum Paſchæ* Cœnam fuiſſe conſummatam. Eſto: reliqui Evangeliſtæ ſcribant *Primo die Azymorum*; hoc eſt imminente die Azymorum, qui tamen nondum aderat. Quæſo, quomodo Judæi in ipſo die Paſchæ Jeſum crucifixiſſent, qui nec Prætorium auſi ſunt intrare, ne contaminarentur propter imminens Paſcha? Quidquid ſit de Quæſtionibus difficillimis, quæ potentiſſimos in utramque opinionem habent patronos, num Chriſtus conſecraverit Azymum, an Fermentatum? num Latini aliquando Fermentatum, Græci aliquando Azymum conſecraverint? illud inconcuſſum eſt, & firmiſſimum principium, utrumque panem tam Azymum, quam Fermentatum eſſe veram, & ſufficientem hujus Sacramenti materiam. Neque tamen ea qualitas adeo neceſſaria exiſtimanda eſt, ut, ſi illa pani deeſt, Sacramentum confici non poſſit. Utrumque enim panis genus veram, & propriam panis rationem, & nomen habet.

DE PANE MULTA CONTROVERSIA.

CHRISTUS IN FERMENTATO CONSECRAVIT.

Joan. XIII. 1.

Catechiſ. *cit. pag.* 269.

Illud quoque ſatis certum eſt, unumquemque teneri & in hac re Ritum, ac morem Eccleſiæ ſuæ ſervare : atque adeo juxta modernam Diſciplinam, Presbyteros in Eccleſia Latina non poſſe uti pane fermentato : Presbyteros in Eccleſia Græca non poſſe uti pane azymo. Hoc eſt : Presbyter Eccleſiæ Orientalis celebrans in Eccleſia, in qua Ritus Latinus viget, teneretur patrio more fermentatum conſecrare : atque e converſo Presbyter Eccleſiæ Occidentalis celebrans in Eccleſia, in qua Ritus Græcus viget, teneretur patrio more azymum conficere. Si metueretur ſcandalum ignaræ plebis, talis vel deberet privatim celebrare, vel ritum extraneæ Eccleſiæ in Domino adoptare, vel a celebrando abſtinere, & Communionem Laicorum, aut inferiorum Clericorum propter neceſſitatem loci cum reliquis percipere; prouti doctis, nec non probis viris juxta circumſtantias rerum conſultius in Domino videbitur. Inconſulto Epiſcopo nihil facile ſtabiliri poteſt, ita tamen, ut ſalvum ubique maneat ſupremum Apoſtolicæ Sedis judicium.

LATINI AZYMUM, GRÆCI FERMENTATUM LICITE CONFICIUNT: VALIDE UTRUMQUE.

Miſſa Literaria contentione inter Sirmondum imprimis, & Mabillonium de Fermentato, & Azymo, Juenin contendit alacriter, quod nempe Eccleſia Latina per Sex priora Secula pane azymo, aut fermentato indiſcriminatim, & promiſcue in Sacrificiis uſa ſit, quia probabile eſt Chriſtum prælegiſſe neutrum genus: probabile, Apoſtolos fermentatum adhibuiſſe, quando furtim urgente perſecutione miniſtrabant : probabile, azymum non fuiſſe panem, quem e manibus Diaconorum receptum in Templis, Chriſtiani in privatas domos deferebant, ut Eo ſe quotidie reficerent, cum facilis ad Sacram Synaxin tunc non pateret aditus : probabile, azymum non fuiſſe panem, quem fideles ante omnem cibum deguſtabant domi, ſiquidem abſconditum ab uxoribus, aut ſervis Chriſtianis, gentiles mariti, aut Domini infideles proculcaſſent, ſi detexiſſent poſtea; ut revera facile detegere potuiſſent azymum, cum gentiles nullum alium panem, quam fermentatum uſurparent. Sexto adhuc Seculo mos erat, ut, qui ad Synaxin conveniſſent, panem, & vinum offerrent, ex quibus fidelium oblationibus Euchariſtia fiebat. Illæ vero oblationes ex fermentato erant, in tres partes diviſæ, quarum prior Sacrificio, altera Miniſtrorum victui, tertia pauperum neceſſitati cedebat; ſaltem extra Sacrificium neque Miniſtri, neque pauperes azymo veſcebantur. Circa Seculum Septimum ſolus panis azymus in quibuſdam Eccleſiis adhiberi cepit, ita ut jam ante Photii tempora fermentatus panis ab omnibus Occidentalium Eccleſiis excluſus fuerit. Omnes vero Orientales Ecle-

Diſſ. IV. *q.* 2. *c.* 1. *art.* 4. §. 5.

DISCIPLINA CONTINUA.

Tertull. *l.* 2. *c.* 5. *ad Uxorem*.

Juenin *ſupra* §. 4.

Digitized by Google

cleſiæ per Sex priora Secula panem fermentatum conſecrarunt. Hodie inter Orientales Chriſtianos ſoli Armeni, & Maronitæ azymos panes conſecrant. Hoc eſt: inter Chriſtianos Græci alias Ritus; quia multi Chriſtiani in Oriente habitant, qui Latinum Ritum profitentur, quibus Latini Sacerdotes præſunt. Summa eſt, quod uterque Ritus ſit bonus. Si enim unitas ſervetur Charitatis in Fide Catholica, nihil officit conſuetudo diverſa, quæ variam Diſciplinam, non autem immutabile Dogma reſpiciat.

Non tamen quievit varium, & mutabile hominum ingenium. Propter aquam vino miſcendam in Miſſa, non una difficultas. Unde contra Aquarios, qui ſolam aquam conſecrabant: contra Manichæos, qui a Calice abſtinebant, ne vinum Conſecratum haurirent: contra Armenos, qui ſolum vinum conſecrabant, contra Novatores ſimiles recentiores, qui ſolum vinum nulla aqua temperatum in ſuis Cœnis adhibent: monet Sancta Tridentina Synodus, *præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam Vino, in Calice offerendo miſcerent; tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam, quia e latere Ejus aqua ſimul cum Sanguine exierit; quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cum aquæ in Apocalypſi Beati Joannis populi dicantur, ipſius populi fidelis cum capite Chriſto unio repræſentatur.* Ergo præceptum Eccleſiaſticum eſt, non Divinum Commixtio illa aquæ cum vino. Vinum purum nulla temperatum aqua valide, non licite conſecraretur. De facto quemadmodum Latini Calici conſecrando modiciſſimam frigidam naturalem aquam infundunt: ita Græci jam conſecrato Calici modicam tepidam aquam infundunt paulo ante Communionem, Ritu ab Eugenio IV. poſt Synodum Florentinam anno 1438. non improbato. Major Quæſtio ſub finem Seculi Duodecimi in Gallia cepit: an nempe aqua vino mixta in Chriſti Sanguinem tranſubſtantiaretur poſt conſecrationem Calicis? Alii affirmabant. Alii negabant. Alii pie ſomniabant aquam tranſubſtantiari in liquorem, qui ex aperto Chriſti mortui latere dimanavit. Poſtremi nec audiendi ſunt. Conſultus Innocentius III. ab Archiepiſcopo Lugdunenſi, *Illa probabilior*, ait, *judicatur opinio, quæ aſſerit aquam cum vino in Sanguinem tranſmutari, ut expreſſius eluceat proprietas Sacramenti.* Interea *nec inconveniens creditur, aut abſurdum, ſi aqua in Corpore Chriſti eſſe credatur, cum legatur de ipſius latere proceſſiſſe.* Poſthac in Conciliis Eccleſia nihil definivit. Utraque Sententia Catholica eſt. Quod autem Vinum ſit altera Euchariſtiæ materia, Traditione imprimis conſtat, & multa Eccleſiæ Catholicæ definitione,

ERRORES CIRCA AQUAM VINO MISCENDAM.

Seſſ. XXII. 1562. *c. 7. de Sacrif. Miſſæ.*

RITUS UTRIUSQUE ECCLESIÆ.

Gaufrid. *an.* 1188. ad Card. Alban.

DE TRANSUBSTANTIATIONE AQUÆ IN SANGUINEM CHRISTI.

c. 6. de Celebrat. Miſſarum.

UNDE SCITUR, VINUM CONSECRARI DEBERE?

Digitized by Google

Seſſ. XIII. 1551. *de SS. Euchariſtiæ Sacramento.* FORMA. tione, quam Synodus Tridentina confirmat. Docuit Eugenius IV. Armenos, quod *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc Sacramentum conficitur. Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum.* Rationem reddit Catechiſmus ad Parochos. Nam forma
pag. 274.
ea eſt, qua illud ſignificatur, quod in hoc Sacramento efficitur. Verba
Matth. XXVI. 26. Salvatoris ſunt apud Matthæum: *Accipite, & comedite; Hoc eſt Corpus meum... Bibite ex hoc omnes.* (ideſt ex Calice) *Hic eſt enim Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Apud
Marc. XIV. 22. Marcum: *ſumite; Hoc eſt Corpus meum... Hic eſt Sanguis meus Novi Te-*
Luc. XXII. 19. *ſtamenti, qui pro multis effundetur.* Apud Lucam: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur; Hoc facite in meam commemorationem... Hic eſt Calix, Novum Teſtamentum in Sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Apud
I. Corinth. XI. 24. Paulum: *accipite, & manducate; Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hoc facite in meam commemorationem... Hic Calix Novum Teſtamentum in meo Sanguine. Hoc facite, quotieſcunque bibetis in meam commemorationem.* Non eadem omnino verba, idem tamen ſenſus, eadem divina virtus. Quare omnes ſive Orientales, ſive Occidentales, tam ve-
QUIBUS VERBIS ADSCRIBATUR VIS CONSECRATIONIS? teres, quam recentiores Liturgiæ in hoc facile conveniunt, quod ipſa Conſecrationis vis adſcribatur ipſis Chriſti verbis: HOC. EST. CORPUS. MEUM. HIC. EST. SANGUIS. MEUS. a Sacerdote prolatis, quamvis non eodem modo omnia ubique proferantur, aut unum,
VARII RITUS IN FORMA. vel aliud verbum interjectum ſit ab Eccleſia. Patet ab inductione. Pamelius formam Ambroſianam hanc eſſe ſcribit: *Hoc eſt enim Corpus meum, quod pro multis confringetur. Hic eſt enim Sanguis meus.* Liturgia Græca habet: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hic eſt Sanguis meus Novi Teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.* Liturgia Latina, quam ſequitur in hoc paſſu Mediolanenſis Eccleſia, hæc eſt: *Hoc eſt enim Corpus meum. Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, Novi, & Æterni Teſtamenti, myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In antiquo Ordine Romano non leguntur hæc verba: *Myſterium Fidei:* Itaque quamvis
D. Thom. Sūma *p. 3. q. 78. art. 1.* Sacerdos ſola hæc verba HOC. EST. CORPUS. MEUM. HIC. EST. SANGUIS. MEUS. proferens cum intentione perficiendi hoc Sacramentum, utique valide conſecraret, & perficeret Sacramentum: non licet tamen ulli Sacerdoti diſcedere a Ritu ſuæ Eccleſiæ, diſcedenſque graviſſimi criminis reum ſe facit.

Verum ne quid Eorum, quæ oportet ſcire, iniquo ſilentio prætereamus,

Digitized by Google

mus, de Reali Præſentia Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contra Veteres, & Noviſſimos Hæreticos *principio docet Sancta* Tridentina *Synodus, & aperte profitetur in almo Sanctæ Euchariſtiæ Sacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, verum Deum, atque Hominem, vere, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri. Nec enim hæc inter ſe pugnant, ut ipſe Salvator Noſter ſemper ad dextram Patris in Cœlis aſſideat, juxta modum exiſtendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens, ſua ſubſtantia præſens nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtantiſſime credere debemus.* PRÆSENTIA REALIS. Seſſ.XIII. 1551. c. 1. de SS. Euchar. Sacram.

Unde *ſi quis negaverit in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento contineri vere, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem cum Anima, & Divinitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum; ſed dixerit tantummodo eſſe in Eo, ut in ſigno, vel figura, aut virtute, anathema ſit.* can. 1.

Fundatur Eccleſia Catholica in Scriptura, & Traditione. In Scriptura, quia, quandocunque Sacræ Literæ de Euchariſtiæ Sacramento agunt, ſemper agunt de Reali Præſentia, de vera Corporali Commeſtione. Nec minus apertus, & ſimplex exponitur ſenſus Literalis in Joanne, ubi Chriſtus ineffabile Myſterium incredulos docet Judæos. *Si quis*, ait, *manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Litigabant ergo ad invicem* (quemadmodum & hodie faciunt Chriſtiani multi) *dicentes: quomodo poteſt Hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? Dixit ergo Eis Jeſus: Amen Amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis Ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo Eum in noviſſimo die. Caro mea vere eſt cibus: & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & Ego in illo. Sicut miſit me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem: & qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Hic eſt panis, qui de Cœlo deſcendit. Non ſicut manducaverunt Patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Hæc dixit in Synagoga docens in Capharnaum. Multi ergo audientes ex Diſcipulis Ejus dixerunt: Durus hic ſermo, & quis poteſt Eum audire? Sciens autem Jeſus apud ſemetipſum, quia murmurarent de hoc Diſcipuli Ejus, dixit Eis: Hoc vos ſcandalizat? Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? Spiritus eſt, qui vivificat: Caro non prodeſt quidquam: verba,* SENSUS SCRIPTURÆ. Joan. VI. 52.

quæ

Digitized by Google

quæ Ego locutus ſum vobis, ſpiritus, & vita ſunt. Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sunt & hodie multi Chriſtiani, qui non credunt. Quare? quia nemo poteſt venire ad Jeſum Chriſtum, niſi fuerit ei datum a Patre Luminum, a quo omne datum optimum, omne donum perfectum.

FIDES TRADITIONIS.

Perpetuité de la Foy ſur l'Eucharistie.

Fundatur Eccleſia Catholica in conſtanti Traditione ſingulorum temporum uſque ad Nos, quam ex frequentiſſimis de hac re Scriptoribus, & præcipue ex aureo Libello Antonii Arnaldi ad Clementem IX. diſcere poſſumus. Longa Traditio deſtruit captioſam Blondelli conjecturam, qui fingit Anaſtaſium Sinaitam an. 636. Autorem Realitatis, vel Epiphanium Diaconum an. 787. in altera Nicæna Synodo. Longa Traditio deſtruit non meliorem Claudii conjecturam, qui fingit Paſchaſium Corbejenſem an. 818. autorem Realitatis. Hæc longa quoque Traditio in cauſa

SENSUS LITERALIS FUNDAMENTUM.

eſt, cur Nos ſenſum literalem contra Socinianos, Calviniſtas, Zuinglianos, VVicleffiſtas, Berengarianos, & alios Scoti Erigenæ Diſcipulos in illis verbis HOC. EST. CORPUS. MEUM. HIC. EST. SANGUIS. MEUS. libenter acceptemus: Senſum vero Illorum metaphoricum, obſcurum, Scripturæ, & traditioni oppoſitum, de quo altum ſilentium apud Patres, neceſſario excludamus. Nos ſcilicet tritam viam, itinerantibus communem, & notam ſequentes, in ſenſu literali nullum abſurdum invenimus. Ii, qui ſemitas incertas, & ignotas quærunt, ſui itineris, ſui Ducis rationem reddant nobis.

Expoſit. de la Doctrine Cathol. §. 10.

Cauſas pro ſenſu literali reddit Jacobus Boſſuet, quia Judæi non in Spiritu, ſed vere, & realiter edebant carnes immolatas in ſignum Communionis, cujus participes fierent in oblationibus ſuis. Chriſtus pariter factum nobis Holocauſtum, & Victima, præcepit, ut de Carne illa, quæ vere eſt cibus, & de Sanguine illo, qui vere eſt potus, edamus, & bibamus, in ſignum actualis, & effectivæ Communionis, cujus vere participes nos quoque facti ſumus in Paſſione Domi-

Levit. VI. 30.

nica. In Veteri Lege prohibitum fuit Judæis comedere hoſtiam, quæ cæditur pro peccato, quia vera Expiatio neque in verbo Legis, neque in animalium Sanguine complenda fuit. In Lege Nova oportet, ut Dominicum Corpus, tamquam propitiatio noſtra immolatum pro delictis hominum edatur a Fidelibus in ſignum Conſummationis, & remiſſionis

Levit. XVII. 11.

peccatorum per omnia ſecula ſeculorum. In Lege Veteri, quia Sanguis pro animæ piaculo dabatur, advenis ipſis fuit interdictus Sanguinis uſus.

Matth. XXVI. 28.

In Lege Nova Chriſtus dedit Calicem, ut bibant ex Eo omnes, quia Sanguis Ejus effundebatur in remiſſionem peccatorum. Nihilominus ad experien-

Digitized by Google

periendam fidem, & ad tollendum ſacrum horrorem Carnis, & Sanguinis in ſuis phyſicis ſpeciebus guſtandorum, opportunum duxit Chriſtus Dominus, Carnem ſuam, & Sanguinem alienis involvere gratioribus ſpeciebus, panis ſcilicet, & vini. Cuncta conſpirant, quod Chriſtus vere ſuam Carnem, & Sanguinem ſuum dare voluerit. Accedit novum argumentum. Aliquando dixit Ieſus de ſe ipſo: Ego ſum lux Mundi, via, petra, lapis angularis, templum. Aliquando dixit de aliis: lupus, ovis, vulpes. Nemo dubitavit, quod Chriſtus loquatur in ſenſu tranſlato. Sed quando dixit: *panis, quem Eo dabo, caro mea eſt:* Tunc recte *litigabant Judæi ad invicem dicentes: quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Exeant, qui dubitant hodie. Interrogent. Quid dicet illis Jeſus? Caro meo eſt in ſigno, vel in figura? Abſit: ſed dicet illis, quod patentiſſimis verbis dixit Judæis incredulis: *Caro mea vere eſt cibus, Sanguis meus vere eſt potus.* Potuit ad hominem clarius dare reſponſum? Quid facto opus? Multi audientes ex Diſcipulis Ejus tunc dixerunt, quod dicunt multi hodie: *Durus hic ſermo, & quis poteſt eum audire?* Quid dicam ego? Chriſtus mihi ſermo eſt. Hoc vos ſcandalizat? Sed tamen creditis in unum Deum, creditis in Jeſum Chriſtum Filium Ejus, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus. Vidiſtis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius: expectatis reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam, unde nemo ad vos redivit, ſicuti nec ex Inferis ſpiritus miſer, qui vobis confirmarent gaudium, aut pœnam. Durus forte & hic ſermo eſt. Creditis tamen. Quare unice non creditis illi, qui verba vitæ æternæ habet, quando ait: *Caro mea vere eſt cibus: Sanguis meus vere eſt potus?* Majus erit miraculum Carnem humanam ex Virgine aſſumere, quam eandem Carnem Fidelibus relinquere in cibum, Eundem Sanguinem in potum? Quid plura? *Ex hoc multi Diſcipulorum Ejus abierunt retro, & jam cum illo non ambulabant.* Joan. VI. 67. Ex hoc & hodie multi adhuc cum illo non ambulant, & nondum redeunt.

Quare voluerit Christus latere sub speciebus panis, et vini?

Confirmatur sensus literalis?

Firmata Realitate cadit quæſtio, quomodo Chriſti Corpus ſit præſens in Euchariſtia? Corpus Chriſti neque per Impanationem, neque per Conſubſtantiationem, verum per Tranſubſtantiationem præſens eſt in Euchariſtia. Impanationis nomine intelligitur unio hypoſtatica Verbi cum pane: ita ut in Euchariſtia Verbum hypoſtatice uniatur cum pane, de quo ſic unito, non autem de Carne Chriſti intelligantur hæc Illius verba: *Hoc eſt Corpus meum*; ideſt Hic panis per unionem hypoſtaticam

Quomodo Christus sit præsens in Sacramento?

eſt

eſt meum Corpus. Conſubſtantiationis nomine intelligitur præſentia ſubſtantiæ Carnis Chriſti ſimul cum ſubſtantia panis; ita ut ſubſtantia panis, & ſubſtantia Carnis Chriſti ſimul vere coexiſtant in Euchariſtiæ Sacramento. Tranſubſtantiationis nomine intelligitur Converſio ſubſtantiæ panis, & vini in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti. *Quoniam autem*, loquitur Synodus Tridentina, *Chriſtus Redemptor Noſter Corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit: ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat per Conſecrationem panis, & vini, converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti Domini Noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis Ejus: quæ converſio convenienter, & proprie a Sancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.* Manent tamen ſpecies panis, & vini in Euchariſtia ſine ſubjecto ſubſtantiali, licet maneat aliquod eſſe accidentale, ut ita dicam: quia experimur ex humidis iſtis ſpeciebus poſt Conſecrationem produci nonnunquam vermes, qui ex corruptione generantur, ſupereſſe cineres combuſtis iſtis ſpeciebus, poſt Conſecrationem corruptis vini Conſecrati ſpeciebus acetum fieri. Effectus hi præſupponunt neceſſariam aliquam cauſam, non quidem ſubſtantialem, quod Fides negat: ſed accidentalem tantum, quod non repugnat Conciliis Lateranenſi III., Conſtantienſi, aut Tridentino. Cœterum *ſi quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini, una cum Corpore, & Sanguine Domini Noſtri Jeſu Chriſti; negaveritque mirabilem illam, & ſingularem Converſionem totius ſubſtantiæ panis in Corpus, & totius ſubſtantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini; quam quidem Converſionem Catholica Eccleſia aptiſſime Tranſubſtantiationem appellat, anathema ſit*. Item *ſi quis negaverit in Venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub unaquaque, & ſub ſingulis cujuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit*. Item *ſi quis dixerit, peracta Conſecratione, in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem D. N. J. C., ſed tantum in uſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt; & in Hoſtiis, ſeu Particulis Conſecratis, quæ poſt Communionem reſervantur, vel ſuperſunt, non remanere verum Corpus Domini, anathema ſit*. Item *ſi quis dixerit, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantum manducari, & non etiam Sacramentaliter, ac realiter, anathema ſit*. Tota hæc Catholica Doctrina, quæ ad ipſam Tranſubſtantiationem pertinet, nec brevior, nec clarior explicari poterat, quam ex ipſis verbis Tridentinæ Synodi Magiſtræ.

Seſſ. XIII. 1551. *c. 4. de SS. Euchar. Sacramento.*

PRÆSENS EST CHRISTUS PER TRANSUBSTANTIATIONEM.

QUOMODO MANEANT SPECIES IN EUCHARISTIA?

can. 2.

can. 3.

can. 4.

can. 8.

Fir-

Digitized by Google

Firmata Realitate, & Tranſubſtantiatione, ſequitur neceſſario ex ipſa Theodori Bezæ in Libro de Cœna Domini, & aliorum Calviniſtarum contra Lutheranos objectione, Chriſtum in Sancto Euchariſtiæ Sacramento adorandum eſſe cultu Latriæ etiam externo. *Nullus igitur dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, Latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione exhibeant. Nec enim ideo minus eſt adorandum, quod fuerit a Chriſto Domino, ut ſumatur, inſtitutum. Nam illum eundem Deum præſentem in Eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in Orbem Terrarum dicit: Et adorent Eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe Scriptura teſtatur.* Ergo cum Chriſti Corpus, hypoſtatice Verbo unitum, ſubſtantialiter ſit in Euchariſtia, non tantum dum Liturgia peragitur, ut Luthero placuit, non tantum in actuali illius ſumptione a Fidelibus præſtita, ut poſt Melanctonem, nec non VVitenbergenſes, & Lipſienſes ſuos Theologos in Conventu Dreſdenſi an. 1561. unitos, communis hodierna Proteſtantium fert Diſciplina: verum etiam donec panis, & vini ſpecies ſubſtiterint, neque evanuerint, ipſi Chriſto in Sancto Euchariſtiæ Sacramento exhibendus eſt Latriæ cultus. Concluditur hæc Catholica Doctrina. *Si quis dixerit in Sancto Euchariſtiæ Sacramento, Chriſtum unigenitum Dei Filium non eſſe cultu Latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec Feſtiva peculiari celebritate venerandum, neque in Proceſſionibus ſecundum laudabilem, & univerſalem Eccleſiæ Sanctæ Ritum, & Conſuetudinem ſolemniter circumgeſtandum, vel non publice, ut adoretur, populo proponendum, & Ejus adoratores eſſe Idololatras, anathema ſit.*

CHRISTUS ADORANDUS IN EUCHARISTIA. *Seſſ. citata c. 5.* *can. 6.*

Hic notat Chriſtianus Lupus, quod antiqua diſciplina Sacroſanctam Euchariſtiam rigidiſſime abſconderet non Judæis tantum, ac Gentilibus, ſed etiam Catechumenis, ac Pœnitentibus. Publicæ ſupplicationes cum Venerabili fortaſſis primis Decem Seculis penitus ignotæ fuerunt. Concordat modernus Græcorum Ritus, in quo de Proceſſionibus nulla mentio facile occurrit: niſi quod ſingulis Sabbatis, & Dominicis Quadrageſimalibus Græci per Sacerdotes, aut Diaconos ferant in modum Proceſſionis ipſa Præſanctificata, ſive Hoſtiam Præconſecratam ex parvo Altari, quod Propoſitionis vocant, ad ſummum Altare. Sed Presbyter, vel Diaconus Ea geſtat impoſita capiti, & longo velo contecta: quemadmodum in Eccleſia Latina in die Paraſceves Hoſtia Conſecrata fertur impoſita Calici, velo contecta, & involuta; quia in Miſſa Paraſceves non fit nova

De Sacris Proceſſionibus c. 2. PROCESSIO CUM VENERABILI OLIM NON FUIT IN USU.

Digitized by Google

Conſecratio, ſed ſola Communio poſt elevatam Hoſtiam pridie conſecratam; quæ ſignificat Conſummationem Sacrificii elevato Agno ſuper Altare Crucis in morte Chriſti. Ritum in Cœna Domini narrat antiquus Codex, de quo poſt nonnullas paginas cadit novus ſermo. Verba hæc ſequuntur: *Tunc communicat ſolus Pontifex; & Diaconus offerat Ei Calicem; & non frangat oblatas, niſi eam ſolam, unde ille communicat. Illo tantummodo die, poſtquam communicaverit Epiſcopus, ponat Diaconus Calicem ſuper Altare. Deinde acceptam a Subdiacono patenam ponat juxta Calicem de latere ſiniſtro: & ſtatim a duobus Diaconibus utrumque cooperiat de ſindone munda, quam prius præparaverant in ora Altaris.* Similiter die ſequenti *duo Subdiaconi, & duo Presbyteri priores intrant in Sacrarium. Tum ubi poſitum fuerit Corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes illud in patenam, & Subdiaconus teneat ante ipſos Calicem cum vino non conſecrato, & alter Subdiaconus cum Corpore Domini. Quibus tenentibus accipit unus Presbyter prior patenam, & alter calicem; & deferunt ſuper Altare nudatum. Tunc deſcendens Pontifex ante Altare inclinat ſe.*

FESTUM CORPORIS CHRISTI. Feſtum Corporis Chriſti anno 1264. inſtitutum fuit ab Urbano IV., & in Concilio Viennenſi anno 1311. confirmatum a Clemente V.; imo a Martino V., ab Eugenio IV., & ab ipſis Patribus Tridentinis auctum, atque roboratum. *Æquiſſimum eſt enim Sacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum Chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis Ejus Victoria, & Triumphus repræſentatur. Atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere; ut Ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant.* Agitur Triumphus imprimis de Berengario Diacono Andegavenſi, Seculo Undecimo in pluribus Conciliis, & a variis Summis Pontificibus proſcripto, & damnato. Agitur de quacunque mala ſobole, quæ infelicem Parentem ſequuta eſt. Pœnituit tamen Berengarium, qui in Communione Eccleſiæ an. 1088. pœnitens obiit in Inſula S. Coſmæ prope Turonem. Qui participes facti ſunt erroris, hi ſequantur pœnitentem, cum ſint ſequuti errantem.

Seſſ. citata c. 5.

BERENGARII ERROR, ET POENITENTIA.

FREQUENS SUPPLICATIO CUM VENERABILI. Poſt Concilium Viennenſe an. 1311. has publicas ſupplicationes cum Venerabili introductas ſenſim fuiſſe veriſimile eſt, de quibus pro dignitate agit Concilium Senonenſe an. 1320. Hæc pia Sacramenti circumgeſtatio ab

ab una Eccleſia in aliam tranſibat, donec brevi totum Occidentem perfunderet. Sed ab initio viſibile non erat Sacramentum, fortaſſis Calici impoſitum, velo conteċtum, atque involutum. Videtur tamen fervorem deferendi viſibile Sacramentum Seculo Decimoquinto moderandum fuiſſe: quia Synodus Colonienſis an. 1452. ſtatuit, *quod deinceps ipſum ſanctiſſimum Sacramentum nullatenus viſibiliter in quibuſdam monſtrantiis exponatur, aut deferatur, niſi in Sanctiſſimo Feſto Corporis Chriſti cum ſuis Octavis, ſemel in anno, in qualibet Civitate, aut Oppido, ſeu Parochia, vel ex ſingulari Indulto Ordinarii, aut alias pro pace, aut alia neceſſitate imminente.*

Alia eſt pia praxis, ubi nonnunquam Venerabile Sacramentum viſibile omnium oculis exponitur adorandum: quæ publica Sanctiſſimæ Hoſtiæ Expoſitio ſuam originem duxit ex præcedenti circumgeſtatione in ſolemnibus ſupplicationibus. Non licet Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice adorandum exponere, niſi ex cauſa publica, quæ probata ſit ab Ordinario. Sic definitum eſt in Congregatione Concilii an. 1644. inter Archiepiſcopum Burdigalenſem, & Patres Dominicanos. Conformis eſt Declaratio Cleri Gallicani an. 1655. Olim viſum fuit celebri Archiepiſcopo Colonienſi Joanni Groppero, quod forte *Venerabile Sacramentum in Proceſſionibus nimis crebro circumfertur, & populo plus nimio, & plerumque palam ſpectandum exhibetur. Hæc præterquamquod piis, & Deum timentibus non probentur, Heretici, & improbi quique offendicula inde naſcentia ad ſuas hereſes & improbitates ſtabiliendas, ac tuendas arripiunt.* Ex hac nimia frequentia quanta culpoſa fiducia, quam levis æſtimatio, quæ ſcandaloſa irreverentia in populo ſit non raro, quis neſcit, quis non horret? *Utinam Deus ea corrigat, iiſque, ut ea corrigent, inſpiret, qui ex ratione functionis ſuæ corrigere jure obligantur.* Querelæ ſunt contra graves abuſus, non contra piam Expoſitionis conſuetudinem, quæ populi pietatem æquo Epiſcopi judicio fovet, & auget. Inter abuſus recenſeri debet, ubi Sanctiſſimum Sacramentum aliquando deportatum fuit vel ad extinguenda incendia, vel ad arcendas tempeſtates. Neutrum fieri debet, quia non licet tentare Dominum, aut irreverentiæ, & ſcandalo puſillorum exponere, imo Hæreticorum ludibrio. Juſta ſunt judicia Dei. Homo neſcit, an ipſum maneat miſericordia, an judicium. Quidquid contingat, cum Dominus ſit omnium, juſte agit. Excuſat ſingularis impulſus Deo movente, ſimplicitas cordis, & bona fides: quæ vero neque in ordinem, neque in exemplum trahi poſſunt. Cum autem ignoremus, quid agere debeamus, hoc ſolum habemus reſidui, ut oculos noſtros diriga-

Hinc orta publica Expoſitio.

Cauſa probari debet ab Epiſcopo.

Querela Gropperi.

Abuſus.

rigamus ad Deum noſtrum in conſuetis, approbatiſque Eccleſiæ precibus. Ad ſummum conſentit Sanctus Carolus Borromæus, cum nimbi, procellæ, turbines, aut grandines impendant, ut Sacerdos aperto Tabernaculo Litanias, aliaſque religioſas preces ejus rei cauſa inſtitutas, pie, ſancteque pronunciet. Multominus probaſſet, ut deferatur Sanctiſſimum Sacramentum ad incendia. Jam pridem conqueſtum eſt etiam in Sancto Concilio Salegunſtadienſi ad Mœnum prope Francofurtum an. 1022. *de quibuſdam ſtultiſſimis Presbyteris, ut, quando incendium videant, Corporale Dominico Corpore conſecratum, ad extinguendum incendium temeraria præſumptione in ignem projiciant. Ideoque decretum eſt ſub anathematis interminatione, ne ulterius fiat.* Monuit nos Rex Judæ, pius Joſaphat, quid in malis imminentibus ſit conſilii, dum & ille ab Ammonitis, Moabitis, ac Syris undique premeretur. *Si irruerint ſuper nos mala, gladius Judicii, peſtilentia, & fames, ſtabimus coram domo hac in conſpectu tuo, in qua invocatum eſt nomen tuum: & clamabimus ad Te in tribulationibus noſtris, & exaudies, ſalvoſque facies.*

Syn. Mediolan. an. 1573.

can. 6.

II. Paralip. XX. 9.

Illa vero *Conſuetudo aſſervandi in ſacrario Sanctam Euchariſtiam adeo antiqua eſt, ut eam Seculum etiam Niceni Concilii agnoverit*. Fuit Hoc celebratum an. 325. Porro *deferri ipſam Sacram Euchariſtiam ad infirmos, & hunc uſum diligenter in Eccleſiis conſervari, præterquamquod cum ſumma æquitate, & ratione conjunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſt obſervatum. Quare Sancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc, & neceſſarium morem ſtatuit.* Unde *ſi quis dixerit, non licere Sacram Euchariſtiam in Sacrario reſervari, ſed ſtatim poſt Conſecrationem aſtantibus neceſſario diſtribuendam: aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur, anathema ſit.* Multa Traditione conſtat antiquitus etiam peracto Sacrificio reſervatam fuiſſe Euchariſtiam ob multiplices cauſas. Irenæus ad Victorem P. ſcribit, ſuos Prædeceſſores Romanos Pontifices ad ſignificandam Eccleſiarum unionem Epiſcopis Aſiaticis quoque Euchariſtiam Roma in Aſiam miſiſſe. Hoc ideo ſcribit, ne communione privarentur, qui cum Victore in cauſa Paſchatis non ſentirent. Tertullianus meminit Panis, quem Fideles ſecreto ante omnem cibum guſtarent. Cyprianus damnat irreligioſum hominem, *qui feſtinans ad ſpectaculum, & adhuc gerens ſecum, ut aſſolet, Euchariſtiam*. Quibus hic Liber de Spectaculis genuinus non videtur, narrat in alio authentico Libro de Lapſis: *Cum quædam arcam ſuam, in qua Domini ſanctum fuit, manibus indignis tentaſſet aperire, igne inde ſurgente ter-*

Seſſ. citata c. 6.

ASSERVATUR IN SACRARIO EUCHARISTIA.

can. 7.

ANTIQUA TRADITIO.

L. de Spectaculis.

Digitized by Google

territa eſt, ne auderet attingere. Et alius, qui & ipſe maculatus, Sacrificio a Sacerdote celebrato, partem cum cæteris auſus eſt latenter accipere, Sanctum Domini edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre ſe apertis manibus invenit. Gregorius Nazianzenus teſtatur, Sororem ſuam Gorgoniam gravi morbo liberatam fuiſſe, poſtquam oraſſet ante Sanctum Chriſti Corpus in cubiculo ſuo reconditum. Replicat Ambroſius, Euchariſtiam in itinere tamquam firmum præſidium a peregrinantibus deportari ſolitam fuiſſe. Chryſoſtomus deplorat, quod *locum, in quo ſancta condita ſervabantur, ingreſſi ſunt milites, quorum aliquos ſcimus nullos initiatos myſteriis, & viderunt omnia, quæ intus erant; quin & Sanctiſſimus Chriſti Sanguis, ſicut in tali tumultu contingit, in prædictarum mulierum veſtes effuſus eſt.* Supra mentionem fecimus ab Orientalibus reſervatam fuiſſe Euchariſtiam propter Miſſam Præſanctificatorum ſingulis jejuniorum diebus celebrari ſolitam; & apud Latinos ſemel in anno propter Feriam Sextam in Paraſceve. Ad abſentes quoque mitti conſuevit Euchariſtia. Teſtis Irenæus citatus. Teſtis Juſtinus M. in ſua Apologia altera. Teſtis Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium, qui ſeni cuidam Serapioni miſſam refert a Presbytero partem Euchariſtiæ per puerum laicum. Iſte Eam aqua intinctam in ſiccum os ſenis infudit, & protinus hic animam exhalavit. Supponit pium Viatici uſum Magna Synodus an. 325., ne facile in fine vitæ petenti denegetur ab Epiſcopo Euchariſtia. Plurima deferendæ Euchariſtiæ exempla præterimus. Sufficit cum Arcudio ineuntis Seculi Decimiſeptimi Scriptore obſervare, quod Monachi Græci in longiori itinere Sacramentum Euchariſtiæ ſuo ævo ſecum deferrent. Ipſe Romanus Pontifex cum extra Urbem longum iter agat, Euchariſtiam deferre ſolet, quæ cum magnifico, & religioſo comitatu ipſum præcedit. Refert Angelus Rocca Apoſtolici Sacrarii Præfectus, quem Sixtus V. ſummopere adhibuit in edendis Bibliis, Conciliis, & Patribus. Refert antiquior Paris Craſſus, Epiſcopus Piſaurenſis, Primus Cæremoniarum Magiſter in ſuo, quod præ meis manibus cuſtoditur, itinerario Manuſcripto an. 1506., quando Julius II. Roma Bononiam diſceſſit, Joannem Bentivolum fugaturus. Innocentius XIII. locum vicinum adivit, qui vocatur vulgo *La Catena*. Benedictus XIII. bis Beneventum profectus eſt. Uterque in itinere prægeſtavit Euchariſtiam comitem. *Quod ſi olim licitum fuit*, ait Bona, *& domi privatam habere Euchariſtiam, & eam ſecum in itinere deferre, multo credibilius eſt in Eccleſiis conſervatam fuiſſe, ut ſemper in promptu eſſet ad infirmos communicandos.* Notat Morinus,

Orat. in funere Gorgoniæ.

Orat. in funere Satyri.

Epiſt. ad Innoc. I.

EUCHARISTIA MISSA ABSENTIBUS.

l. 6. c. 36.

can. 13.

Concord. Eccleſ. Occident. & Oriental. l. 3. de Sacr. Euch. c. 59.

DEFERTUR IN ITINERE, UBI R. P. LONGUM ITER FACIT.

Rer. Liturg. *l. 2. c. 17. n. 6.*

Digitized by Google

D: Pœnit. l. 8. c. 14. n. 2. SERVATUR IN ECCLESIA.

rinus, quod antiquitus conſervaretur Corpus Chriſti propter infirmos, & quidem in Eccleſia, *una ſcilicet ex pane conſecrato particula*. Meminit cuſtodiæ, & delatæ ad Infirmos Euchariſtiæ Synodus Diæceſana Tridentina anno 1336.

MINISTER CONSUETUS.

Seſſ. citata c. 8.

Jam ſoli Epiſcopi, & Presbyteri ſunt Ordinarii diſpenſandæ Euchariſtiæ Miniſtri, qui Eam jure Divino conficiunt: quia *ſemper*, ait Synodus Tridentina, *in Eccleſia Dei mos fuit, ut Laici a Sacerdotibus communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes, ſe ipſos communicarent: qui mos tamquam ex traditione Apoſtolica deſcendens jure, ac merito retineri debet*. Extra ordinem in utraque Eccleſia Diaconi Euchariſtiam ſæpe diſpenſaverunt: quorum ſeptem electi fuerunt ab Apoſtolis, ut ſacris pariter menſis miniſtrarent. Vidimus apud Juſtinum M., quomodo Euchariſtia mitteretur abſentibus per Diaconos. Vetat magna Synodus anno 325., ne præſumant Diaconi Presbyteris gratiam Communionis Sacræ porrigere. *Per ordinem ergo poſt Presbyteros gratiam Sacræ Communionis accipiant, aut Epiſcopo eis, aut Presbytero porrigente*. Hic mos frequens erat apud Græcos Diaconos. Apud Latinos tantum, ſi neceſſitas evenerit, & Presbyter non fuerit præſens, aut Epiſcopus, & Presbyter juſſerit. Proprius autem ad officium Diaconi ſpectabat Calicem diſpenſare, cum Cyprianus memoret de Diacono Calicem offerente: & Laurentius Diaconus ad Xyſtum P. clamet: *Experire, utrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem*. Ceſſaverunt Diaconi a diſpenſando Calice, forte cum omnis uſus Calicis fuerit Laicis interdictus Seculo Duodecimo, aut ſequenti. Poſſent & hodie urgente neceſſitate delegari Diaconi ad Dominicam diſpenſationem, quæ Ritum mere tangit.

DIACONUS EXTRA ORDINEM.

can. 18.

Aut. l. de Divin. Offic. in cap. Jejunii.

Diſt. XCIII. *c.* 18.

de Lapſis.

in Vita.

QUANDO CESSAVERIT?

ſupra n. 7.

NEC MANIBUS DETRECTATUR, NEC DOMUM DEFERTUR.

Simili modo, ait Bona, *deſiit mos accipiendi manibus Euchariſtiam, & Eam, domum deferendi; pœniſque graviſſimis tranſgreſſoribus impoſitis ſancitum fuit, ne quis Eam exceptis Miniſtris attrectaret; nam paulatim abuſus irrepſerant, & fraudes multæ, & ſacrilegia... Quod ſi conjecturis in re obſcura aliquid tribuere fas eſt, ſatis mihi probabile videtur, tunc cepiſſe in Occidente Corpus Chriſti ore accipi, cum panis conſecrandus ad eam formam tenuiſſimam, qua nunc utimur, redactus eſt; ob periculum videlicet, ne leviſſima particula manu elabi, & in terram decuti poſſet. Eſt & alia cauſa, ut impiorum fraudibus, cunctiſque irreverentiis, & abuſibus, quantum fieri poterat, occaſio præcluderetur. Perpetuæ ſcilicet mutationi obnoxiæ ſunt res humanæ, nec quidquam tam ſancte inſtitutum eſt, quin aliquando in ſuperſtitionem,*

Digitized by Google

nem, & pravos uſus degeneret. Sic ex domeſtica Communione, quæ olim omnibus licita erat, abuſus in quibuſdam locis exortus eſt, ut etiam intra Eccleſiam publicam ſibi Euchariſtiæ adminiſtrationem laici homines uſurparent. Patres enim Concilii Trullani can. 58. *ſtatuerunt, ne quis Eorum, qui ſunt in Ordine Laicorum, divina ſibi myſteria impertiret præſente Epiſcopo, vel Presbytero, vel Diacono. Sic ex more mittendi ipſa Sacramenta ad ægrotos, vel abſentes, deteſtabilis abuſus emanavit, quem proſcribit Synodus Rhemenſis.* Abuſus hic fuit, ut negligentes Sacerdotes *laico, vel fæminæ Sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis.* Aliam vix credibilem temeritatem damnavit Synodus Pariſienſis an. 829., quæ in quibuſdam Galliæ Provinciis apparuit: ubi auſæ ſunt procaciſſimæ fœminæ *Sanctis Altaribus ſe ultro ingerere, Sacrataque Vaſa impudenter contingere, & indumenta Sacerdotalia adminiſtrare: & quod his majus, indecentius, ineptiuſque eſt, Corpus, & Sanguinem Domini populis porrigere, & alia quoque, quæ ipſo dictu turpia ſunt, exercere. Miranda ſane res eſt, unde is illicitus in Chriſtiana Religione irrepſerat uſus, ut, quod viris ſecularibus illicitum eſt, fæminæ, quarum ſexui nullatenus competit, aliquando contra fas ſibi licitum facere potuerunt. Quod quorundam Epiſcoporum incuria, & negligentia provenire nulli dubium eſt.* *De Conſecrat. c.* 29. *Diſt.* II. ABUSUS MINISTERII IN FOEMINIS STULTIS. *cap.* 45.

Circa modum Communicandi conſtat Diaconos, cæteroſque Miniſtros Euchariſtiam antiquitus tradidiſſe in manus Fidelium. Unde poſt cædem Theſſalonicam Ambroſius Theodoſium Imp. ab ingreſſu Templi arcet his verbis: *qui, quæſo, manus injuſta cæde, & ſanguine reſperſas extendere audes, & eiſdem Sacroſanctum Corpus Domini accipere? aut quomodo venerandum Ejus Sanguinem ore admovebis, qui furore iræ jubente tantum ſanguinis tam inique effudiſti? Recede.* Mulieres vero non, ſicuti viri, nuda manu Euchariſtiam accipiebant, ſed mundiſſimo linteolo. Hæc junctis manibus accipiebatur ævo S. Auguſtini. Poſtea nonnulli in vaſculis pretioſis Euchariſtiam ex pietate nova excipiebant, quos non laudavit Synodus Quiniſexta an. 692. Novitates facile repudiandas eſſe dixerim, cum ſint periculoſæ, niſi legitima auctoritate probentur. *Ordo Communionis,* ait Bona, *hic erat, ut primo quidem celebrans ſe ipſum communicaret, deinde Epiſcopos, ſi qui aderant, vel Presbyteros ſimul cum Eo Synaxim agentes; tum Diaconos, Subdiaconos, & Clericos, Monachos, Diaconiſſas, & Sacras Virgines; noviſſime populum, adjuvantibus Presbyteris, primum viros, poſtea mulieres. Idem in Calicis diſtributione ſervabatur, niſi quod Presbyteri per ſe illum ſumebant, Diaconi a Presbyteris, reliqui a Diaconis, ut ex Ordine* MODUS COMMUNIONIS RECIPIENDÆ. Theodoretus *l.* 5. *c.* 17. *Contra Epiſt.* Parmenionis *l.* 2. *c.* 7. *n.* 13. *ſupra n.* 8. ORDO.

Ro-

Laici nec morituris Euchariſtiam miniſtrare debent.

Romano, & ex Euchologiis Græcorum conſtat. Noſtris moribus laici apud Latinos, etiam abſentibus Presbytero, & Diacono, nec ſibi, nec aliis Euchariſtiam impertiri valent, licet urgeat mortis periculum. In locis Infidelium non foret tanta difficultas, exemplo primitivæ Eccleſiæ, quæ inter Idololatras crevit. Ubi neceſſitas juſta foret, Sedes Apoſtolica facile diſpenſaret. Sic S. Pius V. diſpenſavit cum pia Scotorum Regina Maria Stuart: quæ in carcere ſe ipſam communicavit, antequam capite plecteretur anno 1587. poſt viginti annorum carcerem. Fuit hæc iniquiſſima Eliſabethæ Anglorum Reginæ ſententia, ad quam e manibus Jacobi Nothi tamquam ad aſylum confugerat innocens Regina. Hodie ſolis Epiſcopis, & Parochis jure ordinario competit inter reliqua Sacramenta Euchariſtiam diſpenſare in Diæceſi, & in Parochia. His non obſtantibus non tantum Regulares, ſed quicunque alii Presbyteri Seculares ſolent paſſim ſine ſpeciali Parochi licentia quibuſcunque notis, & ignotis hominibus Euchariſtiam petentibus adminiſtrare, ſaltem extra tempus Paſchale: non ſine gravi periculo profanationis, & ſacrilegii, (prouti zelantibus viris certis viſum eſt) dum quibuſcunque ſceleſtis aperta ſit ubique communicandi via, ubi neglecto proprio Parocho, qui noſcit oves ſuas, quem noſcunt ſuæ, ad extraneum hominem fugæ locus eſt, qui non habet oves ſub ſe, nec alienas noſcit. Pia cæteroquin conſuetudo, quæ facilem magis reddit medicinam ægrotis. Qui ex prompto remedio anſam peccandi acceperit, ſibi imputet, cujus perditio ex ſe eſt.

Excipitur.

Fatum Mariæ Stuart Reginæ.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 13. *de Reformat.*

Paſſim omnis Presbyter Communionem diſpenſat.

Subjectum.

Communio Infantum.

de Lapſis.

Subjectum autem Communionis ſuſcipiendæ capax, ſtricte ſumptum, omnis homo baptizatus foret. Alias Infantibus olim nullibi, nec hodie apud Græcos Euchariſtia poſt Baptiſmum diſpenſari deberet. Teſtis eſt Cyprianus Parvulam Lactentem ab infideli Nutrice ad Magiſtratum delatam de Idolothytis tenero ore deglutiviſſe: quæ chriſtianæ Matri reſtituta cum Sacris noſtris intereſſet, Calicem recuſavit, & quibus poterat indiciis, conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Perſtitit tamen Diaconus, & reluctanti licet, infudit de Sacramento Calicis. Tunc ſequitur ſingultus, & vomitus. In corpore, atque ore violata Euchariſtia permanere non potuit. Sanctificatus in Domini Sanguine potus de pollutis viſceribus erupit. Meminit in Sacramentario Gregorius M., vel Ejus Commentator, quod Infantes lactari potuiſſent ante Sacram Communionem, ſi neceſſe fuiſſet. Meminit recentior Ordo Romanus, qui Seculo Octavo, Nono, & Decimo teſtatum facit, parvulos unico contextu Baptizandos, Confirmandos, nec non Communican-

Digitized by Google

nicandos fuiſſe. Meminit Seculo Undecimo Hugo a S. Victore, quod Pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis ſit miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt. Meminit antiquus membranaceus Codex pulchro minio pictus, & muſivis notis ornatus, qui aſſervatur in Sacrario Cathedralis Eccleſiæ Tridentinæ. Miſſale eſt, de quo incertum, an pro hac Diœceſi fuiſſet ordinatum, an pro alia vicina Diœceſi. Nullum ſingulare indicium ſupereſt, niſi quod interdum appareat diſcrepare cum Ordine Romano. Conjectura multa, quod ſit Undecimi Seculi Liber; nam Miſſas agit SS. Udalrici, & VVenceslai, qui Decimo Seculo vixerunt. Præterea in Miſſa de Beata Virgine deeſt Præfatio Propria: quæ tantum in Concilio Placentino an. 1095. ab Urbano II. inſtituta fuiſſe videtur, prouti narrat Claudius Fleury. Meminit, inquam, citatus Codex in Officio Sabbati Sancti, quod Sabbatum vocat *ſolemniſſimum Sabbati diem*, non tantum Baptiſmi, & Confirmationis Infantum, quantum eorum Communionis ſub utraque ſpecie. Rubricæ verba hæc ſunt. *Illud autem de parvulis providendum eſt, ne poſtquam baptizati fuerint, ullum cibum accipiant, antequam communicent Sacramento Corporis, & Sanguinis Chriſti.* Apud Latinos ob majorem tanti Sacramenti reverentiam deſiit hic mos Seculo Duodecimo, a quo Rituales ſilent de Communione Infantum. Apud Græcos & hodie viget, qui cum antiquis damnandi non ſunt. Neque damnandi nos ſumus, quia *Sancta Synodus docet parvulos uſu rationis carentes nulla obligari neceſſitate ad Sacramentalem Euchariſtiæ Communionem: ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati; & Chriſto incorporati, adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt. Neque tamen ideo damnanda eſt antiquitas, ſi eum morem in quibuſdam locis aliquando ſervavit. Ut enim Sanctiſſimi illi Patres, ſui facti probabilem cauſam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe Eos nulla ſalutis neceſſitate id feciſſe, ſine controverſia credendum eſt. Unde ſi quis dixerit parvulis, antequam ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ Communionem, anathema ſit.*

Hiſt. Eccleſ. *liv. 64. n. 32.*

Desiit apud nos, viget apud Græcos.

Seſſ. XXI. 1562. *c. 4. de Commun.*

can. 4.

Juxta veterem Diſciplinam in Synodo Eliberitana an. 305. fundatam, *Eos, qui a ſpiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet: ſi vero fideles fuerint, dandam eis eſſe Communionem*; puto, ubi non fuerit periculum irreverentiæ. Poſtea vero admiſſi ſunt citra periculum vitæ, quando lucidis fruebantur intervallis. Aliquando vel ad fugandos, vel ad compeſcendos Dæmones certi Orientales Monachi, autore Sereno Abbate, uſi ſunt Euchariſtico cibo aut nimis temere,

An sit danda Energumenis Communio?

Caſſianus *c. 29. collat. 7.*

Digitized by Google

aut nimis fidenter. Certum enim eſt Eccleſiam nunquam admiſiſſe ad Euchariſtiam energumenos, niſi ubi nullum amplius exiſteret irreverentiæ periculum, cum eos una cum fratribus nec orare liceret. Idem de amentibus ſenſit Eccleſia, aut phreneſi laborantibus, quibus non eſt diſpenſanda Euchariſtia cum periculo irreverentiæ. In quo ſenſu interpretanda venit Synodus Carthaginenſis an. 398., quod morituro phrenetico manus imponantur, *& infundatur ori ejus Euchariſtia*, ideſt quantum ſalvo honore Sacramenti fieri poſſit. De reis ultimo ſupplicio damnatis non ubique eadem diſciplina aut fuit, aut eſt. In Italia, Germania, Hungaria admittuntur ad Communionem, ſervato debito intervallo horarum ab Euchariſtia ad mortem. Secus in Gallia, & in Hiſpania, vel rigore antiquæ Diſciplinæ contra graviorum, & capitalium ſcelerum reos, vel metu irreverentiæ, vel ex præſumpto defectu diſpoſitionis. Mirandum fuit, quod narrat Bona ex Vita S. Baſilii: *Cum enim precibus a Deo gratiam obtinuiſſet, ut ſuis verbis Sacrificium offerre poſſet, accepto divinitus pane, & vino, ipſiſque conſecratis; tempore confractionis panem diviſit in tres partes; & unam quidem eum multo timore, & veneratione ſumpſit, alteram vero una ſecum ſepeliendam ſervavit, tertiam denique in Columba aurea depoſitam deſuper Sacrum Altare ſuſpendit. Quod ideo hoc loco adnotandum cenſui; quia olim viguit hic mos conſepeliendi mortuis Euchariſtiam non ſolum apud Græcos, ſed etiam apud Latinos. Extat ſiquidem exemplum S. Benedicti; qui, ut Gregorius ſcribit l. 2. Dial. c. 24., puerum Monachum extra clauſtra defunctum ſepulturæ tradi juſſit poſito ſuper pectus ejus Dominico Corpore, quod ad hunc effectum ipſemet dedit, ne terra defoſſum cadaver projiceret, ſicuti antea bis acciderat. Sive autem id fecerint Sancti Patres peculiari inſtinctu, ne unquam a Domino ſepararentur, ſive ex conſuetudine tunc recepta, hæc tamen poſtmodum abrogata fuit. Alius quoque uſus olim irrepſerat mortuos communicandi, præſertim pœnitentes, qui ſine communione deceſſerant, credentibus nonnullis pia quadam ſimplicitate ipſos Eccleſiæ ea communione reconciliari. Sed hic vetitus eſt c. 6. Concilii III. Carthaginenſis, c. 12. Antiſſiodorenſis, & c. 83. Trullani.* Quamvis aliquando rigor Diſciplinæ juxta Sirmondum, Morinum, & alios magni nominis autores etiam in exitu vitæ ab ipſa communione, ſive reconciliatione, excluſerit graviorum criminum reos, puta Idololatriæ, Homicidii, Adulterii, Relapſus, aut qui in fine tantum pœnitentiam petierint: multis tamen abhinc Seculis in fine vitæ quibuſcunque vere pœnitentibus (exceptis interdum ultimo ſupplicio damnatis) Euchariſtiæ Sacramentum, prævia Confeſſione debita, denegari amplius non ſolet.

[Margin notes: An Amentibus, et Phreneticis? — *can. 76.* — An Damnatis ad mortem? — An Mortuis? — *ſupra n. 6. ad fin.* — An. 397. An. 578. An. 692. — Jam nemini facile denegatur in fine Vitæ.]

Digitized by Google

ſolet. Verum enim vero Eccleſia valde ſolicita fuit, ne Sanctum daretur canibus, nec projicerentur Margaritæ porcis: quia *quicunque manducaverit panem hunc, vel biberit Calicem indigne, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Olim de more ante Euchariſtiam diſtribuendam Diaconus clamabat: *Sancta Sanctis*; quaſi diceret: ſi quis non eſt Sanctus, non accedat. Eadem verba nunc etiam apud Græcos dicit Sacerdos. Docet nos Rituale Romanum, quomodo *arcendi autem ſunt publice indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſteque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphematores, & alii ejus generis publice peccatores: niſi de eorum pœnitentia, & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint. Occultos vero peccatores, ſi occulte petant, & eos agnoverit, repellat*, ideſt Sacerdos; *non autem ſi publice petant*, ut ſine ſcandalo ipſos prætermittere nequeat. Exemplum fecit Chriſtus Jeſus, qui Euchariſtiam Judæ futuro proditori malluit diſpenſare, quam occultum illius crimen revelare.

INDIGNI EXCLUSI. Matth. VIII. 6. I. Corinth. XI. 27.

Quod ulterius pertinet ad præparationem, quæ adhibenda eſt, ut digne quis Sacram Euchariſtiam percipiat: *ſi non decet ad ſacras ullas functiones quempiam accedere, niſi Sancte; certe quo magis ſanctitas, & divinitas cæleſtis hujus Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eo diligentius cavere ille debet, ne abſque magna reverentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat; præſertim cum illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus: qui manducat, & bibit indigne, judicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quare communicare volenti revocandum eſt in memoriam Ejus præceptum: Probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem Conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad Sacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod a Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc Sancta Synodus perpetuo eſſe decrevit, modo non deſit illis copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente Sacerdos abſque prævia Confeſſione celebraverit, quamprimum confiteatur*. Sive Apoſtolica Traditione, ſive Eccleſiaſtica Conſuetudine, Euchariſtia nonniſi a jejunis ſumi debet extra caſum neceſſitatis, qualis eſt in morituro propter Viaticum, & qualis olim fuit in lactentibus multis: more penitus abrogato, qui aliquando in Africa, & in Oriente invaluerat, ut in Cœna Domini, tamquam ad inſignem magis Commemorationem, poſt profanos cibos, offerri, & accipi liceat Corpus, & Sanguinem Domini Jeſu Chriſti, prouti legitur Chriſtum

QUANTA PRÆPARATIO?

De Conſecrat. c. 54. Diſt. II. JEJUNIUM PRÆCEDAT. Auguſt. *Epiſt.* 54. *c.* 9. ad Januar. Trull. Syn. *692. can.* 29.

Digitized by Google

in Cœna noviſſima cum ſuis Apoſtolis feciſſe. Quod enim Divino Legislatori tempore Nuptiarum placuit, jam ſublato Sponſo hominibus legem accipientibus ut liceat, non decet.

QUANTA SIT NECESSITAS EUCHARISTIÆ? Quoad neceſſitatem hujus Sacramenti Euchariſtia ad ſalutem neceſſaria non eſt neceſſitate medii. De facto Sancta Synodus ſupra declaravit Parvulos non obligari ad Communionem, *ſiquidem per Baptiſmi lavacrum regenerati, & Chriſto incorporati, adeptam jam Filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non poſſunt*. Torquet multos illud: *niſi manducaveritis Carnem filii hominis, & biberitis Ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quaſi *Ly niſi* eandem neceſſitatem inducat, quam *To niſi* inducit: *niſi quis renatus fuerit ex Aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*. Diſcrimen eſt, quod Jeſus hic ad Nicodemum loquatur pro cunctis de neceſſitate medii: ibi ad Judæos loquatur pro adultis tantum de neceſſitate præcepti. Iſte eſt Catholicæ Eccleſiæ ſenſus. Tenentur omnes adulti Catholici neceſſitate ſive Divini, ſive Eccleſiaſtici præcepti accedere ad Sacram Menſam, quando vel uſus rectæ rationis advenerit, vel grave periculum animæ, aut corporis immineat; vel adſit Communio Paſchalis. Teſtatur Hieronymus ſuo ævo conſuetudinem Romæ, & in Hiſpania fuiſſe, ut Fideles ſemper Chriſti Corpus acciperent, ideſt quotidie. Addit Gennadius Maſſilienſis exeunte Seculo Quinto: *Faciat unuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum*. Quæ regula amplianda venit ſano ſenſu in omnibus dubiis, cum nullum præcedat aut Domini, aut Eccleſiæ ſuæ præceptum. Chriſtiana enim libertas eadem ſemper eſt, & Deo ſervire regnare eſt. Singulis tamen Dominicis communicandum Gennadius rite ſuadet, ſi mens ſine affectu peccandi ſit. Non ſuadet, ſi mens cum affectu peccandi ſit. Unde probet ſe ipſum homo. Sed tantus quarumdam animarum tepor tum erat, ut Synodus Agathenſis anno 506. rectiſſime decreverit: *Seculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur*. Synodus Toletana an. 430. ſanciverat: *Hi, qui intrant in Eccleſiam, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur. Quod ſi non communicant, ad pænitentiam accedant*. Seculo Nono communis Diſciplina Occidentis ferebat, ut ſaltem ter in anno communicarent Laici. In Cœna Domini communiter reconciliabantur pœnitentes ad percipienda Corporis, & Sanguinis Dominici Sacramenta, quemadmodum Synodus Cabilonenſis an. 813. commemorat. In votis fuerat Carolo M., ut omnes per dies Dominicos, & feſtivita-

Marginalia: Joan. VI. 54. — Joan. III. 5. — QUANDO SIT HÆC NECESSITAS? — *Epiſt. 42.* ad Lucinium. — VARIA DISCIPLINA. — *can.* 18. — *can.* 13. — *can.* 47.

vitates præclaras Sacra Euchariſtia communicent, niſi criminali peccato, & manifeſto impediantur. Heraldus Turonenſis contentus fuit, ſi fiat tertia Dominica, vel quarta, hoc eſt quovis menſe ſemel. Amalarius in quadam ſua Epiſtola narrat, quomodo Fideles Eccleſiam ingreſſi compellerentur aut ad communicandum, aut ad prodendas juſtas omiſſionis cauſas. Secus excommunicabantur. Refert Thomaſſinus. Impoſterum non crevit Fidelium fervor, donec univerſa Catholica Eccleſia in Spiritu Sancto legitime congregata, in Concilio Generali Lateranenſi IV. an. 1215. ſub Innocentio III. præceptum de annua ſaltem Paſchali Communione non dederit ſub his verbis: *Omnis utriuſque ſexus Fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum: niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam, ad tempus ab hujuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc ſalutare Statutum frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quiſquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat.* Proſequitur Tridentina Synodus: *ſi quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate ad Communicandum, juxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.* Optaret quidem Sancta Synodus, ut & hodie, ſicut olim, Fideles adſtantes in ſingulis Miſſis communicarent. Sed ante oportet fieri, quales fuerunt primitivi Chriſtiani. Hortatur Eccleſia, non cogit. De tanta Eccleſiæ manſuetudine non pudet inſolentiſſimum hominem, qui nihil alias niſi infelicem conſcientiæ libertatem clamat, impudentiſſime proferre: *Et ſane hæc conſuetudo, quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſt Diaboli inventum: cujuſcunque tandem miniſterio invecta fuerit.* Is Calvinus eſt.

p. 1. l. 2. c. 83. n. 7.

COMMUNIO PASCHALIS.

c. 12. de Pœnit. & Remiſſion.

Seſſ. XIII. 1551. *can. 9.*

Seſſ. XXII. 1562. *c. 6. de Sacrif. Miſſæ.*

Inſtitut. l. 4. c. 17. n. 46.

QUOMODO PERAGATUR?

Sufficit plerumque hodie probato Sacerdoti, licet non ſit proprius Parochus, peccata ſua confiteri, & communionem intra tempus Paſchale a locorum uſibus definitum, in quacunque Eccleſia ſumere, licet illa non ſit propria Parochia. Quare non attenditur amplius citatæ Lateranenſi proviſioni, nempe *ſi quis autem alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, & ligare.* Romæ ad Paſchale præceptum adimplendum ſufficit probato Sacerdoti confiteri: ſed Communio ſaltem in propria

Pa-

Digitized by Google

Parochia peragenda eſt. Ego vero cum multis viris piis æque, ac doctis ſuadeo omnino, cæteris paribus, propriam Parochiam præferri, quæ nobis Baptiſmum dedit, & primum jus habet adminiſtrandi Sacramenta. Concluditur, quod Parochus ob omiſſum Paſchale præceptum teneatur violatores denunciare Ordinario ſuo, qui ſolus hominem peccatorem ab ingreſſu Eccleſiæ, vel a Chriſtiana ſepultura arcere poteſt, quemadmodum Sacri Canones præſcribunt.

DENUNCIANDI VIOLATORES.

QUÆSTIO DE COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE. Rer. Liturg. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 1.

Sufficit ad complementum hujus Tituli Catholicam de Communione ſub utraque ſpecie Doctrinam exponere. Totam quæſtionem reducit Bona ad hæc duo capita: *An videlicet Communio ſub utraque ſpecie ſemper in uſu fuerit: & an permiſſum olim ſit ſub una tantum communicare? Facile autem utraque lis componi poteſt, ſi communionem publicam intra Miſſarum ſolemnia a privata extra Eccleſiam, & Synaxim diſtinguamus. Certum quippe eſt, omnes paſſim Clericos, & Laicos, Viros, & Mulieres ſub utraque ſpecie Sacra Myſteria antiquitus ſumpſiſſe, cum ſolemni Eorum celebrationi aderant, & offerebant, ac de oblatis participabant. Extra Sacrificium vero, & extra Eccleſiam ſemper, & ubique Communio ſub una ſpecie in uſu fuit.* Primam partem nemo negat uſque ad Duodecimum Seculum, donec ceperit *paulatim Ejus Seculi initio uſus Calicis obſoleſcere, pleriſque Epiſcopis Eum populo interdicentibus ob periculum irreverentiæ, & effuſionis; quod inevitabile erat aucta fidelium multitudine, in qua deeſſe non poterant minus cauti, & attenti, ac parum religioſi.* Altera pars patebit infra. Sed nullus ante Petrum Dreſdium Pragæ in Bohemia Ludimagiſtrum, & Jacobellum Miſnenſem, qui exeunte Seculo Decimoquarto Pragæ concionatorem egit infelicem, impie docuit, Hominem conſequi non poſſe æternam ſalutem, niſi de Calice Domini biberit, cujus uſu neceſſario defraudabantur Laici contra Jeſu verba: *niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis Ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* quaſi vero Eccleſiæ non ſit judicare, quod illa verba non inducant neceſſitatem utriuſque ſpeciei, ſed unius tantum. Reſtitit fruſtra Archiepiſcopus cum Clero ſuo, cum interea inſani Novatores vix non univerſum populum ad communionem ſub utraque ſpecie ſuſcipiendam induxerint, opera imprimis Simonis Rzepensky nefarii Collegæ. VVicleffum nullibi conſtat ſic ſenſiſſe. Verum Joannes Huſs non ſtatim auſus eſt Communionem ſub utraque ſpecie ſingulis neceſſariam aſſerere, contentus illam tamquam licitam, atque utilem diſpenſare. Animoſior factus ſucceſſu novo addidit Chriſtum præcepiſſe Miniſtris ſuis, ut Laicis ipſis Commu-

Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. *c.* 35.

ORIGO CONTROVERSIÆ.

Joan. VI. 54.

PROCESSUS.

nio

Digitized by Google

nio ſub utraque ſpecie diſpenſaretur. Mortuo Huſs, & diſſentientibus
forſan primum Thaboritis, Calixtini (utrumque genus viperarum ex
Patre Huſs) calicis neceſſitatem propugnaverunt. Ideo dicti Calixtini.
Thaboritæ dicti ab arce Thabor, quam Joannes Ziska Huſſitarum Dux
exercitus condidit in rupibus prægltis. Reſtituit Calicis uſum VVirtem-
bergæ an. 1521. Carloſtadius, in cujus ſententiam incidit Lutherus, poſt-
quam diu fluctuaſſet. Calvinus acceſſit, ut omnes bibant. Et hunc peſ-
ſimum errorem proſcripſerunt contra Joannem Huſs, & Hieronymum Seſſ. XIII. 1415.
a Praga Patres Conſtantienſes: contra Huſſitas alios Patres Baſileenſes: Seſſ. XXX. 1437.
contra recentiores Novatores Patres Tridentini. Poſtremam Oecumeni- Seſſ. XXI. 1562.
cam Synodum pro indubitata Catholicæ Eccleſiæ Doctrina allegaſſe ſuf-
ficiet. Itaque *Sancta ipſa Synodus a Spiritu Sancto, qui Spiritus eſt ſapien-* DOGMA.
*tiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & pietatis, edocta, atque ipſius Ec-
cleſiæ judicium, & conſuetudinem ſecuta, declarat, ac docet, nullo divino
præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Euchariſtiæ Sacra-
mentum ſub utraque ſpecie ſumendum; neque ullo pacto, ſalva fide, dubi-
tari poſſe, quin illis alterius ſpeciei Communio ad ſalutem ſufficiat. Nam etſi
Chriſtus Dominus in ultima Cœna Venerabile hoc Sacramentum in panis, & vini
ſpeciebus inſtituit, & Apoſtolis tradidit: non tamen illa inſtitutio, & tra-
ditio eo tendunt, ut omnes Chriſti fideles, ſtatuto Domini, ad utramque ſpe-
ciem accipiendam adſtringantur. Sed neque ex ſermone illo apud Joannem
ſexto recte colligitur utriuſque ſpeciei Communionem a Domino præceptam eſſe:
utcunque juxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes in-
telligatur. Namque qui dixit: niſi manducaveritis Carnem Filii hominis,
& biberitis Ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis: dixit quoque:
ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et qui dixit: qui
manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam:
dixit etiam: Panis, quem Ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita. Et de-
nique qui dixit: qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem,
in me manet, & Ego in illo: dixit nihilominus: qui manducat hunc pa-
nem, vivet in æternum.* Unde *ſi quis dixerit, ex Dei præcepto, vel ne-* can. 1.
*ceſſitate ſalutis, omnes, & ſingulos Chriſti fideles utramque ſpeciem Sanctiſ-
ſimæ Euchariſtiæ Sacramenti ſumere debere, anathema ſit.* Rurſus *ſi quis di-* can. 2.
*xerit, Sanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis, & rationibus adductam
fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos, non conficientes, ſub panis tantum-
modo ſpecie communicaret, aut in Eo erraſſe, anathema ſit.*

Juſtæ cauſæ, & rationes graviſſimæ Catholicæ Eccleſiæ uſum Calicis CAUSÆ ABOLENDI CALICIS.
non

Digitized by Google

non Laicis tantum, ſed etiam Sacerdotibus ipſis extra Miſſæ Sacrificium prohibentis multæ ſunt. Prima eſt, quia ſcivit Eccleſia nullum generale præceptum Dei adeſſe ad utramque ſpeciem conſummandam ab omnibus, & ſingulis: totum, & integrum Chriſtum non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie contineri: propterea fideles nullo Sacramenti fructu privari. Altera cauſa eſt, quia licet Laici quoque ſub utraque ſpecie paſſim, & communiter uſque ad Seculum Duodecimum communicaſſent, multis in caſibus Euchariſtia ſub unica ſpecie tantum, frequenter fuit diſ-

Rer. Liturg. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2.

penſata. *Quid enim*, ſcribit Bona, *clarius*, *& frequentius in veteri Hiſtoria*, *quam Communio ſub una ſpecie? Hanc evincunt exempla ſuperius allata de Euchariſtia domi aſſervata*, *ad abſentes tranſmiſſa*, *atque in longis itineribus*, *ac navigationibus a Fidelibus delata*, *utique in ſola ſpecie panis*, *cum ferret occaſio*, *ſumenda*. *Nec aliter communicabant Anachoretæ in vaſtis ſolitudinibus*, *quam Particulis*, *quas ſecum ferebant*, *cum in ſolemnioribus Feſtis ad Eccleſiam conveniebant*; *vel ad Eos mittebant*, *aut portabant Sacerdotes*. *Vinum ſiquidem diu conſervatum aceſcit*, *& corrumpitur*, *nec poteſt ſine periculo effuſionis longe portari*.

Infirmi olim unica specie usi.

Euſeb. *l.* 6. *c.* 36.

Paulin. *in Vita.*

Sic infirmi ab initio ſub unica ſpecie communicabant, quemadmodum de Serapione Euſebius, de Ambroſio Paulinus narrant. Serapionem ſupra citavimus, cui puer madefactam particulam in os infudit, quam miſerat Presbyter morituro ſeni, cum ipſe morbo detentus venire nequiviſſet. Cum Amboſius morti proximus jaceret, Honoratus Vercellenſis, ignota voce ter clamante, deſcendens e ſuperiori domo, *obtulit Sancto*, *Domini Corpus*, *quo accepto*, *ubi glutivit*, *emiſit Spiritum*. Non audiendi, qui fingunt panem Conſecrato vino fuiſſe temperatum: quibus incumbit onus probandi, præterquamquod hic uſus Seculo Septimo apparuit pri-

Boſſuet. *Traitè de la Commun. ſous les deux Eſpeceſ. Idem Hiſt. des variations.*

Juenin. *Diſſ.* IV. *q.* 9. *c.* 4. *art.* 2. § 2.

Item Infantes.

mum, & illico in Synodo Bracarenſi an. 675. damnatus fuit. Conſule contra vana Hæreticorum effugia Epiſcopum Meldenſem, & Presbyterum Juenin. Sic Infantes ſub unica ſpecie olim communicabant. Ad hominem facit, quod ſupra ex Cypriano adduximus de puellula polluta, in cujus os Diaconus immiſit digitum Sacro Sanguine tinctum: aut ex Hugone a S. Victore, quod pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis ſit miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt. Imo *vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli*, *ut*, *ſi quando multæ admodum particulæ puri*, *& immaculati Corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent*, *pueri impuberes*, *qui ſcholas frequentabant*, *accerſerentur*, *Eaſque manducarent*.

Evagr. *l.* 4. *c.* 35.

Sic

Digitized by Google

Sic domi Fideles ſub ſpecie panis tantum communicabant. Quomodo vinum abſentibus tam procul mitti poterat ſine periculo aut effuſionis, aut corruptionis? quomodo ſub unica ſpecie panis non communicaverunt Fideles apud Tertullianum, quem panem abſcondebant uxores maritis, & ſervi Chriſtiani Dominis infidelibus? quomodo non fuit panis tantum, quem maculatus ille apud Cyprianum edere, & contrectare non potuit? Eſto. Etiamſi panis ſtatim vino Conſecrato intinctus fuiſſet, quod nondum evicerunt adverſarii: nonne poſt longam temporis moram, vini ſpecies evanuiſſent? nonne ſolæ rurſus panis ſpecies remanſiſſent, ut ſumentes inde ſub unica ſpecie Communionem habuiſſent? ITEM DOMI FIDELES.

Sic in Eccleſiis ipſis Fideles aliquando ſub unica ſpecie tantum, palam communicabant, præterquamquod Bona ab initio hujus argumenti ſenſerit. Alias quomodo ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris intereſſe myſteriis præſumpſiſſent impii Manichæi: atque ita in Sacramentorum Communione ſe temperaſſent, ut interdum tutiores laterent, ore indigno Corpus Chriſti accipientes, Sanguinem autem Redemptionis noſtræ haurire omnino declinantes? Manichæos damnavit hic Leo M., non quod ſub unica tantum ſpecie communicarent, ſed quod a Conſecratione, & Communione Calicis, tamquam a re mala, & Diabolica abſtinendum eſſe turpiter exiſtimarent. Quare Gelaſius P. ad finem Seculi Quinti præcepit, ut ſub utraque ſpecie omnes communicarent: ne, ſi Catholici a Calice abſtinerent, ſe de hæreſi Manichæorum ſuſpectos redderent: aut ipſi Manichæi eo ſigno detegi non poſſent, ſi idem facerent, quod Catholici ſub ſola panis ſpecie communicantes. Adde antiquam Miſſam apud Latinos in Paraſceve. Confirmat citatus noſter Codex in Ordine hujus Sextæ Feriæ: ubi monet Pontificem hæc Rubrica: *ſumit de Sancta*, ideſt de Hoſtia pridie conſecrata, *& ponit in Calicem nihil dicens, niſi forte ſecrete aliquid dicere voluerit ... ſanctificat autem vinum non conſecratum per panem ſanctificatum. Et communicant omnes cum ſilentio: & ſic expleta ſunt univerſa*. Communicant ſcilicet ſub unica ſpecie Panis, quidquid hodie ſolus Pontifex communicat. Adde Miſſam Præſanctificatorum apud Græcos in Quadrageſimali Jejunio, ubi & hodie Communio Celebrantis in utraque Eccleſia fit ſub unica ſpecie panis. Conſenſus utriuſque Eccleſiæ firmiſſimum ubique argumentum eſt. Sed Adverſarii noſtri aures non habent, quando nolunt audire, manus non habent, quando nolunt palpare. Non me fugit hodiernus Græcorum Ritus, qui Pani ad officium Præſanctificatorum Conſecrato imprimunt formam Crucis, ſu-

ITEM IN ECCLESIIS FIDELES ALIQUI.

Serm. 41. de Quadrageſ. IV. cap. 5.

De Conſecrat. c. 12. Diſt. II.

ITEM IN MISSA PRÆSANCTIF., ET IN PARASCEVE.

RITUS GRÆCORUM RECENS.

Digitized by Google

non Laicis tantum, ſed etiam Sacerdotibus ipſis extra Miſſæ Sacrificium prohibentis multæ ſunt. Prima eſt, quia ſcivit Eccleſia nullum generale præceptum Dei adeſſe ad utramque ſpeciem conſummandam ab omnibus, & ſingulis: totum, & integrum Chriſtum non minus ſub una, quam ſub utraque ſpecie contineri: propterea fideles nullo Sacramenti fructu privari. Altera cauſa eſt, quia licet Laici quoque ſub utraque ſpecie paſſim, & communiter uſque ad Seculum Duodecimum communicaſſent, multis in caſibus Euchariſtia ſub unica ſpecie tantum, frequenter fuit diſpenſata. *Quid enim*, ſcribit Bona, *clarius*, *& frequentius in veteri Hiſtoria*, *quam Communio ſub una ſpecie? Hanc evincunt exempla ſuperius allata de Euchariſtia domi aſſervata*, *ad abſentes tranſmiſſa*, *atque in longis itineribus*, *ac navigationibus a Fidelibus delata*, *utique in ſola ſpecie panis*, *cum ferret occaſio*, *ſumenda*. *Nec aliter communicabant Anachoretæ in vaſtis ſolitudinibus*, *quam Particulis*, *quas ſecum ferebant*, *cum in ſolemnioribus Feſtis ad Eccleſiam conveniebant*; *vel ad Eos mittebant*, *aut portabant Sacerdotes*. *Vinum ſiquidem diu conſervatum aceſcit*, *& corrumpitur*, *nec poteſt ſine periculo effuſionis longe portari*.

Rer. Liturg. *l.* 2. *c.* 18. *n.* 2.

INFIRMI OLIM UNICA SPECIE USI.

Sic infirmi ab initio ſub unica ſpecie communicabant, quemadmodum de Serapione Euſebius, de Ambroſio Paulinus narrant. Serapionem ſupra citavimus, cui puer madefactam particulam in os infudit, quam miſerat Presbyter morituro ſeni, cum ipſe morbo detentus venire nequiviſſet. Cum Ambroſius morti proximus jaceret, Honoratus Vercellenſis, ignota voce ter clamante, deſcendens e ſuperiori domo, *obtulit Sancto*, *Domini Corpus*, *quo accepto*, *ubi glutivit*, *emiſit Spiritum*. Non audiendi, qui fingunt panem Conſecrato vino fuiſſe temperatum: quibus incumbit onus probandi, præterquamquod hic uſus Seculo Septimo apparuit primum, & illico in Synodo Bracarenſi an. 675. damnatus fuit. Conſule contra vana Hæreticorum effugia Epiſcopum Meldenſem, & Presbyterum Juenin. Sic Infantes ſub unica ſpecie olim communicabant. Ad hominem facit, quod ſupra ex Cypriano adduximus de puellula polluta, in cujus os Diaconus immiſit digitum Sacro Sanguine tinctum: aut ex Hugone a S. Victore, quod pueris recens natis idem Sacramentum in ſpecie Sanguinis ſit miniſtrandum digito Sacerdotis, quia tales naturaliter ſugere poſſunt. Imo *vetus fuit conſuetudo Conſtantinopoli*, *ut*, *ſi quando multæ admodum particulæ puri*, *& immaculati Corporis Chriſti Dei noſtri ſupereſſent*, *pueri impuberes*, *qui ſcholas frequentabant*, *accerſerentur*, *Eaſque manducarent*.

Euſeb. *l.* 6. *c.* 36.

Paulin. *in Vita*.

Boſſuet. *Traitè de la Commun. ſous les deux Eſpeceſ. Idem Hiſt. des variations*.

Juenin. *Diſſ.* IV. *q.* 9. *c.* 4. *art.* 2. §. 2.

ITEM INFANTES.

Evagr. *l.* 4. *c.* 35.

Sic

Sic domi Fideles ſub ſpecie panis tantum communicabant. Quomodo vinum abſentibus tam procul mitti poterat ſine periculo aut effuſionis, aut corruptionis? quomodo ſub unica ſpecie panis non communicaverunt Fideles apud Tertullianum, quem panem abſcondebant uxores maritis, & ſervi Chriſtiani Dominis infidelibus? quomodo non fuit panis tantum, quem maculatus ille apud Cyprianum edere, & contrectare non potuit? Eſto. Etiamſi panis ſtatim vino Conſecrato intinctus fuiſſet, quod nondum evicerunt adverſarii: nonne poſt longam temporis moram, vini ſpecies evanuiſſent? nonne ſolæ rurſus panis ſpecies remanſiſſent, ut ſumentes inde ſub unica ſpecie Communionem habuiſſent? ITEM DOMI FIDELES.

Sic in Eccleſiis ipſis Fideles aliquando ſub unica ſpecie tantum, palam communicabant, præterquamquod Bona ab initio hujus argumenti ſenſerit. Alias quomodo ad tegendam infidelitatem ſuam noſtris intereſſe myſteriis præſumpſiſſent impii Manichæi: atque ita in Sacramentorum Communione ſe temperaſſent, ut interdum tutiores laterent, ore indigno Corpus Chriſti accipientes, Sanguinem autem Redemptionis noſtræ haurire omnino declinantes? Manichæos damnavit hic Leo M., non quod ſub unica tantum ſpecie communicarent, ſed quod a Conſecratione, & Communione Calicis, tamquam a re mala, & Diabolica abſtinendum eſſe turpiter exiſtimarent. Quare Gelaſius P. ad finem Seculi Quinti præcepit, ut ſub utraque ſpecie omnes communicarent: ne, ſi Catholici a Calice abſtinerent, ſe de hæreſi Manichæorum ſuſpectos redderent: aut ipſi Manichæi eo ſigno detegi non poſſent, ſi idem facerent, quod Catholici ſub ſola panis ſpecie communicantes. Adde antiquam Miſſam apud Latinos in Paraſceve. Confirmat citatus noſter Codex in Ordine hujus Sextæ Feriæ: ubi monet Pontificem hæc Rubrica: *ſumit de Sancta*, ideſt de Hoſtia pridie conſecrata, *& ponit in Calicem nihil dicens, niſi forte ſecrete aliquid dicere voluerit ... ſanctificat autem vinum non conſecratum per panem ſanctificatum. Et communicant omnes cum ſilentio: & ſic expleta ſunt univerſa.* Communicant ſcilicet ſub unica ſpecie Panis, quidquid hodie ſolus Pontifex communicat. Adde Miſſam Præſanctificatorum apud Græcos in Quadrageſimali Jejunio, ubi & hodie Communio Celebrantis in utraque Eccleſia fit ſub unica ſpecie panis. Conſenſus utriuſque Eccleſiæ firmiſſimum ubique argumentum eſt. Sed Adverſarii noſtri aures non habent, quando nolunt audire, manus non habent, quando nolunt palpare. Non me fugit hodiernus Græcorum Ritus, qui Pani ad officium Præſanctificatorum Conſecrato imprimunt formam Crucis, ſuper-

ITEM IN ECCLESIIS FIDELES ALIQUI.

Serm. 41. de Quadrageſ. IV. cap. 5.

De Conſecrat. c. 12. Diſt. II.

ITEM IN MISSA PRÆSANCTIF., ET IN PARASCEVE.

RITUS GRÆCORUM RECENS.

Digitized by Google

perinfuſis pauciſſimis pretioſi Sanguinis guttulis. Sed præterquamquod Ritus iſte non legatur in veteribus Euchologiis, iidem Græci ignem ſtatim ſubjiciunt, & guttulæ Sanguinis mox ita exſiccantur, ut paulo poſt vini ſpecies vix non penitus evanuerint. Evaneſcunt certe poſt aliquos dies ſaltem, quando non amplius Communicantes credere poſſunt, ſe ſpecies Sanguinis guſtaſſe. Græci ſingulari plurium Seculorum conſuetudine communicant ſub utraque ſpecie, non ſeorſim, ſed ſimul mixta. Sacerdos enim ſacras particulas intinctas, ac perfuſas divino Sanguine, ſingulis ſingulas in parvo cochleari diſtribuit: cujus tenue, & longum manubrium eſt in parvam Crucem deſinens, ex quo ſinguli ſingulas particulas intra os excipiunt. Nunquam legimus, aut Græcos a Latinis propter duplicem ſpeciem, aut Latinos a Græcis propter unicam ſpeciem fuiſſe reprehenſos, quamvis tantæ contentiones interceſſerint propter Fermentatum, & Azymum panem. *Imo ipſi ægrotis, & moribundis ſub una tantum præbent ſpecie: nam ſingulis annis, Feria Quinta majoris hebdomadæ, panem recentem ſolito majorem præparant, & conſecrant, cujus quartam partem Sacerdos abſumit: tres reliquas in minutulas particulas comminuit, quas Meridas, & communiori vocabulo Margaritas vocant. Sed antea conſecratum panem, Chriſti Sanguine leviter humectant, tum ſacro diſco ignem ſubjicientes, cunctum humorem exprimunt; & ſic adeo induреſcit, ut per totum annum a corruptione immunis ſervari poſſit. A pane vero ea ratione exſiccato modicum illud vinum, quo imbutus fuerat, omnino evaneſcit, & conſequenter remanet ſub ſola ſpecie panis Corpus Chriſti: quod ad ægrotum, cum opus eſt, deferentes, prius extrahunt ex pyxide Margaritam unam, & in cochleari vino communi perfundunt, ut emolleſcat; eaque ſic perfuſa illum communicant. Agit de hoc Ritu Græcorum docte, & diffuſe Leo Allatius Epiſt. 2. ad Nihuſium in ſuis Symmictis l. 1. Infantibus vero dant Græci more antiquo Euchariſtiam ſub ſola ſpecie vini, cochlear Sanguine intinctum ori ipſorum inferentes, ut lambant: quibus poſtea Matres, vel Nutrices e Sanctuario recedentes ubera præbent, ut ſanguinem ſimul cum lacte deglutiant, ut idem Allatius aſſerit in Annotationibus de Communione Orientalium additis ad Tractatum de Conſenſione utriuſque Eccleſiæ.* Idem teſtatur eodem loco apud Bonam, Abraham Ecchellenſis Maronita, & Gabriel Sionita de Maronitis, & reliquis Orientalibus. Idem Lucas Holſtenius de Abaſſynis.

Arcud. *l.* 3. *c.* 53.

Bona *ut ſupra*.

FIDELIUM ASSENSUS DIUTURNUS IN OCCIDENTE.

Tertia ſequitur cauſa abolendi Calicis extra Sacrificium Miſſæ, quod Fideles jam a duobus Seculis, ſaltem in Occidente, pium æque ſub unica Panis ſpecie uſum communicandi pacifice tolerarent uſque ad Pe-

trum

Digitized by Google

trum Dreſdenſem, per quem venit ſcandalum. Quarta cauſa fuit, quod decedentibus Viaticum diſpenſaretur vix non ſub panis ſpecie tantum. Quinta cauſa fuerunt abſtemii plurimi, & penuria vini in variis regionibus Aquilonaribus: imo ſcandala effuſo Chriſti Sanguine in diem ſuccedentia, & in tanta hominum frequentia non evitanda. Hoc malum mederi cogitabant aliqui more Græcorum, ſi Conſecrata Particula Conſecrato Vino intingeretur. Huic tamen periculoſo remedio contradixit Latina Eccleſia, ne hinc ſenſim neceſſitas utriuſque ſpeciei adſtrueretur. Nec immerito: venerat quippe Satanæ hora, venerat poteſtas tenebrarum, quibus oppoſuit veritatis lucem Catholica Eccleſia. Unde *ſi quis negaverit, totum, & integrum Chriſtum, omnium gratiarum fontem, & auctorem ſub una panis ſpecie ſumi: quia, ut quidam falſo aſſerunt, non ſecundum ipſius Chriſti Conſtitutionem ſub utraque ſpecie ſumatur, anathema ſit.* Concluditur Catholicam Eccleſiam uſum Calicis, extra Sacrificium Miſſæ, pro firmo meræ Diſciplinæ articulo ſemper habuiſſe, pro dogmate nunquam. Hæc vero poteſtas perpetuo in Eccleſia fuit, *ut in Sacramentorum diſpenſatione, ſalva illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium utilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.*

VIATICUM.

ABSTEMII, ET PENURIA VINI; AUT SCANDALA.

REMEDIUM PERICULOSUM.

Seſſ. XXI. 1562. *can. 3. de Commun. ſub utraque ſpecie.*

MERUS RITUS IN USU CALICIS.

ibid. cap. 2.

Porro Patres Baſileenſes an. 1433., qui per ſuos Legatos cum Bohemis, & Moravis in Ægra Oppido rem egerunt, renunciarunt illis: Si id omnino Bohemi contenderent, Sacrum Concilium Sacerdotibus eorum facultatem conceſſurum, ſub utraque ſpecie populum, eos videlicet, qui in annis diſcretionis conſtituti eſſent, atque id reverenter poſtularent, communicandi: hoc ſemper obſervato, quod Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicerent, debere eos firmiter credere, quod non ſub ſpecie panis, caro tantum, nec ſub ſpecie vini, ſanguis tantum, ſed ſub qualibet ſpecie ſit integer totus Chriſtus. Patres Tridentini vehementer urgentibus uſum Calicis Germanorum, Gallorumque Legatis decreverunt an. 1562. integrum negotium ad Sanctiſſimum Dominum noſtrum eſſe referendum, prout præſenti negotio retulerunt; qui pro ſua ſingulari prudentia id efficiat, quod utile Reipublicæ Chriſtianæ, & ſalutare petentibus uſum Calicis fore judicaverit. Pius IV. an. 1564. ſæpius repetitas Ferdinandi Cæſaris preces Cardinalibus in Conciſtorio propoſuit, quibus Germaniæ Nationi uſum Calicis concedi poſtulabat. Id niſi fieret, brevi futurum, ut graſſantem in illis Provinciis hæreſin omnes amplecterentur. Juſto timore perculſus optimus Pontifex Epiſcopis Germaniæ mandavit,

CONVENTUS BOHEMORUM.

RURSUS PAPÆ RES COMMITTITUR.

Digitized by Google

Pius IV. Germanis Calicis uſum concedit.

davit, ut ſub iiſdem ferme conditionibus reſtituerent uſum Calicis populo ſuo. Quid boni evenit? Præter non ferendos abuſus, docebant Proteſtantes palam, Eccleſiam Romanam tacite fateri ſuum errorem, quod hactenus contra Jus divinum populis Calicem ſubtraxerit. Quapropter anno vix elapſo S. Pius V. coactus fuit, momentaneam diſpenſationem cum ipſo Calicis uſu revocare, ne puſilli peſſime deciperentur. Imo ſub pœna Excommunicationis mandavit, ut decretum prius de Communione ſub unica ſpecie ab omnibus inviolabiliter obſervaretur. Unde vix ulla concedendi Calicis ſpes amplius affulget, ne novus error ſuccedat pejor prioribus erroribus.

Revocavit Pius V.

DE EUCHARISTIÆ SACRIFICIO

TITULUS V.

Propoſitum.

Venerabilem, & Divinam Euchariſtiam, quam hactenus ſub ratione Sacramenti conſideravimus, recte ſub ratione Sacrificii nunc conſideramus. Sub hac ratione ipſa, Sacroſancta Euchariſtia fuit a Græcis dicta Liturgia, ideſt publicum, & ſacrum Miniſterium: Myſtagogia, ideſt actio ſecreta, quia Judæis, Gentilibus, Catechumenis, & Pœnitentibus non dabatur acceſſus: Synaxis, ideſt unio Chriſti cum ſuo populo: Anaphora, ideſt elevatio ad Deum; Phroſphora, ideſt oblatio ab offerendo. A Latinis vero dicta fuit Collecta, Dominicum, Agenda, Oblatio, Miſſa, quaſi Miſſio, ſeu Dimiſſio: quia quemadmodum ex obſervatione Aviti Epiſcopi Vienneſis *in Eccleſiis, Palatiiſque, ſive Prætoriis Miſſa fieri pronunciatur, cum populus ab obſervatione dimittitur*, ita peracto Sacrificio, peractis precibus populus dimittebatur per ſolemnem ſuperſtitem formulam: *Ite, Miſſa eſt*, quaſi dicatur: Ite, quia dimiſſi eſtis. Sic poſt Evangelium, quia dimittebantur Catechumeni, (ne ipſæ quidem Symbolorum rationes omnibus ſint revelatæ, ac notæ, ſed viris Sanctis, quibus non licet eas exponere iis, qui adhuc ſunt Catechumeni) priores cæremoniæ uſque ad Symbolum Miſſa Catechumenorum nuncupabantur. Hinc forte Preces, quæ hodie in Canone leguntur, ſecretæ nuncupantur propter veteres Catechumenos, qui non amplius adſtant. Viris Sanctis Myſteria cuncta audire licet, quæ imo, Eccleſia vult, ut Parochi frequenter doceant rudes homines idiomatis, & myſterii ignaros. De Miſſa quoque Conſule Binghamum non alias, niſi ſano ſenſu. Ubique enim refellere noſtri inſtituti non eſt. Refellitur abunde ab

Variæ voces.

Etymologia Miſſæ.
Epiſt. I. Gundobaldo Regi. Sirmond. *Tom* II.

Aut. Lib. de Eccleſ. Hierarch. c. 1.

Seſſ. XXII. 1562. *c.* 8. *de Sacrif. Miſſæ.*

l. 14.

ab autoribus noſtris. Hæc Miſſa ſignificat incruentum Corporis, & San- DEFINITIO.
guinis D. N. J. C. Sacrificium, in noſtris Eccleſiis, ſive Altaribus, ſub
panis, & vini ſpeciebus oblatum, certoque Eccleſiæ ritu celebratum; imo
ab ipſo Chriſto in ultima Cœna uſque ad Conſummationem Seculorum
inſtitutum. Cujus ſingularis inſtitutionis Matthæum, Marcum, Lucam, INSTITUTIO.
& Paulum locupletes Teſtes adduximus. Unde *ſi quis dixerit, in Miſſa* Seſſ. XXII. 1562.
non offerri Deo verum, & proprium Sacrificium, aut quod offerri non ſit can. 1. de Sacrif.
aliud, quam nobis Chriſtum ad manducandum dari, anathema ſit. Multo ma- Miſſæ.
gis *ſi quis dixerit, blaſphemiam irrogari Sanctiſſimo Chriſti Sacrificio in Cruce* can. 4.
peracto per Miſſæ Sacrificium, aut illi per hoc derogari, anathema ſit.

Sacrificia ſemper fuerunt. Deus enim, qui ex nihilo ad imaginem ſuam SACRIFICIA
creavit Nos, æterno amoris vinculo homines ligavit, ut memores eſſent PERPETUA.
magnitudinum, & miſericordiarum. Deo ergo offerre tenebamur ſem-
per, & ubique, cor, & animam. Sed oportebat hoc Sacrificium laudis
manifeſtari per exteriora ſigna in oblationibus Victimæ, & Hoſtiæ. Ante
Legem Moyſis liberum cuicunque fuit offerre dona, & munera, quæ le- ANTE LEGEM.
ctiſſima videbantur. Sic Abel Paſtor Ovium obtulit de primogenitis Gre- Gen. IV.
gis ſui, & de adipibus eorum: Cain Agricola de fructibus Terræ. Noe,
Arcam egreſſus de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit Ho- Gen. VIII.
locauſta ſuper Altare. Melchiſedec Rex Salem, Sacerdos Dei Altiſſimi
protulit panem, & vinum. Ab Abraham vero petiit Deus vaccam trien- Gen. XV.
nem, capram trimam, arietem annorum trium, turturem quoque, &
columbam. In Lege præcepit Deus Moyſi Victimas, & Hoſtias, Cære- Levit.
monias, & Ritus. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non* IN LEGE.
ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt Heb. X.
indeſinenter, nunquam poteſt accedentes perfectos facere. Alioquin ceſſaſſent
offerri: ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel
mundati. Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit. Impoſ-
ſibile enim eſt ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata: niſi in bea-
tam ſpem, ubi occidetur Chriſtus. *Confirmabit autem pactum multis heb-* Dan. IX. 27.
domada una: & in dimidio hebdomadis deficiet Hoſtia, & Sacrificium.
Hebdomada venit: occiſus eſt Agnus, occiſus Chriſtus, Sacerdos, & Vi- IN EVANGELIO.
ctima: confirmatum pactum multis: antiqui fœderis Hoſtia, & Sacrifi-
cium defecit: Conſummata ſunt omnia: Perſeverat in Templo abomi-
natio deſolationis: & uſque ad conſummationem, & finem perſevera-
bit deſolatio. Sic vero *quoniam ſub priori Teſtamento, teſte Apoſtolo Paulo,* Seſſ. XXII. 1562.
propter Leviticii Sacerdotii imbecillitatem conſummatio non erat: oportuit Deo c. 1. de Sacrif. Miſſæ.

Patre

SENSUS ECCLESIÆ.

Patre Miſericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium ſecundum ordinem Melchiſedec ſurgere, Dominum Noſtrum Jeſum Chriſtum, qui poſſet omnes, quotquot ſanctificandi eſſent, conſummare, & ad perfectum adducere. Is igitur Deus, & Dominus Noſter, etſi ſemel ſe ipſum in ara Crucis, morte intercédente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem Sacerdotium Ejus extinguendum non erat, in Cœna noviſſima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile, ſicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud ſemel in Cruce peragendum repræſentaretur, Ejuſque memoria in finem uſque Seculi permaneret, atque illius ſalutaris virtus in remiſſionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur; Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec ſe in æternum declarans, Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earundem rerum Symbolis Apoſtolicis, quos tunc Novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradit, & Eiſdem, Eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcipit per hæc verba: Hoc facite in meam Commemorationem, ut ſemper Catholica Eccleſia intellexit, & docuit; nam celebrato veteri Paſcha, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Iſrael immolabat, novum inſtituit Paſcha, ſe ipſum per Sacerdotes ſub ſignis viſibilibus immolandum, in memoriam tranſitus ſui ex hoc Mundo ad Patrem, quando per ſui Sanguinis effuſionem nos redemit, eripuitque de poteſtate tenebrarum, & in Regnum ſuum tranſtulit.

VATICINIUM DE NOVO SACRIFICIO.

Malach. I. 10.

De veteri Judæorum Holocauſto, de novo Euchariſtiæ Sacrificio Malachias magnæ Hebdomadæ proximus prænunciavit Judæis: *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Confirmant hanc Prophetiam de novo Euchariſtiæ Sacrificio rite ſonare Irenæus, Tertullianus, Auguſtinus, & poſt alios ſexcentos Patres, Tridentini loco citato, prout ſequitur: *Et hæc quidem illa munda oblatio eſt, quæ nulla indignitate, aut malitia offerentium inquinari poteſt: quam Dominus per Malachiam nomini ſuo, quod magnum futurum eſſet in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit: & quam non obſcure innuit Apoſtolus Paulus Corinth. ſcribens, cum dicit non poſſe eos, qui participatione menſæ Dæmoniorum polluti ſunt, menſæ Domini participes fieri: per menſam Altare utrobique intelligens.*

Iren. *l.* 4. *adverſus Hæreſ. c.* 32. Tertull. *l.* 3. *adverſus Marcionem.* Auguſt. *l.* 18. *de Civitate Dei c.* 35.

ARGUMENTUM TRADITIONIS.

Præterea Euchariſtiam eſſe verum, & propitiatorium Sacrificium tam con-

conſtanti Patrum, & Conciliorum Traditione patet, ut circa ipſam eſſentiam Sacrificii ſemper fuerit omnium Eccleſiarum Orientalium, atque Occidentalium mirabilis conſenſus. Conſtantem Traditionem inter Concilia teſtatur Nicænum anno 325. *can.* 18., Epheſinum anno 431. *in Declarat.* 11. *Anathematiſmi* 51., Chalcedonenſe anno 451. *in Libello Iſchyrionis Diaconi Alexandrini adverſus Dioſcorum Patriarcham ſuum*, Toletanum anno 681. *can.* 5., & alia multa uſque ad nos. Conſtantem Traditionem inter Patres teſtantur præter allegatos, ſine fine alii uſque ad nos: teſtantur Ritualia antiquiſſima uſque ad nos cuſtodita in utraque Eccleſia, quæ jam ante Seculum Octavum in uſu erant. Idem & hodie, & olim Canon, quantum ad ſubſtantiam rei, & ad meritum cauſæ facit. Ad eſſentiam vero hujus Sanctiſſimi Sacrificii ſpectare non dubitamus panis, & vini oblationem, oblatorum per verba Chriſti conſecrationem, & eorum conſummationem, ut aliqua immutatio & hodie fiat: quemadmodum non dubitamus, Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum Apoſtolis ſuis, univerſæque Eccleſiæ ſuæ poteſtatem feciſſe, ea omnia in hujus quoque auguſtiſſimi Myſterii Ritibus, ſeu Cæremoniis addendi, demendi, atque immutandi, quæ illius dignitati, hominumque deſiderio, & pio affectui, pro temporum, & locorum varietate, potiora, ac utiliora fuerint in Domino viſa; exemplo Pauli Apoſtoli, qui cætera, cum venerit Corinthum, ſe diſpoſiturum promittit, ſive ordinaturum in ſimili negotio.

ESSENTIA NOVI SACRIFICII.

ECCLESIÆ INTERPRETIS POTESTAS.

I. Corinth. XI. 34.

Materia, & Forma in Euchariſtiæ Sacrificio eadem eſt, quæ fuit dicta in Euchariſtiæ Sacramento, quia eadem ſemper Euchariſtia eſt. Ad eſſentiam incruenti Sacrificii pertinet quoque legitimus Conſecrationis Miniſter. Neque enim de Miniſtro diſpenſationis rurſus verbum facere erit ad rem. Itaque contra Montaniſtarum, Marcitarum, Collyridianorum deliria, fœminis ipſis conſecrandi facultatem tribuentium: contra VValdenſes, quod omnis Laicus bonus, ſit Sacerdos: contra Lutherum, quod & omnis impius in Baptiſmate hoc jus aquiſiverit: tenet, & tenuit ſemper Catholica Eccleſia a Spiritu Sancto legitime, & infallibiliter edocta, ſolos Sacerdotes legitimos eſſe jure Divino conficiendæ Euchariſtiæ Miniſtros. *Unde ſi quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam Commemorationem; Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum, anathema ſit.* Concordant Synodus Arelatenſis an. 314., Nicæna an. 325., Lateranenſis an. 1215. Subjectum Sacrificii vel vivi ſunt, vel defuncti, pro qui-

MATERIA, ET FORMA.

MINISTER CONSECRATIONIS.

Auguſt. *Hæreſ.* 27. Iren. *l.* 3. *c.* 3. *adv. Hæreſ.* Epiphanius *Hæreſ.* 79. Reyner. *c.* 5. Luther. *de Captiv. Babil. cap. de Ordine, Idem de Abroganda Miſſa.*

can. 2.

SUBJECTUM SACRIFICII.

Digitized by Google

Seſſ. XXII. 1562. cap. 2. de Sacrif. Miſſæ. — *I. Timoth. II.* — *cap. 2.* — *Euſeb. l. 7. c. 10.*

quibus offerre licet. *Quare non ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus, ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis rite juxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Ideo voluit Apoſtolus, *primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt.* Tertullianus ad Scapulam ſcribit: *Sacrificamus pro ſalute Imperatoris.* Dionyſius Alexandrinus de Valeriano, & Gallieno loquitur, quia *continuas preces offerimus pro Imperio illorum, ut ſtabile, & inconcuſſum permaneat.* Eadem Vota offerimus pro Imperio CAROLI VI., ut ſtabile, & inconcuſſum permaneat: ut Imperator ſit Victor, & Pacificator Orbis, nec non Chriſtianæ Orthodoxæ Religionis perpetuus Servator, fidelis Cuſtos, imperterritus Vindex. In noſtris Liturgiis paſſim Eccleſia orat pro Gentilibus, Judæis, Hæreticis, & Excommunicatis ad Converſionem eorum.

NON IDEM LOCUS DEFUNCTORUM.

Epiſt. 2. ex Biblioth. Gottvvic. edita Viennæ Auſtriæ an. 1732.

Defunctorum animæ cruciantur aliæ in Inferno, aliæ gaudent in Paradiſo, reliquæ detinentur uſque ad tempus Purificationis ſuæ in loco, vel quaſi loco, qui dicitur Purgatorium: (Spiritus enim exutus terreno corpore non occupat ſpatium, ſive locum dimenſionis, aut extenſionis, ut ajunt Philoſophi) quidquid pariter ſit de Limbo Infantum, qui abſque Baptiſmo decedentes viſione (ut ajunt Theologi) Beatifica frui nequeunt, de quibus Auguſtinus ad Petrum, & Abraham ſcribit: *ac per hoc, quia nihil ipſi male vivendo addiderunt ad originale peccatum, poteſt Eorum merito dici in illa damnatione minima pœna, non tamen nulla.* Pia opinio, in quam nihil definivit Eccleſia, quæ vero pro his non orat, cum finis eorum ſit conſummatus, quicunque ille ſit. Deus novit. Nihil ultra revelavit. Eccleſia vero orat pro animabus in Loco Purgationis ſuæ detentis, quæ Fidelium ſuffragiis, potiſſimum vero acceptabili Altaris Sacrificio juvantur. *Sancta ergo, & ſalutaris eſt cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Cogitavit Judas, qui *Duodecim mille Drachmas argenti miſit Hieroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum Sacrificium, bene, & religioſe de reſurrectione cogitans. Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Cogitavit Eccleſia conſtanti Traditione. Rationem reddit Auguſtinus: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi autoritate Apoſtolica traditum, rectiſſime creditur.* Confirmat Tertullianus: *quod apud multos unum invenitur, non eſt erratum, ſed traditum.* Utraque ſuis autoribus digna ſententia, quæ etiam ad alios caſus applicari poteſt.

PRO QUIBUS MORTUIS ECCLESIA ORET? Seſſ. XXV. 1563. *Decret. de Purgat.* II. Machab. XII. 46.

l. 4. de Baptiſmo contra Donatiſt. *c. 24.* — *de Præſcript. c. 28.*

Jam

Jam vero Sacrificii Ritibus diligentius immoremur, oportet: atque imprimis manente eſſentiali primævæ Inſtitutionis Oblatione, Conſecratione, & Conſummatione, accidentales hodierni uſus longe diverſi ſunt a veteribus cæremoniis, quibus poſt Chriſtum Jeſum Apoſtolis, & ſuccedenti Eccleſiæ de die in diem uti viſum eſt. Quem adhibuerit Ritum Chriſtus, ſupra conſtat ex Inſtitutione in ultima Cœna. Eodem ſimpliciſſimo Ritu uſos fuiſſe Apoſtolos vix dubitandi locus eſt: poſtquam Paulus de Cœna Dominica ab ebrioſis, & litigioſis Corinthiis contaminata conqueſtus eundem ferme Ritum iis tradit, quem a Domino acceperat. Poſt Chriſti inſtitutionem, & Cœnæ Commemorationem ab Apoſtolo factam, omnium antiquiſſima Sacrificii Dominici Liturgia, ex Apologia altera Juſtini M. ad Ethnicos Imperatores colligitur. Vir omni fide dignus, fuit auditor eorum, qui Apoſtolos audiverunt, traditionum Apoſtolicarum tenaciſſimus. *Die ſolis*, inquit, *omnium, qui in urbe, vel in agro degunt, in eundem locum conventus fit. Commentaria Apoſtolorum, aut Scripta Prophetarum, quantum per tempus licet, leguntur... Deinde ei, qui fratribus præeſt, offertur panis, & poculum aquæ, & vini: quibus ille acceptis laudem, & gloriam, rerum univerſarum Patri per nomen Filii, & Spiritus Sancti offert: & Euchariſtiam, ſive gratiarum actionem pro eo, quod nos donis hiſce dignatus ſit, prolixe exequitur. Atque ubi ille preces, & gratiarum actionem abſolvit, populus, qui adeſt omnis, fauſta approbatione acclamat dicens: Amen. Amen autem voce Hebræa Fiat ſignificat... Diſtributio, Communicatioque fit eorum, ſuper quibus gratiæ ſunt actæ cuique præſenti. Abſentibus autem per Diaconos mittitur.* Poſt Juſtinum M. de Liturgiis nihil peculiare aliquandiu invenimus; niſi quod reddita Eccleſiæ pace, quando cunctæ res floruerunt, ſub Chriſtianis Imperatoribus cultus Dei augeri, Eccleſiæ ornari, Sacrificia ſolemniora fieri, Miniſtri honoratiores, ſæpe tamen non ſanctiores. Nec quidquam aliud tam naturale eſt, quam quod ad imitationem Reipublicæ, ſuam ordinaret oeconomiam provida Eccleſia. Varia ingenia, varii mores, varii affectus, varii Ritus in utraque Politia eluceſcunt. Hinc & olim, & hodie tanta cæremoniarum diverſitas, quæ jam crevit in infinitum: quia nullo extante Divino præcepto, aut Apoſtolica traditione certa, libera poteſtas Epiſcopis tunc facta eſt id ordinandi, quod unicuique ſalva Catholica fide expediens magis in Domino videbatur. Super quibus conſulantur Pamelius, Mabillonius, & Bona. Quamobrem unuſquiſque ſancte, & religioſe ſervet Eccleſiæ ſuæ Ritum, quem nonniſi publica univerſæ Eccleſiæ

RITUS VARII.

RITUS INSTITUTIONIS, ET APOSTOLORUM.

I. Corinth. XI. 23.

RITUS SECULI SECUNDI.

POSTHAC MIRA VARIETAS.

QUÆVIS ECCLESIA SUOS SERVET RITUS.

Digitized by Google

auctoritate invertere impune licebit. Ordinem Miſſæ, & quæ ad ordinem Miſſæ faciunt ab antiquo, accurate explicat ſæpefatus Cardinalis Bona de Rebus Liturgicis.

Hic locus eſt, ut repetamus antiquiorem Eccleſiæ Tridentinæ Ritum ſaltem in ſolemni Epiſcopali Miſſa. Extat in Sacriſtia illius Cathedralis Eccleſiæ Liber in Minori Charta Pergamena ſcriptus, & lamina argentea tectus, qui inſcribitur: INCIPIT ORDO, QUALITER PONTIFEX SE PRÆPARARE DEBEAT, QUANDO MISSAM CELEBRATURUS EST &c. Hunc Librum manibus Frederici de VVanga an. 1205. electi Epiſcopi Tridentini contrectatum fuiſſe patet ex eo, quod ejus effigies inſculpta ſit illi laminæ argenteæ cum veſtimentis ſuis Pontificalibus Mitra, Pedo, Pallio, atque Evangelio, adiectis ſequentibus notis: FREDERIC9 EPC TDNT, ideſt Fredericus Epiſcopus Tridentinus. Ordo Miſſæ idem, qui nunc eſt, niſi quod longiores ubique preces intervenerint. Diſcrimen ſingulare, quod tunc Hoſtia, & Calix poſt Conſecrationem ſimpliciter reponerentur ſupra Corporale, non autem elevarentur, aut populo oſtenderentur ad adorandum, ſicut nunc. Introductus ſane fuit hic ſpecialis adorationis Ritus adverſus eos, qui cum Berengario Præſentiam Realem recens negarunt. Aliud ſingulare diſcrimen, quod Pontifex *Diacono ſibi calamum porrigente accipiens Calicem in manus ipſum Sacroſanctum Sanguinem Chriſti ſumeret*, nec non Miniſtris, & aliis communicaret, quibus vellet. Dictoque per Diaconum *Ite Miſſa eſt* nec Populus noviter benedicebatur, nec recitabatur Evangelium S. Joannis, ſicut hodierni moris eſt. Solent Græci hodie, & ipſe Romanus Pontifex in Miſſis ſolemnioribus ſimili calamo, ſive aurea fiſtula uti. Extat Synodus Tridentina Diæceſana anni 1336., in qua Epiſcopus Henricus de Metis olim Monachus Ciſtercienſis, atque Abbas Villarienſis ſequentem Conſtitutionem edidit: *Hoſtia, & Calix non prius pro Corpore, & Sanguine Chriſti in ſecreto Canonis ele-vetur adorandum pro populo*, quam forma conſueta Conſecrationis prolata, in quibus verbis *ſit Tranſlatio*. Idem ibidem ſancivit de cuſtodia Euchariſtiæ, & de Viatico deferendo ad Infirmos *Candela ardente, & campanella pulſatili præcedente*. Quæ obiter pro veteri Diæceſis noſtræ more proferimus.

p. 1. l. 2. c. 21. n. 7. OLIM UNICA MISSA.

Obſervare interea cum Thomaſſino oportet, ineunte Seculo Quinto unicam eodem die celebratam fuiſſe Miſſam, *ubi & adeſſent Epiſcopo Sacris operanti Presbyteri alii, & Communionem perciperent, quæ deinde aliarum Urbanarum Parochiarum Presbyteris mitteretur, qui adeſſe non potuiſſent. Conſtat enim*

pri-

primis illis Seculis & unam in qualibet Urbe fuiſſe Eccleſiam, & in qualibet Eccleſia unum excitatum fuiſſe Altare, & ad Altare quodlibet unam, non amplius, Miſſam celebratam die quolibet fuiſſe, non plures. Poſtquam autem cepere in Urbe Roma plures conſtrui Parochiales Eccleſiæ, Presbyteri, penes quos cura earum erat, ab Epiſcopo quidem ſemper, uti antea, Communionem accepere, ſed quæ ad eos per Acolythos deferretur. Faciebat ea Conſuetudo, ut Epiſcopo Presbyteri & devinctiores eſſent, & obſequentiores; nec facile Altare contra Altare erigerent, aut fœdo ſchiſmate Eccleſiam lacerarent. Ejuſmodi nihil metuendum a Cæmeteriorum Presbyteris, quibus nec ſubjecta plebs ulla, nec loco addicta erat. Quare & illis Sacrificii oblatio permiſſa eſt, non aliis. Aliquandiu potuit unica Miſſa ſufficere Fidelibus, quorum tantus nondum erat numerus, ſaltem eorum, qui ſacra frequentarent. Multi enim Catechumeni, multi erant pœnitentes, multi in fine vitæ tantum baptizari volebant. Sed medio Seculo Quinto ob multitudinem, & frequentiam populi Chriſtiani, Leo M. ad Dioſcorum Alexandrinum reſcripſit: *ut, quoties Baſilicam, in qua agitur, præſentia novæ plebis impleverit, toties Sacrificium ſubſequens offeratur. Neceſſe eſt autem, ut quædam pars populi ſua devotione privetur, ſi unius tantum Miſſæ more ſervato Sacrificium offerre non poſſint, niſi prima diei parte convenerint.* Græci adhuc morem ſervant unius Sacrificii eodem die in unaquaque Eccleſia: ſed ædicularum ſacrarum longe maxima eſt apud eos multitudo.

REPETITA. *Epiſt.* XI. *c.* 2.

GRÆCORUM USUS.

Adhuc publica Miſſa erat. Privatas vero Miſſas invaluiſſe videtur apud Orientales in ædiculis iſtis, apud Occidentales in Cæmeteriis. Et alia privatæ Miſſæ origo eſt, quod ſub finem Seculi Quarti ditiores in Oriente Presbyterum domeſticum in agris ſuis alerent, qui Ruſticis Oratoriis præpoſitus erat: cui tamen, cum adeſſe is non poſſet Epiſcopo Sacris operanti, tamdiu mittebatur Communio, donec ille quaſi Domini ſui auctoritate fretus, Epiſcopi Communionem non amplius petere, tandemque ſolus Euchariſtiam conficere ſit auſus. Huc facit, quod ſequentibus Seculis multi in Occidentem abuſus irrepſerint. Ideo, refert Thomaſſinus, *in Concilio Ticinenſi an.* 885. *ſtomachati ſunt Præſules adverſus divitum, & potentum quorundam incuriam, Religioniſque faſtidium: qui cum ædes vicinas Eccleſiis incolerent, juxta Domos ſuas, Baſilicas habent; non tamen ad publicos in Eccleſia Conventus veniebant, ut concionem audirent, quæ ad eos maxime habita eſſet, ſi affuiſſent, ut deterreantur a pauperum contumeliis, & expilatione.* Confirmat me, qui ante Concilium Ticinenſe ſcripſit Theodulphus Aurelianenſis in Capitularibus, ubi mandat: *ut Miſſæ,*

ORIGO PRIVATÆ MISSÆ.

ABUSUS. *ſupra c.* 25. *n.* 1.

Digitized by Google

cap. 25. apud Sirmondum Tom. II.

quæ per Dies Dominicos, peculiares a Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus a publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt, abſtrahatur. Et infra: *ſive Sacerdotes, qui in circuitu Urbis, aut in eadem Urbe ſunt, ſive Populus, ut prædiximus, in unum ad publicam Miſſarum celebrationem conveniant, exceptis Deo ſacratis fœminis, quibus mos eſt ad publicum non egredi, ſed clauſtris Monaſterii contineri.* Hodie longe alius privatus ſenſus in frequentiſſimis Civitatibus. Eccleſia Cathedralis, ſive Parochialis vix non vacua derelinquitur. Itur ad ædiculas, ſive ad privatas Eccleſias quaſi contempto proprio Parocho. Extat Synodus Diæceſana Tridentina an. 1336., & an. 1344., ne quis extra Parochiam ſuam præſumat audire Miſſam diebus Dominicis, & Feſtivis, niſi legitimo impedimento talis fuerit detentus. Concordant ſeculares municipales leges. Nihil jam fit, in quo non laudo. Hodie vero & Tridenti, & in aliis Civitatibus adeo negligitur a multis Miſſa publica, ut Miſſæ privatæ intenti a publicis Miſſarum ſolemniis ſe quaſi ſtudio abſtrahant. Remedium aliquod foret, ut dum in Eccleſia agatur Miſſa ſolemnis, eadem hora ſaltem in eadem Eccleſia ſuſpendantur Miſſæ privatæ. In Concilio vero Nannetenſi, quod Editores Conciliorum circa Seculum Decimum ponunt, ſancitum fuit, *ut Dominicis, & Feſtis diebus Presbyteri, antequam Miſſas celebrent, interrogent, ſi alterius Parochianus in Eccleſia ſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam audire velit. Quem ſi invenerint, ſtatim ab Eccleſia ejiciant, & ad ſuam Parochiam redire compellant.* Quodſi vel licentia proprii Sacerdotis, vel alia juſta cauſa excuſaretur, hanc ipſe promere tenebatur. Manſit hoc Jus Parochiale diu inconcuſſum. Sixtus IV., licet ex Ordine FF. MM., ubi primum a Prædicatoribus, Minoribus, & Carmelitis in oppido Eslingenſi Conſtantienſis in Germania Diæceſis contra Parochos iniqua mota fuit controverſia, ſententiam tulit an. 1478., quod *Fratres Mendicantes non prædicent, populos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis, diebus Feſtivis, & Dominicis, cum Jure ſit cautum, illis diebus parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia, niſi forſan ex honeſta cauſa, ab ipſa Eccleſia ſe abſentarent.* Ipſa Tridentina Synodus hortatur Ordinarios, ut *moneant, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis, & majoribus Feſtis, accedant.* Sed non accedunt. Multi etiam in Civitatibus vix norunt, quis ſit eorum Parochus. Mea pace, dummodo rite paſcantur errantes ad aliena, & vagæ oves: quæ ſua paſcua, & ſuum impune negant Paſtorem, aut negligunt. Hæc de Parochiali Miſſa ignorare nefas fuiſſet.

cap. fin.

Missa Parochialis.

Statut. an. 1527. l. 2. de Syndicis cap. 50.

Seſſ. XXII. 1562. *Decret. de Obſerv. in Celebr. Miſſæ.*

Cœ

Cœterum Miſſa ſolemnis proprie illa dici debet, quæ cum cantu, & ſolemnioribus cæremoniis peragebatur: cui vero pompæ addebant antiqui frequentiam populi offerentis, & communicantis. Miſſa publica eadem fuit, niſi quod ab initio nec cantus, nec tantæ cæremoniæ fortaſſis intervenerint. Siquidem autem cantus in utraque Eccleſia antiquiſſimus extat, antiquum pariter uſum cantandi Miſſas exiſtimare debemus. Meminit Synodus Tricaſſina an. 878. Hincmari cæci, cui copiam fecit cantandi Miſſas, ſi vellet, ſubſtituto Hedenulpho Laudunenſi Epiſcopo. Fuit aliquando in Monaſteriis prohibita Miſſa publica, quæ ſcilicet ab Epiſcopo cum totius populi cœtu agebatur, ne ſecularis concurſus Monachos a perpetua ſolitudine avocaret: quamvis inter ſe ipſos & hodie Carthuſiani cuncta ſolemnia peragant, & antiquiores Monachi peregerint excluſa Populi frequentia.

Missa solemnis, aut publica.

Quare prohibita olim in Monasteriis?

Verum privatæ Miſſæ perpetuum quaſi uſum ab initio ferme Eccleſiæ oſtendit Cardinalis Bona: vel quod ipſi Apoſtoli circa domos frangerent panem; vel quod primi Epiſcopi, aut Sacerdotes in privatis domibus, in carceribus, in cryptis, in cæmeteriis, in tuguriis, in ſpeluncis ſubterraneis ſæpe aut ſoli, aut paucis fidelibus præſentibus conficere debuerint. Infinita ibi citat veterum teſtimonia ſumpto argumento, quod ævo S. Gregorii M. ad finem Seculi Sexti jam in Occidente invenirentur Eccleſiæ cum pluribus Altaribus. Veriſimile eſt creviſſe numerum Altarium, & Sacerdotum, poſtquam Populus deſiit communicare impune, hoc eſt circa ævum S. Gregorii Magni. Neque enim poſt Concilium Toletanum anno 531. obſervavi comminatam pœnam, ut ii omnes abſtineant Eccleſia, qui intrant, & non communicant. Solitariæ Miſſæ tertium genus apud Monachos primum, deinde apud ſeculares Presbyteros Seculo Nono invaluerat, ubi nullo præſente miniſtro ſolus Presbyter ſibi reſponderet, atque celebraret: quem pium abuſum damnavit Synodus Moguntina an. 813., & Pariſienſis an. 829. Nihilominus ſolitarias Miſſas non improbat Seculo Undecimo Beatus Petrus Damiani ad Leonem Eremitam incluſum: quæ non ſemel fortaſſis ex ſingulari Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione conceſſæ ſunt, ut tales incluſi poſt longam ſeveræ pietatis experientiam ſoli ſine alio Miniſtro offerre valeant. Aliæ occurrunt Miſſarum ſpecies vel de tempore, vel de ſancto, vel votivæ ex ſpeciali cauſa, quarum antiquum uſum conſervat Eccleſia.

Missæ privatæ antiquitas. Rer. Liturg. *l. 1. c. 14.*

Missæ solitariæ.

Variæ Missarum species.

Miſſæ defunctorum antiquiſſimæ ſunt in Eccleſia, cum harum oblationum meminerint Tertullianus, Cyprianus, Epiphanius, Synodus Car-

Tertull. *de Corona Militis c. 3.* Cyprian. *Epiſt. 66. ad Furnit.*

Digitized by Google

Epiph. *Hæreſ.* 75. Carthag. *can.* 95. Vaſen. *can.* 3. Carthaginenſis an. 398., & Vaſenſis an. 529. præter infinita alia teſtimonia. Aliquando pro uno tantum defuncto oblationes peractas fuiſſe teſtantur Tertullianus de Uxore, Cyprianus de Victore, Ambroſius de obitu Theodoſii, Valentiniani, & Satyri Fratris, Gregorius M. in Sacramentario, nec non continua Eccleſiæ conſuetudo. Peragebantur oblationes pro defunctis aut ipſo die obitus, aut tertio die quaſi ad reparandam Trinitatis ſimilitudinem in Anima, aut die ſeptimo, aut triceſimo, aut anniverſario; quoniam neſcimus, qualiter eorum cauſa habeatur in alia vita. Oportet igitur ſemper orare, & nunquam deficere. Anniverſaria Seculo Nono fuiſſe nota, colligitur ex eo, quod S. Eigilis Abbas Fuldenſis illo ævo ſanciverit, defunctorum Fratrum anniverſarium fieri in Natali S. Ignatii M. Jam tum Regum, & Abbatum anniverſaria celebrabantur in Monaſteriis. Citatus Seculi Undecimi Codex noſter non tantum anniverſaria, ſed etiam obitus diem commemorat I. VII. XXX. Commemoratio autem Omnium Fidelium Defunctorum IV. Non. Nov. promotorem habuit S. Odilonem Abbatem Cluniacenſem verſus initium Seculi Undecimi, quemadmodum ſentiunt B. Petrus Damiani, & Sigebertus Gemblacenſis. Commemorationem OO. SS. habet, de Commemoratione OO. FF. ſilet Codex noſter. Ipſi Ethnici memoriam ſuorum Mortuorum quotannis ad Sarcoſagum colere ſoliti erant. *Sacra illa Anniverſaria erant*; ut notat Gothofredus.

Missa pro uno Defuncto.

Anniversaria.

Commemoratio OO. FF.

ad l. 18. *de Alim. vel Cibariis legatis.*

De Miſſa in Paraſceve apud Latinos, & Præſanctificatorum apud Græcos ſupra egimus ſatis, ſi tamen proprie Miſſa dici debet, in qua non fit nova Conſecratio. Alia aliquando monſtruoſa apparuit Miſſa, quæ fuit dicta ſicca, quæ etiam a non Sacerdote perficitur, utique abſque conſecratione, aut ullo interventu veri Corporis Chriſti: *Similis Cœnæ ligneæ, & lapideæ*, ait Bona, *quam Lampridius, & alii referunt ſæpe Convivis ſuis Heliogabalum exhibuiſſe*. Fuit etiam dicta Miſſa Nautica, quia in Navi communiter peragebatur, in qua propter continuos motus agitantibus undis verum Sacrificium offerri nequibat abſque magno irreverentiæ periculo. *Guillelmus de Nangiaco Monachus in Lib. Geſt. S. Ludovici narrat, Religioſiſſimum Regem, cum e tranſmarinis partibus rediret in Galliam, Corpus Chriſti in navi decentiſſime collocari, atque ibi officia divina, & Miſſam excepto Canone quotidie celebrari feciſſe*. Obiit S. Ludovicus anno 1270.; quod ideo dico, ut obſervemus, quo tempore Miſſa Nautica fuerit in uſu. Aliqui laudant zelum. Multi non laudant ſalvo honore Sanctiſſimi Regis. Hodie non facilis uſus, niſi quod modernus Portugalliæ

Missa in Parasceve, et Præsanctificat.

Missa sicca.

ſupra n. 6.

Missa Nautica.

Exemplum S. Ludovici Regis.

Digitized by Google

galliæ Rex Joannes V. ex ſingulari Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione Indultum habeat Miſſam ſiccam peragendi. Ritum deſcribit Durandus. Rational. *l.4.c.1.*

Alium intolerabilem abuſum inſequutus fuit Petrus Cantor, qui floruit an. 1200., quod nempe nonnulli Sacerdotes ſub unica Conſecratione plures Miſſas legebant, quas Biſaciatas, & Triſaciatas barbaro vocabulo vocabant, duas, vel tres Miſſas in unum congerendo. Id vel ex ſimplicitate, vel ex inſcitia, vel ex quæſtu illicito ad multiplicanda ſtipendia factum ſit, Eccleſia ſemper deteſtata eſt. Anno 1444. proſcripſit Facultas Theologica Pariſienſis peſſimam conſuetudinem, quæ Feſtum Fatuorum nuncupabatur, jam ab Odone de Soliaco Epiſcopo an. 1198. fruſtra proſcriptum: ubi videlicet populus aſpiciebat Sacerdotes, & Clericos divini Officii tempore larvatos, monſtruoſos vultibus, aut in veſtibus mulierum, aut lenonum, vel hiſtrionum choreas ducere, in choro cantilenas inhoneſtas cantare, offas pingues ſupra cornu Altaris juxta celebrantem Miſſam comedere, ludum taxillorum exarare, thurificare de fumo fætido corii putris, & per totam Eccleſiam debacchari. Quæ Miſſa inter hos ſcurriles Ritus? Quomodo potuit tanta ſtultitia in humanam mentem ingredi? Si quæ ſupereſſent hodie in certis locis reliquiæ aut falſæ pietatis, aut innocuæ ſtultitiæ, tollatur ab Eccleſia Dei omne puſillorum ſcandalum, omnis puerilis luſus, omnis ſcenica turpitudo; quia Domus Dei eſt, & Chriſtiana Religio evileſcit inter Comica ſpectacula. Hæc opportune, ſed incidenter loquor.

Missæ Bifaciatæ.

Festum Fatuorum.

Vide Natalem *Tom.VII.pag.156.*

Redeo ad Miſſam Catechumenorum, quando poſt Evangelium Catechumeni, Pœnitentes, Energumeni, & omnes immundi exire juſſi ſunt. Sufficit hic addere, quod apud Latinos videatur hæc circa Septimum Seculum ceſſaſſe. *Græci priſtinum morem adhuc retinent, & quamvis in eorum Eccleſiis nulli ſint Catechumeni, nulli Pœnitentes, in ſingulis tamen Liturgiis, ſolemni formula Diaconus ait: quotquot eſtis Catechumeni, recedite.* Adeo tenaces ſunt hi conſuetudinis antiquæ quantumvis abrogatæ. Itaque per ſingulas Miſſarum ſpecies tranſivimus, monendi rurſus, tam propter ea, quæ præceſſerunt, quam propter ea, quæ ſubſequuntur: quod, *etiamſi aliis temporibus aliquando non ita fuiſſe, & nunc aliter eſſe, quam fuit, demonſtretur; non tamen cogitare debemus, quaſi levitate aliqua factum ſit, ut nunc aliter teneatur, & aliter inſtitutum ſit, quam fuit; ſed quod tunc oportebat, & ita ſalubre fuit, ut ſic teneretur, & ſic juberetur: nunc autem alia eſſe tempora, & aliud eſſe congruum, ſive neceſſarium ſaluti humanæ.* Quam ſententiam primis Operis noſtri paginis præpoſuimus caute, ut hoc ſenſu

Missa Catechumenorum.

Bona *ſupra c.16.n.7.*

Hugo a S. Vict. *de Sacram. Fidei l.2.p.11.c.12.*

præoc-

præoccupentur legentium æquiſſimi animi, ne aliquando in novitates incidiſſe ſibi videantur immerito. His præmiſſis, in utraque Eccleſia numerati ſunt dies Aliturgici, in quibus nullum Sacrificium peragebatur, ut vidimus ſupra. Sunt hodie apud Latinos dies Paraſceves, apud Græcos multi in Quadrageſima, ut vidimus ſupra. Varius ſemper in ſingularibus Eccleſiis uſus fuit. Reliqui dies, in quibus Sacrificium peragitur, Liturgici ſunt: quos inter Politurgici veniunt, in quibus ab uno Sacerdote plures Miſſæ dicebantur; ſicut apud nos hodie fit in Natali Domini. Meminit Synodus Emeritenſis an. 666. mandans, ut Presbyter, qui plures regit Eccleſias, in ſingulis die Dominico Miſſas agat. Leo III. interdum novem, S. Udalricus Auguſtanus tres, S. Norbertus, S. Aibertus Monachus, S. Libentius Bremenſis duas Miſſas celebrabant in die. Unde non jam ſola neceſſitas, ſed privatus affectus movit pios aliquos viros, ad iterandum Sacrificium: & jam Seculo Nono quiſque ruri Parochus poſt celebratam hora tertia Miſſam jejunus ad meridiem uſque permanere juſſus fuit, ut alteram poſſet hoſpitibus, atque peregre venientibus, ſi fuerit neceſſe, Miſſam cantare. Synodus Salegunſtadienſis an. 1021. non plures, quam tres Miſſas in die uni Presbytero indulget. Eccleſia Romana in Feſtivitatibus certis tantum plures uni Sacerdoti Miſſas conceſſit: veluti in Circumciſione, in Cœna Domini, in Vigilia Aſcenſionis, in Rogationibus, in Natali Domini, in Nativitate S. Joannis Baptiſtæ, in Feſto S. Joannis Evangeliſtæ, in Martyrio S. Laurentii, in Natalitiis Sanctorum, ubi plures concurrerent, vel cum Miſſa Votiva extra ordinem caderet pro quacunque neceſſitate, & obitu incidente. Seculo Decimotertio ineunte Innocentius III. reſpondit, *quod excepto die Nativitatis Dominicæ, niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat, ſufficit Sacerdoti ſemel in die unam Miſſam ſolummodo celebrare*. Addit Honorius III.: *nam & valde felix eſt, qui celebrat digne unam*. Jam tum turpis quæſtus interceſſerat: nam in Synodo Toletana an. 1324. contra luctuoſam quorundam Presbyterorum nundinationem ſtatutum eſt, *ne aliquis Presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem: ſed grate accipiat, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari, oblatum ſibi charitative fuerit abſque pacto, vel conventione quacunque*. Propterea vetitum fuit Presbyteris ſæpius celebrare, quam ſemel in die, excepto Natali Domini, & ſi qua ingruat neceſſitas ineluctabilis: *quia valde felix eſt, qui celebrat digne unam*. Quod de hodierna Diſciplina dicendum venit, niſi quod de ineluctabili neceſſitate Summus Pontifex cognoſcat, diſpenſando ad

Dies Aliturgici, Liturgici, et Politurgici.

can. 19.

Exemplum SS. de multiplici Sacrificio.

Regino *l.* 1. *de Eccleſ. Diſcipl. ubi inquiſitio fit n.* 33.

Disciplina Noni, Decimi, et Undecimi Seculi.

can. 5.

Usus Ecclesiæ Romanæ.

Jam unica Miſsa communiter ab uno.

c. 3. *de Celebr. Miſſæ*.

c. 12. *eod.*

Quæstus illicitus.

can. 6.

can. 7.

Moderna Disciplina.

ad remotas, & ſolitarias regiones, ubi penuria Sacerdotum, & frequentia plebis, præſertim in locis diſſitis.

Incidit autem indagare, unde mala ad vilem quæſtum mercenariis Sacerdotibus aperta ſit via? Præmittendum venit, in Eccleſia diu viguiſſe panis, & vini oblationes, de quibus cum Euchariſtia conſecraretur, populus ad Sacrificium concurrebat, & una cum Presbytero quaſi Sacrificium peragebat, ita ut ſolus Sacerdos conſecraret, Populus cum Sacerdote offerret modo dicto. Deſiit populus communicare, nondum deſiit panem, & vinum offerre. Deſiit tamen: quo tempore incertum eſt. Hoc quidem conſtat, quod ævo Honorii Auguſtodunenſis in Burgundia Presbyteri, qui claruit anno 1130., moris jam eſſet, loco panis, ſive farinæ, denarios offerre. De facto, *quia populo non communicante non erat neceſſe panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt, eum in modum denarios formari, & ut populus pro oblatione farinæ denarios offerret. Qui tamen denarii in uſum pauperum, qui membra ſunt Chriſti, cederent, vel in aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertinet*. Sed cum aut nequiviſſent, aut noluiſſent Sacerdotes priorum oblationum emolumentis penitus privari, novos denarios quaſi in compenſationem fecerunt ſui juris, non ſimpliciter pauperibus diſpenſarunt, qui ſe ipſos ſubtractis oblationum fructibus jam pauperes eſſe factos multi doluerunt. Hinc ob avitam populi calumniam de cleri avaritia, aut ob novam invidiam, quaſi propter nimios Eccleſiarum proventus, defecit pedetentim multa denariorum oblatio. Non tamen fuit totius populi una mens, non ſinguli Presbyteri aut avari, aut divites nimis habiti ſunt. Non defuerunt inter piam plebem, qui pro ſe denarium offerentibus poſtularent ſpecialiter applicari privatas Miſſas. Hujus oblati denarii veſtigia in Miſſis privatis deſignant Seculo Octavo Mabillonius, & Chrodogangus Metenſis, Seculo Undecimo Petrus Damiani. Poſt Duodecimum Seculum ubique paſſim invenire erat denarium, quem hodie aut honorarium, aut ſtipendium, aut eleemoſynam dicimus, quaſi ex honore ſtipes, & eleemoſyna voluntario Chriſti pauperi cederet. Honorarium igitur iſtud fuit nunquam reputatum, tamquam pretium magni Sacrificii, quod ex parte Hoſtiæ divinæ, ſcilicet infiniti valoris eſt: ſed voluntaria oblatio, qualis fuit primis purioribus Seculis. Hac oblatione offerens ad incruentum Sacrificium una cum Sacerdote quaſi proprius concurrit, ut memor ſit hic non ſolum omnium circumſtantium, quorum nota devotio, & fides eſt, verum etiam ſpeciali modo memor ſit illius, qui ſe precibus ſuis commendavit: veroque corde, rectaque fide, cum metu,

UNDE QUÆSTUS IN SACRIFICIO?

OBLATIO DENARII.

Gemma Animæ *l. 1. c. 66.*

CALUMNIÆ PLEBIS.

Præf. ad Sec. III. Benedictin. *n. 62.* Regul. *cap. 32.* *l. 5. epiſt. 13.*

QUOMODO LICITA SIT OBLATIO HÆC?

Digitized by Google

& reverentia, contritus, pœnitens ad Deum ſuum accedit. Non invidemus, quod de Altari vivat, qui Altari ſervit. Deploramus cum Alvaro Pelagio, quod tot dicantur Miſſæ quæſtuariæ, ut apud populum, & clerum Corpus Domini vix non evilescat, ſi ita loqui fas eſt. Deploramus cum Cardinale Bellarmino, quod *plurimi ordinari cupiunt pro utilitate ſua, non Eccleſiæ; & de celebratione Miſſæ faciunt artem de pane lucrando. Unde Sacerdotium contemptibile redditur, & Eccleſia ſcandalis ſcatet.* Deploramus cum Tridentina Synodo, quod ſedula Paſtorum cura nondum ſublata ſint ſatis, *quæ vel avaritia, Idolorum ſervitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta eſſe poteſt, vel ſuperſtitio, veræ pietatis falſa imitatrix, induxit.* Pudet bonorum ſcandalo plura proferri.

ABUSUS

de Planct. Eccleſ. *l. 2. c. 5.*

ad Nepot. *controv. 5.*

Seſſ. XXII. 1562. *Decret. de obſerv. & evitand. in Celebr. Miſſæ.*

p. 3. l. 1. c. 73. n. 1.

QUANTUM VARIAVERIT PIETAS IN SACRIFICIO?

Ad hæc Thomaſſinus recenſet, quemadmodum *rarius ineuntis Eccleſiæ temporibus celebrabant, & in unam Hoſtiam omnes Sacrifici conſpirabant, religioſo horrore terrifici Sacrificii. Poſtea teneritudo quædam charitatis eo pervaſit, ut ſinguli ſingulis diebus ſæpius myſteria celebrarent. Tertia denique ætate horrori fuere Presbyteri avaritiæ facibus ardentes, qui ea pluries celebrandi libertate abuterentur, ut theſauros iniquitatis ſibi aggererent. Quibus ea ſucceſſere tempora triſtiſſima, ubi extincta charitatis flamma abſtinuerunt ſe longe plurimi a celebratione Sacrificii, niſi eo illicerentur vel mercede propoſita, vel fundationum neceſſitate.* Raynaldus Archiepiſcopus Ravennatenſis alteram Synodum Provincialem an. 1314. celebravit Argentæ, quod Ravennatis Diæceſeos caſtrum eſt. Ibi decretum edidit, ut Presbyter infra tres menſes ab Ordinatione ſua primam Miſſam celebrare teneatur, & deinde quo frequentius poterit, aut ſaltem ſemel in anno, ſacrum facere; alioqui Beneficiis omnibus privetur, ſi ſecularis eſt; Religioſus vero voce activa, & paſſiva: ultimumque locum teneat in Choro, & Refectorio. Hæc ſanctio ſonat ad evitandam pœnam, non laudat teporem, & negligentiam eorum, qui nimis raro celebrant. Synodus Tridentina ſuadet Presbyteris ſingulis, *ut ii ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent.* Probet ſe ipſum homo, & memor ſit conditionis ſuæ, ut ſancta ſancte tractentur. Deum enim tractat.

Statut. XIII.

Seſſ. XXIII. 1563. *c. 14. de Reformat.*

LOCUS SACRIFICII CERTUS.

NECESSITAS EXCUSAT.

Locus Sacrificii, quantum adverſis tempeſtatibus licuit, certus, ac determinatus ab initio ſemper fuit. In Lege Veteri nefas fuiſſet, victimas immolare extra templum Hieroſolymitanum: in Lege Nova nefas foret Sacrificium offerre extra Eccleſiam; niſi contraria adeſſet neceſſitas, propter quam ſæpe diſpenſatum fuit. Ideo narrat Dionyſius Alexandrinus graſ-

Digitized by Google

graſſante peſte Alexandriæ: *primum omnium nos ex urbe expulerunt; quo quidem tempore nos ſoli, cum ab omnibus perſecutione agitati eſſemus, & mulctati morte, feſtum*, ideſt Paſcha, *lætis animis celebravimus: & ſingula loca, ad ſingula afflictionum genera nobis præſtituta, ut ager ſylveſtris, ſolitudo deſerta, navis fluctibus jactata, diverſorium publicum, & horridus carcer opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cum ſtudio ageremus*. Reddita Eccleſiæ pace, opulenta inſurrexerunt Templa, facie ad Orientem verſa, quorum ſtructura, ſeu oblonga forma porticu, navi, ambone, & ſanctuario conſtabat. In ſanctuario erat Altare, ſuper quo Sacerdos, facie ad populum verſa, conficiebat, viris in navi ſeparatis a mulieribus. De Eccleſiis redibit argumentum alio Libro. Serius Potentiores domeſticum Sacerdotem in Oratoriis ſuis privatis domi aluerunt, in quos graviter iraſcitur Seculo Nono. Agobardus Lugdunenſis propter indignam, & ſervilem illo ævo conditionem Sacerdotis domeſtici. Iraſceretur modo, ubi inveniret aliquando Presbyteros aliquos, qui cum divini verbi neglectu, atque interdum cum Sacrificii, & Sacerdotii contemptu, aluntur propter privatas Capellas, ne dicam propter viliora domeſtica negotia, facti quaſi conſervi. Non tamen Eccleſia reprobat Miſſas frequentes domeſticas, ubi juſta concedendi ratio, & debita Sacrificii dignitas interveniat, nec non honor Sacerdotis intactus maneat. Inſuper notare debemus, quod, ſi apud Ethnicos, & Judæos ſuper Altare Victimæ conſecrarentur, eo magis apud nos Altare eſſe oporteat. Altare noſtrum in Sacrificio incruento ſatis præfiguratum fuit, de quo Vetus Teſtamentum agit. Unde jam ſoli nos *habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Donatiſtæ fregerunt Altaria, tamquam polluta, in quibus celebraverant Catholici, qui cum Cæciliano communicabant. Græci Schiſmatici peſſimi imitatores lavarunt ſacras menſas, tamquam inquinatas, in quibus Latini ſacrificaverant. Olim vel lignea, vel lapidea fuiſſe Altaria, ex multis antiquiſſimis documentis conſtat. Synodus Epaonenſis an. 517. vult, ut Altaria, niſi ſint lapidea, infuſione Chriſmatis non ſacrentur. Altarium varia forma: Menſa ſcilicet lapidea, aliquando uni, aliquando pluribus columnis impoſita. Sæpius ſupra tumulos quadratos Martyrum peragebatur Sacrificium. Extat Romæ frequens teſtimonium in Eccleſiis antiquioribus, Cryptis, Cæmeteriis, & Catacumbis.

[Margin: Euſeb. *l.* 7. *c.* 17. — TEMPLA. — ORATORIA. — De Privil. & Jure Sacerdot. *pag.* 129. *edit. Pariſ.* 1605. — ALTARIA. — Hebr. XIII. 10. — *cap.* 26.]

Præter hoc genus Altarium immobilium, aliud eſt mobilium, quæ Epiſcopi iter agentes ſecum olim ferebant, ut ſuper his poſſent extra

[Margin: ALTARE PORTATILE.]

Digitized by Google

Eccleſias in quibuſcunque mundis locis perficere, etiam ſub dio, aut in tentoriis, ubi remotæ nimis Eccleſiæ forent. Meminit Altaris portatilis Beda exeunte Seculo Septimo. Meminit Seculo Nono Hincmarus Rhemenſis in Capitulis editis anno duodecimo ſui Epiſcopatus, ubi ait: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Epiſcopo non conſecrato cantare præſumat. Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia, vel Altaria conſecrentur, & in capellis etiam, quæ Conſecrationem non merentur, Tabulam quiſque Presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum, cum expedierit, deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum Ritum Eccleſiaſticum agere valeat.* Seculo Decimo Tertio Honorius III. conceſſit Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, *ut, ubicumque fuerint, ſine Parochialis Juris præjudicio, cum Altari valeant viatico celebrare.* Hoc Privilegium vel non eſt in uſu, vel a Synodo Tridentina ſublatum, prout ſequitur: neve patiantur Epiſcopi Locorum *privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi... Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque.* Quæ generalis prohibitio non derogat ſpeciali conceſſioni, ſi ſit poſterior, de qua cognoſcere debet Ordinarius. Græci Altaria portatilia non habent, ſed Antimenſia, pannos ſcilicet in Anniverſario Dedicationis Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecratos: qui ad uſum novæ Tobaleæ, a pluribus Seculis, loco portatilis noſtri, imponuntur illis Altaribus, quæ non ſunt conſecrata; vel quando permiſſu Antiſtitis, oblatio Liturgiæ fit in Oratorio. De his Euchologia, Theodorus Balſamon, & Manuel Charitopolus. Tempus Sacrificii non idem ſemper obſervatum fuit. Legimus enim Miſſas veſpertinas, nocturnas, & matutinas fuiſſe peractas. Veſpertina Miſſa, quæ in Africa Seculo Tertio, & Quarto inceperat, a Pio V. denuo ſublata eſt. Veſtigia nocturnæ, & matutinæ ſuperſunt in Natali Domini, in quo Prima Miſſa poſt mediam noctem, Altera ad auroram, Tertia quacunque alia hora antemeridiana celebrantur. Hodie Miſſæ privatæ quacunque hora communiter peraguntur ab aurora uſque ad meridiem. Imo vel ex indulto, vel ex conſuetudine in multis locis licet & ante auroram, & poſt meridiem celebrare.

c. 30. de Privileg.

PRIVILEGIUM MENDICANTIUM OBSOLETUM.

Decret. citat. Seſſ. XXII. 1562.

ANTIMENSIA.

TEMPUS SACRIFICII.

Conſtit. IV. 1566.

Hic omiſſis iis, quæ de Sacrificii inſtrumentis, Veſtibus, aut Ritibus diver-

diverſis dici poſſent, neque illud tamen ignorare fas eſt: quod antiquiores Liturgiæ nulla alia, quam Chaldaica, Græca, & Latina lingua conſcriptæ reperiantur. Unde plus quam veriſimile eſt, Apoſtolos, & eorum Succeſſores ubique locorum vernaculo idiomate uſos fuiſſe: Hieroſolymæ nempe Chaldaice, aut Syriace; Antiochiæ, ac in reliqua Græcia Græce; in Occidente Latine celebraſſe. His etiam temporibus Græci, & Melchitæ Græce; Maronitæ, Neſtoriani, Jacobitæ Chaldaice; Occidentales Latine ſuas Liturgias peragunt. Conſule Binghamum ſublatis calumniis, quas noſtri Autores continuo refellunt.

Quo Sermone Liturgiæ peractæ?

l. 13. pag. 48.

Quantis mutationibus vulgaria Idiomata hactenus obnoxia fuerint vel ex commercio aliarum Nationum, vel ex jugo extraneorum Principum, qui proprias leges, novos mores, & barbarum ſermonem tranſplantaverunt, ignorat nemo facile. Qui ignorat, legat eruditum Epiſcopi Meldenſis diſcurſum de Hiſtoria Univerſali. Romani Victores ſubactis Provinciis Latinam eloquentiam propoſuerunt. Sed ipſa Latina lingua deſiit eſſe vulgaris, & ex corruptis vocibus tam antiquis, quam novis tertium mixtum genus proceſſit, novæque in dies vulgares linguæ apparuerunt, Italica, Gallica, Hiſpanica. Eodem fato Græca, & Chaldaica extinctæ jacent. Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in pleriſque Orientalibus Regnis ſubſtitutæ ſunt. In Africa Punicum Idioma ceſſit Latino, Latinum Arabico. In Europa nullum ferme latius auditur idioma, quam Slavonicum. Non anguſtos fines comprehendit Germanicum, aut quod ex eo ſuam originem trahit. *Ut autem Religio adverſus hujuſmodi mutationes inconcuſſa maneret, ſemper, & ubique Orthodoxa Eccleſia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente ſacrarum rerum dignitate, & majeſtate, ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum, aut impurum in eas irrepat: quod facile contingeret, ſi eas ab antiquo ſermone, quo ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris traditæ ſunt, in alium recentiorem, vel a primævo diverſum transferre liceret... Tolleretur etiam neceſſaria ad Fidei unitatem, Eccleſiarum communicatio, quæ hoc vinculo nectitur: nec poſſet Sacerdos Italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus, aut Gallus in Italia ſacris operari. Quare ſapientiſſime ab Eccleſia conſtitutum eſt, ut quo idiomate Miſſæ primum inſtitutæ ſunt, eo ſemper celebrentur, licet populo ignotum ſit.* Tanta Religio ſervandi antiqui ſermonis in Sacris ſuis & apud Hebræos, & apud Ethnicos ipſos ſemper fuit. Hoc argumento tandem docuit Synodus Tridentina: *etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur. Quamobrem*

Mutationes Vulgaris Idiomatis.

Boſſuet *Diſcours ſur l' Hiſt. Univerſ.*

Bona *ſupra c. 5. ad fin.*

Quare Eccleſia in Liturgiis retinuerit vetus idioma?

Seſſ. XXII. 1562. *c. 8. de Sacr. Miſſæ.*

Confirmatur.

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſias in quibuſcunque mundis locis perficere, etiam ſub dio, aut in tentoriis, ubi remotæ nimis Eccleſiæ forent. Meminit Altaris portatilis Beda exeunte Seculo Septimo. Meminit Seculo Nono Hincmarus Rhemenſis in Capitulis editis anno duodecimo ſui Epiſcopatus, ubi ait: *Nemo Presbyterorum in Altari ab Epiſcopo non conſecrato cantare præſumat: Quapropter ſi neceſſitas popoſcerit, donec Eccleſia, vel Altaria conſecrentur, & in capellis etiam, quæ Conſecrationem non merentur, Tabulam quiſque Presbyter, cui neceſſarium fuerit, de marmore, vel nigra petra, aut litio honeſtiſſimo, ſecundum ſuam poſſibilitatem, honeſte affectatam habeat, & nobis ad conſecrandum afferat, quam ſecum, cum expedierit, deferat, in qua ſacra myſteria ſecundum Ritum Eccleſiaſticum agere valeat.* Seculo Decimo Tertio Honorius III. conceſſit Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, *ut, ubicunque fuerint, ſine Parochialis Juris præjudicio, cum Altari valeant viatico celebrare.* Hoc Privilegium vel non eſt in uſu, vel a Synodo Tridentina ſublatum, prout ſequitur: neve patiantur Epiſcopi Locorum *privatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, Sanctum hoc Sacrificium a Secularibus, aut Regularibus quibuſcunque peragi... Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac conſuetudinibus quibuſcunque.* Quæ generalis prohibitio non derogat ſpeciali conceſſioni, ſi ſit poſterior, de qua cognoſcere debet Ordinarius. Græci Altaria portatilia non habent, ſed Antimenſia, pannos ſcilicet in Anniverſario Dedicationis Eccleſiæ ab Epiſcopo conſecratos: qui ad uſum novæ Tobaleæ, a pluribus Seculis, loco portatilis noſtri, imponuntur illis Altaribus, quæ non ſunt conſecrata; vel quando permiſſu Antiſtitis, oblatio Liturgiæ fit in Oratorio. De his Euchologia, Theodorus Balſamon, & Manuel Charitopolus. Tempus Sacrificii non idem ſemper obſervatum fuit. Legimus enim Miſſas veſpertinas, nocturnas, & matutinas fuiſſe peractas. Veſpertina Miſſa, quæ in Africa Seculo Tertio, & Quarto inceperat, a Pio V. denuo ſublata eſt. Veſtigia nocturnæ, & matutinæ ſuperſunt in Natali Domini, in quo Prima Miſſa poſt mediam noctem, Altera ad auroram, Tertia quacunque alia hora antemeridiana celebrantur. Hodie Miſſæ privatæ quacunque hora communiter peraguntur ab aurora uſque ad meridiem. Imo vel ex indulto, vel ex conſuetudine in multis locis licet & ante auroram, & poſt meridiem celebrare.

c. 30. de Privileg.

PRIVILEGIUM MENDICANTIUM OBSOLETUM.

Decret. citat. Seſſ. XXII. 1562.

ANTIMENSIA.

TEMPUS SACRIFICII.

Conſtit. IV. 1566.

Hic omiſſis iis, quæ de Sacrificii inſtrumentis, Veſtibus, aut Ritibus diver-

Digitized by Google

diverſis dici poſſent, neque illud tamen ignorare fas eſt: quod antiquiores Liturgiæ nulla alia, quam Chaldaica, Græca, & Latina lingua conſcriptæ reperiantur. Unde plus quam veriſimile eſt, Apoſtolos, & eorum Succeſſores ubique locorum vernaculo idiomate uſos fuiſſe: Hieroſolymæ nempe Chaldaice, aut Syriace; Antiochiæ, ac in reliqua Græcia Græce; in Occidente Latine celebraſſe. His etiam temporibus Græci, & Melchitæ Græce; Maronitæ, Neſtoriani, Jacobitæ Chaldaice; Occidentales Latine ſuas Liturgias peragunt. Conſule Binghamum ſublatis calumniis, quas noſtri Autores continuo refellunt. — QUO SERMONE LITURGIÆ PERACTÆ? — *l. 13. pag. 48.*

Quantis mutationibus vulgaria Idiomata hactenus obnoxia fuerint vel ex commercio aliarum Nationum, vel ex jugo extraneorum Principum, qui proprias leges, novos mores, & barbarum ſermonem transplantaverunt, ignorat nemo facile. Qui ignorat, legat eruditum Epiſcopi Meldenſis diſcurſum de Hiſtoria Univerſali. Romani Victores ſubactis Provinciis Latinam eloquentiam propoſuerunt. Sed ipſa Latina lingua deſiit eſſe vulgaris, & ex corruptis vocibus tam antiquis, quam novis tertium mixtum genus proceſſit, novæque in dies vulgares linguæ apparuerunt, Italica, Gallica, Hiſpanica. Eodem fato Græca, & Chaldaica extinctæ jacent. Turcica, Arabica, & aliæ vulgares in pleriſque Orientalibus Regnis ſubſtitutæ ſunt. In Africa Punicum Idioma ceſſit Latino, Latinum Arabico. In Europa nullum ferme latius auditur idioma, quam Slavonicum. Non anguſtos fines comprehendit Germanicum, aut quod ex eo ſuam originem trahit. *Ut autem Religio adverſus hujuſmodi mutationes inconcuſſa maneret, ſemper, & ubique Orthodoxa Eccleſia vetus idioma in divinis officiis retinuit, id exigente ſacrarum rerum dignitate, & majeſtate, ut nihil in iis immutetur, nihilque erroneum, aut impurum in eas irrepat: quod facile contingeret, ſi eas ab antiquo ſermone, quo ab Apoſtolis, & Apoſtolicis viris traditæ ſunt, in alium recentiorem, vel a primævo diverſum transferre liceret... Tolleretur etiam neceſſaria ad Fidei unitatem, Eccleſiarum communicatio, quæ hoc vinculo nectitur: nec poſſet Sacerdos Italus in Gallia, aut in Germania, nec Germanus, aut Gallus in Italia ſacris operari. Quare ſapientiſſime ab Eccleſia conſtitutum eſt, ut quo idiomate Miſſæ primum inſtitutæ ſunt, eo ſemper celebrentur, licet populo ignotum ſit.* Tanta Religio ſervandi antiqui ſermonis in Sacris ſuis & apud Hebræos, & apud Ethnicos ipſos ſemper fuit. Hoc argumento tandem docuit Synodus Tridentina: *etſi Miſſa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire viſum eſt Patribus, ut vulgari paſſim lingua celebraretur. Quamobrem* — MUTATIONES VULGARIS IDIOMATIS. — Boſſuet *Diſcours ſur l'Hiſt. Univerſ.* — Bona *ſupra c. 5. ad fin.* — QUARE ECCLESIA IN LITURGIIS RETINUERIT VETUS IDIOMA? — Seſſ. XXII. 1562. *c. 8. de Sacr. Miſſæ.* — CONFIRMATUR.

Eccle-

retento ubique cujuſque Eccleſiæ antiquo, & à Sancta Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Matre, & Magiſtra, probato Ritu, ne oves Chriſti eſuriant, neve parvuli panem petant, & non ſit, qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Paſtoribus, & ſingulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Miſſarum celebrationem vel per ſe, vel per alios ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant; atque inter cætera Sacrificii hujus Myſterium aliquod declarent, diebus præſertim Dominicis, & Feſtis. Quibus verbis refelluntur inimicorum hominum calumniæ, quaſi Eccleſia abſcondat ſanctiora Myſteria, quæ Fidelibus nota eſſe debent; & ab omnibus intelligebantur per priora Secula, dum Sacræ Liturgiæ lingua vulgari coram populo audiente peragebantur.

INSTRUATUR PLEBS DE MYSTERIO SACRIFICII.

Qui nondum putat ſe omnia ſcire, quæ ſcire oportet, conſulat doctiſſimam Natalis Alexandri Diſſertationem *De Sacrificio Miſſæ, adverſus Albigenſes, & VVickleffiſtas in Lutheranis, & Calviniſtis redivivos.*

Tom.VII.pag.555.

DE POENITENTIÆ SACRAMENTO

TITULUS VI.

DEFINITIO.

POEnitentiæ Sacramentum Novæ Legis eſt, quo lapſis poſt Baptiſma, contritis, confeſſis, & ſatisfacere proponentibus abſolutio a peccatis impenditur. Unde *ſi quis dixerit, in Catholica Eccleſia Pœnitentiam non eſſe vere, & proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis, a Chriſto Domino Noſtro inſtitutum, anathema ſit.* Poſt hæc verba, quæ in conſtanti Eccleſiæ Traditione fundantur, nullus Catholicus de exiſtentia hujus Sacramenti dubitare poteſt. Neceſſitas hujus Sacramenti ſumma eſt. Nam *ſi ea in Regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, ut juſtitiam in Baptiſmo, ipſius beneficio, & gratia ſumptam conſtanter tuerentur: non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, dives in miſericordia, cognovit figmentum noſtrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſe ſe poſtea in peccati ſervitutem, & Dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ, quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* Peſſime judicavit Calvinus, quod abſque novo Pœnitentiæ Sacramento, Baptiſmus *potius in memoriam revocandus ſit peccatori, quoties de remiſſione peccatorum cogitat, ut illinc ſe ſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet.* Sane maximum eſt diſcrimen inter Baptiſmum, & Pœnitentiam, vel ratione materiæ,

Seſſ. XIV. 1551. can. 1. de Pœnitent.

CAUSA INSTITUTIONIS. *ibid. cap. 1.*

ERROR CALVINI. *Inſtit. l. 4. c. 19. §. 17.*

DISCRIMEN BAPTISMI.

teriæ, & formæ, vel ratione miniſtri, & fructus. Audiatur Synodus Tridentina: *Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, nova prorſus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes: ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ ſine magnis noſtris fletibus, & laboribus, divina id exigente juſtitia, pervenire nequaquam poſſumus; ut merito pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, ut nondum regeneratis ipſe Baptiſmus.* Proinde ſequitur: *ſi quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum, Pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideo pœnitentiam non recte ſecundam poſt naufragium Tabulam appellari, anathema ſit.* *ſupra cap. 2.* *can. 2.*

Inſtituit autem Dominus Noſter Jeſus Chriſtus hoc Sacramentum poſt Reſurrectionem, ſero una Sabbatorum, ubi clauſis januis erant Diſcipuli congregati propter metum Judæorum: qui Diſcipulis ſuis inſufflando dixit Jeſus: *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hanc quidem poteſtatem Petro ſoli promiſerat ante ſuam Transfigurationem: hanc quidem poteſtatem Diſcipulis ſuis promiſerat poſt ſuam Transfigurationem, & ante Paſſionem ſuam: ſed conſummavit promiſſionem per extrema a Joanne citata verba. Unde *ſi quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: non eſſe intelligenda de poteſtate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia Catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema ſit.* Fundatur Eccleſiæ Traditio in argumento negativo: quia nullus Hæreticorum ante Seculum Decimumſextum Pœnitentiam ex albo Sacramentorum expunxit; non Montaniſtæ: non Novatiani, qui tantum diſtinguebant inter graviora, & leviora delicta, hæc ab Eccleſia, illa a Deo ſolo remiſſibilia: non VValdenſes, qui tantum docuerunt potius confitendum eſſe bono Laico, quam malo Sacerdoti: non Lutherani, qui in Auguſtanam Confeſſionem jurarunt. Aperte enim ſcripſerunt: *vere igitur ſunt Sacramenta, Baptiſmus, Cœna Domini, Abſolutio, quæ eſt Sacramentum Pœnitentiæ. Nam hi Ritus habent mandatum Dei, & promiſſionem gratiæ, quæ eſt propria Novi Teſtamenti.* Extat hodierna Proteſtantium formula ex Catechiſmo Lutheri pro abſolvendo Pœnitente: *Ego ex Chriſti mandato remit-*

INSTITUTIO. Joan. XX. 23. Matth. XVI. 19. Matth. XVIII. 18. *can. 3.* ARGUMENTUM TRADITIONIS NEGATIVUM.

mitto Tibi peccata tua In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ipſe tamen Lutherus, & Melancthon fluctuaverunt, ſemel negantes, ſemel affirmantes. Negaverunt manifeſte Zuinglius, Calvinus, Selneccetus, Vigandus, Matthias Illyricus, aſſueti perpetuis exceptionibus ſuis. Econtra Pœnitentiam vere, & proprie Sacramentum eſſe novæ Legis, teſtatur omnis antiquitas: Tertullianus Catholicus, factus poſtea Montaniſta, Cyprianus, Patres Eliberitani anno 305., Auguſtinus, Chryſoſtomus, Gregorius M., & ſexcenti alii uſque ad nos.

Luth. *de Captivit. Babilon.* Melancthon *Loci Commun.* 1532. & 1543.
ARGUMENTUM AFFIRMATIVUM. Tertull. *de Pœnit.* Cyprianus *epiſt.* 52. 54. Syn. Elib. *can.* 79. Auguſt. *de Bapt. l.* 5. *c.* 21. Chryſ. *de Sacerd. l.* 3. Greg. *in* Joan. XX. 23.
MATERIA.

Materia, vel quaſi materia hujus Sacramenti ſunt eſſentiales Pœnitentis actus, Contritio ſcilicet, Confeſſio, & Satisfactio. Sic definivit Eugenius IV. pro Armenis: *Quartum Sacramentum eſt Pænitentia, cujus quaſi materia ſunt actus Pænitentis, qui in tres diſtinguuntur partes: quarum prima eſt cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Secunda eſt oris confeſſio, ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, ſuo Sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia ſatisfactio pro peccato ſecundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipue fit per Orationem, Jejunium, & Eleemoſynam*. Concordat Synodus Tridentina. *Sunt autem quaſi materia hujus Sacramenti, ipſius Pænitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio: qui, quatenus in Pænitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione partes Pænitentiæ dicuntur*. Unde *ſi quis negaverit ad integram, & perfectam peccatorum remiſſionem requiri tres actus in pænitente, quaſi materiam Sacramenti Pænitentiæ, videlicet Contritionem, Confeſſionem, & Satisfactionem, quæ tres Pænitentiæ partes dicuntur: aut dixerit duas tantum eſſe Pænitentiæ partes, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiæ, agnito peccato, & fidem conceptam ex Evangelio, vel abſolutione, qua credit quis ſibi per Chriſtum remiſſa peccata, anathema ſit*. Addo tamen. Ad eſſentiam Sacramenti perinde eſt, an hæc oris confeſſio ſit publica, vel ſecreta, & auricularis. Utraque ſemper fuit in uſu, niſi quod publicam Confeſſionem communiter ſequeretur publica pœnitentia in atrocioribus criminibus, privatam privata. Cœterum oris confeſſio neceſſaria eſt, ſi Presbyter judicare debet, aut ligare, aut ſolvere. Actus enim judicialis eſt. Natalis Dallæum refellit de Sacramentali Confeſſione. Iiſdem argumentis refellitur Binghamus, qui ſolus jurat in verba Magiſtri. Cum autem ex citato Decreto Eugenii IV. *Omnia Sacramenta tribus perficiantur, videlicet rebus, tamquam materia, verbis, tamquam forma, & perſona Miniſtri conferentis Sacramen-*

ſupra cap. 3.
can. 4
Tom. VII. *pag.* 587.
l. 18. *pag.* 134.
FORMA.

men-

mentum, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia: Verba, quæ tamquam formam in Pœnitentiæ Sacramento adhibet Eccleſia Catholica, hodie ſunt: *Ego Te abſolvo a peccatis tuis In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Rit. Roman.

Miniſter hujus Sacramenti Epiſcopus, & Presbyter eſt: neque ſolum ex repetitis verbis Chriſti, verum etiam ex conſtanti Eccleſiæ Traditione ſoli ſemper, & ubique exercuerunt clavium poteſtatem jure; quin abuſus Diaconorum, & inferiorum Miniſtrorum, multo minus Laicorum, & Mulierum (ſi tanta unquam præſumptio fuerit) in legitimum exemplum trahi poſſint. Unde *ſi quis dixerit, abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronunciandi, & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti, modo tantum credat ſe eſſe abſolutum; aut Sacerdos non ſerio, ſed ioco abſolvat; aut dixerit, non requiri confeſſionem pœnitentis, ut Sacerdos eum abſolvat, anathema ſit.* Item *ſi quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & ſolvendi non habere; aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis: ſed omnibus, & ſingulis Chriſti Fidelibus eſſe dictum: quæcunque ligaveritis ſuper Terram, erunt ligata & in Cœlo; & quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: quorum verborum virtute quilibet abſolvere poſſit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, ſi correptus acquieverit, ſecreta vero per ſpontaneam confeſſionem, anathema ſit.* Item *ſi quis dixerit claves Eccleſiæ eſſe datas tantum ad ſolvendum, non etiam ad ligandum; & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra inſtitutionem Chriſti; & fictionem eſſe, quod virtute clavium, ſublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exolvenda remaneat, anathema ſit.* Ulterius differre nequimus, in Miniſtro Pœnitentiæ requiri juriſdictionem ad exercitium, quamvis per collationem Ordinis, radicalem juriſdictionem immediate acquiſiverit. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur: perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, & ſubdelegatam non habet juriſdictionem. Magnopere vero ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere Sanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam, & graviora crimina non a quibuſvis, ſed a Summis dumtaxat Sacerdotibus abſolverentur. Unde merito Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate, ſibi in Eccleſia tradita univerſali, cauſas aliquas criminum graviores*

[Margin notes: MINISTER. — can. 9. — can. 10. — can. 15. — JURISDICTIO NECESSARIA. — ſupra c. 7.]

Digitized by Google

ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſervationem, conſonum eſt divinæ auctoritati, non tantum in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verum tamen pie admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet Pœnitentes a quibuſve peccatis, & cenſuris abſolvere poſſunt: extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil poſſint in caſibus reſervatis, id unum pœnitentibus perſuadere nitantur, ut ad Superiores, & legitimos Judices pro beneficio can. 11. *abſolutionis accedant.* Unde ſi quis dixerit, *Epiſcopos non habere jus reſervandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideo caſuum reſervationem non prohibere, quo minus Sacerdos a reſervatis rite abſolvat, anathema ſit.*

SUBJECTUM. Subjectum hujus Sacramenti in abſolutione, ſolum hominem baptizatum eſſe, lapſum poſt Baptiſma, contritum, confeſſum, & ſatisfacere proponentem coram legitimo Sacerdote, neceſſariam Juriſdictionem habente, ex prima definitione conſtat. Quid enim de his, qui foris ſunt, LOCUS. judicare? Locus adminiſtrandæ Pœnitentiæ conſuetus Eccleſia eſt, niſi TEMPUS. juſta cauſa aliter ſuaſerit. Tunc omnis aptus eſt locus. Tempus quodcunque opportunum eſt. Semel tantum in anno Præceptum Paſchale eſt, quando oportet ſe ſiſtere Sacerdoti probato, & rite confiteri.

NECESSITAS. Neceſſitas hujus Sacramenti in homine Baptizato, qui ſit lapſus poſt Baptiſmum, tanta eſt, ut, niſi in hoc Sacramento, aut ejus voto in vim perfectæ Contritionis, vitam ingredi nequeat. Ex quo immenſus tanti Sacramenti effectus, aut fructus digne ſuſcipientibus patet. *Sane vero res,* ſupra cap. 3. *& effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax, ac ſerenitas cum vehementi ſpiritus conſolatione, conſequi ſolet.* Et hæc nuda, atque ſimpliciſſima de Pœnitentiæ Sacramento Orthodoxæ Eccleſiæ Doctrina eſt. Animadver-Boſſuet *Expoſit. de la Foy.* MANDATUM DIVINUM. ſionem Epiſcopi Meldenſis ſupperaddere juvat. Mandatum ſcilicet Chriſti ad Miniſtros Eccleſiæ de peccatis remittendis tam generale eſt, ut illud de ſolis publicis criminibus nonniſi temere intelligi queat: qui vero abſolutionem nomine Jeſu Chriſti pronunciantes, mandato obediunt. Porro judicium cenſetur Jeſu Chriſti, qui Miniſtros ſuos conſtituit Vicarios Judices.

Digitized by Google

dices. Imo Sacerdote miniſterium exterius exercente, Pontifex quoque inviſibilis pœnitentem in conſcientia interiori una abſolvit. Hoc Judicium Divinum cum ſit frænum neceſſarium peccati, fons copioſus boni conſilii, ingens ſolatium pœnitentium, (qui non ſolam delictorum ſuorum veniam ex ore Miniſtri audiunt, ſed ſciunt in virtute Servatoris, prævio examine, & cognita cauſa) nemo noſtrum ſibi facile perſuadere poteſt, adverſarios noſtros æquis oculis aſpicere tantorum bonorum jacturam, quos nondum pudet tam ſanctum, tam ſalutare Inſtitutum iniqua mente repudiaſſe.

Supereſt juxta variam Diſciplinam de Ritu diſſerere, in quo Pœnitentiæ Sacramentum Fidelibus adminiſtrabatur. Chriſtus paucis verbis dixit ad mulierem; quæ erat in Civitate peccatrix: *Remittuntur tibi peccata: Fides tua te ſalvam fecit: vade in pace*. Ad mulierem vero in adulterio deprehenſam: *vade in pace, & jam amplius noli peccare*. Apud Apoſtolos, & primitivos Chriſtianos ſequens Evangelii Regula in uſu fuiſſe videtur: ut, ſi Frater tuus nec te, nec teſtes duos audiverit, Eccleſiæ dicas. *Si autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus*. Ecce fundamenta jacta ad pœnitentiam publicam, cujus Hiſtoriam inter cæteros texit Doctiſſimus Sirmondus. Cum nullum aliud onus gentibus ad Chriſtum converſis Apoſtoli impoſuiſſent, quam ut abſtinerent ab Idolothytis, & ſanguine, & fornicatione: majores noſtri tribus his criminibus, Idololatriæ, Homicidio, & Mœchiæ veniam non ſeram, ſed nullam dabant: & horum convictis, pœnitentiam quidem volentibus non negabant, pacem autem, gratiamque ab uno Deo ſperare, & expetere jubebant. Zephyrinus poſt Seculum Secundum Mœchis, quorum proclivior lapſus erat, veniam indulſit Romæ, Montaniſtis fruſtra obnitentibus, qui tandem Eccleſiæ hanc poteſtatem eſſe negaverunt. Paulo poſt in Africa Cyprianus, Romæ Cornelius lapſis in Deciana perſecutione, ſaltem in fine vitæ, veniam indulſit, Novatianis fruſtra obnitentibus, qui tandem Eccleſiæ hanc poteſtatem eſſe & ipſi negaverunt. Synodus Ancyrana an. 314. Homicidas peracta pœnitentia ad pacem recepit. Econtra Arelatenſis an. 314. Apoſtatis nec in fine vitæ, communionem conceſſit, quam Eliberitana an. 305. multis gravioribus criminibus, præter tria ſumma, etiam in fine vitæ denegaverat: donec magna Nicæna Synodus an. 325. tanto rigore ſublato, decreverit, ne cuiquam in exitu vitæ petenti Viaticum denegetur.

Ritus. — Luc. VII. 48. — Joan. VIII. 11. — Matth. XVIII. 17. — Pœnitentia Publica. Tom. IV. pag. 324. — cap. 1. — Act. XV. — Olim tribus criminibus nulla dabatur venia. — Datur Mœchis. — Lapsis in Idololatriam, et Homicidis. — can. 21. 22. — can. 22. — can. 13. Nova Indulgentia. — cap. 2.

Tum ne miſericordia augeret animos ad caſum frequentiorem, certæ

 pœni-

Digitized by Google

pœnitentibus leges ab Eccleſia poſitæ ſunt ad obtinendam remiſſionem.

PUBLICA TANTUM GRAVIORA CRIMINA PUBLICÆ POENITENTIÆ OBNOXIA ERANT. cap. 4.

Quæ vero crimina publicæ pœnitentiæ obnoxia fuerunt? *Si noſtri temporis cenſores audimus*, ait Sirmondus, *quælibet crimina dicent, etiam occulta: ſi antiquos Patres conſulimus, graviora tantum, eaque publica, & manifeſta.* Imo ob occulta delicta publicam imponi pœnitentiam Canones vetant: *& ſicut publicam de occultis criminibus Confeſſionem Canones reprehendunt, ita publicam pœnitentiam, niſi de publicis, ac manifeſtis imperant nunquam.*

SECUS OCCULTA: NISI SPONTE PETERETUR. cap. 5.

Negari tamen non poteſt, publicam de occultis ipſis pœnitentiam fuiſſe ultro ſuſceptam a nonnullis, etiam Clericis, volentibus ſcilicet, non coactis, permiſſamque ab Epiſcopo, non imperatam. *Proprium Eccleſiaſtica conſuetudine pœnitentium nomen illorum fuit, ac peculiare, qui publici criminis cauſa excommunicati ab Epiſcopo fuerant, publicamque pœnitentiam agere juſſi. Alterum vero genus hoc pœnitentiæ, quod ſponte a nonnullis, quorum occulta erant delicta, ſuſcipiebatur, nec proprie hoc nomine cenſebatur, & procul a probro, vel infamia erat uſque adeo, ut Clericis quoque, quibus publicam pœnitentiam ſubire non licuit, ſalvo illorum gradu, & honore concederetur.*

QUOMODO CLERICIS LICITA POENITENTIA?

Alias Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi cum gravi ſcandalo plebis in atrocia crimina lapſi, detrudebantur in Monaſteria: de quibus ad Narbonenſem Ruſticum reſcripſit Leo M. *Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei, privata eſt expetenda ſeceſſio.*

cap. 6.

MINISTER EPISCOPUS. an. 12. capit. 1.

Præterea Pœnitentiæ publicæ arbitrium penes Epiſcopos ſtetit: nullum autem jus fuit unquam penes Presbyteros, niſi Epiſcoporum abſentium vice, aut etiam præſentium juſſu. Teſtis eximius Hincmarus Rhemenſis.

RITUS. cap. 7.

Ferebat autem Eccleſiæ Ritus, ut triplex manuum impoſitio in toto publicæ pœnitentiæ curriculo interveniret. Prima, ubi reus inter pœnitentes admittebatur, Epiſcopo deſignante locum, naturam, & ſpatium pœnitentiæ. Altera, quamdiu pœnitentes a communi Fidelium Miſſa excludebantur; quoties poſt Catechumenos & ipſi Pœnitentes, prævia hac impoſitione manuum, ejiciebantur, ne divinis myſteriis intereſſent, quibus tam Catechumeni, quam Pœnitentes indigni forent. Tertia igitur, & poſtrema hæc fuit, in qua pœnitentes omnibus rite peractis, pœnitentiæ fructum, hoc eſt, reconciliationem conſequebantur, unde reconciliatoria impoſitio manuum dicebatur. Decedentibus in pœnitentia nondum peracta Viaticum non denegabatur. Quodſi ſupervixerint, pœnitentiam complere tenebantur: quæ completa non dicebatur, donec hæc reconciliatoria manuum impoſitio non fuiſſet peracta, & communio data.

In Oriente publica tantum Pœnitentia deſiiſſe videtur Seculo Quarto excun-

Digitized by Google

exeunte, ſub Epiſcopatu Nectarii Conſtantinopolitani, cui ſucceſſit Chryſoſtomus. Nunquam deſiit privata. In Pœnitentia publica, cæteriſque in partibus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ non idem ſemper mos fuit omnium Eccleſiarum: errantque vehementer, qui ex eo, quod de Pœnitentibus in Synodo quapiam ſancitum videant, id continuo ad omnes pertinuiſſe, legemque omnibus poſitam putent. Publicos Pœnitentes in Cœna Domini reconciliandi Romæ olim, & in Gallia mos fuit. Quem ſolemnem Ritum Feria Quinta majoris Hebdomadæ confirmat citatus Codex noſter. Sic vero in Occidente mitior ſemper, ac brevior fuit pœnitentia, quam in Oriente. Plerumque Pœnitentia incipiebat cum Quadrageſima. Hinc dies Cinerum manet, quia forte olim primus ille erat pœnitentiæ publicæ dies, ultimus Cœna Domini: niſi Epiſcopo viſum fuerit pœnitentiam prorogare. Cæterum in univerſo Occidente Pœnitentia publica in dies decreſcebat: donec Seculo Duodecimo vel penitus deſierit, vel cœperit rariſſima fieri, quemadmodum & hodie rariſſima eſt. Omnis pœnitentia propoſitam ſibi habet veniam, publica vero pœnitentia veniam ſimul, & exemplum. In quo ſtat duplex pœnitentiæ publicæ fructus: quia juſtum eſt, ut, qui cum multorum deſtructione ſe perdidit, cum multorum ædificatione ſe redimat, prout ſcribit Cæſarius Arelatenſis. Manet explicare, quod ſit eadem communio peregrina, ac laica. Laici publicæ pœnitentiæ addicebantur, Clerici inter Laicos more Laicorum communicare cogebantur, ſi aut Laici, aut Clerici graviter deliquerint. Hinc manifeſtum apparet, quod hæc communio peregrina, in Laicis honor, & præmium, in Clericis pœna, & ſupplicium fuerit, quemadmodum pœna, & ſupplicium fuit in Laicis Pœnitentia publica. Hæc ſumma Sirmondianæ Hiſtoriæ de Pœnitentia publica.

cap. 8. *cap. 9.* QUANDO DESIIT IN ORIENTE POENITENTIA? USUS ROMÆ, ET IN GALLIA. QUANDO DESIERIT POENITENTIA IN OCCIDENTE? *cap. 10.* *cap. 12.* COMMUNIO PEREGRINA.

Hodie fere ſolemnis tantum Pœnitentia Epiſcopis reſervatur: niſi quod ſoleant ſibi aliquos caſus reſervare, qui nonniſi ab ipſo Ordinario abſolvuntur; quemadmodum Summi Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſali tradita cauſas aliquas criminum graviorum ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare. Hæc reſervatio Pontificia, quam Tridentina Synodus ampliſſimo nomine confirmat, frequentior eſſe cœpit Seculo Undecimo, quando Epiſcopi Romanæ Sedis devotiſſimi, homines graviorum criminum reos ad limina Apoſtolica miſerunt, vel ut ab ipſo Summo Pontifice abſolvantur, vel ut impoſita Romæ pœnitentia, & peracta, iidem rei nondum abſoluti, ab Epiſcopis propriis reduces abſolvantur. Aliquando Epiſcopi per Edictum Generale graviora de-

QUÆ SOLEMNIS SIT POENITENTIA? RESERVATIO PAPALIS.

lićta

licta Banno Papali afficiebant, quæ ſcilicet nonniſi a ſolo Romano Pontifice remitti debebant, ipſa Epiſcopali abdicata poteſtate. Tandem Summi Pontifices, ut rarior, aut difficilior venia rariora quoque crimina reddat, certas reſervationes majores, excluſis Epiſcopis, ad ſe ſolos penitus traxerunt, & continuo trahunt pro bono univerſalis Eccleſiæ regimine, communicando Epiſcopis remotioribus facultates abſolvendi, unde non facilis, non promptus aditus ad Sedem Apoſtolicam.

DE INDULGENTIIS, ET JUBILÆO

TITULUS VII.

Definitio Indulgentiæ.

Exemplum Pauli. I. Corinth. V. 5. II. Corinth. II. 10.

Canones.

Diſpensationes Martyrum.

INdulgentia eſt condonatio facta ab Eccleſia, ſive remiſſio pœnæ canonicæ, vel in toto, vel in parte, impoſitæ, vel imponendæ, nomine Eccleſiæ, homini peccatori, & pœnitenti. Sic Apoſtolus inceſtuoſo Corinthio, quem tradiderat Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus ſalvus ſit in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti, donavit aliquid, ſeu remiſit tempus, & afflictionem pœnæ, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur: cum & aliquid ipſi jam donaſſet Eccleſia Corinthiorum. Sic Epiſcopis erga Pœnitentes poteſtas facta eſt utendi clementia, quemadmodum teſtantur Synodus Carthaginenſis an. 253., Ancyrana an. 314., Nicæna an. 325., Quiniſexta an. 692. Sic ad preces Martyrum, & Confeſſorum diſpenſabatur cum Pœnitentibus in periculo mortis conſtitutis quoad communionem, vel ſanis perſæpe minuebatur tempus, & afflictio pœnæ. Hoc ultimum ex Sirmondo de Pœnitentia publica obſervavimus. Utrumque confirmavit Cyprianus.

Remiſſior Diſciplina. *can.* 56. MS. *l.* 2. *cap.* 440.

Cruciatæ.

Africana.

Jejunium aliquando in Eleemoſynam, aut certas preces commutatum fuiſſe teſtantur Seculo Nono Patres Triburicenſes anno 895., & Regino Abbas Prumienſis. Seculo Undecimo remiſſiores in diem ſuccedebant pœnitentiæ: & jam concedebantur conditionatæ indulgentiæ in hanc formam plerumque: *qui hoc opus egerit, aut, ut peragatur, pro viribus conatus fuerit, peccatorum omnium remiſſionem conſequatur.* Magnum illud opus fere ſemper erat, arma contra Saracenos, Hæreticos, & Schiſmaticos ferre, vel per ſe, vel per alios propriis tamen ſumptibus. Hujus generis fuerunt memorandæ Cruciatæ, ſive frequens bellum Sacrum: in quo ſi eveniret Cruce ſignatum mori vere pœnitentem, hic & peccatorum ſuorum veniam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitabat habiturum. Indixit Bellum Sacrum Victor III. an. 1088. contra Saracenos

in

Digitized by Google

in Africa, quorum centum millia in expugnatione Mehedienſi cæſa ſunt. Inſignem in Concilio Claromontano an. 1096. Hieroſolymitanam expeditionem promovit Urbanus II.; quorum exempla aut contra Saracenos in Oriente, aut contra Mauros in Hiſpania ſtrenue imitati ſunt Calixtus II. in Concilio Lateranenſi an. 1122., & Eugenius III. in Concilio Rhemenſi an. 1148. Sic Innocentius III. in Concilio Lateranenſi an. 1215. adverſus Infideles, & Albigenſes ſacra arma inſtituit. De Claromontana Expeditione narrant VVillhelmus Tyrius, VVillhelmus Malmesburienſis, & Ordericus Vitalis; ex quibus colligit Morinus, quod Cruce ſignati *tam difficilem igitur expeditionem aggrediebantur, & adornabant, ut eſſet illis pœnitentiæ pro peccatis impoſitæ commutatio, hacque occaſione peccatorum remiſſionem conſequerentur*. Hujus tenoris eſt Synodus Claromontana anno 1095., ut nempe, *quicunque pro ſola devotione, non pro honoris, vel pecuniæ adeptione, ad liberandam Eccleſiam Dei, Hieruſalem profectus fuerit, iter illud pro omni pœnitentia ei reputetur*. Vel, ut ait Bartholdus Romanus Pœnitentiarius, eam Expeditionem Urbanus II. *in remiſſionem omnium peccatorum faciendam firmiſſime commendavit*. Malmesburienſis numerat in Claromontana Expeditione ad ſexagies centum millia itinerantium. S. Bernardus de Eugeniana Expeditione ſcribit: *vacuantur Urbes, & Caſtella; & pene jam non inveniunt, quem apprehendant ſeptem mulieres virum unum: adeo ubique viduæ vivis remanent viris*. Confirmat idem, qui huic Expeditioni interfuit, Otto Friſingenſis: *Tanta etiam, mirum dictu, prædonum, & latronum advolabat multitudo, ut nullus ſani capitis, hanc tam ſubitam, quam inſolitam mutationem ex dextera Excelſi provenire non cognoſceret*. Ex his conjicere licet, quam graves Seculo Duodecimo pariter imponerentur pœnitentiæ, *cum, ut eas redimerent, lubentes tantis periculis ſe ſe exponerent, & pericula, afflictiones, morbos, mortem, dum contingebant, patientiſſime ferrent*. Sane multi rei novitate tacti, improviſo æſtu aut Religionis, aut honoris, aut lucri forſan moti, tantum iter aggreſſi ſunt, quemadmodum rapinæ, & cædes a cruce ſignatis aliquando patratæ docent nimis. Finis Eccleſiæ hactenus fuit non tam relaxandæ, quam commutandæ pœnæ canonicæ. Relaxatio ſupervenit. Ex formula patet: *qui denarium in ædificationem, aut reparationem hujus Eccleſiæ, vel Oratorii contulerit, tertiam partem, vel quartam Pœnitentiarum imponendarum illi in Domino relaxamus*. Addit Morinus: *eodem prope tempore extenſa eſt iſta relaxatio ad res ſeculares, pontium, itinerum, rerumque ſimilium refectionem. Nonnunquam integra pœnitentia relaxabatur: ſed*

Chron. Caſſin. *n.* 71. Barthold. *an.* 1088.

HIEROSOLYMITANA. HISPANICA.

CONTRA ALBIGENSES.

De Pœnit. *l.* 10. *c.* 19. *n.* 2.

can. 2.

FINIS CRUCE SIGNATORUM REMISSIO PECCATORUM.

INGENS NUMERUS CRUCE SIGNATORUM.

de Geſt. Frider. I. *l.* 1. *c.* 40.

RATIO DIVERSA.

FINIS ECCLESIÆ.

RELAXATIO DISCIPLINÆ.

ſupra c. 20. *n.* 2.

raro

Digitized by Google

raro id ſibi initio arrogarunt Epiſcopi; *hoc erat Summo Pontifici veluti communi conſenſu delatum. Vix tertiam pœnitentiæ partem excedebat relaxatio ab Epiſcopis conceſſa*. Ubi ſemel perſuaſum fuit, pœnam canonicam remitti vel in toto, vel in parte propter laborioſum aliquod opus, perſuaſum quoque fuit, id fieri poſſe propter quodcunque pium opus, etiam leviſſimum. Nec amplius pro Fide in orbe remoto bellare oportuit, cum ſufficeret ad integram, vel partialem remiſſionem, denarium in ædificationem, aut reparationem Eccleſiæ, atque Oratorii impendere, Eccleſiam viſitare, ſupplicationes frequentare, modicum orare, ſive jejunare, imo

ſupra n. 3. pontem, aut iter reparare. *Quis enim*, obſervat Morinus, *longiſſimis, & duriſſimis pœnitentiis noctu diuque incumbere velit, qui uno denario, aut etiam obolo juxta Epiſcopi mandatum erogato, tertiæ pœnitentiarum canonicarum parti ſumma quadrante ſatisfacit, & triplicato denario totam ſummam albo expungit? quidquid ſubtiliter dicatur, & diſputetur, hoc axiomate poſito difficillime pœnitentiæ canonicæ actio perſuadebitur, cum ad ſe ab ea redimendum tam facile, & parabile unicuique præſto ſemper ſit remedium*. Dubium foret, an ſit facilius peccare, quam pœnitere, & ſatisfacere, ubi tamen ſalutem noſtram cum timore, & tremore operari admonemur ab Apoſtolo. Ex hac indulgentiſſima pœnæ canonicæ commutatione relaxatio potius Diſciplinæ, & Canonum Pœnitentialium abrogatio derivare

ſupra n. 8. debuit. *Brevi tamen tempore*, ideſt ad finem Seculi Duodecimi, quando relaxatio primum cepit eſſe frequentior, *licet multi contradicerent, alii varie de iis, earumque effectu dubitarent, magnos progreſſus feciſſe* eædem relaxationes videntur. *Nec hoc creditu difficile eſt, cum lucrum temporale, & maxima commoda in Eccleſiarum fabricas, & Epiſcopos hinc redundarent*. Et illud manifeſtum eſt *privatos Epiſcopos certatim hanc conſuetudinem ſtabiliviſſe, Romanos Pontifices* ad finem Seculi Duodecimi *nondum vulgo uſurpaſſe, & Pœnitentiæ actionem huic relaxationi longe prætuliſſe*, atque præferre in hanc diem. Vitium Seculi, in quo duræ cervicis homines abundant, non Eccleſiæ, quæ ſemper ſancta eſt.

MODERANTUR INDULGENTIÆ.

Illud adeo verum eſt, ut Concilium Lateranenſe an. 1215. immoderatas nonnullorum Epiſcoporum prodigalitates moderaverit: *quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & claves Eccleſiæ contemnuntur, & Pœnitentialis ſatisfactio enervatur*. Non aliter Sixtus IV. an. 1478. in Conſtitutione Spirenſi cenſuit, impoſterum ſibi propenſiori ſtudio præcavendum eſſe, *ne cujuſvis indulgentiæ, remiſſionis, vel facultatis obtentu, Chriſti Fideles proclivio-*

c. 14. de Pœnit. & Remiſſion.

c. 5. Extrav. Comm. eod.

clivìores ad illicita impoſterum committenda reddantur, aut facilitas veniæ eis peccandi tribuat incentivum. Propterea multas conceſſiones illegales, tamquam a Prædeceſſoribus, vel a ſe ipſo multorum importunitate extortas deplorando revocat, & in meliorem ordinem redigit. Sic Sacroſancta Tridentina Synodus *abuſus vero, qui in his irrepſerunt, quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens, præſenti Decreto generaliter ſtatuit, pravos quæſtus omnes pro his conſequendis, unde plurima in Chriſtiano Populo abuſuum cauſa fluxit, omnino abolendos eſſe. Cæteros vero, qui ex ſuperſtitione, ignorantia, irreverentia, aut aliunde quomodocunque provenerunt, cum ob multiplices Locorum, & Provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas commode nequeant ſpecialiter prohiberi; mandat omnibus Epiſcopis, ut diligenter quiſque hujuſmodi abuſus Eccleſiæ ſuæ colligat, eoſque in prima Synodo Provinciali referat: ut aliorum quoque Epiſcoporum ſententia cogniti, ſtatim ad Summum Romanum Pontificem deferantur: cujus auctoritate, & prudentia, quod univerſali Eccleſiæ expediet, ſtatuatur; ut ita Sanctarum Indulgentiarum munus pie, ſancte, & incorrupte omnibus Fidelibus diſpenſetur.* Seſſ. XXV. 1563. *Decret de Indulg.* SANARI DEBENT ABUSUS.

Hæretici, qui inſigne hoc Indulgentiarum nomen execrantur, fuerunt Montaniſtæ, Novatiani, VValdenſes, Albigenſes, VVickleffiſtæ, & Huſſitæ. Lutherus, Zuinglius, Calvinus ab initio abuſus impugnarunt, tandem validitatem ipſam, quaſi penes Eccleſiam non eſſet facultas concedendi Indulgentias. Contra veteres errores, & nova ſcandala piiſſimos Epiſcopos, & Parochos, quibus maxime incumbit, per Deum vivum obteſtamur, ut ſanam Eccleſiæ Doctrinam de Indulgentiis, populo ſuo frequenter tradant, abuſus corrigant, falſas, apocryphas, indecretaſque indulgentias typis imprimi vetent, impreſſas emendent, aut rejiciant, ubi erratæ ſint. Sana Catholicæ Eccleſiæ Doctrina hæc eſt: *Cum poteſtas conferendi indulgentias a Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit: atque hujuſmodi poteſtate divinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa uſa fuerit: Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam in Eccleſia conſuetudinem, adhiberi cupit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica Diſciplina enervetur.* Idcirco Clemens IX. an. 1669. novam Cardinalium, & Prælatorum Congregationem laudabiliter inſtituit, cum facultate omnem difficultatem, ac dubie- QUI IMPUGNAVERINT INDULGENTIAS? SENSUS ECCLESIÆ. *Decret. citat.* CONGREGAT. ROM. DE INDULGENTIIS.

Digitized by Google

bietatem in Indulgentiis emergentem, quæ ad fidei Dogma non pertineat, circa graviora, & difficiliora Romano Pontifice prius conſulto, expediendi.

JUBILÆI ORIGO.

Levit. XXV. 8.

c. I. *Extrav. Comm. de Pœnit. & Remiſſ.*

Inter varia Indulgentiarum genera principem ſibi vindicat locum Jubilæus, ad imitationem Judæorum, qui honorabant, atque ſanctificabant annum quinquageſimum, quia ipſe erat illis præſcriptus annus Jubilæus. Bonifacius VIII. primus omnium indixit Jubilæum Chriſtianum VIII. Kal. Mart. A. D. 1300., qui de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, omnibus Anno Indictionis, & quolibet centeſimo ſequuturo, ad Baſilicas SS. Petri, & Pauli in Urbe, reverenter accedentibus, vere pœnitentibus, & confeſſis, non ſolum plenam, & largiorem, imo pleniſſimam omnium ſuorum veniam peccatorum concedit. Secundus Jubilæus fuit non anno 1400., quemadmodum inſtituerat Bonifacius VIII., ſed anno 1350., quia Clemens VI. Avenione ſedens, abbreviato curſu, ad preces Legatorum Romanorum, quinquageſimum annum voluit eſſe Jubilæum Chriſtianum, ſicuti olim quinquageſimus fuit Judæis. Ob immenſam peregrinorum multitudinem Urbanus VI. Trigeſimumtertium, annum nempe 1383., referente Theodorico a Niem, deſignavit, ſed non vidit. Synodus Conſtantienſis an. 1414., extincto Schiſmate Avenionenſi, Decretum Clementinum pro anno quinquageſimo reſtituit. Paulus II. anno 1464. liberalior fuit, poſito vigeſimoquinto anno Jubilæi, quem Sixtus IV. anno 1473., & Succeſſores confirmarunt uſque ad nos. Atque hæc de Magno Jubilæo, quo ineunte Portæ Sanctæ Romanarum Baſilicarum aperiuntur, quo exeunte Portæ Sanctæ eædem clauduntur. Sunt alii minores Jubilæi, qui urgentibus neceſſitatibus interdum extra ordinem indicuntur: adeo ut quicunque Jubilæus plenariam Indulgentiam ubique contineat, cum tamen non quævis Indulgentia plenaria Jubilæus ſit.

ANNUS CENTESIMUS.

c. 2. *eod.*

QUINQUAGESIMUS.

TRIGESIMUSTERTIUS. De Schiſmate *cap.* 88.

QUINQUAGESIMUS. *c.* 4. *eod.* VIGESIMUSQUINTUS.

JUBILÆI MINORES.

DOGMA.

Pro Coronide hujus Tituli ſtat, duo de fide eſſe: videlicet poteſtatem Indulgentias conferendi a Chriſto Eccleſiæ ſuæ conceſſam eſſe; atque has Indulgentias juxta intentionem Eccleſiæ collatas, non eſſe inutiles. Quidquid præter hæc duo a Theologis aſſumatur, certitudinem fidei, & indubitatam Eccleſiæ Catholicæ Doctrinam non omnino attingit. In gratiam vero eorum, qui nobiſcum non ſentiunt, quos inter Binghamus, palam facimus, propterea a nobis nullam injuriam irrogari meritis infinitis Chriſti Jeſu, qui nos redemit Sanguine ſuo. Nihil deeſt in Paſſione, & Morte. Neceſſe eſt, ut cooperemur ſanctificationi noſtræ, & per noſtra

l. 18. *pag.* 178. INDULGENTIÆ NON DEROGANT MERITIS XPI.

Digitized by Google

noſtra opera bona induamus vulnera Redemptoris noſtri. Non ideo præſumimus nos viribus noſtris ſolis ſatisfacere poſſe pro eo, quod deliquimus, niſi in fide Chriſti Jeſu, quia ſua morte vivificavit & fidem, & opera noſtra. Tota ſalus noſtra, noſtra Redemptio tota nihil eſt, niſi opus divinæ miſericordiæ, & ſuperabundantis gratiæ. Cum autem fecerimus omnia, adhuc ſervi inutiles ſumus. Quidquid boni facimus per miſericordiam, & gratiam Dei, non minus ejus donum eſt, quam quod ipſe ſolus facit ex ſua voluntate. Quidquid ipſi donamus, ejus non minus eſt beneficium, quam quod ipſe nobis tribuit, ita ut, quam nos, antiquæ Eccleſiæ ſenſu, ſatisfactionem appellamus, tandem nihil eſt, niſi applicatio ſatisfactionis infinitæ Chriſti Jeſu, quia & compatimur, & conglorificamur.

DE EXTREMA UNCTIONE

TITULUS VIII.

Viſum eſt autem Sanctæ Synodo præcedenti Doctrinæ de Pænitentia adjungere ea, quæ ſequuntur de Sacramento Extremæ Unctionis, quod non modo pænitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pænitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus. Ideo viſum & nobis. *Inſtituta eſt autem Sacra hæc Unctio Infirmorum, tamquam vere, & proprie Sacramentum Novi Teſtamenti a Chriſto Domino Noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum* (ſub his verbis: APOSTOLI UNGEBANT OLEO MULTOS ÆGROTOS, ET SANABANT) *per Jacobum autem Apoſtolum, ac Domini Fratrem Fidelibus commendatum, ac promulgatum. Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum: ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio Fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & , ſi in peccatis ſit, dimittentur ei.* Unde *ſi quis dixerit, Extremam Unctionem non eſſe vere, & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino noſtro inſtitutum, & a Beato Jacobo Apoſtolo promulgatum; ſed Ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum, anathema ſit.* Imo ad effectum mirabilem Sacramenti oſtendendum: *ſi quis dixerit, Sacram Infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, ſed jam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit.*

[Margin: Seſſ. XIV. 1551. *de Sacram. Pænit.* — *ibid. c.* 1. — INSTITUTIO. — Marc. VI. 13. — *Epiſt.* Cathol. V. 14. — *can.* 1. — *can.* 2.]

Tempus Inſtitutionis incertum eſt. Eſſentia, & exiſtentia hujus Sacramenti ex Sacra Scriptura, & Traditione oſtenditur. Finis inſtitutionis, [Margin: TEMPUS INCERTUM.]

Digitized by Google

DUPLEX TRADITIONIS ARGUMENTUM.

nis, & fructus ipſe ex dictis patet. Cæterum Traditio fundatur in conſueto argumento negativo: quia nemo ante Lutherum, & Calvinum Extremam Unctionem albo Sacramentorum expunxit. Affirmant Origenes, Chryſoſtomus, Innocentius I., Auguſtinus, Gregorius M., Theodorus Cantuarienſis, Chrodogangus Metenſis, Capitularia Caroli M., Synodus Cabilonenſis an. 813., Aquiſgranenſis an. 836., Moguntina an. 847., Regiaticenſis an. 850., Capitula Hincmari Rhemenſis, & Heraldi Turonenſis, Canones Iſaaci Lingonenſis, Jonas Aurelianenſis, Paſchaſius Corbejenſis, Ælfricus, VVibertus, Lanfrancus, Hugo a S. Victore, S. Bernardus, Petrus Lombardus: quos citat in hac cauſa diligens Auctor Gaſparus Juenin, ſolutis adverſariorum objectionibus. Poſt iſta luculentiſſima teſtimonia neſcitur, quomodo de conſtanti Traditione dubitari poſſit. Quidquid vero diverſi diverſum ſentiant, omnes Catholici (propter quos primitus ſcribo) conveniunt, *Unctionem Extremam eſſe proprie dictum Sacramentum novæ Legis: materiam, ex qua conſtat, eſſe oleum: formam eſſe divinæ virtutis invocationem: illius miniſtros eſſe Sacerdotes: eam ex opere operato delere peccata.*

Diſſ. VII. *de Sacr.*

DOGMA.

MATERIA.

ſupra c. I.

FORMA.

Circa materiam, & formam hujus Sacramenti docet Synodus Tridentina juxta Apoſtolicam Traditionem, *materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum: nam unctio aptiſſime Spiritus Sancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat. Formam deinde eſſe illa verba: Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum, auditum, guſtum, odoratum, tactum deliquiſti.* Concordat nota Eugenii IV. Inſtructio ad Armenos, concordat Rituale Romanum: in quo monentur Curati, ut habeant *loco nitido, & decenter ornato, in vaſe argenteo, ſeu ſtanneo diligenter cuſtoditum Sacrum Oleum Infirmorum, quod ſingulis annis Feria Quinta in Cœna Domini ab Epiſcopo benedictum, veteri combuſto renovandum eſt. Ita tamen, ut, ſi forte infra annum aliquo modo ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo reparari poſſit.*

CUSTODIA OLEI.

BENEDICTIO.

SUPPLEMENTUM.

AN OLEUM SIMPLEX SUFFICIAT?

Quamvis oleum ex olivis commune neceſſaria hujus Sacramenti materia ſit, quamvis illud ab Epiſcopo conſecrari debeat: ad valorem hujus Sacramenti videtur ſufficere oleum etiam non conſecratum, quia nec Scriptura, nec Traditio de præciſa benedictione, vel benedictionis neceſſitate abſoluta teſtantur. Imo cum aqua communis ſufficiat in Baptiſmo, videtur oleum commune ſufficere poſſe in Extrema Unctione, licet juxta

Ritum

Digitized by Google

Ritum & aqua Baptiſmalis, & oleum infirmorum benedici debeant. Poteſt Eccleſia Presbyteris indulgere, ut conſecrent oleum infirmorum, non obſtante contraria Eccleſiæ Latinæ conſuetudine. Sed in Eccleſia Græca Presbyteri ab annis mille, & amplius oleum infirmorum conſecrant. Apud illos Feria Quinta in Cœna Domini Epiſcopus benedicit oleum ſacrum. Poſt hanc benedictionem *cuncti acceſſuri ad Sacram Synaxim, in peccatorum expiationem ſe ſe ungendos offerunt, & Epiſcopus ipſe primus omnium, Oeconomi manu unctionem ſuſcipit, quem deinde omnes alii ſequuntur, & ab Epiſcopo unguntur*. Sic & nos benedicto Fonte Baptiſmali, frontes noſtras illa benedicta aqua aſpergimus, & ſignamus: imo etiam in certis locis, prouti Tridenti, ex illo fonte aquam benedictam bibimus. Inſuper quia apud Græcos in priori cæremonia *totum oleum conſumitur, facultatem illud denuo conſecrandi privato cuicunque Parocho ipſi Pontifices tacite ex antiquo more videntur remittere*. Quem uſum Clemens VIII. ad Epiſcopos Latinos confirmavit, ubi declarat: *Non ſunt cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter Chriſma, ab Epiſcopis Diæceſanis Latinis accipere, cum ejuſmodi Olea ab eis in ipſa Oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, & benedicantur.*

AN PRESBYTER OLEUM BENEDICAT?

Goar. in Not.

Monemus incidenter, neque veterem, neque recentiorem Eccleſiæ Latinæ formam, neque Ambroſianam, neque Græcorum hodiernam, eandem eſſe, niſi quod aliis verbis conceptæ, eædem ſint ubique preces. Ex quibus concludit Joannes Lanojus de Sacramento Unctionis, Chriſtum nullam formam ſpecialem hujus Sacramenti inſtituiſſe, ſed eam inſtituendi reliquiſſe libertatem Eccleſiæ ſuæ: ideſt potius declarandi, ſub quibus verbis preces fieri debeant. In hoc arbitrio Eccleſiæ, unuſquiſque morem privatæ ſuæ Eccleſiæ ſervare tenetur. Sanctus Jacobus Apoſtolus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopus aperte tradit, *proprios hujus Sacramenti Miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis rite ordinati per impoſitionem manuum Presbyteri*. Unde *ſi quis dixerit, Presbyteros Eccleſiæ, quos Beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos; ſed ætate ſeniores in quavis Communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem, anathema ſit*. Per hoc primario damnantur VValdenſes, qui non negaverunt Sacramentum, ſed etiam in Laico Miniſtrum falſo agnoſcunt: Ritum vero, & uſum Eccleſiæ tamquam ſuperſtitioſum, & inutilem contempſerunt. Unde *ſi quis dixerit,*

RITUS IN FORMA VARIUS.

MINISTER.

ſupra c. 3.

can. 4.

ERROR VVALDENSIUM.

Extre-

can. 3. *Extremæ Unctionis Ritum, & uſum, quem obſervat Sancta Romana Eccleſia, repugnare ſententiæ Beati Jacobi Apoſtoli, ideoque commutandum, poſſeque a Chriſtianis abſque peccato contemni, anathema ſit.* Decet utique more

AN SINT PLURES SUPERINDUCENDI PRESBYTERI?

Latinorum obſoleto, Græcorum vero ita vigente, plures Eccleſiæ Presbyteros ſuperinducere, qui non tantum orent ſuper infirmum, ſed ungant. Sufficit tamen unus, nec ad ungendum in Eccleſia Latina plures facile adhibendi.

ORDINARIUS MINISTER PAROCHUS.

Ordinarius itaque adminiſtrandæ Unctionis Miniſter apud nos Parochus eſt, cui creditum eſt Oleum Sacrum; nec alius Secularis, aut Regularis Sacerdos ſine Parochi licentia Sacramentum iſtud miniſtrare præſumat.

SUBJECTUM.

Rit. Rom.

Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui, cum ad uſum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur: & iis, qui præ ſenio deficiunt, & in diem videntur morituri, etiam ſine alia infirmitate. Infirmis autem, qui, dum ſana mente, & integris ſenſibus eſſent, illud petierunt, ſeu veriſimiliter petiiſſent, ſeu dederint ſigna contritionis, etiamſi deinde loquelam amiſerint, vel amentes effecti ſint, vel delirent, aut non ſentiant, nihilominus præbeatur. Non debet miniſtrari indignis, aut ubi irreverentiæ exponitur Sacramentum: nec infantibus, nec ad mortem damnatis, nec aliis extra veram infirmitatem, mortis pericula ſubituris. *In eadem infirmitate hoc Sacramentum iterari non debet, niſi diuturna ſit: ut, cum infirmus convaluerit, iterum in periculum mortis incidat.*

OLIM VIATICO PRÆMISSA UNCTIO.

Olim perſuaſum fuit, Extremam Unctionem, Pœnitentiæ complementum eſſe: ex qua perſuaſione multi crediderunt, illis, qui Extrema Unctione donati fuiſſent, non minus quam ſi publicæ pœnitentiæ addicti fuiſſent, in perpetua pœnitentia vivendum eſſe. Hinc uſque ad annum milleſimum trecenteſimum vix non ubique, peracta confeſſione, morituris Unctio, tandem Viaticum diſpenſabatur.

VIGET APUD GRÆCOS.

Apud Græcos & hodie Unctio præmittitur Viatico, qui indiſcriminatim conferunt Unctionem pœnitentibus, ſive infirmi ſint, ſive ſani: quamvis eam non ut Sacramentalem, ſed ut cæremonialem dumtaxat a ſanis adhiberi credatur. In ſanis Ritus, in infirmis Sacramentum, quemadmodum Ritus eſt in Cœna Domini, Græcorum Unctio. Mihi videtur tam in ſanis, quam in infirmis idem ſemper Sacramentum eſſe.

ERRORES VULGARES.

Poſtquam male perſuaſum fuit, Unctionem nihil aliud eſſe, niſi publicam pœnitentiam: ſtultiſſimæ opiniones vulgares in plurimis locis radicatæ fuerunt, vel de ablata condendi Teſtamenti facultate, vel de amiſſa recuperandæ valetudinis

omni

Digitized by Google

omni ſpe, vel de adempto actus Conjugalis jure, vel de novo præcepto non amplius veſcendi carnibus. Hunc peſſimum errorem de medio ſuſtulit citata Diæceſana Tridentina Synodus anno 1366., prouti ſequitur: *Ad extremam Unctionem omnis Chriſtianus diligentius invitetur. Qui autem forte ipſam recipere contempſerit, vel quia credit ſe unctione recepta moriturum, vel quia errore ductus hæretico poſt receptam hujuſmodi unctionem credit, & aſſerit, ſi ipſum contingat ſupervivere, uxorem ſuam legitimam cognoſcere ulterius non debere, talis tamquam hæreticus Eccleſiaſtica careat ſepultura; & Eccleſiæ nulla ſuffragia, oblationes, orationes, jejunia, ſeu eleemoſinæ illi proficiant ad ſalutem.* Non abs re *ob ea vulgi deliramenta* viſum eſt Mabillonio, *Unctionem Infirmorum in mortis articulum reſervari cepiſſe*, ac ſenſim in omnes Eccleſias hanc conſuetudinem fuiſſe propagatam. Quare hæc unctio forte ad finem Seculi Duodecimi *Extrema* primum vocari cepit, quod jam Viaticum præcederet, Unctio ſigillaret, prouti conſuetudo ferit noſtra. Non ita pridem Chriſtianus Lupus, & Franciſcus Farvacquius, optime de antiquiori Eccleſiæ praxi inſtructi, viri non minus pii, quam docti, ſibi ante Viaticum dari Extremam Unctionem poſtularunt, & obtinuerunt. Fervor ſingularis, quem ſalvo honore tantorum virorum imitandum non ſuadeo, cum jam ſit alia noſtris temporibus diſpoſitio, quam invertere non facile licet. EXEMPLUM SINGULARE.

DE SACRAMENTO ORDINIS

TITULUS IX.

Cum Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri: dubitare nemo debet, Ordinem eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis. Inquit enim Apoſtolus: Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis. Unde *ſi quis dixerit, Ordinem, ſive Sacram Ordinationem, non eſſe vere, & proprie Sacramentum, a Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis; aut eſſe tantum Ritum quemdam eligendi Miniſtros verbi Dei, & Sacramentorum, anathema ſit.* Præciſum inſtitutionis tempus eſt incertum. Veriſimile tamen eſt, ante Pœnitentiam inſtitutum fuiſſe Ordinem, quia Pœnitentia ſupponit Miniſtrum, Mini-

Seſſ. XXIII 1563. c. 3. *de Sacr. Ordin.*

I. Timoth. I. 6.

can. 3.

TEMPUS INSTITUTIONIS.

Miniſter ſit per Ordinem. Exiſtentia igitur hujus Sacramenti, aut eſſentia contra Lutherum, Illyricum, & Marcum Antonium de Dominis, Scripturæ teſtimonio, Apoſtolica traditione, & unanimi Patrum conſenſu perſpicua ſatis videtur Synodo Tridentinæ. Mirum, quod ipſe Calvinus Ordinationem, tamquam Novæ Legis Sacramentum, cum Euchariſtia, & Baptiſmo admiſerit. Conſule Binghamum ſano ſenſu.

l. 2. pag. 142. l. 4. pag. 118. MATERIA.

Materiam, & Formam hujus Sacramenti aſſignat Eugenius IV. in noto Decreto pro Armenis per hæc verba: *cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo: ſicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus vero per Libri Evangeliorum dationem; Subdiaconatus vero per calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem: & ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem.* Alii addunt Libri Epiſtolarum traditionem pro materia Subdiaconatus.

FORMA.

Forma juxta mentem Eugenii IV. oratio eſt, per quam confertur poteſtas proportionata Ordinis. Sed ex eo, quod Eccleſiæ Græcæ adhuc ignota ſit ſimilis inſtrumentorum traditio, ex eo, quod in Eccleſia Latina non eadem ſemper adhibita fuerit materia, & forma, concluditur indubitanter, quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ libertatem reliquerit aliquando diſponendi, ubi ipſemet aperte non diſpoſuit circa ea omnia, quæ legitimum Sacramentorum uſum concomitantur, dummodo Sacramentorum eſſentiæ non repugnent.

ALII SACERDOTES, ALII NON.

Seſſ. XXIII. 1563. c. 4. de Sacram. Ordinis.

Cantic. VI. 9.

I. Corinth. XII. 28.

can. 6.

Non tamen omnes Chriſtiani ſunt Sacerdotes, ſed ii ſoli, quos ſolus Epiſcopus Catholicus rite ordinaverit. *Quod ſi quis omnes Chriſtianos promiſcue Novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, aut omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Eccleſiaſticam Hierarchiam, quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata, confundere: perinde ac ſi contra B. Pauli doctrinam omnes Apoſtoli, omnes Prophetæ, omnes Evangeliſtæ, omnes Paſtores, omnes ſint Doctores.* Unde *ſi quis dixerit, in Eccleſia Catholica, non eſſe Hierarchiam divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.*

EPISCOPI

Proinde Sacroſancta Synodus declarat, præter ceteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipue pertinere; & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, a Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei, eoſque Presbyteris Superiores eſſe; ac Sacramentum Confirmationis conferre, Miniſtros Eccleſiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipſos poſſe: quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent.

can. 7.

Unde *ſi quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores,*

vel

Digitized by Google

vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis eſſe cum Presbyteris communem; vel Ordines ab ipſis collatos ſine populi, vel poteſtatis ſecularis conſenſu, aut vocatione, irritos eſſe; aut eos, qui nec ab Eccleſiaſtica, vel Canonica poteſtate rite ordinati, nec miſſi ſunt, ſed aliunde veniunt, legitimos eſſe verbi, & Sacramentorum Miniſtros, anathema ſit. Atque adeo Scriptura, & Traditione verum eſt, ſolum Epiſcopum jure divino ordinarium eſſe Ordinis Miniſtrum, ut Collatio ab Epiſcopo Hæretico, Schiſmatico, Excommunicato, Suſpenſo, Degradatoque ſacta, (dummodo & ille ab initio legitime ordinatus fuerit) illicita quidem ſit, non autem nulla, ita ut iterari debeat; licet ordinatus ab exercitio ſui Ordinis ita ſuſpenſus maneat, ut non videatur cum eo quoad exercitium ſui Ordinis unquam diſpenſandum eſſe, niſi legitimam ignorantiam docuerit. Hinc ſi Epiſcopi Angli hodie ad noſtram communionem cum ſuis Presbyteris redirent, dubium, an reordinandi forent? quia conſecrati a Succeſſoribus Antiſtitum Catholicorum rite jam ordinatorum, qui poſt ſchiſma Henrici VIII. defecerunt. Si vero conſideremus, quod hi in ſua Ordinatione non intendant, quod facit Eccleſia Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica Romana: ſed quod facit ſua Eccleſia Anglicana, quæ in noſtra communione non eſt; ſaltem ex defectu legitimæ intentionis nulla videtur eorum eſſe Ordinatio. Intentio autem faciendi, quod facit Eccleſia Catholica, in qua ſoli per miſericordiam Omnipotentis Dei enutriti ſumus, neceſſaria eſt in adminiſtrando Sacramento Ordinis.

COLLATIO ORDINIS FACTA AB HÆRETICO AN TENEAT?

DUBIUM NOVUM.

QUARE SINT NULLÆ ORDINATIONES ANGLICANÆ?

Verum neque a quocunque Catholico Epiſcopo licite ordinamur. Cum enim ſingulorum Epiſcoporum juriſdictio vix non ab ipſis Eccleſiæ incunabulis fuerit certis finibus ſepta, & clauſa, extra ſuos fines nemini unquam licitum fuit, alterius limites infringere, aut violare: quemadmodum poſt infinitos Conciliorum Canones, Patres Tridentini unanimiter decreverunt: *Unuſquiſque autem a proprio Epiſcopo ordinetur... Si ſecus fiat, ordinans a collatione Ordinum per annum: & ordinatus a ſuſceptorum Ordinum exequutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus.* Inveſtigandum venit, quiſnam ſit proprius Ordinarius? Eum eſſe, cui vel ratione Originis, vel ratione Domicilii, vel magis ratione Beneficii ſubjicimur, hodie extra controverſiam cadit. Olim Laicis liberum fuit Sacram Ordinationem a quocunque Catholico Epiſcopo recipere: quia Canones per integros annos mille vetant Clericis tantum, non Laicis, ne præſumant ab alieno Epiſcopo ordinari, inconſulto

QUARE NON LICEAT ORDINARI A QUOCUNQUE CATHOLICO EPISCOPO?

Seſſ.XXIII. 1563. c. 8. de Reformat.

QUIS SIT PROPRIUS EPISCOPUS?

Thomaſſinus p. 2. l. 1. c. 1. & ſeqq.

VETUS DISCIPLINA.

Gg ſulto

ſulto proprio. Ratio fuit ſæpius repetita, quod nulli ordinarentur, qui non illico certæ incardinarentur Eccleſiæ, unde nequibant amplius diſcedere. Optio autem Laicis fuit petendi Ordinationem ſuam, adeoque Eccleſiam eligendi, in qua perpetuo ſervire intendebant. Ab anno milleſimo uſque ad tempora Bonifacii VIII., qui an. 1295. Pontificatum ingreſſus eſt, invenitur proprius Epiſcopus eſſe vel Originis, vel Beneficii. Teſtis Clemens IV. poſt annum 1265. Bonifacius VIII. addit Domicilium, in quo loco ſcilicet quis animo permanendi habitat. Sic ego jam pridem Tonſura, & Minoribus initiatus, Subdiaconus quoque factus ſum Tridenti anno 1727., ubi præter antiquam Gentis meæ originem ex eodem Principatu ductam, jam tum Canonicus eram: Diaconus, & Presbyter factus ſum Viennæ anno 1730., in qua Civitate natus ſum, dimiſſus pariter Jaurino, in qua Cathedrali Eccleſia Canonicatum, & annexam Præpoſituram S. Adalberti ex nova Eminentiſſimi Cardinalis Sinzendorffii tunc Epiſcopi Jaurinenſis liberalitate recens obtinueram. Ergo hodie unuſquiſque a proprio Epiſcopo ordinari debet, ſive ille ſit Originis, ſive Beneficii, ſive Domicilii. *Quod ſi quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujuſvis generalis, aut ſpecialis reſcripti, vel privilegii prætextu, etiam ſtatutis temporibus permittatur; niſi ejus probitas, ac mores Ordinarii ſui teſtimonio commendentur.* Antiquitus pariter concedebantur Dimiſſoriæ, non ad effectum Ordinationis tantum, quemadmodum hodie plerumque conceduntur: ſed quod his literis Clerici a proprio Epiſcopo quaſi manumitterentur, & alieno penitus manciparentur, ut a propria ſoluti Eccleſia, alienæ incorporari, & incardinari pro ſuis continuis ſervitiis rite valeant. Alienum quippe Clericum, niſi concedente ejus Epiſcopo, nemo audebat vel retinere, vel promovere in Eccleſia ſibi credita. Quod apparet ex Synodo Sardicenſi an. 347., Carthaginenſi an. 397., Arauſicana an. 441. Neque enim mentionem hic facimus de eo Dimiſſoriarum genere, quas impertimur illis Clericis, quos propter delicta, & ſcandala a propria Diœceſi dimittimus vel ad tempus, vel in perpetuum, donec poſt ſeriam emendationem redeuntes, rurſus in populo virtutibus, & exemplo novo proficere valeant. Dimiſſorias concedit proprius Epiſcopus, dummodo ſit confirmatus, etiamſi nondum ſit conſecratus, quia iſte actus juriſdictionis eſt, non Ordinis. Ideo Archiepiſcopo competit etiam ante Pallii ſuſceptionem. Competit Vicario Generali, habita ſpeciali deſuper ab Epiſcopo facultate, aut Epiſcopo in remotis agente, vel forte, ubi non facilis ad Epiſcopum acceſſus eſſet. Competit Capitulo

ultra

c. 1. & 3. de Temp. Ordin. in 6.

ORDINATIO AUTORIS.

ſupra c. 8.

DIMISSORIÆ.

can. 18. & 19. can. 21. can. 8.

DIMISSORIÆ PROPTER DELICTUM.

A QUO CONCEDANTUR DIMISSORIÆ?

c. 3. de Temp. Ord. in 6.

Digitized by Google

ultra annum vacanti, aut infra annum, ſed cum arctatis tantum, vel forte, ubi magna ſit penuria Sacerdotum Parochorum, cui malo Sacra Synodus ſemper occurrere deſideravit. Competit Summo Pontifici, qui quemlibet ex quacunque Diœceſi vel ipſe ordinare, vel ad quemcunque Ordinarium dimittere poteſt. Verum talis dimiſſus non debet facile ordinari, niſi de vita, & moribus teſtimoniales literas ferat ab Epiſcopo proprio, vel a Summo Pontifice, qui declaret, dimiſſum hunc ſibi ſat notum eſſe: neque novo teſtimonio opus erit, quo non datur majus. Hinc Dimiſſoriæ, quæ naturam gratiæ induunt, expirata concedentis juriſdictione non expirant: & quia Sedes ipſa non moritur, gratia perpetuo durabit, niſi a Succeſſore fuerit revocata. Inſuper *Epiſcopi per ſemetipſos Ordines conferant*, quantum fieri poteſt; *quod ſi ægritudine fuerint impediti, ſubditos ſuos non aliter, quam jam probatos, & examinatos ad alium Epiſcopum ordinandos dimittant*. Epiſcopus ordinator habitis Dimiſſoriis non tenetur amplius dimiſſum novo ſubjicere examini. Poteſt tamen. Quod nos quidem conſultum magis in Domino judicamus.

Sess. VII. 1547. c. 10. *de Reformat.*

c. 5. *de Reſcript.* in 6. Seſſ. XXIII. 1563. c. 3. *de Reformat.*

Quomodo dimittendi subditi?

Qualia vero ſpecialia pro ſingulis Ordinibus requiſita flagitet Sacroſancta Synodus, ſufficientiſſime illa *Lib. I. Tit. II. de Clericis* expoſuimus: neque aliud repetimus magis ad Epiſcopum, niſi quod *manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis*. Quid eſt autem cito manus imponere, niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam Diſciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Quod attinet ad Titulum Ordinationis, ſcimus, quia ordinabatur olim nemo, ne quidem e minoribus Clericis, niſi ad alicujus Eccleſiæ, vel Altaris Titulum, qui deinceps erat ei beneficii loco, & cujus miniſterio ſimiliter ipſe deinceps alligabatur. Irrita erat, quæcunque ſine tali titulo Ordinatio fieret. Sic ordinatus manebat ſuſpenſus, qui etiam irregularis evaſit, dum ſe functionibus ſacris immiſcuiſſet. Hæc adhuc Seculo Decimo viguit Diſciplina: niſi quod aliquando invitis imponerentur manus, qui propter eandem illatam vim non poterant certæ Eccleſiæ addici. Ideo Auguſtinus non eſt auſus ordinare Pinianum renitentem, quem Hipponenſem Presbyterum petierant. Hieronymus, & Paulinianus Frater ea lege, hic ab Epiphanio Conſtantienſi, ille a Paulino Antiocheno ordinati ſunt, ut Conſtantienſi, vel Antiochenæ Eccleſiæ obligari non poſſint. *Ea conditione*, ſcribit alter Paulinus, *in Barcinonenſi Eccleſia conſecrari adductus ſum, ut ipſi Eccleſiæ non alligarer in Sacerdotium Domini, non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus*. Fuerunt aliquando Clerici,

Merita ad Ordines.

I. Timoth. V. 22.

Vetus Ordinationis Titulus.

Aliquando invitis impositæ manus.

Epiſt. ad Sever.

Digitized by Google

qui amiſſa patria, unde ab hoſtibus ejecti ſunt, in aliam Eccleſiam neceſſario tranſierunt. De his Synodus Chalcedonenſis an. 451. Synodus Lateranenſis an. 1176. ſub Alexandro III. meminit Clericos ſine titulo antiquo ordinatos fuiſſe, vel novo titulo patrimonii, vel titulo menſæ, quatenus Epiſcopus, aut Diæceſis, neceſſaria ad decentem ſuſtentationem tali Clerico ſubminiſtrare tenebatur. Moderna Diſciplina ex mente Concilii Tridentini eadem eſt ſub his legibus: *Ne quis deinceps Clericus ſecularis, quamvis alias ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, niſi prius legitime conſtet, eum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere... Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eo quoque prius perſpecto, patrimonium illud, vel penſionem vere ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint, atque deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, aut remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens adepti ſint; vel aliunde habeant, unde vivere poſſint.* Non decet Clericos turpis egeſtas.

RECENS DISCIPLINA. Seſſ. XXI. 1562. *c.* 2. *de Reformat.*

Locus Ordinationis ſolet eſſe proprius, hoc eſt in propria Diæceſi, non in aliena, niſi accedat licentia illius Ordinarii: ſacer, quantum fieri poteſt: publicus, hoc eſt juxta Synodum Tridentinam *in Cathedrali Eccleſia, vocatis, præſentibuſque ad id Eccleſiæ Canonicis... Si autem in alio Diæceſis loco Ordinationes Sacrorum Ordinum celebrentur, præſente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Eccleſia ſemper adeatur.*

LOCUS ORDINATIONIS. Seſſ. XXIII. 1563. *c.* 8. *de Reformat.*

Tempus Ordinationis non idem ſemper fuit. Apoſtoli, & eorum primi Succeſſores quotidie, & ubique pro locorum neceſſitate ordinabant. Paulo poſt ſolus menſis Decembris uſque ad Simplicium P. Romæ ſtatus fuiſſe Anaſtaſio Bibliothecario videtur. Serius quatuor Jejuniorum temporibus, Sabbato ante Paſſionem, Sabbato Sancto fiebant Ordinationes, & fiunt modo. Græci certum diem non habent, ſicut Latini habent: apud quos ſtatuta a Jure tempora, quibus Ordinationes fieri oportet juxta Synodum Tridentinam loco citato, hæc eadem ſunt. Pœna ſuſpenſionis ab Ordine extra legale tempus ſuſcepto, & irregularitatis poſita eſt, ſi quis præſumpſerit Ordinis non rite ſuſcepti gradum exercere. Per legitimam diſpenſationem fiunt Ordinationes extra tempora deſignata, etiam non ſervatis interſtitiis ſolitis, quæ alias juxta antiquiſſimum uſum hodie pariter ſervari debent: & in quibus ſine cauſa legitima, ad experiendam diuturniori via vocem clamantis, non facile diſpenſandum venit.

TEMPUS ORDINATIONIS. *Vitæ* RR. PP.

EXTRA TEMPORA, ET INTERSTITIA. *ſupra c.* 12. 13. 14.

Ex

Digitized by Google

Ex hucuſque traditis rationibus patet mulierem non eſſe ſubjectum Ordinationis capax, quam alibi oſtendimus excludi jure divino. Subjectum capax unice eſt vivens Mas, & Baptizatus. Qui non conſenſit ſuæ Ordinationi, ſive cui fuerit illata vis, cum ſemper invitum ſe ſe præbuerit, olim nulli addictus Eccleſiæ manſit: hodie caſtitatis voto obſtrictus non maneret, quæ de jure divino in Clericis majoribus non obſervatur, ſed de jure Eccleſiaſtico, & de conſuetudine antiquiſſima. Sed reordinari nunquam debet, ſi Ordo fuit valide collatus. Ut autem licite quis ad Ordinem promoveatur, omnia ea ſunt obſervanda, quæ fuſe & in hoc Titulo, & in aliis ad normam Concilii Tridentini præſcripſimus. Quamobrem de ſingulis Ordinationibus plura ſuperaddere excuſamur, de Irregularibus ſermonem alio indice habituri.

SUBJECTUM ORDINATIONIS.

ORDINATIONIS COACTÆ EFFECTUS.

Quod nunquam omittimus, eſt Epiſcopatui, qui complementum, & apex Sacerdotii nuncupatur, neceſſario præmittendum eſſe Presbyteratum: quia Epiſcopus eſſe nequit, qui non fuit Sacerdos. Interdum contigit, quod ex juſta cauſa Sedes Apoſtolica diſpenſaverit, ut poſſit electus Epiſcopus ſuam Conſecrationem ſuſpendere, aut differre ad plures annos. Quoad validitatem gradus, potuit ordinari Sacerdos, qui nunquam fuit Diaconus: aut Subdiaconus, qui nondum fuit lector. Licet tamen minime; atque multis abhinc Seculis ſevere prohibitum manet, Ordines ſuperiores ei conferre, qui inferioribus nondum fuerit inſignitus. Cum his per ſaltum promotis, qui non miniſtraverunt, Epiſcopus poteſt ex legitima cauſa diſpenſare: eaque non ſolum intelligenda ſunt de promotis per ſaltum, aliquo Sacro Ordine omiſſo: imo vero etiam de promotis ad majores Ordines, omiſſis Minoribus, ſive omnibus, ſive uno tantum; & etiam omiſſa prima Tonſura, quæ ſola diſpoſitio ad Ordines eſt. Debet ordinatus per ſaltum ſuſpendi: debet intermiſſum Ordinem poſtliminia ordinatione ſuſcipere: & tandem ad honorem gradus reſtituitur, quin reordinetur, quantum ex Reſcriptis Alexandri II., & Innocentii III. colligi poteſt: vel etiam ex ipſa Synodo Tridentina. Nam *ſi quis dixerit, per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopos dicere: Accipe Spiritum Sanctum: aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui Sacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.*

EPISCOPUS ESSE NEQUIT, QUI NON FUIT SACERDOS.

DE PROMOTIS PER SALTUM.

Seſſ. XXIII. 1563. *c. 14. de Reformat.* Congr. Concil. *an.* 1588.

Diſt. LII. c. 1. *c. un. de Cler. per ſaltum promoto.*

ſupra can. 4.

DE

DE MATRIMONII SACRAMENTO

TITULUS X.

DUPLEX RATIO. — DEFINITIO. — *c.* 11. *de Præſumpt.* — Inſtit. Juſtinian. *de Patr. Poteſt.* §. 1. — Seſſ. XXIV 1563. *de Sacram. Matr.* — *Gen.* II. 23. — Matth. XIX. 5. — Matth. XIX. 6. — CHRISTUS INSTITUTOR.

OMiſſis Hæreticorum erroribus vel antiquis, vel novis, apud nos Matrimonium ſub duplici ratione conſiderari ſolet, aut Sacramenti, aut Contractus. Nos ideo hoc Titulo de Matrimonio, prout Sacramentum eſt, agimus, ſequenti, prout contractus eſt, agemus. Matrimonium legitimum, quod apud Judæos, & Gentes *eſt viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens* : apud Chriſtianos Sacramentum factum eſt Novæ Legis. *Matrimonii perpetuum, indiſſolubilemque nexum primus humani generis Parens divini Spiritus inſtinctu pronunciavit, cum dixit : Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari, & conjungi Chriſtus Dominus apertius docuit, cum poſtrema illa verba, tamquam a Deo prolata referens dixit : Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro; ſtatimque ejuſdem nexus firmitatem, ab Adamo tantum ante pronunciatam, his verbis confirmavit : Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, & indiſſolubilem unitatem confirmaret, conjugeſque ſanctificaret, ipſe Chriſtus Venerabilium Sacramentorum inſtitutor, atque perfector ſua nobis Paſſione promeruit. Quod Paulus Apoſtolus innuit dicens; Viri diligite Uxores veſtras, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea; mox ſubjungens : Sacramentum hoc magnum eſt; Ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ Traditio ſemper docuerunt.*

can. 1. — *l.* 22. *pag.* 265.

Unde *ſi quis dixerit, Matrimonium non eſſe vere, & proprie unum ex ſeptem Legis Evangelicæ Sacramentis, a Chriſto Domino inſtitutum, ſed ab hominibus inventum in Eccleſia, neque gratiam conferre, anathema ſit.* Concordat Concilium Conſtantienſe an. 1414., & Florentinum an. 1439., quæ annumerant Matrimonium inter ſeptem Sacramenta; damnata imprimis uxorum communione, quam tradiderunt ab initio Simon Magus, Saturninus, & Nicolaitæ. Conſule Binghamum, quidquid in hac parte nobiſcum non ſentiat.

MATERIA, ET FORMA.

Videtur omnino in Matrimonii Sacramento, inſtar materiæ eſſe mu-

tuum

tuum conjungendorum conſenſum ; inſtar Formæ verba Parochi : Ego vos in Matrimonium conjungo In Nomine Patris, & Filii , & Spiritus Sancti Amen ; Miniſtrum vero agere cum duobus , vel tribus teſtibus proprium Parochum, vel ejus legitimum Subſtitutum, aut Delegatum. Quoad eſſentiam Sacramenti , (ſaltem donec clandeſtina Matrimonia non fuerint nulla, & irrita : & ubi adhuc ex defectu Concilii Tridentini nondum publicati, hæc clandeſtina Matrimonia pro veris, legitimis, atque indubitatis haberentur, ſeu pro minori malo tolerarentur) videtur ſub diverſa conſideratione, ipſos contrahentes, Materiæ, Formæ, & Miniſtri partes abſolviſſe, atque abſolvere : Materiæ quidem in natura civilis contractus ; Formæ in verbis, ſive æquivalentibus ſignis, per quæ contractus peragitur ; Miniſtri in ratione perſonarum rite contrahentium. Et hanc doctrinam cur non ad noſtra tempora ampliare poſſumus, ſi dicamus Parochum, & Adſtantes eſſe meros teſtes , ſine quibus nullus quidem contractus eſt, ubi contrahentes ad contrahendum inhabiles conſtituti ſunt : cum quibus tamen Parocho, & teſtibus rite contrahentes, modo dicto, Materiæ, Formæ, & Miniſtri partes adimplerent ?

MINISTER.

CONTRAHENTES OMNIA PRÆSTANT.

Locus contrahendi Matrimonii de jure Eccleſia Parochialis eſt. Si diſpenſetur, quilibet profanus aptus erit locus. *Ab Adventu D. N. J. C. uſque in diem Epiphaniæ, & a Feria Quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive, antiquas ſolemnium Nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus obſervari, Sancta Synodus præcipit : in aliis vero temporibus Nuptias ſolemniter celebrari permittit : quas Epiſcopi, ut ea, qua decet, modeſtia, & honeſtate fiant, curabunt. Sancta enim res eſt Matrimonium, & ſancte tractandum.* Antiquus Canon LII. in Synodo Laodicena an. 367. prohibet Nuptiarum æque, ac Natalitiorum celebrationem in Quadrageſima, propter tempus pœnitentiæ ſine ſeculari ſtrepitu tranſigendam. Concordat Nicolaus I. ad Conſulta Bulgarorum circa annum 860. Moderna Praxis conformis eſt Synodo Salegunſtadienſi anno 1022., præterquamquod hodie ſublatum ſit vetitum tempus, ideſt dies quatuordecim ante Feſtum S. Joannis Baptiſtæ, & omnium ſolemnium dierum vigiliæ. Quocunque tempore Matrimonium poteſt contrahi coram Parocho : ſed Nuptiarum ſolemnitates, convivia, traductio ad Domum, & ſimilia certis his citatis temporibus prohibentur : ideſt ſolemnitates ſolæ vetito tempore prohibentur, non Contractus Legitimus. De ſubjecto, de Ritibus, & quæcunque deeſſe videntur, de his plura novo ordine dabimus.

LOCUS, ET TEMPUS. Seſſ. XXIV. 1563. c. 10. *de Reformat. Matrimonii.*

DE

Digitized by Google

DE MATRIMONII CONTRACTU

TITULUS XI.

DE Matrimonio, prouti Civilis Contractus eſt, non agimus, niſi quatenus hic Contractus a Sacramento cauſam habet, ſive Sacramentum concomitatur. Proinde poſitos Canonicarum Inſtitutionum fines non excedimus, quæſtioneſque pure civiles inſalutatas mittimus. Probamus Imperatoris citatam definitionem, quod Nuptiæ, ſive Matrimonium ſint, *Viri, & Mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem retinens*. Diſtinguimus tamen inter Matrimonium ratum, quod ſolo conſenſu inter Fideles in Eccleſia fit, & inter Matrimonium conſummatum, quod carnali accedente copula perficitur. Explicat Van Eſpen: *Quamvis Matrimonium ratum etiam ante conſummationem ſit verum Matrimonium, nihilque ipſi deſit ad rationem Matrimonii; nihilominus per conſummationem accipit quandam perfectionem, quantum ad ſignificationem, redditurque vinculum Matrimonii magis indiſſolubile*. Inſigne Matrimonii rati exemplum in Sancto Joſeph, & Maria Virgine exiſtit, tamquam firmum teſtimonium, quod ſolum ratum ſubſiſtere poſſit: quos imitati ſunt poſt annum milleſimum Sanctiſſimi Conjuges Henricus Imp., & Cunegunda, cuſtodito mentis affectu, non commixto corporis ſexu.

MATRIMONIUM RATUM, AUT CONSUMMATUM.

Jur. Eccleſiaſt. p. 2. t. 12. c. 4. n. 4.

SOLUM RATUM SUBSISTERE POTEST.

Quia vero *Nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit*: ideo *Matrimonium in veritate contrahitur per legitimum Viri, & Mulieris conſenſum*. Unde ſufficit ad Matrimonium *ſolus conſenſus illorum, de quorum, quarumque conjunctionibus agitur*. Sequitur, quod *neceſſaria ſunt, quantum ad Eccleſiam, verba conſenſum exprimentia de præſenti*: aut ſigna tam clara, & manifeſta, quæ conſenſum mutuum proferant; & ſignis valeat declarari illud, quod verbis declarari nequiverat. *Nam ſurdi, & muti poſſunt contrahere Matrimonium per conſenſum mutuum ſine verbis: & pueri ante annos legitimos per verba ſola non contrahunt, cum intelligantur minime conſentire*. Paucis: quibuſcunque modis conſtet de vero, & legitimo conſenſu, qui ad quemlibet contractum requiritur, Matrimonium erit legitimum. Ergo ad inſtar reliquorum contractuum, qui conſenſu ineuntur, Matrimonia inter abſentes perficiuntur per Literas, ſive per Procuratorem. Et hic modus inter magnos Principes, & Potentes frequens eſt. Cavet nihilominus Bonifacius VIII., quia *Procurator non aliter cenſetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam ſi ad hoc, mandatum habuerit ſpe-*

l. 30. D. de Reg. Jur.

c. 25. de Sponſal. & Matrim.

c. 23. eod.

MUTUUS CONSENSUS.

c. 25. eod.

INTER ABSENTES QUOMODO PERFICIATUR MATRIMONIUM?

c. fin. de Procurat. in 6.

Digitized by Google

ſpeciale. Et quamvis alias is, qui conſtituitur ad negotia Procurator, alium dare poſſit: in hoc tamen caſu propter magnum, quod ex facto tam arduo poſſet periculum imminere, non poterit deputare alium, niſi hoc eidem ſpecialiter ſit commiſſum: quia nempe mandatum fuit ſpeciale, perſonam mandatarii non excedens. Sequitur laudatus Pontifex, & novum dubium ſolvit: *Sane ſi Procurator, antequam contraxerit, a Domino fuerit revocatus, contractum poſtmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipſe, quam ea, quacum contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtit, cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequivit.*

Quid agat Procurator? An substituere valeat? An Procurator poſſit revocari?

Sed quoniam Matrimonia libertate pleniſſima fruuntur, conſenſus debet eſſe totus liber, & nullo modo coactus. Alias Matrimonium nullum eſt, quemadmodum nullum foret Matrimonium, quod metu iniretur. Metus tamen coactæ partis debuit eſſe gravis, cadens in conſtantem virum, per ſe, ac directe incuſſus pro extorquendo conſenſu ad Matrimonium, atque injuſte illatus. In quo etiam prudens judicis arbitrium requiritur. Metus quidem reverentialis erga Principem, aut erga Parentes per ſe non ſufficit ad vitiandum conſenſum, quia talis metus nondum reputatur pro gravi: niſi tantæ accedant circumſtantiæ, ex quibus metus gravis reſultet, cadens in conſtantem virum, per ſe, ac directe incuſſus, atque injuſte illatus. Injuſte illatus non eſt ille metus, qui movet quidem ad conſenſum, ſed liberat grandi malo conſentientem. Puta; ſi conſenſeris in Matrimonium, liberaris pœna, quam ſubire debuiſſes ex alio delicto: niſi conſenſeris, amittis amplam dignitatem, vel pinguem hæreditatem. Talis metus non eſt injuſte illatus, unde magnum commodum tibi paras, aut ingens damnum evitas. Talis metus reſolvitur in conditionem certam. De facto ſolent contractibus, qui conſenſu perficiuntur, adjungi conditiones. Poſſunt adjungi Matrimonio: quibus purificatis tam reliqui contractus, quam ipſum Matrimonium abſque novo contrahentium ſingulari conſenſu ſuum complementum accipiunt. *Cum enim ſemel conditio extitit, perinde habetur, ac ſi illo tempore, quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* In Matrimonio conditionato hæc Gregorii IX. obſervatio eſt. *Si conditiones contra ſubſtantiam Conjugii inſerantur, puta, ſi alter dicat alteri: Contraho tecum, ſi generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorem, aut ſi pro quæſtu adulterandam te tradas: Matrimonialis contractus, quantumcunque ſit favorabilis, caret effectu.* Reliquæ conditiones turpes, & impoſſi-

Conſensus liber.

Quæ conditiones poſſint addi Matrimonio?

l. 11. D. qui potiores in pignore.

c. fin. de Condition.

Digitized by Google

poſſibiles, ſed Matrimonii ſubſtantiæ non adverſantes, ſavore Matrimonii pro non adjectis habentur, puta, ſi alter alteri dicat: ſi ſcortum geſſeris, ſi volaveris. Neutrum enim fieri poteſt. In quibus prudens Judicis arbitrium ſupplet.

Inſtit. de Nuptiis.

Nunc venio ad Filiosfamilias, quos Juſtinianus vult omnino conſenſum habere Parentum, quorum in poteſtate ſunt. *Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio ſuadet, in tantum ut juſſus Parentum præcedere debeat.* Sed quo ad validitatem Matrimonii nullus alius conſenſus requiritur præter conſenſum contrahentium, neque Parentum, neque Principis ſupremi, quamvis utraque poteſtas ſumma reverentia ſit digna. Imo Sacroſancta Synodus anathemate damnat eos, qui falſo affirmant, Matrimonia a Filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta, irrita eſſe, & Parentes ea rata, vel irrita facere poſſe. Nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis deteſtata eſt ſemper, atque prohibuit non ſolum Matrimonia a Filiisfamilias ſine conſenſu Parentum contracta, verum etiam Matrimonia quæcunque clandeſtina: quæ utpote libero contrahentium conſenſu facta, rata & vera fuiſſe Matrimonia dubitandum non eſt, quamdiu Eccleſia non pronunciavit ea irrita eſſe. Vera pariter Matrimonia adhuc eſſe dubitandum non eſt, ubi ex defectu nondum publicatæ Synodi Tridentinæ hæc clandeſtina Matrimonia pro minori malo in Eccleſia tolerantur. Cum enim Synodus decernat contra Matrimonia clandeſtina, quæ nempe ſine Parocho, & Teſtibus celebrantur, apponit certam conditionem: *ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.* Ergo non habet robur ſuum ad irritandum Matrimonium iis in Parochiis ſaltem, in quibus neque publicatum fuit unquam hoc decretum, neque in pacificum uſum deductum, quocunque tandem impedimento aut publicatio ſubſequuta non ſit, aut uſus non introductus. Contra Eccleſiaſticam Diſciplinam irrupiſſe clandeſtina Matrimonia, facilis conjectura eſt. Nam antiqua regula fuit, ut ducentes uxores, & nubentes cum Epiſcopi arbitrio conjungantur: ut Nuptiæ juxta Domini præceptum ſint, non autem ad concupiſcentiam. Teſtis Ignatius Martyr in epiſtola ad Polycarpum. Addit Tertullianus: *Ideo penes nos occultæ quoque conjunctiones, ideſt non prius apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mæchiam, & fornicationem judicari periclitantur.* Confirmant Ambroſius, Nazianzenus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Siricius, & Hormiſdas, ita ut *nullus fidelis, cujuſcunque conditionis ſit, occulte nuptias faciat,*

An Consensus Parentum, vel Principis sit necessarius?

SeſſXXIV.1563. *c. 1. de Reformat.*

Matrimonia Clandestina.

Solemnitates antiquæ Nuptiarum.

de Pudicitia.

ciat, ſed benedictione accepta a Sacerdote publice nubat in Domino. In Capitularibus Regum Francorum legitur: *Prius conveniendus eſt Sacerdos, in* *l. 7. c. 179.* *cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Eccleſia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipſe Sacerdos debet, ſi ejus propinqua ſit, an non: aut alterius uxor, vel ſponſa, vel adultera. Et ſi licita, & honeſta omnia pariter invenerit, tunc per conſilium, & benedictionem Sacerdotis, & conſultu aliorum bonorum hominum eam ſponſare*, & legitime dotare debet. *Aliter legi-* *ibid. c. 363.* *timum non ſit Conjugium, ... niſi Sponſa ſua ſuo tempore Sacerdotaliter cum precibus, & oblationibus a Sacerdote benedicatur.* Juſta cautela. Concordat *Novella* LXXXIX. circa annum 900. Leo ſapiens in Oriente. Paullo poſt hæc piiſſima ſimplicitas facile apud multos in deſuetudinem abiit, Eccleſia neglecta, Sacer- Abusus. dos inconſultus, probi viri horrore vix non habiti ſunt. Cuncta clam fiebant, ut, qui lucem odiſſent, quærerent tenebras. Non abs re horruit ſemper Eccleſia clandeſtinum conjugium; experta nimirum; *quia ſæpe in nuptiis clam factis gravia peccata tam in ſponſis aliorum, quam & in propinquis, ſive adulterinis conjugiis, & quod pejus eſt dicere, conſanguineis accreſcunt, & accumulantur.*

Diſſimulandum non fuit amplius: & poſtquam Concilium Lateranenſe Remedium. anno 1215. ſub Innocentio III. peſſimam hanc luem penitus extirpare nequiviſſet: Patres Tridentini anno 1563. vocem altius extollere, fruſtra prohibere, tandem clamare, jus dicere, ſancire, præcipere ceperunt. Nova ſanctio hæc fuit: *Cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitio-* *loco citato.* *nes illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex eiſdem clandeſtinis conjugiis ortum habent; præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur; Idcirco Sacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo præcipit, ut im-* Solemnitates modernæ. *poſterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus feſtivis, in Eccleſia, inter Miſſarum ſolemnia, publice denuncietur, inter quos Matrimonium ſit contrahendum: quibus denunciationibus factis ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur: ubi Parochus, viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: ego vos in Matrimonium conjungo In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ Ritum. Quod*

Digitized by Google

ſi aliquando fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præcceſſerint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur.

Quid, si Sponsi sint diversæ Parochiæ?

Ad hæc monemus, quodſi Matrimonium contrahatur inter diverſæ Parochiæ homines, debent in ambabus Parochiis denunciationes fieri. Denunciationibus in utraque Parochia peractis, & detecto nullo impedimento, alteruter ex Parochis illos conjungere poteſt. Epiſcopo ſi videatur, ipſe diſpenſabit etiam in hoc caſu, & ex juſta cauſa. Sequitur exhibitum Decretum: *Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia; & duobus, vel tribus Teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit; & hujuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti Decreto irritos facit, & annullat.* Ad hæc monemus, quod Eccleſia non irritat Sacramentum, cum non poſſit facere, ut amplius Sacramentum non ſit, quod fuit ſemel. Sed irritat contractum; imo inhabiles reddit contrahentes ad contrahendum: quemadmodum Jus civile inhabiles reddit ad contrahendum pupillos, minores, mulieres vel ob imbecillitatem ſexus, vel ob imperitiam ætatis, & rerum, ita ut nullus legitimus, & verus contractus exoriri valeat. Atque adeo cum Sacramentum ſoli vero, & legitimo contractui accedat, nullum Sacramentum intercedere poteſt, ubi nullus verus, & legitimus interceſſit contractus.

Damnatur Conjugium clandestinum.

Legitima Ecclesiæ potestas.

Qualis Testium præsentia?

Monemus, quod Parochus, & Teſtes ita præſentes eſſe debeant, ut diſtincte intelligant ſinguli, quid agant: quia *coram Titio aliquod facere juſſus, non videtur præſente eo feciſſe, niſi intelligat.* Teſtes vero, dummodo intellexerint, quid egerint, non facile repelluntur, cum ipſæ mulieres ad hunc actum admittantur. Nec refert, etiamſi Parochus, & Teſtes, inviti, ac reſiſtentes, coactique, atque alium in finem, etiam per dolum vocati fuiſſent, aut quocunque caſu adſint, dummodo intellexerint, quid egerint. Monemus Parochum proprium requiri, idest illum, qui loci Parochus eſt: in quo alterutra pars tempore ineundi Matrimonii inhabitat, cum aliquo tamen permanendi animo. Sed *multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes, &, ut improbi ſunt ingegnii, prima uxore relicta aliam, & plerumque plures illa vivente, diverſis in locis ducunt. Cui morbo cupiens Sancta Synodus occurrere, omnes, ad quos ſpectat, paterne monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facile recipiant. Ma-*

l. 209. D. de Verb. ſignificat.

Quis sit Parochus proprius?

Quid cum vagis agendum? *ſupra c. 7.*

Magiſtratus etiam ſeculares hortatur, ut eos ſevere coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis interſint, niſi prius diligentem inquiſitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Nos præhabita diligenti inquiſitione, præmiſſis legalibus denunciationibus, vagos hos ad juramentum ſuper ſtatu libero, & nullo eis noto impedimento interveniente, adſtringendos ab Ordinario opportune ducimus. Milites non ſunt vagi: ſed illorum Parochus vel eſt Capellanus Caſtrenſis, ubi in uſu eſt, vel Parochus loci, ubi ſtationes, & præſidia aliquamdiu permanentia trahunt. Hi quidem ſine Præfectorum ſuorum licentia contrahere non debent; ſed ſi forte contraxerint coram Parocho proprio, & Teſtibus, valent Matrimonia, ſaltem quoad effectus Sacramenti, niſi valeant quoad omnes, & ſingulos effectus aut civiles, aut militares. Nemini conſulo ſine licentia nubere. AN MILITES DICANTUR VAGI?

Affirmat Van Eſpen, quatenus *Parochi aſſiſtentia ad validitatem Matrimonii a Synodo Tridentina requiſita non eſt proprie actus Juriſdictionis, ſed ſimpliciter actus Paſtoralis, quemadmodum adminiſtratio aliorum Sacramentorum. Unde & validum erit Matrimonium, ſi Parochus aſſiſtat Matrimonio ſui Parochiani in aliena Parochia, etiam renitente, ac reclamante Parocho iſtius Parochiæ; quin & in alieno Epiſcopatu, invito Epiſcopo; uti poſt alios notat Barboſa de Officio Epiſcopi par. 2. alleg. 32. num. 95. Ibidem quoque notans, Parochum quantumvis excommunicatum, ſuſpenſum, aut interdictum poſſe valide Matrimonio aſſiſtere, eo quod maneat verus Parochus, nec aſſiſtendo actum Juriſdictionis exerceat:* ſaltem talem, qui injuriam ferat contrahentibus, aut contractum nullum reddat. p.2.t.12.c.5.n.17. ASSISTENTIA PAROCHI, ACTUS PASTORALIS.

Monemus, quod non videantur per Synodum Tridentinam comprehendi Matrimonia Acatholicorum, ubi Hæreſis impune graſſatur, quæ coram Magiſtratu Politico, aut Miniſtro Acatholico contracta ſunt. Quæ opinio cum quotidianæ noſtrarum partium Praxi innitatur, controverti non debet: neque ſic conjuncti, & ad Catholicam Communionem redeuntes, conſenſum matrimonialem coram Parocho Catholico renovant. Fundamentum eſt, quod, cum non minus in Matrimoniis coram Parocho, & Teſtibus, quam coram Magiſtratu Politico, & Miniſtro Acatholico contractis, finis ille primarius Concilii ad evitandas ſecretas fraudes adimpleretur, debuerit Eccleſia tolerare, pro communi bono, atque animarum ſalute, leviora hæc incommoda, quando majora evitantur. Quæſo enim, quanto difficilior redditur converſio, ſi converſus teneatur ſociam deſerere, quam unice diligit? illegitimam uxorem, illegitimos libe- QUID DE MATRIMONIIS ACATHOLICORUM SIT DICENDUM?

Digitized by Google

liberos ignominiæ, & miſeriæ exponere, quæ renuat ſimul converti? Pertæſus alter infelicis ſuæ conjugis, ſimularet converſionem, ut impune ſecundam gratiorem ſuperinduceret. Quæ tandem ſpes exequendi ſalutaris Decreti ſub Acatholicorum Dominatu? quæ nova invidia in nos, qui tamen in medio illorum vivere ſæpe cogimur? Quomodo in hac neceſſitate tantam fidem non adhibebimus Magiſtratui, & Miniſtro Publico?

ſupra c. 1. de Refor.

BENEDICTIO SACERDOTALIS.

Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut Conjuges ante Benedictionem Sacerdotalem in Templo ſuſcipiendam, in eadem domo non habitent; ſtatuitque Benedictionem a proprio Parocho fieri: neque a quopiam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam, ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, vel privilegio non obſtante. Quod ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive Regularis, ſive Secularis ſit, etiamſi id ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ ſponſos, ſine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit, ipſo Jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debeat, ſeu a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvantur.

LIBER CONJUGATORUM.

PRÆPARATIO CONTRAHENTIUM.

Habeat Paroochus Librum, in quo Conjugum, & Teſtium nomina, diemque, & locum contracti Matrimonii deſcribat, quem diligenter apud ſe cuſtodiat. Poſtremo Sancta Synodus Conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. Siqua Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus conſuetudinibus, & ceremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat. In Hungaria Conjuges novi coram Parocho jurant de mutua fide. Tandem ipſa Sancta Synodus eos damnat, qui Ritus, & Cæremonias in Nuptiis probatas irrident, aut rejiciunt.

can. 12.

DE SPONSALIBUS

TITULUS XII.

DEFINITIO, ET CONSENSUS.

Cauſ. XXX. q. V. c. 3. l. 1. D. de Sponſal.

Varias inter Matrimonialis Contractus ſolemnitates, ordine ſingulari cenſentur Sponſalia, quæ ſunt ex definitione Nicolai I. ad Bulgarorum conſulta, *futurarum Nuptiarum promiſſa*. Deſcendit hæc definitio ex Florentino, juxta quem *ſponſalia ſunt mentio, & repromiſſio Nuptiarum futurarum*. Sequitur Ulpianus: *ſponſalia autem dicta ſunt a ſpondendo;*

Digitized by Google

dendo ; nam moris fuit veteribus ſtipulari, & ſpondere ſibi uxores futuras. *l. 2. cod.*
Redit Florentinus. *Unde & Sponſi, Sponſæque appellatio nata eſt. Sufficit nudus conſenſus ad conſtituenda Sponſalia.* *l. 3. cod.* *Denique conſtat & abſenti abſentem deſpondert poſſe: & hoc quotidie fieri.* *l. 4. cod.* *Hæc ita, ſi ſcientibus his, qui abſint, ſponſalia fiant: aut ſi poſtea ratum habuerint.* *l. 5. cod.* *Sed in ſponſalibus parvi refert per ſe, & coram, an per internuncium, vel per epiſtolam, an per alium hoc factum ſit, & fere plerumque conditiones interpoſitis perſonis expediuntur.* *l. fin. cod.* De Romanorum Sponſalibus conſule Gravinam. Orig. Jur. Civ. *l. 3. §. 42. pag. 82.* Circa abſolutum, vel conditionatum conſenſum ad vera, & legitima ſponſalia ineunda eaſdem regulas tenere oportet, quas circa abſolutum, vel conditionatum conſenſum ad vera, & legitima Matrimonia ineunda, ſuperiori Titulo palam fecimus. Unum adde, quod ſæpe impuberum fiunt ſponſalia, ad quæ vero contrahenda ſufficit ea ætas, in qua contrahentes habeant rationis uſum, & liberi arbitrii. ÆTAS. Hæc ætas juxta Modeſtinum IC. *l. 14. cod.* ſolet eſſe ſeptennium: quam ætatem poſuerunt Alexander III., Innocentius III., & Bonifacius VIII. *c. 4. & 13. de Deſp. Impuber. c. un. eod. in 6.* Porro conſultum eſt Sponſalia publica fieri præſentibus amicis, & propinquioribus. Valent tamen, etiamſi nullo alio ſciente ſoli duo contraxerint: quia Concilium prohibuit Matrimonia clandeſtina, non autem ſecretas Deſponſationes. Imo valet Matrimonium, etiamſi nulla præceſſiſſent Sponſalia; quemadmodum ſtat realis donatio, quam nulla donandi promiſſio præceſſit. Ut præmittantur, omnino decet exemplo Hebræorum, & Gentilium laudando. Olim mutua dona, arrhæ, pignora intercedebant, quæ revocari non poterant, ſaltem ubi Tabulis publicis inſerta fuiſſent. Ritum Sponſaliorum accurate deſcribit Nicolaus I. ad Bulgaros. *Apud Noſtrates Sponſalia, quæ futurarum Nuptiarum ſunt promiſſio, fœdera quæque conſenſu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum poteſtate ſunt, celebrantur. Poſtquam arrhis ſponſam ſibi ſponſus per digitum fidei annulo inſignitum deſponderit; dotemque utriuſque placitam ſponſus ejus ſcripto pactum hoc continente, coram invitatis ab utraque parte tradiderit; aut mox, aut apto tempore (ne videlicet ante tempus lege definitum tale quid facere præſumatur) ambo ad nuptialia fœdera perducuntur. Et primum in Eccleſiam Domini cum oblationibus, quas offerre debent Deo per Sacerdotis manum, ſtatuuntur: ſicque demum benedictionem, & velamen cæleſte ſuſcipiunt. Poſt hæc autem de Eccleſia egreſſi coronas in Capitibus geſtant, quæ ſemper in Eccleſia ipſa ſunt ſolitæ reſervari.*

QUANTA SIT SPONSALIORUM OBLIGATIO?

Ex tali promiſſione ſponſaliorum obligatur unus alteri ad Matrimonium contrahendum. Tamen in foro contentioſo non compellitur, quia coacta Ma-

Matrimonia conſueverunt malos exitus habere. Hæc Doctrina Divi Thomæ eſt. Verum quidem eſt juxta Innocentium III., quod *hi, qui de* c. 2. de Sponſal. & Matrim. *Matrimonio contrahendo pure, & ſine omni conditione fidem dederunt, commonendi ſunt, & modis omnibus inducendi, ut præſtitam fidem obſervent. Si autem ſe ad invicem admittere noluerint, (ne forte deterius inde contingat, ut talem ſcilicet ducat, quam odio habet) videtur, quod ad inſtar eorum, qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.* Verum quidem eſt, quod ad mentem Alexandri III. c. 10. eod. Eccleſiaſticis Cenſuris contra renitentem, ubi ſpes obedientiæ, c. 17. eod. & emendationis affulgeret, procedi poſſet. Sed quoniam libera ſunt Matrimonia, monendi potius, quam cogendi erunt contrahentes, & reſiſtentes, *cum coactiones, difficiles ſoleant exitus frequenter habere*: quemadmodum poſt Lucium III. ſenſit Innocentius III. Supereſt actio mentitæ fidei, quam pars læſa contra mendacem inſtituit coram Eccleſiaſtico, vel etiam Laico Judice, juxta ſingularem locorum conſuetudinem, ad reſarciendum damnum, & intereſſe, imo & ipſas litis expenſas. Mendaces iſti arbitrio Judicis uſque ad carceres puniuntur, qui, cum non ſint in bonis, cogi poſſunt ad præſtandam vix utilem cautionem de præſtandis præſtanda, quandocunque ad meliorem fortunam venerint, aut divites facti fuerint.

Actio mentitæ Fidei.

Diſſolvuntur Sponſalia.

Diſſolvuntur Sponſalia etiam jurata per mortem unius: per remiſſionem: per mutuum diſſenſum: per profeſſionem in Religione approbata; ſive per ſolum ingreſſum, ex parte manentis in Seculo: imo per votum ingrediendæ Religionis, niſi Sponſa fuerit ſpe Matrimonii corrupta: per fornicationem unius, ex parte innocentis: per longam profectionem invita parte remanente: per gravem ſtatus ex alterutra parte ſive proſperam, ſive adverſam mutationem: per ſupervenientem affinitatem inter Sponſos, cognationem ſpiritualem, vel ſimile dirimens impedimentum: denique per Matrimonium ratum unius cum tertia perſona, quia vinculum Matrimonii fortius eſt vinculo Sponſaliorum. Sic ſentiunt Doctores communiter ad priores Titulos Decretalium Libro Quarto.

DE

Digitized by Google

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII
TITULUS XIII.

PRæmiſſis Sponſalibus, & peractis tribus proclamationibus, ſiſtunt ſe contrahentes cum teſtibus proprio Sacerdoti ad ineundum Matrimonium: quod Eccleſia non recuſat, niſi ſit aliquod impedimentum legale, unde nullum, aut illicitum Matrimonium orietur. Sunt autem hæc impedimenta aut dirimentia, quæ ipſo jure nullum reddunt Matrimonium contrahendum non ſolum, ſed etiam contractum: aut impedientia tantum, quæ contrahendum quidem impediunt, ſed contractum non dirimunt. Hinc dirimens impedimentum ſemper facit nullum jam contractum: impediens tantum impedimentum facit illicitum quidem contractum: ſed omnino validum manet Matrimonium. RITUS CONTRAHENDI MATRIMONII. IMPEDIMENTA.

Contra Lutherum, cui placuit nullis humanis legibus, cujuſcunque ſint ſpeciei, & generis, impediri poſſe Matrimonia (unde ea tantum admiſit impedimenta, quæ aut jure naturali, aut divino poſitivo ſtatuta ſunt) definivit Tridentina Synodus: *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe, anathema ſit.* Multo magis potuit Eccleſia conſtituere impedimenta, Matrimonium impedientia tantum: quæ ſuprema poteſtas ſi potuerit viatori decimum lapidem ponere ad metam, potuit utcunque hanc ipſam ad quintum limitare. Fundamentum collocant Patres in Chriſto, qui, cum Eccleſiæ ſuæ Sponſæ noviſſimam credidiſſet oeconomiam, non debuit a neceſſariis ejuſdem Eccleſiæ legibus excipere Matrimonialia fidelium pacta: unde Chriſtianæ Reipublicæ plurimum erga liberos incrementum, aut periculum imminet, niſi juſto ordine cuncta diſponantur. Hoc enim magnum fœdus eſt, quod *Deus Pater ratum habet in Cœlis, ubi a Sacerdotibus conſecratum fuerit in Terris.* Fundamentum collocant Patres in Traditione, quam de Seculo in Seculum perbelle inducit clariſſimus Oratorii Gallicani Presbyter Gaſparus Juenin. Accedit ſolemne Præſcriptionis argumentum, quod nempe ſaltem per quatuor Synodum Tridentinam præcedentia Secula, Eccleſia ſola, nemine contradicente, pacifice conſtituerit impedimenta Matrimonii: a quo termino undequaque ad Eccleſiam frequentiores delatæ ſunt matrimoniales cauſæ; imo ex omnibus orbis Chriſtiani Regionibus ad eandem Eccleſiam confluxerunt non modo plebeii homines, verum etiam Principes viri, ut obtenta juſta ERROR LUTHERI. *can.* 4. POTESTAS ECCLESIÆ. Tertull. *ad Uxor.* Comment. de Sacr. *Diſſ.* X. *q.* 6. *c.* 1.

diſpenſatione, intra quoſdam prohibitos gradus nubere potuiſſent. Nullum ſane impedimentum fere extat, quod apud Martinum Bracarenſem, Burchardum, Ivonem, & Gratianum non indicetur. Varias Siricius P., & Gregorius M. de Nuptiis leges tulerunt, varias antiquiora Concilia. Cum autem nullum poſſit aſſignari tempus, in quo ſibi Eccleſia arrogaſſet hoc Jus, credibile eſt, Eccleſiam ab initio ad hæc uſque tempora potitam eſſe jure optimo conſtituendi impedimenta, quæcunque Matrimonium aut impediant, aut dirimant.

An eadem Principum potestas?

Difficile, & centum ambagibus plenum eſt dubium Juris, & Facti, num ſeculares unquam poteſtates non impedientia ſolum, verum etiam dirimentia Matrimonii impedimenta ſtatuiſſent? quove Jure id feciſſent? Ad quæſtionem Facti affirmativa ſententia tam apud Gentiles, quam apud Chriſtianos extra controverſiam poſita eſt, ſi inſpiciamus infinitas Romanorum, exterarumque Nationum Leges de Ritibus Nuptiarum. Imo quoad illuſtriores Fidei Chriſtianæ Epochas, luculenta præſtabunt nobis teſtimonia ſive Conſtantinus M., ſive Carolus M., incidentiumque, aut ſubſequentium Temporum, & Provinciarum conſuetudines multæ. Ad quæſtionem Juris ſcinditur in contraria vulgus, nec poſſunt convenire quaſi redivivi Sabiniani cum Proculianis, Caſſiani cum Pegaſianis. Creſcit dubium in eo, quod Tridentina Synodus definiverit quidem, ab Eccleſia poſſe conſtitui impedimenta Matrimonium dirimentia; ſed non definivit, idcirco a Magiſtratu Civili quoque vel nequiviſſe, vel nequire eadem conſtitui. Præmitto, quæ Palavicinus poſtea Cardinalis in Hiſtoria Concilii Tridentini opportune refert. Cum ibi a variis Doctoribus quærerentur rationes, quibus haud mutata Sacramenti natura, clandeſtinum Matrimonium poſſe irritum fieri declararetur, ecce Camillus Campegius Dominicanus eam invenit, & propoſuit rationem, quæ pluribus arriſit: non mutari ſcilicet Sacramentum, etiamſi quis efficiat, ut, quod Sacramenti materia eſt, deſinat Sacramenti materia eſſe. Qui autem civilem Matrimonii contractum ſuſtulerit, perſonas ad contrahendum reddens inhabiles, continuo effecturum dixit, ut Matrimonii contractus non poſſit amplius Sacramenti materia ſupereſſe: Non ſecus ac ſi quis efficeret, ut, qui liquor vera eſt aqua, aqua eſſe deſinat, non mutaturum eſſe dixit Sacramenti Baptiſmi materiam, ſed effecturum dumtaxat, ut, quæ nunc aqua ad Baptiſmum ſufficit, ad eundem poſtea non ſufficiat, ubi corrupta, ac deficiente tali aqua alius inde diverſus generatus fuiſſet liquor. Campegio difficultates omnes facile ſolventi cum applauderetur

can. 3. & 4.

Inventum Campegii.

a quam-

a quamplurimis, Antonius Soliſius reclamavit inquiens: non quod vera non eſſet Campegii ſubtilis ſpeculatio; ſed quod eam ad inſtitutum applicari non ſatis conveniret. Quid inde factum eſt? Inventus a Campegio reſcindendi clandeſtini Conjugii modus Tridentinis Patribus omnino placuit, parvi pendentibus, quæ Soliſius contra uſum Campegianæ ſubtilitatis diſſeruerat. Redeo ad propoſitum meum, in quo quamvis ingenio meo non facile credam, nemo tamen diffitetur, quod, cum Sacramentum iſtud præſupponat unice verum, & legitimum contractum, non alia ex cauſa Patres, Eccleſiæ nomine, potuerint irritare clandeſtinum Matrimonium, niſi quia potuerunt irritare præcedentem clandeſtinum Contractum. Nemo pariter diffitetur, quod Principes, & Magiſtratus Contractibus civilibus tales addere, vel demere ſolemnitates ſoliti jure optimo ſemper fuerint, ſine quibus vel additis, vel demptis nullus verus, & legitimus contractus ſtaret: quemadmodum Jus Civile reddit inhabiles ad contrahendum pupillos, minores, & fœminas, vel ob imperitiam ætatis & rerum, vel ob imbeccillitatem ſexus, ut nullus inde verus, & legitimus contractus exoriri unquam poſſit. Si aliquando, cur non modo? Si in reliquis, cur non iſto contractu, qui nondum acceſſit ad Sacramentum? cui quidem Sacramento nulla ideo per Seculares poteſtates irrogari potuit, aut irrogata fuit injuria. ARGUMENTUM A PARI.

Verum enim vero hunc Sermonem applicari ad inſtitutum non tuto convenit. Nemo ex Catholicis ſaltem diffitetur, quod, ſive ex pietate, voluntateque Principum, ſive per eorum non uſum, & tacitam renunciationem, exercitium ponendi impedimenta dirimentia jam ſit penes ſolam Eccleſiam; ideſt, quod jam nullum cenſeatur illegitimum Matrimonium, quod Eccleſia tale non judicat. Credit Gerbaſius, Sorbonicus Doctor, tractans de Poteſtate Eccleſiæ, & Principum ſuper impedimentis Matrimonii, circa Seculum Sextum cepiſſe cauſas matrimoniales privative ad Tribunal Eccleſiæ remitti, præſertim quæ vinculum ex Sacramento reſpicerent. Jam vero ſub Carolovingica ſtirpe altiores egit radices hæc juſta conſuetudo, donec tandem ad modernam Diſciplinam deventum ſit; quæ circa Seculum Duodecimum ſtabilita fuiſſe videtur: nempe ut ipſi Principes nihil amplius circa Matrimonii vinculum ſua auctoritate ſtatuerent, ſed integrum illius poteſtatis jam antiquum uſum permitterent Eccleſiæ; ipſique pro dirimente impedimento ſuſciperent, quod ipſa ut tale declaraſſet, quemadmodum boni Principes ſumma religione fecerunt. Nam quod ab initio dictum fuit, *Ad Sacerdotes enim Deus* ECCLESIA IN USU EST.

Digitized by Google

Diſt. XCVI. *c.* 11. *voluit, quæ Eccleſiæ diſponenda ſunt, pertinere, non ad ſeculi poteſtates, quas, ſi fideles ſunt, Eccleſiæ ſuæ Sacerdotibus voluit eſſe ſubjectas.*

Religio Principum. Obſervat citatus Gaſparus Juenin. Seculares Principes tantum detulerunt Eccleſiaſticis Canonibus, ut eis ſuas Leges poſtpoſuerint. Imperatorum Conſtitutionibus, Viduis nonniſi poſt expletum a morte Sponſi annum nubere licebat: ſed vi Sacrorum Canonum altera ubique Diſciplina obtinuit. Servis non obtento Dominorum conſenſu Matrimonia ſub pœna nullitatis quondam interdicebantur a Principibus: alius tamen poſt decretalium promulgationem a Gregorio IX. factam uſus invaluit. Jus Civile nullam affinitatis collateralis habuit rationem: habuerunt tamen poſtea Principes Chriſtiani, eo quod habuendam eſſe decreviſſet Jus Canonicum. Civili Jure non contrahitur affinitas, niſi ex legitimo viri, & mulieris coitu: ubi tamen oriri etiam ex illegitimo concubitu ſtatutum fuit Canonibus. Principes hujuſmodi mutationi ſubſcripſerunt. Exhibuerunt ſe ſæpius Principes Chriſtiani, tamquam Canonum executores. De reliquis vero propinquis juxta conſtituta Sanctorum Patrum, & juxta decreta Canonum judicetur. Verba ſunt Caroli M. in 6. Capitul. num. 7. Iidem Principes Matrimonia damnarunt, præciſe eo quod contra Canonum prohibitionem inita fuiſſent. Anno 577. Chilpericus Francorum Rex Prætextatum Archiepiſcopum Rothomagenſem ſic in Concilio Pariſiis coacto, narrante Gregorio Turonenſi Hiſt. Lib. 5. cap. 18. allocutus eſt: Quid tibi viſum eſt, o Epiſcope, ut inimicum meum Meroveum, qui filius eſſe debuerat, cum amita ſua, ideſt cum Patris ſui ſorore conjungeres? An ignarus eras, quæ pro hac cauſa Canonum ſtatuta ſanxiſſent? Principes ad Eccleſiaſticum Tribunal confugerunt ad dirimenda contracta illegitima Matrimonia. Carolus M. priorem ſuam Conjugem, filiam Deſiderii Longobardorum Regis, nonniſi poſt latum ab Epiſcopis judicium dimiſit. Lotharius poſt ſuam a Thiedeberga ſeparationem, a Concilio Aquiſgranenſi decretam, alterarum Nuptiarum veniam hiſce verbis petiit: Vos, o Sancti Pontifices, & venerandi Patres, qui eſtis poſiti mediatores inter Deum, & hominem, ... ad vos humiliter proclamo. Nam ipſam fœminam de infandæ, & inceſtuoſæ fornicationis contagio ſponte confeſſam, juxta B. Pauli præceptum a nobis veſtra juſſione ſequeſtravimus.

Fleury *liv.* 34. *n.* 32.

idem liv. 43. *n.* 59.

idem liv. 50. *n.* 6.

Davila Iſtoria di Francia *l.* 7. *pag.* 413.

Henricus hujuſce nominis IV. Francorum Rex dimiſit Margaretham Reginam, cum qua contraxerat, poſt repudii ſententiam, quam latam per Commiſſos in Francia judices Eccleſiaſticos tulerat Clemens VIII.

Prin-

Digitized by Google

Principes Chriſtiani nuſquam contra Canones poſt Decimumquartum Seculum nupſere, quin prius prohibiti Matrimonii, quod ambibant, veniam, & diſpenſationem a Sacerdotali Ordine obtinuiſſent. Ob injuſtam non obtentæ diſpenſationis, aut inconceſſi divortii vindictam, Henricus VIII., repudiata Catherina Auſtriaca, ſuperinductaque Anna Bolena, infandum in Anglia ſchiſma fecit. Tandem Seculo proxime elapſo, ideſt Decimoſexto, Regibus Chriſtianiſſimis ita ratum fuit, ac fixum, poſſe Eccleſiam, ſeu Sacerdotalem Ordinem, Leges condere, quibus quædam Matrimonia irrita fiant, & quoad ſubſtantiam invalida, ut eorum, & Gallorum omnium nomine, ſimilem legem a Patribus Tridentinis, circa clandeſtina Matrimonia promulgari ſolemniter petierint. Hucuſque Juenin.

Porro ſi Jure Eccleſiaſtico poſitivo, ait Van Eſpen, *impedimenta dirimentia conſtitui queant, nihil etiam obſtat, quominus longa conſuetudine, quæ vim legis habet, ſimilia induci poſſint: illudque non obſcure innuit Pontifex in cap. 1. de Cognat. ſpiritual., reſpondens, filios, & filias, ante vel poſt compaternitatem genitos, ſimul poſſe conjungi; niſi conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſcandalum generet, aliter ſe habere noſcatur. Ex quo ulterius conſequitur, quod ſecundum diverſas Eccleſiarum conſuetudines, poſſint quoque eſſe varia impedimenta Matrimonii. Sed tamen, quia non facile inducuntur dirimentia impedimenta ob multa incommoda, quæ ex diſſolutione Matrimonii contracti, vel ex nullitate nata ſunt, etiam impedimenta per conſuetudinem inducta, potius impedientia, quam dirimentia judicanda ſunt: ni manifeſte appareat, eá pro dirimentibus eſſe recepta, & ut talia vulgo haberi.* Ad iſtam dirimentis impedimenti claſſem reducenda foret unice illa ſpecialis conſuetudo, quam Clerus Gallicanus Lutetiæ Pariſiorum anno 1635. ad Comitia Generalia coactus declaravit ex eo, quod anno priori Joannes Baptiſta Gaſto Dux Aurelianenſis, Regis Ludovici XIII. Frater unicus, inſcio, & invito eodem Rege Chriſtianiſſimo, Matrimonium cum Margaretha Lotharinga contraxiſſet. Solennis declaratio hæc fuit: *Galliæ conſuetudine non eſſe conceſſum, ut Regiæ Sobolis Principes, & ii præſertim, qui viciniores ſunt hæredes Coronæ, ſine Regis conſenſu, Nuptias celebrent, multo minus contra voluntatem, & interdictum illius. Has porro Nuptias, ſeu conjugia illegitima eſſe, invalida, & nulla, defectu conditionis, ſine qua memorati Principes valide contrahere non poſſunt Matrimonium. Hanc demum Galliæ conſuetudinem rationi conſentaneam eſſe, veterem, & legitima præſcriptione conſtabilitam, & Eccleſiaſtica authoritate firmatam.* Quidquid ſenſiſſet Eccleſia Romana

p. 2. t. 13. c. 1. n. 21.

CONSUETUDINIS VIS, ET VIRTUS.

DECLARATIO CLERI GALLICANI AN. 1635.

Digitized by Google

mana de hac declaratione quoad validitatem Sacramenti potius, quam quoad effectum Regiæ Succeſſionis: Aurelianenſis Dux acquievit Comitiali ſententiæ; publicoque inſtrumento manifeſtavit continuo: *Conſuetudini huic bona fide ſtandum eſſe credidimus, ut ei ſtamus, & initum inter nos, & Margaretham Principem Lotharingam, Conjugium fuiſſe nullum, & invalidum agnoſcimus: & nos eandem Dominam pro Sponſa, & Uxore noſtra nuſquam habituros declaramus, nec facturos quidquam declarationi huic, quam libenter præbemus, contrarium, religione certa ducti pollicemur.* Quid facto opus? anno ſequenti poſt difficilem ſatis declarationem, inſtaurandæ pacis cauſa, ad ferventiſſimas Ducis preces conſenſit Rex in Matrimonium efflagitatum. Literæ Regii conſenſus datæ ſunt Aureliæ III. Idus Febr. 1637.; quibus recens muniti, denuo copulati ſunt magni conjuges VII. Kal. Jun. 1643., in Caſtro Meudonis, coram Pariſienſi Archiepiſcopo, & ſingularibus Teſtibus rogatis. Accedit nova conſideratio. Verba autem, quæ audito mutuo conſenſu contrahentium, protulit ad non inutilem cautelam Archiepiſcopus, hæc ſunt: *Et Ego conjungo vos, in quantum eſt opus, in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Quis non videt, Archiepiſcopum adjuncta clauſula præexiſtens conjugium neque invalidum, neque nullum omnino feciſſe? alias nec opportunam clauſulam adjeciſſet, nec illuſtres ſponſi tamdiu hanc cæremoniam protraxiſſent. Sane ſi conditio ſimilis vitiaret Sacramentum, non Regii Principes tantum, ſed nulli ſubditi, nulli filiifamilias, nulli ſervi, nulli milites ſine conſenſu aut Principis, aut Parentum, aut Dominorum, aut Præfectorum ſuorum Sacramentum hoc perficere poſſent. Hoc dici non poteſt: illud fieri non debet propter honorem eorum, quibus ſubſunt. Violatores manent non minus graves, quam juſtæ civiles, ac militares pœnæ, ſalvo Conjugii Sacramento: quia *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Unde magnum diſcrimen poſitum eſt inter Matrimonium invalidum quoad valorem Sacramenti, & invalidum quoad effectus civiles.

Marc. X. 9.

DE

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS

TITULUS XIV.

DEſcendimus ad ſingulares impedimentorum claſſes; atque hic de impedimentis impedientibus acturi, in mentem revocamus, impediens tantum impedimentum illud eſſe, quod contrahendum quidem Matrimonium impedit, ſed contractum non dirimit. Hinc fit illicitum, ſed validum omnino manet conjugium, in quo latet impediens tantum impedimentum. In mentem revocamus non ſolam Eccleſiam, verum etiam ſecularem Magiſtratum cum legitima cauſa poſſe ſimilia impedientia impedimenta conſtituere, & declarare pro re nata. Hinc Regii Principes, ſubditi, milites, filiifamilias, ſervi, qui alieno conſenſu indigent, potius impediente, quam dirimente impedimento laborant, ita ut validum quidem in Eccleſia ſit tale conjugium, ſed illicitum, unde Magiſtratus publicam vindictam ſumit. EFFECTUS. AUTOR.

Miſſo, quod olim in Eccleſia frequens fuerit, ut atroci crimine irretiti, atque homines pœnitentes Nuptiis impedirentur, ne vel ipſi delicatiorem vitam viverent, vel ex malis parentibus pejor ſoboles naſceretur: ſupereſt palam facere, quænam hodie communiter habeantur pro impedientibus tantum impedimentis; & continentur tritis verſiculis, quibus breves commentarios ponimus: VETUS SUBLATUM IMPEDIMENTUM. QUÆNAM HODIE SUPERSINT?

Eccleſiæ vetitum; nec non tempus feriatum;
Atque Catechiſmus; ſponſalia; jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

ECCLESIÆ VETITUM; quando Ordinarius, aut ejus Vicarius, aut Conſiſtorium, nomine Eccleſiæ ſuæ, vetat Sponſos, ne ad Matrimonium ratum procedant; & licet cauſæ non adſcribantur, neque innoteſcant, ſubditi quaſi cæco modo obedire tenentur Superioribus ſuis, pro quibus maxima præſumptio ſtat, cum hi vigilent publico bono. INHIBITORIUM PERSONÆ.

TEMPUS FERIATUM illud eſt, quod & tempus clauſum nuncupatur: nempe ab Adventu ad Epiphaniam, & per totam Quadrageſimam uſque ad Dominicam in Albis. Videre eſt, quæ Titulo X. ſupra notavimus. INHIBITORIUM TEMPORIS.

CATECHISMUS (quod impedimentum diu fuit in Eccleſia ignotum) hodie ſibi juſtum vindicat locum inter baptizatos quidem, ſed diverſi Catechiſmi homines. Atque ita Matrimonium initum inter Hæreticam, CATHOLICUS CUM NON CATHOLICA NON DEBET CONTRAHERE.

Digitized by Google

ticam, & Catholicam perſonas communiter Latinis illicitum eſt, propter ſubverſionis periculum, & prolis perverſam educationem antevertendam. Græcis irritum, & invalidum juxta Trullanam Synodum anno 692., in

can. 72. qua ſtatuitur, *non licere virum Orthodoxum cum muliere Hæretica conjungi, neque vero Orthodoxam cum viro Hæretico copulari. Sed & ſi quid ejuſmodi a quopiam factum apparuerit, irritas Nuptias exiſtimari, & nefarium Conjugium diſſolvi. Neque enim ea, quæ non ſunt miſcenda, miſceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet.* In parti-

CONSUETUDO VARIA. bus, in quibus impune graſſatur Hæreſis, hoc impedimentum non viget: & libere copulantur diverſæ Catecheſeos homines, præſtita tamen cautione, quod abſque impedimento ſuæ Religionis, in charitate velint cohabitare. Aliquando partus ſequitur ſexum, ut mares Patris, Fœminæ Matris dogma, & Catecheſin ſortiantur, prout in Terris Imperii frequenter accidere audimus. Non raro apud Heterodoxos alios puellæ indeterminatæ educantur, donec marito jungantur, cujus tandem ſectam ſuſcipiunt, & profitentur: quaſi Religio foret mera opinio vaga; vel tot, tantæque ſectæ in Eccleſia Dei nihil magis formarent, quam multos di-

USUS HUNGARIÆ. verſorum opificum cœtus in Republica, & in Civitate. In Hungaria pro augmento Catholicæ Fidei cautum eſt, ut ſcilicet, quando alterutra pars Catholica eſt, quæcunque proles, cujuſcunque ſexus illa demum ſit, in eadem Catholica Fide educetur. Reſilientes, & Refractarii, dummodo alteruter ex partibus Catholice vixerit, tamquam Apoſtatæ puniri poſſunt, eorumque Detentores, & Fautores. Apoſtatæ etiam per reſtitutionem in integrum puniuntur. Hoc verum eſt de veris Apoſtatis, nempe ſi vel ii a Catholica Fide defecerint: vel ſi Parentes eorum ſtipulati fuerint de educandis liberis in Catholica Fide; non autem ſteterint promiſſis, ſed educaverint liberos extra gremium Catholicæ Fidei. Tales liberi Catholice vivere debent. Quod magis eſt, ſingulorum hominum, qui aut Proteſtantes, aut Evangelici, aut Reformati dici volunt, forum competens in cauſis Eccleſiaſticis, & præciſe in cauſis Matrimonialibus Conſiſtorium Epiſcopale eſt: in quibus, quantum fieri poteſt, juxta principia Orthodoxa, & præciſe juxta proviſionem Concilii Tridentini pronunciandum venit, necnon exequutioni mandandum; habito recurſu, ſi opus fuerit, ad Magiſtratus ſeculares, Judices Nobilium, Comitatus, Tabulas, Conſilium Locumtenentiale, ad Regem ipſum. Alii per im-

Diſt. IV. de Conſecr. c. 54. pedimentum Catechiſmi cenſent intelligi inſtructionem illam fidei, quæ præcedebat Baptiſmum. Ideo ſi baptizabatur fœmina inter eam, & Catechi-

Digitized by Google

techizantem, quaſi ſpiritualem patrem oriebatur impedimentum impediens, non dirimens. Religionis autem diverſitas ad impedimentum dirimens, quod cultus diſparitas appellatur, aliis ſpectare videtur: etſi in Germania Catholicorum cum Hæreticis Matrimonia tolerentur. *c. 2. de Cogn. ſpirit. in 6.*

VINCULUM SPONSALIORUM.

SPONSALIA, de quibus Titulo XII., ſunt impedimentum: quæ, niſi ex juſta cauſa diſſolvantur, impediunt, quo minus licite Matrimonium ratum cum alia perſona contrahatur. Priora ſponſalia derogant quidem poſterioribus: ſed Matrimonium ratum fortiori vinculo ligat, & delet quamcunque anteriorum ſponſaliorum promiſſionem; & quia obligatio ſemel extincta amplius non reviviſcit, ideo juxta multos autores neque poſt mortem tuæ Conjugis teneris ducere illam, cum qua ante verum mortuæ Conjugis tuæ Matrimonium Sponſalia de futuro contraxiſti, quidquid æquitas, & honeſtas ſuadeat ſæpe contrarium.

VOTUM SIMPLEX.

VOTUM ſimplex Caſtitatis, & Continentiæ in Seculo editum vel Religionis amplectendæ, vel non ineundi Matrimonii impedit, quo minus licite, non vero quo minus valide contrahatur Matrimonium; neque antea contractum diſſolvit. Deliberatus enim, & verus animus cum ab Eccleſia, quæ de internis non judicat, poſt tantam mutationem non facile præſumatur, ob majora evitanda mala, ſubſequens in facie Eccleſiæ Matrimonium non vitiat. Alias maritus ab exoſa muliere liberandus ſimularet, ſe continentiam voviſſe ante funeſtas ſuas Nuptias, ut ita cœlebs fieret, & cum minori ſcandalo extra metum adulterii, concubinam duceret. Monemus unice, quod, etſi is, qui vere vovit, uxori debitum reddere teneatur, petere nullatenus debeat: quemadmodum Auguſtinus Hipponenſis Bonifacium Comitem, qui poſt votum Caſtitatis duxerat uxorem, monuit ſalutaribus verbis: *ſed ſi cum illa agere non potes, ſerva ſaltem pudicitiam conjugalem.* *epiſt. 220. §. 12.*

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS
TITULUS XV.

PRoſequimur ad impedimenta dirimentia, atque in mentem revocamus, impedimentum dirimens illud eſſe, quod non tantum impedit contrahendum Matrimonium, ſed dirimit contractum: non tantum reddit illicitum contrahendum Matrimonium, ſed contractum reddit invalidum, irritum, nullum. In mentem revocamus, jam a pluribus Seculis Eccleſiam, & quidem privative cum excluſione Principum ſecu- EFFECTUS. AUTOR.

Digitized by Google

larium, impedimenta dirimentia inter Catholicos ordinaſſe: eaque pro temporum, & locorum circumſtantiis nonnunquam extendiſſe, aut limitaſſe, aut etiam relaxaſſe; ac per conſequens negari vix poteſt, quin Eccleſia a primis Seculis hac poteſtate pacifice uſa fuerit. Fatetur ipſe Binghamus, *quod, quidquid Eccleſia, unquam inceſtum declaraverit, id ſemper juſtum Matrimonii impedimentum, habitum, adeoque tamquam gravis cauſa adlegatum fuerit, quamobrem perſonæ, tam propinqua conjunctione conjunctæ, Matrimonio jungi non poſſent; vel ſi id factum eſſet, quod idonea ratio fuerit infligendi illis cenſuras Eccleſiæ, uſque dum mutua ſeparatione iſtiuſmodi creditum Matrimonium diſſolverent.* Supereſt palam facere, quænam hodie communiter habeantur pro impedimentis dirimentibus: & continentur tritis carminibus, quæ vero brevibus commentariis adornari debent. Sunt hæc:

Quæ sint hodie?

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus Diſparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honeſtas,
Amens, Affinis, ſi Clandeſtinus, & Impos,
Si Mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto:
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

Quantus error vitiet Matrimonium?

ERROR vel eſt antecedens, & unice dans cauſam contractui: vel eſt concomitans, & incidens in contractum, qui non primario inducit ad agendum; quove omiſſo contractus omiſſus non fuiſſet. Atque hic non ſatis commendare poſſumus prudenti, & circumſpecto Judici, ut caute, & mature deliberet ſcrutando, num error ad naturam antecedentis, num ad conſequentis naturam referatur. Antecedens, & unice dans cauſam contractui, ſemper vitiat conſenſum, ſine quo verus, & legitimus contractus eſſe nequit. Concomitans, & incidens in contractum, quia non inducit primario ad agendum, quove omiſſo contractus omiſſus non fuiſſet, nunquam vitiat conſenſum. Hinc error perſonæ, cum ſerviſſes propter Rachel, ſed nocte ſuccubuit Lia, (in quam non conſenſiſti) ſemper fuit error antecedens, & contractui dans unice cauſam. Error qualitatis, cum Virginem, aut Nobilem, aut Divitem ducere credidiſſes, ſed corruptam, aut plebeam, aut pauperem duxiſti, (in quam corruptam, aut plebeam, aut pauperem, licet minus lætus, promptuſque, conſenſiſſes tamen) utcunque concomitans, & incidens Error in contractum fuit: niſi Error qualitatis in Errorem perſonæ reſolvatur, ut ſi magnus Princeps Primogenitam Regis Filiam ducere ſtipulatus fuerit, ſed Secundogenitam inſcius revera duxit, quando Regis Filiam non aliter ducere voluit, quam quia Primogenita eſt.

Error personæ vitiat.

Raro Error qualitatis.

Cum

Digitized by Google

OLIM NEC LIBERI, NEC SERVI CONTRAHERE SOLI POTERANT.

Cum hodie CONDITIONIS Error idem ſit, ac qualitatis, ideo de conditione loqui oportet. Conditio ſervilis erat apud Romanos, quorum Servi, & Liberi contrahere nequibant ignorantibus, aut invitis Dominis, aut Parentibus. Multo minus nubere præſumpſerunt, quia Paullus ſcripſit: *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt, niſi conſentiant omnes, ideſt qui coeunt, quorumque in poteſtate ſunt.*

l. 2. D. de Ritu Nuptiarum.

Cum autem Eccleſia nata ſit, & adulta in Imperio, & Republica, non Reſpublica in Eccleſia, hæc ſe ſe rationabilibus illius legibus multum conformare voluit, ne Evangelium publicam, communemque tranquillitatem offendere, aut perturbare videretur. Hinc Eccleſia leges antiquas non ſtatim abrogavit. Sed contractæ a ſervis Nuptiæ, Dominis non conſentientibus, plerumque tamquam illicitæ fornicationes habitæ ſunt Duodecim prioribus Seculis. Tradiderat Baſilius Magnus ſeneſcente Seculo Quarto: *quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo vivente Patre, nec Domino ii, qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio Domini annuerint. Tunc enim accipit firmitatem conjugium.*

epiſt. ad Amphiloch. *can.* 42.

Moderat uſum talem Synodus Cabilonenſis an. 813., cui *viſum eſt, ut conjugia ſervorum non dirimantur, etiamſi diverſos Dominos habeant: ſed in uno conjugio permanentes Dominis ſuis ſerviant. Et hoc in illis obſervandum eſt, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem Dominorum.*

can. 30.

Fuit apud Romanos ipſos remedium contra inclementiores Parentes, qui ex Conſtitutione Divorum Severi, & Antonini per Proconſules, Præſideſque Provinciarum cogebantur in Matrimonium collocare, & dotare Filias. *Prohibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.*

l. 19. Ritu Nuptiarum.

Servis per Magiſtratus difficiliori via proviſum erat, niſi quod ſervis minus dure habitis, ſenſim inter Chriſtianos videatur majus Jus providendi tranſiviſſe ad Eccleſiam.

MEDIA DISCIPLINA.

Hæc autem Seculo Duodecimo ſub Alexandro III. animoſior ſancivit: *Sane juxta Verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Jeſu neque liber, neque ſervus eſt a Sacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos Matrimonia debent ullatenus prohiberi: & ſi contradicentibus Dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ratione ſunt propter hoc diſſolvenda. Debita tamen, & conſueta ſervitia non minus debent propriis Dominis exhiberi.*

c. 1. de Conjug. ſerv.

Unde facile colligitur, quomodo poſthac rata fuerint apud Chriſtianos Matrimonia, quæ ſervi invitis Dominis contraxerunt.

DISCIPLINA MODERNA.

Hodie error conditionis idem eſt, ac qualitatis: nec vitiat conſenſum, niſi ad errorem perſonæ reducatur. Talis eſt, ſi liber contraxit ignoranter cum ancilla; & ex quo ſcivit, nunquam conſenſit. Tunc ſeparatur Matrimonium, & cum

c. 4. eod.

Digitized by Google

c. 2. eod.

alia contrahere poterit. Secus, ubi ſciens poſtea eam cognovit. Hodie vero conditionis impedimentum nullum eſt, niſi in opinione illorum fortaſſis, quod ſeculares poteſtates adhuc impedimenta dirimentia conſtituere poſſint, pro impedimento dirimenti haberi velit conditio Gre-

AN CONDITIO GREGARII MILITIS DIRIMAT MATRIMONIUM?

garii Militis: qui tamen ſine Præfectorum ſuorum conſenſu contrahere non debet. Diſciplina quidem militaris illud neceſſario exigit, & milites metu pœnæ obſervant: ſed quoad Sacramentum ſaltem, niſi quoad effectus militares, talia conjugia ſunt omnino valida.

OLIM NON DIRIMEBAT SOLEMNE VOTUM.

VOTUM, quod dirimit Matrimonium, ſolemne eſt. Sed iſtud ſolemne caſtitatis votum per Quinque priora Secula non fuit ubique impedimentum dirimens, cum Patres, & Concilia nullibi forte affirmaſſent, per illud tempus talia Matrimonia Religioſarum Perſonarum irrita, & invalida fuiſſe. Donec Monachi nihil niſi pœnitentes Laici fuerint ſub regimine Epiſcoporum, & Presbyterorum, nulla quidem ſtricta fuit Profeſſio, niſi quod interdicti Nuptiis vivere cogerentur, tamquam pœnitentes. Exordium, & Ritus Profeſſionis videtur Regulam Sancti Benedicti pro norma habuiſſe: atque ita ſolemniori gradu Matrimonium in Eccleſia per anteriorem hanc Profeſſionem dirimebatur. Vertente igitur

QUANDO INCEPERIT? *l. 8. epiſt. 8.*

Seculo Sexto ſolemne caſtitatis votum cepit eſſe impedimentum, quod jam dirimeret Matrimonium. Sic Gregorius M. Sipontino Epiſcopo Vitaliano præcipit, ut Mulierem, quæ veſte Religioſa abjecta ſacrilegum Conjugium iniverat, comprehendat, & in Monaſterium detrudat ad pœ-

can. 6. nitentiam peſſimi facinoris peragendam. Concordant Synodus Toletana

can. 23. an. 638., & Triburienſis an. 895. Innocentius II. in Concilio Latera-

PROGRESSUS. nenſi II. an. 1139. clariori ſanctione definivit: *Statuimus, quatenus Epiſ-*

can. 7. *copi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Converſi profeſſi, qui ſanctum tranſgredientes propoſitum ſibi uxores copulare præſumpſerint, ſeparentur. Hujuſmodi namque copulationem, quam contra Eccleſiaſticam regulam conſtat eſſe, contractum Matrimonium non eſſe cenſemus.*

can. 8. *Idipſum quoque de ſanctimonialibus fœminis, ſi (quod abſit) nubere attentaverint, obſervari decernimus.* Hujus Diſciplinæ confirmandæ ſtudioſi fuerunt Alexander III., & Innocentius III. Declarat tamen Bonifacius VIII., *illud votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri*

Qui Clerici, vel voventes, Matrimonium contrahere poſſint? c. un. de voto, & voti Redempt. in 6.

QUOD SIT VOTUM SOLEMNE?

Ordinis, aut per Profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis. Ultima Tridentinæ Synodi ſan-

can. 9. ctio eſt: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regu-*

lares

Digitized by Google

lares caſtitatem ſolemniter profeſſos poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto; & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare Matrimonium; poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi eam voverint, habere donum, anathema ſit: cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari. Cum autem ſolemne caſtitatis votum ſolo Eccleſiaſtico Jure, non autem naturali, & divino Matrimonium dirimat, quemadmodum prioribus Seculis non diſſolvebatur contractum Matrimonium: cum ſolemne votum non differat a ſimplici voto, niſi ratione ſolemnitatis extrinſecæ: cum nonnunquam Summi Pontifices recte diſpenſaverint in utroque voto; dubitari amplius nequit, quin Eccleſia poſſit cum Religioſis ſolemniter profeſſis diſpenſare, ut legitimum Matrimonium contrahant. Quod tamen neque ſemper expedit, neque facile contingit. AUCTORITAS ECCLESIÆ?

COGNATIO, quæ hodie Matrimonium dirimit, triplex eſt; naturalis, ſeu conſanguinitas: ſpiritualis, ſeu compaternitas: legalis, ſeu adoptio. Conſanguinitas imprimis perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium vinculum eſt, & dicuntur conſanguinei, veluti de communi ſanguine nati. Ex conſanguineis alii agnati ſunt, alii cognati ſunt. Illi ab eodem Patre derivant nobis, hi ab eadem Matre. Quos vero ex utroque latere derivantes Jus Canonicum indiſcriminatim cognatos vocat, Jus civile tantum diſtinguit. Conſanguinitatis triplex linea eſt, aſcendentes, deſcendentes, & collaterales. Aſcendunt Pater, Avus, Proavus, Abavus uſque ad primum Parentem Adam. Deſcendunt Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos uſque ad conſummationem Seculi, & interitum carnis, niſi prius extincta foret recta linea. Ex latere ſurgunt reliqui ante nos, & poſt nos. Collaterales vel ſunt æquales, quia æqualiter a communi ſtipite diſtant, ut duo Fratres: vel ſunt inæquales, quia inæqualiter a communi ſtipite diſtant, ut Frater, & Fratris Filius. Jam vero omiſſo, qua ratione apud antiquos ſupputatio graduum fieret: omiſſo, qua ratione fiat de Jure Civili, cui ſe ſe veriſimiliter Eccleſia diu conformavit, ne videretur jura Imperii præmaturo conatu evertere: inhæremus Juri Canonico hodierno, & quoad computationem graduum noſtrorum breviſſimas, & firmiſſimas has regulas damus.

COGNATIO TRIPLEX. QUÆ SIT CONSANGUINITAS? AGNATI, AUT COGNATI. CONSANGUINITAS TRIPLEX. ASCENDENTES. DESCENDENTES. COLLATERALES. HI VEL ÆQUALES, VEL INÆQUALES. COMPUTATIO CANONICA INTER ASCENDENTES, ET DESCENDENTES.

Aſcendentium, & deſcendentium tot ſunt gradus, quot perſonæ, ſtipite dempto: v. g. Tu, & Pater tuus duæ eſtis perſonæ; deme ſtipitem, Patrem ſcilicet, manes ſolus: Ergo primo gradu diſtatis. Tu, Filius,

Nepos,

Digitized by Google

Nepos, Pronepos quatuor eſtis perſonæ; deme ſtipitem, Te ipſum ſcilicet, manent tres: Ergo tertio gradu diſtatis Tu, & Pronepos tuus.

INTER COLLATERALES ÆQUALES.

Collaterales æquales eo inter ſe diſtant conſanguinitatis gradu, quo diſtant a communi ſtipite; v. g. Frater, & Soror ideo inter ſe primo conſanguinitatis gradu diſtant, quia primo conſanguinitatis gradu diſtant a communi ſtipite, ſcilicet a communi parente. Collaterales inæquales tot gradibus a ſe invicem diſtant, quot gradibus remotior conſanguineus a communi ſtipite diſtat; v. g. Frater, & Sororis Filius, qui remotior eſt, ſecundo gradu diſtat a communi ſtipite, ſcilicet a communi Fratris, & Sororis Parente, qui remotioris perſonæ Avus eſt, & a quo eandem originem habent Filius ſuus, & alter ex Filia Nepos. Præterquamquod in Decreti ſecunda parte de gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, quot ſint, quomodo computandi, quibus etiam appellentur nominibus, auctoritate Iſidori, atque Gregorii, & Alexandri ſufficienter monſtratum ſit, conſulenda venit opportune arbor conſanguinitatis, & affinitatis, quam pulchro declarat ſchemate Editio Pariſienſis an. 1587. pag. 399.

INTER COLLATERALES INÆQUALES.

Cauſ. XXXV. *q.* 5.

l. 53. *D. de Ritu Nuptiarum.*
INTER ASCENDENTES NULLÆ UNQUAM NUPTIÆ.
l. fin. eod.

Jam vero *Nuptiæ conſiſtere non poſſunt inter eas perſonas, quæ in numero Parentum, Liberorumve ſunt: ſive proximi, ſive ulterioris gradus ſint uſque in infinitum.* Rurſus *Jure gentium inceſtum committit, qui ex gradu aſcendentium, vel deſcendentium uxorem duxerit.* Concordat Jus divinum, & naturale, quia vetat pudor brutorum naturam induere.

c. 8. *de Conſanguinitate, & Affinit.*
INTER CONSANGUINEOS NULLÆ INTRA QUARTUM GRADUM.

Inter conſanguineos tam æquales, quam inæquales, Nuptiæ conſiſtere nequeunt uſque ad quartum gradum incluſive, ſervata Canonica computatione. Juvant ſocietatem humanam conjugia exterorum, quos inter augentur Nuptiis fœdera, & mutua officia. Tollitur, aut minuitur plurima ſcandali via, quod in diem creſceret, intercedente Agnatorum, Cognatorumque neceſſitudine, niſi Matrimonii ſpes in remedium ſcandali de medio lata fuiſſet, aut exigua in ulterioribus gradibus aliquando manſiſſet. Et hæc moderna Diſciplina eſt.

QUÆ COMPATERNITAS DIRIMAT MATRIMONIUM?
Seſſ. XXIV 1563. *c.* 2. *de Reformat. Matrimonii.*

Verum altera cognatio, quæ dirimit Matrimonium, ſpiritualis eſt, ſeu compaternitas: quæ conſiſtit inter ſuſcipientes, ac baptizatum ipſum, & illius Patrem, & Matrem; nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem tantum. Conſiſtit inter confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem, & matrem, ac tenentem. Hoc impedimentum Juris Eccleſiaſtici eſt, quod vix ante Julium I., & Innocentium I., idest ante Seculum Quartum legitur.

QUÆ ADOPTIO DIRIMAT?

Tertia cognatio, quæ dirimit Matrimonium, legalis eſt, ſeu adoptio, quia

Digitized by Google

quia naturam imitatur. Oritur autem inter adoptantem, adoptatum, & deſcendentes adoptati; nec non inter adoptatum, & deſcendentes adoptantis: & per modum affinitatis, inter adoptatum, & uxorem adoptantis, ac inter adoptantem, & uxorem adoptati. Dico autem non de ſimplici adoptione, ſed de ſola adrogatione, quæ ſola cauſat patriam poteſtatem, & filios adoptivos, ſive potius adrogatos reddit ſimiles legitimis, & naturalibus. Adeſt Juenin citatus. Cognatio legalis dirimit Matrimonium in linea recta aſcendentium, & deſcendentium uſque ad quartum gradum incluſive, & in primo tantum lineæ collateralis... Cognatio legalis affinitatem parit in primo gradu lineæ rectæ tum aſcendentium, tum deſcendentium, quæ Matrimonium dirimit... Cognatio legalis eſt Matrimonii perpetuum impedimentum in linea deſcendentium non vero in linea collaterali. Unde ſoluta adoptione remanet adhuc inter aſcendentes, & deſcendentes cognatio legalis: quæ vero ſoluta hac adoptione vel per mortem adoptionis, vel per emancipationem adoptati deſinit in linea collaterali. *Diſſ. X. q. 7. c. 4. art. 4.*

Præterea miſſis Poëtis, qui inceſtuoſos cum liberis parentes damnant in Cynara & Myrrha, in Oedipo & Jocaſta, in Thieſte & Pelopeja, in Nicteo, & Nictimene, ſcribit Cornelius Tacitus, Agrippinam ſe plerumque ad inceſtum obtuliſſe Neroni Filio, quum per vinum, & epulas incaleſceret. Sed nefas ab omnibus habitum fuit. Mirum magis, quod apud Perſas parentibus ſtupro coire cum liberis fas viſum fuerit. Cœterum nulli ſine horrore narrant infandos inceſtus. Nulli alii pro juſtis Nuptiis tam ſceleſtos habuerunt concubitus eorum, qui more pecudum laſciviſſent. Narrat Solinus: *Garamantici Æthiopes Matrimonia privatim neſciunt, ſed omnibus vulgo in Venerem licet. Inde eſt, quod filios matres tantum recognoſcunt*. Narrat Cæſar de Bello Gallico, *uxores habent, deni, duodenique inter ſe communes, & maxime fratres cum fratribus, & parentes cum liberis*. Narrat Socrates, quod apud Heliopolitas in Phænice uxores communes, incerti liberi, virgines ſtupro hoſpitum proſtratæ uſque ad tempora Conſtantini M. viguiſſent ſcandalo Gentilium, donec facti fuerint Chriſtiani. Lycurgus, & Plato damnantur a Sanctis Patribus, quod nefandam uxorum communionem probaſſent. Conceperunt quidem duæ filiæ Lot de patre ſuo. Sed ad ſervandum ſemen (ignaræ, quod poſt incenſas Civitates Sodomam, & Gomorrham, alter virorum permanſiſſet in terra, qui poſſit ingredi ad illas juxta morem univerſæ terræ) dederunt patri ſuo bibere vinum nocte illa. Ingreſſa eſt major, dormivitque

QUID SENSERINT PROFANI DE INCESTU?

Annal. lib. 14.

Q. Curt. de Reb. Alex. *l. 8. c. 2. n. 19.*

c. 43.

l. 5. c. 14.

l. 1. c. 18.

Gen. XIX.

CASUS FILIARUM LOT.

Digitized by Google

vitque cum patre. At ille non ſenſit, nec quando accubuit, nec quando ſurrexit. Dederunt etiam & ſecunda nocte patri ſuo bibere vinum; ingreſſaque minor filia dormivit cum eo: & ne tunc quidem ſenſit, quando concubuerit, vel quando illa ſurrexerit.

QUÆ FUERIT LEX NATURÆ CIRCA CONNUBIA?

Nati ex Adam omnino ſororibus miſceri debuerunt, nati ex liberis Adam, conſobrinis ſuis. Extra hanc neceſſitatem, nullum in Sacris Literis exemplum legitur. Poetæ, & Hiſtorici paſſim inceſtuoſa inter fratres, & ſorores arguunt connubia, ſaltem non laudant. Romanæ Leges prohibent. Patruus, & Avunculus apud Hebræos Neptes libere ducebant. Sic nupſit Abram Saræ ex fratre Aran. (*Gen.* XX.) Nepotes cum Amitis, & Materteris celebrarunt Matrimonia. Sic nupſit Amram cum Joſabec nata ex Levi, qui fuit Avus Amram. (*Num.* XXVI.) Hæc in Lege Naturæ. In Lege Moyſis aſcendentium, & deſcendentium conjugia vetita fuerunt.

QUÆ FUERIT LEX MOYSIS?

Fratres, & Sorores non miſcebantur invicem. (*Levit.* XVIII.) Nepotes tamen non poterant Amitas ducere, nec Materteras.

ECCLESIÆ LEGES.

Naſcente Eccleſia videtur Ordo Levitici manſiſſe. Poſt redditam Eccleſiæ pacem Leges Imperatorum variæ varium Eccleſiæ uſum cauſaverunt. Tandem ſub finem Seculi Sexti, quando Gregorius M. ſedit, ſola Eccleſia Chriſtianis jus dixit. Poſt hunc Pontificem Maximum varia fuit Diſciplina, quæ aliquando ad Septimum conſanguinitatis gradum prohibitum devenit, donec Lateranenſe Concilium anno 1215. (*cap.* 50.), & Tridentinum anno 1563. (*Seſſ.* XXIV. *cap.* 5.) Quarto tam conſanguinitatis, quam affinitatis gradui acquievit. Et hæc hodierna Diſciplina eſt. Unde *ſi quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit.* (*can.* 3.)

GRÆCORUM DISCIPLINA.

Græci Tribus prioribus Seculis Conſobrinorum Conjugia non improbarunt. Improbarunt tamen labente Seculo ſequenti ad Conſtitutionem quandam Theodoſii Senioris, quæ prohibuit talia Conjugia, non ultra. Concordat Synodus Quiniſexta anno 692. Tertius gradus in linea collaterali recta Seculo Undecimo fuit excluſus. Quartus nunquam ſatis: quia Græci numerant perſonas, quarum ſeptem conſtituunt nobis tertium gradum, octo attingunt quartum gradum. Ii quidem ſeptimæ perſonæ Nuptias interdicunt, octavæ non amplius; quidquid Innocentius IV. Seculo Decimotertio contradixiſſet. (*epiſt.* 10. *ad* Otton. Card. Tuſculan.) Vicit tandem pacis amor, propter quam nihil immutatum fuit in Græcorum Diſciplina.

QUOD CRIMEN DIRIMAT?

De Cognatione ſatis. Transeamus ad CRIMEN, quod vel homicidium

Digitized by Google

dium, vel adulterium debet eſſe ad dirimendum Matrimonium. Sed quidquid ſit de Legibus Romanorum, ſive de antiquioribus Canonibus; juxta modernam Diſciplinam, ſolum illud adulterium dirimit Matrimonium, cum adultera etiam poſt mortem primi mariti contrahendum, ſi ſcilicet adulteri, durante Matrimonio læſæ partis, inter ſe vel Matrimonium contrahere præſumant: vel promiſſionem veram præſtent invicem adulteri de Matrimonio contrahendo poſt mortem innocentis conjugis: vel adulterantium alteruter machinatus fuerit in mortem mariti, aut inſontis conjugis; multo magis, ubi cædes ſubſequuta fuiſſet, intuitu futuri Matrimonii ineundi. Alias ubi cædes ſubſequuta fuerit ex quocunque alio caſu, non tamen intuitu futuri Matrimonii ineundi, nulla difficultas eſt contrahendi cum vidua per contrahentem adverſo quocunque alio fato occiſi. Sic ſimplex futuri Matrimonii promiſſio, nullo tamen adulterio intercedente; aut ſimplex adulterium, nulla tamen futuri Matrimonii promiſſione intercedente, non dirimit Matrimonium: quamvis illa promiſſio nunquam valere poſſit, niſi novo accedente conſenſu; & ex ſimilibus quibuſcunque nefariis pactis anſa detur ad adulterium, atque homicidium aliquando. Dirimit etiam Matrimonium tale, ſi duo machinati fuerint in mortem conjugis, & mors ſubſequuta fuerit.

D. & C. ad l. Jul. de Adulteriis. Cauſ. XXXI. *q.* 1. *c.* 5. *de eo, qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.* *c. fin. eod.* *c.* 3. *&* 6. *eod.*

CULTUS DISPARITAS conſiſtit in eo, quod inter perſonam baptizatam, & non baptizatam, qua cum citra contumeliam Creatoris vix Fidelis habitare poteſt, Matrimonium irritum, & nullum ſit. Verum in Eccleſia diu fuit ignotum hoc impedimentum, tamquam dirimens; exemplo S. Monicæ Chriſtianæ, quæ circa Seculum Quartum nupſit Patricio adhuc infideli, ex quibus S. Auguſtinus Hipponenſis genitus eſt. Aliud exemplum poſt annos ferme centum eſt in Clotilde Chriſtiana, Gundebaldi Burgundionum Regis Nepte, quæ nupſit Clodovæo Francorum Regi adhuc ethnico. Hæſit aliquamdiu Eccleſia judaicis moribus, apud quos illicitæ quidem fuerunt Nuptiæ cum Idololatris, ſed non irritæ omnino; imo aliquando laudatæ, quemadmodum laudatæ fuerunt Nuptiæ Eſther cum Aſſuero Gentili, ut Regis authoritate freta, ſuam Gentem ab inſidiis impii Aman liberaret: laudatæ fuerunt Nuptiæ Samſonis cum Puella Philiſtæa, ut quæreret occaſionem contra Philiſtim. Sic illicitæ quidem habitæ ſunt utcunque ſemper Fidelium Nuptiæ cum Infidelibus, aut Judæis, ſed non irritæ, donec Leges Imperatorum circa finem Seculi Quarti has Nuptias fecerint irritas: licet neque ſtatim, neque in omnibus R. I. Provinciis obſervatæ fuerint. Juſtis Imperatorum legibus aſſenſit Eccleſia,

CULTUS DISPARITAS OLIM NON NOCUIT.

Deuter. VII. 3. II. Eſdr. IX. 2.

Eſth. II.

Judic. XIV.

QUANDO LEGES IMP. CEPERINT IRRITARE NUPTIAS CUM INFIDELIBUS?

Cod. Theod. *l.* 3. *t.* 19. *l.* 1., *& l.* 9. *t.* 4. *l.* 5.

Digitized by Google

Assensit Eccleſia paulatim.
Extenditur ad Catechumenos.

conſuetudine potius, quam præciſa ſanctione, ad dirimendum tale Matrimonium; cum vix ante Seculum Duodecimum hæc cultus diſparitas pro impedimento dirimente ab omnibus habita fuerit. Hodie Matrimonia Chriſtianorum cum Catechumenis non minus invalida ſunt, quia adhuc perſonæ baptizatæ conjugium foret cum non baptizata, quas inter ob idem ſubverſionis, & perverſe educandæ prolis periculum dirimitur Matrimonium.

Quanta vis dirimat Matrimonium?

VIS, ſeu Coactio, quæ oritur ex metu gravi, cum iſte cadat in conſtantem virum, per ſe, ac directe, & injuſte incuſſus pro extorquendo Matrimonii conſenſu, utique ex juſtitia communi quoque dirimit Matrimonium: quia vitiat conſenſum in contractu, qui pleniſſima libertate frui debet. Summa animi animadverſione dignum eſt, ut Judex ante diſſolutionem pronunciandam caveat, num violentiæ cauſa continuo exiſtat? num remiſſa fuerit medio tempore per verum, & liberum læſæ partis conſenſum? Quandocunque enim verus interceſſit conſenſus, legitimus ex hac parte erit contractus. Sed de his alibi egimus.

Ordo dirimit Matrimonium.

ORDO Sacer hodie Matrimonium dirimit. Sæpius memoramus. Ita quidem, ut, quæ per Decem Secula ſive a Græcis, ſive a Latinis Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis inita Matrimonia irrita non fuiſſent, poſt Milleſimum Annum, ſaltem jure novo irritari debuerint. Teſtantur hoc Calixtus II. in Conc. Lateran. an. 1123., Eugenius III. in Conc. Rhem. an. 1148., Alexander III. in Conc. Lateran. an. 1179., Pius IV. ad Conc. Trident. an. 1563. Propterea nemo dubitat, quod nullus Sacer Ordo jure naturali, & divino dirimat Matrimonium, poſtquam Tridentina Synodus hic diſerte innuat, iſtud impedimentum a lege Eccleſiaſtica deſcendere. Cum autem multa & alibi protulerimus, operæ pretium erit, & hic varias ex citato Gaſparo Juenin Concluſiones opportune tranſcribere, prouti ſequuntur. Subdiaconi in Eccleſia Græca prohibiti ſemper fuerunt uxores ducere poſt ſuam ordinationem: prohibiti quoque fuere prioribus Seculis, iis uti, quibus cum ante ordinationem nupſiſſent. Prioribus Seculis Subdiaconi apud Latinos aliquibus in locis, ſed non ubique, prohibiti ſunt uſu conjugii, quod contraxiſſent ante ſuam ordinationem. Seculis Sexto, Septimo, Octavo, Nono varia circa Subdiaconorum continentiam Conciliorum Decreta apud Occidentales prodierunt. Nuſquam Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis licitum fuit aut in Eccleſia Græca, aut in Latina Uxores ducere. In utraque tum Orientali, tum Occidentali Eccleſia nuſquam licuit Epiſcopis, nec his etiam

can. 21.
can. 3. *can.* 11.
Seſſ. XXIV. *can.* 9.
Diſſ. X. *q.* 7. *c.* 8. *art.* 1.

tem-

Digitized by Google

temporibus licet, uti conjugio, quod ante Ordinationem contraxerint. Presbyteri, & Diaconi Sex prioribus Seculis ab uxoribus, quas ante Ordinationem habuiſſent, temperare juſſi ſunt, tum apud Orientales, tum apud Occidentales. Græci ceperunt poſt Seculum Sextum ſolis Epiſcopis, non autem cœteris Miniſtris Cælibatum præſcribere. Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi ſemper apud Latinos juſſi ſunt temperare ab uſu uxorum, quas etiam ante Ordinationem duxiſſent. Quæritur, quo ſe Epiſcoporum, Presbyterorum, & aliorum Miniſtrorum Uxores reciperent poſt maritorum Ordinationem? Varia pro tempore fuit Diſciplina. Græci ſub eodem tecto, ſed in remota parte domus alebant Uxores, tamquam ſorores: Latini tandem Monaſteriis ob frequentia ſcandala jam Nono Seculo ſuas uxores incluſerunt. Quæritur, unde contigerit, quod apud Græcos Conjugii uſus Epiſcopis, non autem Presbyteris ſemper vetitus fuerit: econtra vero quovis Seculo Presbyteri Latini eo interdicti fuerint? Id forte contigit, quod prioribus Seculis apud Græcos omnia Sacerdotalia munia ſibi Epiſcopi vix non ſoli ſervarent. Soli fere Baptiſmum adminiſtrabant, ſoli myſteria celebrabant, ſoli pœnitentes reconciliabant. In Eccleſia Latina frequentior fuit incruenti Sacrificii per ſimplices Sacerdotes oblatio: ac proinde, cum tum Presbyteri, tum aſſiſtentes Diaconi ferme quotidianæ Virginalis Hoſtiæ immolationi apud nos ſæpius, quam apud Græcos darent operam, effectum eſt, ut ſtrictiori Cælibatus lege viverent. Circa Nuptias a Lectoribus ineundas, una non fuit ſemper Orientalium Diſciplina Eccleſiarum. Mille prioribus annis, qui minoribus Ordinibus eſſent initiati, Matrimonio ante Ordinationem contracto uti potuerunt apud Latinos. Verum quibuſdam in locis poſtea ipſis impoſitum eſt perpetuæ continentiæ jugum: quod quidem non multo poſt relaxatum eſt.

QUO SE RECEPERINT UXORES CLERICORUM?

QUARE SIT HODIE PARITER DIVERSA DISCIPLINA?

Juenin *ſupra art. 2.*

VARIA IN MINORIBUS CLERICIS DISCIPLINA.

LIGAMEN, quod jure naturali, & divino dirimit ſecundum Matrimonium, indiſſolubile vinculum eſt prioris ſive conſummati, ſive rati tantum conjugii; excepta Profeſſione Religioſa, quæ ſolvit Matrimonium ratum, & nondum conſummatum. Alias quod prius jure factum fuerit, non poterit irritari: & *duas tempore uno habere uxores*, (verba ſunt Nicolai I. ad Conſulta Bulgarorum) *nec ipſa Origo humanæ conditionis admittit, nec Lex Chriſtianorum ulla permittit*. Scripſerant Diocletianus, & Maximianus: *neminem, qui ſub ditione ſit Romani nominis, binas uxores habere poſſe*. Scripſerat Juſtinianus: *quia duas uxores habere non potes*. Tantus Eccleſiæ rigor acceſſit ad illud primum ligamen, ut quærenti Cæſar-

QUOD LIGAMEN DIRIMAT MATRIMONIUM?

cap. fin. de Sponſa Duorum.

POLIGAMIA VETITA. *c. 5.*

l. 2. de inceſtis, & inutilib. Nupt. Inſtit. de Nupt. §. 6.

Digitized by Google

Justus Ecclesiæ rigor.

auguſtano Epiſcopo: *quid agendum ſit de mulieribus, quæ viros ſuos cauſa captivitatis, vel peregrinationis abſentes ultra Septennium præſtolatæ fuerint, nec certificari poſſunt de vita, vel de morte ipſorum, licet ſuper hoc ſolicitudinem adhibuerint diligentem: & pro juvenili ætate, ſeu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari*; reſpondit exeunte Seculo Duodecimo Clemens III., *quod quantocunque annorum numero ita remaneant, viventibus viris ſuis non poſſunt ad aliorum conſortium canonice convolare*: neque enim auctoritate Eccleſiæ permittuntur contrahere, donec de morte certum nuncium recipiant.

c. 19. de Sponſal. & Matrimoniis.

Honestas quæ dirimat?

HONESTAS, quæ olim tum juxta Romanorum Leges, tum juxta antiquiores Canones dirimens fuit impedimentum, partim declaratur in Synodo Tridentina: quia *Juſtitiæ publicæ Honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, Sancta Synodus prorſus tollit: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus jam non poteſt hujuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari*. Partim declaratur in quadam Bulla S. Pii V. an. 1568., ubi hoc publicæ honeſtatis impedimentum dirimens oritur tantum ex ſponſalibus de futuro, ut iſtud impedimentum ſiſtat in primo gradu. Si enim ſubſequatur Matrimonium ratum, oritur affinitas uſque ad quartum gradum dirimens. Per priora Duodecim Secula Septimus gradus dirimebat, ubi de impedimento publicæ honeſtatis ageretur. Poſt Synodum Lateranenſem an. 1179. Quartus; poſt Tridentinam an. 1563. Primus tantum gradus dirimit.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 3. de Reformat. Matrimonii.

Amens contrahere nequit.

AMENS, ſive furioſus juſtas Nuptias jure naturali contrahere nequit, donec amentia, ſive furor perduret, quia eo infelici tempore conſentire nequit. Eadem igitur rectiſſima de cauſa ſanctiſſime definivit Cajus in Sponſalibus: *Furor quin Sponſalibus impedimento ſit, manifeſtum eſt. Sed poſthac interveniens ſponſalia non infirmat*; ideſt ex parte furioſi: quia Sponſa per hanc notandam infirmitatem, ſeu mutationem ſtatus reſilire omnino poterit.

l. 8. D. de Sponſal.

Affinitas dirimit.

AFFINIS Matrimonium dirimit, quia *adfinitatis quoque veneratione a quarundam Nuptiis abſtinere neceſſe eſt*. Quærere oportet, quis ſit affinis? Docet Modeſtinus: *Adfines ſunt, viri & uxoris cognati dicti ab eo, quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per Nuptias copulantur, & altera ad alterius finem cognationis accedit: namque conjungendæ adfinitatis cauſa fit ex Nuptiis. Nomina vero eorum hæc ſunt: Socer, Socrus, Gener, Nurus, Noverca, Vitricus, Privignus, Privigna*. Proinde *ſciendum*

Inſtit. de Nupt. §. 6. l. 4. D. de Grad. & Affin. §. 3.

§. 4.

Qui sint affines?

dum eſt, neque cognationem, neque adfinitatem eſſe poſſe, niſi Nuptiæ non interdictæ ſint, ex quibus adfinitas conjungitur. Res ita ſe habet de Jure Civili, quod tamen correctum fuit a Jure Canonico: quia ſecundum Canones propinquitas iſta contrahitur ex quacunque carnali copula, ſive licita fuerit, ſive illicita. Contrahitur ergo affinitas in copula licita inter maritum, & conſanguineos uxoris ex una parte: contrahitur inter uxorem, & conſanguineos mariti ex alia parte: contrahitur in copula illicita inter virum, & conſanguineos mulieris fornicariæ ex una parte: contrahitur inter mulierem, & conſanguineos viri fornicarii ex alia parte. Inter conſanguineos vero mariti, & uxoris, ſive inter conſanguineos viri, & mulieris fornicariæ, nulla contrahitur affinitas: & in hoc ſenſu verum eſt, quod affinitas non pariat affinitatem.

§. 8.
DISCRIMEN INTER JUS CANON. ET CIVILE.
c. 8. de eo, qui Conſang. Uxor.
INTER QUAS PERSONAS CONTRAHATUR AFFINITAS?
c. 8. de Conſanguin. & Affinitate.

Jam ad computandos affinitatis gradus unica regula eſt, quod eo affinitatis gradu diſtas ab uxore conſanguinei tui, ſive ab ejus concubina, & meretrice, quoto diſtas conſanguinitatis gradu, juxta computum Canonicum, ab ipſo conſanguineo tuo, qui cauſat affinitatem: v. g. tu, & uxor, aut concubina, aut ſcortum fratris tui, diſtatis primo affinitatis gradu, quia tu, & frater tuus, juxta computum Canonicum, diſtatis primo conſanguinitatis gradu. Coeuntes jam una caro, & una perſona cenſentur eſſe. Hodie Eccleſia dirimit inter affines Matrimonium, ſi ſint ex copula licita, uſque ad Quartum gradum incluſive: ſi ſint ex copula illicita, uſque ad Secundum gradum incluſive. Scias autem, quod & affinitas perpetuum impedimentum eſt, quia durat mortua perſona, propter quam contracta fuerat.

MODUS COMPUTANDÆ AFFINITATIS.
c. 1. eod.
QUIS GRADUS DIRIMAT?
Seſſ. XXIV. 1563. *c. 4. de Reformat.*
Cauſ. XXXV. *q.* 10. *c.* 1.

Si nos tantiſper conjiciamus oculos in profanas Hiſtorias, & Fabulas, canit de Anchemolo Virgilius:

Rheti de gente vetuſta
Anchemolum thalamos auſum inceſtare Novercæ.

MORES GENTIUM PERVERSI.
Æneid. *l.* 10.

Schytes Rex Scytharum Opæam, Antiochus Soter Stratonicen, Catacalla Juliam, cujus filium Getam paullo ante ſuſtulerat, ſinguli novercas ſuas duxerunt. Non rite. Delicta excuſari nequeunt. Naturæ Leges volvamus. Ibi erit Jacob, quia Liam & Rachel Sorores habuit uno tempore ſuas uxores. Ibi erit Onan, quia ad Thamar, fratris ſui primogeniti Her viduam ingreſſus eſt. Progrediamur ad Legem Moyſis. Novercam, aut nurum ducere, nefas erat: nefas Patrui uxorem, aut propriæ uxoris Sororem, adhuc illa vivente; aut Fratris uxorem. Puto adhuc illo vivente, quia in Deuteronomio decernit idem Moyſes: *Quando habita-*

Herodot. Valer. Max. Sext. Aurel.
LEGES NATURÆ.
Geneſ. XXIX.
Geneſ. XXXVIII.
LEX MOYSIS.
Levit. XV. II.
Deuter. XXV. *c.* 5.

bitaverint Frater ſimul, & unus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, uxor defuncti non nubet alteri. Sed accipiet eam frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui. Venit Evangelii lumen. Deteſtatur Paulus infandum Corinthii ſcelus: *Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem Patris ſui aliquis habeat.* Impp. Conſtantinus, & Conſtans AA., item Honorius, & Theodoſius AA., item Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. prohibuerunt quocunque tempore, poſt ſolutas quocunque modo veras Nuptias, fratris uxorem ducere, vel duabus ſororibus conjungi, præterquamquod veteres aliquando crediderint. Diocletianus, & Maximianus AA. negant, poſſe hominem contrahere inter Cognatos cum Filia, Nepte, Pronepte, item cum Matre, Avia, Proavia, item cum Amita, Matertera, Sorore, Sororis Filia, & ex ea Nepte; item inter Affines cum Privigna, Noverca, Nuru, Socru, cœteriſque, quæ jure antiquo prohibentur. Concordat totus Juſtinianus. Ipſa Eccleſia multas leges ab Imperatoribus ſuis aliquando mutuavit. Tandem novas ſubſtituit, prouti res poſtulaſſet. Diu Conſanguinitatis, & Affinitatis gradus pari paſſu aut Septimus, aut Quartus fuit interdictus. Hodie Quartus in copula licita, Secundus gradus in copula illicita dirimunt.

EVANGELIUM. I. Corinth. V. 1. IMPP. PLACITA. Cod. Theod. *l.* 3. *t.* 12. *l.* 5. *C. de inceſtis, & inutilibus Nuptiis.* *l.* 17. *C. de Nuptiis.* *Inſtit. de Nupt.* §. 6. ECCLESIÆ CANONES.

CLANDESTINUS quis ſit contractus, quomodo dirimat, quando ceperit, num in aliquibus partibus vigeat adhuc, num talis obtineat locum legitimi, & veri contractus, Titulo XI. ſatis abunde fuit diſceptatum.

DE MATRIMONIO CLANDESTINO SUPRA.

IMPOS, ſive expers coeundi ille eſt, qui ſeminare intra vas muliebre nequit. Hæc autem impotentia vel eſt talis ſimpliciter ad generandam prolem: & quia ſola ſterilitas eſt, nullatenus impedit Matrimonium. Vel eſt talis ad copulam perfectam, quæ fit cum immiſſione ſeminis in vas mulieris. Iſta vero vel eſt perpetua, quæ nulla licita humana arte, aut nullis conſuetis Eccleſiæ Exorciſmis tolli queat, licet ſpes ſit cum periculo vitæ, aut per magiam, & ſuperſtitionem, aut per miraculum, ſpes, inquam, tollendæ hujus impotentiæ: & adhuc dirimit ſubſequens Matrimonium; quia ſi impotentia accedat poſt Matrimonium jam ratum, quamvis nondum conſummatum, tunc illud non dirimit. Ratio eſt, quod in hoc caſu fuerit homo ad contrahendum habilis, Secus ſi impotentia præcedat contractum. Ergo in priori caſu utraque pars ſuo modo debet ſtare contractui, cum ipſe perficeretur a legitimis contrahentibus. Vel eſt illa impotentia temporalis tantum, quæ non diri-

IMPOS QUIS DICATUR? *Decretal. de Frigidis, & Maleſic.* IMPOTENTIA SUBSEQUENS NON DIRIMIT.

dirimit Matrimonium. Digna notatu eſt Hincmari Rhemenſis animadverſio ſequens. *Si per ſortiarias, atque maleficas occulto, ſed nunquam injuſto Dei judicio permittente, & diabolo præparante, concubitus non ſequitur, hortandi ſunt, quibus iſta eveniunt, ut corde contrito, & ſpiritu humiliato, Deo, & Sacerdoti de omnibus peccatis ſuis duram confeſſionem faciant, & profuſis lachrymis, & largioribus eleemoſynis, & orationibus, atque jejuniis Domino ſatisfaciant, & per exorciſmos, ac cætera Eccleſiaſticæ medicinæ munia, Miniſtri Eccleſiæ, tales, quantum Dominus annuerit, qui Abimelech, ac domum ejus, Abrahæ orationibus ſanavit, ſanare procurent. Quod ſi forte ſanari non potuerint, ſeparari valebunt.* Ex quo infertur Eccleſiam credere, quod malus Dæmon nocere poſſit quidem, ſed fugari exorciſmis. Infertur tunc locum eſſe ſeparationi, ubi tale impedimentum fuerit antecedens. Secus, ſi ſubſequens fuiſſet, quia tunc, quod ab initio Deus conjunxit, homo amplius ſeparare nequit.

Cauſ. XXXIII. *q.* 1. *c.* 4.

Ad temporalem impotentiam, quæ jure naturali dirimit Matrimonium, recenſetur Ætas, duodecimus nempe expletus annus in fœmina, decimuſquartus expletus annus in mare juxta communem utriuſque Juris calculum, niſi malitia ſuppleret ætatem, & conſuetos terminos acceleraret, ſeu præoccuparet. *Certum autem eſt, eum puberem eſſe, qui ex habitu corporis pubertatem oſtendit, & generare jam poteſt. Et puerperæ ſunt, quæ in annis puerilibus pariunt.* Non defuerunt non ignoti nominis autores, qui non minus decrepitos ſenes, quando vel inſtar infantum, vel inſtar perpetuorum impotentium ſeminare amplius nequeunt, ab omni Matrimonio rato excludunt. Uſus quidem docuit in homine majori LX. annis generandi vim eſſe peremptam, in muliere vero L. annis majore concipiendi vim periiſſe: etſi Ariſtoteles generandi vim in homine ad LXX. uſque annum vireſcere ſcribat; plurimaque ſuperſint exempla virorum, qui ætate longe majori liberos inſperato ſuſceperunt. Cato Cenſorinus LXXX. anno exacto, Rex Maſſiniſſa LXXXVI. anno liberos procreaverunt. Procreavit valde ſenex Uladiſlaus Rex. Mulierum autem illuſtre habemus exemplum a Conſtantia Henrici Imp. uxore, quæ quinquagenaria peperit. Obſervatores naturalium cauſarum cenſent generandi vim in homine, ac in muliere fœcunditatem non ſolum ex annis, ſed etiam ex habitu, & robore corporis eſſe arguendam. At quoniam lex non ad rariora, ſed ad frequentiora naturæ convertitur; recte hiſce annis generationis tempora finivit. Siquidem hominis vigor LX. fere anno languet, & in mulieribus menſtrui ſanguinis rivus, ſine quo neque concipi,

PUBERI NEQUEUNT CONTRAHERE.

l. 4. *D. de Ritu Nuptiarum.*

c. fin. de Deſponſ. Impuberum.

c. 3. *eod.*

SENES POSSUNT.

Digitized by Google

neque nutriri partus poſſe vulgo autumant, anno plerumque XL., vel ad ſummum L. exareſcit. Ideo apud Romanos Lex Papia viris ſexagenariis fibulam impoſuit, & mulieres quinquagenarias ſterilibus comparavit. At ſi conjuges ad eas ætates evecti prolem ediderint, noluit Juſtinianus eam ſobolem a cœterorum liberorum conditione diſcrepare. Obſequi enim lex debet, non imperare naturæ. Refert Gravina. Conſentit Eccleſia. Quidquid raro contingat, nihilominus quia ſenes generant aliquando, ſub temporali impotentia conſtituti præſumuntur, non ſecus ac ægri, aut morientes, quibus ſpes vitæ, & ſanitatis nunquam deficit. Unde ſenes, ægri, morientes in ſpe continua ſunt, atque ad contrahendum habiles. Interdum laudantur, quos pietas, & juſtitia movet, ubi ſcandalum antiquum reparandum eſſet, mulier cohoneſtanda, proles legitimanda. Rurſus ipſa perpetua impotentia vel eſt abſoluta, & generalis reſpectu omnium fœminarum, puta in Eunucho, qui vero ſemine deſtituitur, aut in virgine arcta, & clauſa reſpectu omnium virorum, quæ ſine periculo vitæ ſecari nequit. Hi maneant innuptus, & innupta neceſſe eſt. Vel præciſa, & ſpecialis eſt impotentia reſpectu unius tantum perſonæ, & quando perpetua ſit, huic nubere nequit. Alteri nubat, ſi velit: ſed tantum poſt cognitionem cauſæ, aut legitimam eorum ſeparationem, qui ſic male nupſerunt ab initio.

Orig. Jur. Civ. *l. 3. §. 37. pag. 78.*

Possunt ægri, et moribundi.

Alia generalis, alia specialis perpetuà impotentia.

c. 6. de frigidis.

Summa rei ſtat in dubio, num impotentia perpetua ſit, vel temporalis: num antecedens ſit, vel ſubſequens. Imprimis audiuntur citatæ partes, adhibentur periti Medici, & Chirurgi jurati etiam ad inſpiciendas fœminas, ubi ſolæ honeſtæ juratæ Matronæ non eſſent ſatis doctæ, & expertæ ad perhibendum legale teſtimonium, etiam juramento firmatum. Manente poſt cautam viſitationem eodem dubio, tam Juſtinianus, quam Cœleſtinus III. indulgent a die Matrimonii initi, triennium ad experiendam copulam. Poſt frequentes triennali experimento nixus, interpoſito juramento utriuſque partis ſuper frigiditate, aut maleficio, (frigiditas ipſa quaſi maleficii loco eſt) unde conſummare nequiverint, ſeparantur per ſententiam Judicis Eccleſiaſtici. Pars robuſta, ſi arriſerit ſerenus aer, fertiliores colat agros: pars infirma ploret in vidua domo.

Processus super Impotentia.

Novell. XXII. c. 6. de Nuptiis. c. 5. de frigidis.

Triennale experimentum.

c. fin. eod.

Cum autem Gallis non placeret longum, & dubioſum triennale experimentum, invaluerat, ut hæſitantibus peritis poſt ipſam viſitationem, congreſſus viri cum muliere, tum coram Medicis, tum coram Matronis decerneretur, non quidem vi legis alicujus aut Eccleſiaſticæ, aut Civilis, ſed Conſuetudinis tantum. Verum publico Pariſienſis Senatus Conſulto, die

Congressus in Gallia abolitus.

Digitized by Google

die 18. Febr. 1877. non omnino neceſſarius, imo valde fallax, & plane ſcandaloſus ejuſmodi medii uſus fuit ſublatus, quem jam pridem ſuſtulerat Juſtinianus Imp., tamquam Chriſtiano candori oppoſitum. Ultima tollendi periculoſi certaminis in Gallia fuit cauſa Renatus de Cordüan, Marchio de Langers, qui die 8. Febr. 1659. ſeparatus propter impotentiam præſumptam a priori conjuge, ad ſecundas Nuptias tranſivit cum nobili Puella Diana de Montaud de Navailles, ex qua ſeptem filios generavit.

Elapſo triennio citato, nec concordantibus tyronibus, quorum alter ſuam adhuc negat impotentiam, altera accuſat, juramentum deferatur illi, qui fide dignior eſſe videtur; & lis diuturna judicis arbitrio componatur. Si Eccleſia fuerit decepta, debent ad invicem redire, quia, cum ſucceſſu temporis, & rerum conſtiterit illam impotentiam fuiſſe mere temporalem, primum Matrimonium verum fuit, & ex ſui natura indiſſolubile. Unde jam in uſu non eſt antiqua Gratiani regula: *Si quis accepit uxorem, & habuit eam aliquo tempore, & ipſa fœmina dicit, quod nunquam coiſſet cum ea; & ille vir dicit, quod ſic fecit: in veritate viri conſiſtat, quia vir caput eſt mulieris*. Alius jam ordo eſt. CONTINUUS PROCESSUS. *Cauſ.* XXXIII. *q.* 1. *c.* 3.

Olim Lucius III. quæſitus, *utrum fœminæ clauſæ, impotentes commiſceri maribus, Matrimonium poſſint contrahere? & ſi contraxerint, an debeat reſcindi* contractus? reſpondit: *quod, licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat Matrimonium, Romana tamen Eccleſia conſuevit in ſimilibus judicare, ut, quas tamquam uxores habere non poſſunt, habeant, ut ſorores*. Verum id pluribus abhinc Seculis vix propter pericula, & mala ingruentia potuit unquam damnoſa indulgentia donari. Unde quæcunque arcta, ſive clauſa, & quocunque modo incapax copulæ invenitur, incapax quoque contractus exiſtimatur, qui adverſo ejus fato compleri nequit. Quia vero in Hiſpania circa finem Seculi Decimiſexti ad eandem fraternæ cohabitationis imaginem, veri Eunuchi (ideſt virtute generativa privati, quamvis quadam imperfecta copula tentati) fœminas alere, & tamquam legitimas ſibi uxores alere veriti non ſunt: Sixtus V. antiquum Leonis Imp. Edictum renovavit, atque hos ſemiviros, tamquam vero ſemine deſtitutos, ad contrahendum inhabiles, nec non mutua eorum fœdera, tamquam ſcandaloſa, irrita, nulla pronunciavit, atque proſcripſit. Econtra Eunuchi apparentes ex ſignis externis, & re ipſa perfecti viri, capaces coeundi, qui ad inſtar aliorum ſeminare valent intra vas muliebre, ad inſtar aliorum contrahere valent. Reliqui ſive natura, *c.* 4. *de frigid.* FOEMINÆ CLAUSÆ OLIM ADMITTEBANTUR AD NUPTIAS. EUNUCHI VERI NEQUEUNT CONTRAHERE.

Digitized by Google

tura, ſive infortunio, morbo, & arte caſtrati, & vero ſemine deſtituti, ſoli maneant. Concordat Gravina, Lege Papia ſublatas fuiſſe Spadonum Nuptias, quæ æque abſunt ab omni ſpe liberorum eo, quod generandi vis tali vitio ſit perempta. Huic quæſtioni de Impotentia inſerere juvat verbum de Hermaphrodito, in quo ſexus uterque apparet. Recte apparet, quia verus Hermaphroditus non exiſtit in rerum natura, in quo ſcilicet uterque ſexus promiſcuæ generationi ſit aptus, vel qui ſexum vere mutare poſſit, quamvis appareat certo modo mutari ſexum. Utrumque repugnat in communi organorum corporeorum ſtructura. Quod ſi non raro ab autoribus probatis moveantur curioſa dubia de ſingulari hac ſpecie hominum, autores vel errant, vel loquuntur cum vulgo. Cœterum vel mas erit, vel fœmina talis homo, prouti prævaluerit ſexus, cujus uſum liberum habuerit. Alter ſexus, qui apparet, verus ſexus non eſt, cum non habeat liberum uſum. Sunt ſigna quædam externa, quæ decipiunt ignaros, cum ſint præter ordinem naturæ. Sic natura frequenter ludit in orbe Terrarum, quemadmodum videre eſt in floribus, in arboribus, in lapidibus, in metallis, in volucribus, in piſcibus, in feris. Tertium genus Hermaphroditorum eſt, in quibus uterque ſexus adeo commixtus, & confuſus apparet, ut neuter diſcernatur, neuter verum generationis uſum habeat. Et hi ſunt veri Eunuchi, vero ſemine deſtituti, qui nec teſtes, nec uterum gerunt. Conveniunt facile periti, quod nec teſtes, nec uter ſint neceſſaria ad vitam, quamvis ſint neceſſaria ad generationem. Ad hæc reſolvitur tota quæſtio de his, qui apparent Hermaphroditi. Veri tamen Hermaphroditi non ſunt. Hi, qui liberum uſum habent ſexus maſculini, ducere poſſunt uxores; hi, qui liberum uſum habent ſexus fœminini, ducere poſſunt maritos; hi, qui neutrius ſexus liberum uſum habent, ſoli manere debent, tamquam Eunuchi, qui non generant.

Supra pag. 80. §. 41.

QUID SENTIENDUM DE HERMAPHRODITIS?

Manet ultimum dirimens impedimentum, SI MULIER SIT RAPTA, LOCO NEC REDDITA TUTO. Rapta dicitur, quæ invita, non ad explendam libidinem tantum, ſed ad verum contrahendum Matrimonium abducitur: quia ad mentem Lucii III. *Raptor dici non debet, cum habuerit mulieris aſſenſum; & prius eam deſponſaverit, quam cognoverit, licet parentes reclamarent, a quibus eam dicitur rapuiſſe.* Contra verum raptorem invitæ perſonæ, quæ rapta tantum ſit ad verum Matrimonium contrahendum, *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero* con-

RAPTUS VERUS DIRIMIT.

c. 6. de Raptorib.

REMEDIUM ECCLESIÆ.

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 6. de Reformat. Matrimonii.*

Digitized by Google

conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Cum igitur de prævio conſenſu in raptoris Matrimonium, & in ipſum raptum aliter conſtare non poſſit, ſemper erunt neceſſario ſeparandi, ut relative ad primum conſenſum conſentiant de novo: aut etiam rapta, & tuto loco reddita conſentiat abſolute raptorem habere in virum. *Nihilominus raptor ipſe*, (qui invitam ſcilicet rapuit, non autem ſponſus, qui prætenſam ſponſam conſentientem rapuit) *ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces; & ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, ſive eam uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare*: habita utique debita ratione tam ad raptæ, quam ad raptoris conditionem. CENSURAS INCURRUNT RAPTORES.

Ex uſu Gallicanæ Eccleſiæ aliud impedimentum citat Claudius Blondeau in Bibliotheca Canonum: quatenus parentibus tribuit Jus agendi ad nullitatem contractus. Secunda adeſt ſpecies frequentior, & periculoſa magis, raptus ſcilicet ſubornationis, & ſubductionis; locumve haberet unice in filiisfamilias minoribus, quando raptor per ſe, vel per iniquos miniſtros (quibus meatum oris, & faucium, propter nefaria hortamenta, liquentis plumbi ingeſtione claudere minatur Conſtantinus Imp.) dolo malo ſeducit raptæ ſpiritum: per quæ lenocinia, & incitamenta libidinis, aliave allicientia inhoneſta motiva, & occultas, ac artificioſas ſolicitationes inducit ad Matrimonii conſenſum. Quæ cum ita ſorent, evinceretur conſuetudine, aut potius tacito Eccleſiæ conſenſu poſſe induci impedimenta dirimentia. Hodie vero tota Gallia amplectitur citatum Tridentinæ Synodi Decretum inter raptorem, & raptam: neque ita facile convenirent multæ circumſtantiæ in qualificanda ſeductione. *pag. 82. Edit. 1689.* QUIS SIT RAPTUS SUBORNATIONIS, ET SUBDUCTIONIS? *l. 1. Cod. Theod. de raptu Virg., vel Viduar.*

Olim varii fuerunt mores. Aliquando raptus perpetuum fuit impedimentum; aliquando temporale, prouti hodie eſt, donec rapta permanſerit in poteſtate raptoris. Moyſes legem tulit ſuis Hebræis: *Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet ſponſum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit, qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem: quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ.* Legiſlator æquiſſimus injuriam parenti, damnum filiæ compenſavit. Quod & hodie fieri debet, quando ſummis parentum juribus male ſatisfit aliquando, ne dicam, virginis honos perſæpe negligitur, & parvi penditur. Severiores vindices extiterunt Chriſtiani Imperatores, qui deportationem, & mor- VARII MORES. LEX MOYSIS. Deuter. XXII. 28. JUSTA IMPP. SEVERITAS.

Digitized by Google

& mortem ipſam ſtatuerunt contra eos, qui raperent virgines, & viduas, ſive Deo ſanctas, ſive non. Imo non tantum fautores quicunque, ſed ipſæ virgines conſentientes eadem pœna interdum afficiebantur. Juſtinianus vetat; *nec ſit facultas raptæ virgini, vel viduæ, vel cuilibet mulieri raptorem ſuum ſibi maritum expoſcere; ſed cui parentes voluerint, (excepto raptore) eam legitimo copulent Matrimonio: quoniam nullo modo, nulloque tempore datur a noſtra ſerenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in noſtra Republica Matrimonia ſtudent ſibi conjungere. Oportet etenim, ut, quicunque uxorem ducere voluerit, ſive ingenuam, ſive libertinam, ſecundum noſtras Leges, & antiquam conſuetudinem, parentes, vel alios, quos decet, petat, ut eorum voluntate fiat legitimum conjugium.* Poſt iſtam Conſtitutionem, quam Eccleſia pro potiori parte adoptavit, videtur, quod raptus ſaltem in aliquibus locis perpetuum aliquando impedimentum fuerit; quod in aliquibus aliis locis, nonniſi peracta pœnitentia, & conſentiente utroque contrahente, impedimentum auferri potuerit: donec tantus diſciplinæ rigor vel in deſuetudinem abierit, vel poſt clauſum Duodecimum Seculum res ab Innocentio III. in integrum fuerit reſtituta, juxta quem *rapta puella legitime contrahet cum raptore, ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ.* Vidimus, qui ſint mores hodierni; & hæc dicta ſunto de impedimentis dirimentibus, quæ ſocianda vetant connubia, facta retractant.

l. un. C. de raptu Virginum.

Usus Eccleſiæ.

c. fin. de raptor.

DE MATRIMONIALIBUS DISPENSATIONIBUS
TITULUS XVI.

Diſpenſatio, quæ ex remiſſione, & venia, ex clementia, & lenitate, ex manſuetudine, & miſeratione procedit, provida juris relaxatio eſt. Fuit ſemper *fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore tritici menſuram.* Diſpenſavit in Veteri Teſtamento Deus, qui prius inſtituerat Matrimonium ad Monogamiam, ut poſtea poſſint exemplo Lamech (cujus Poligamia prima vice in Sacris Paginis nominatur) viri de populo ſuo plures uxores alere. Diſpenſavit per ſervum ſuum Moyſen, ut ſcripto repudii libello mulier odioſa dimitteretur, ne occidatur. Diſpenſationis modus nulli unquam ſapienti diſplicuit. Scribit enim Cyrillus Alexandrinus Gennadio Presbytero: *Diſpenſationes rerum nonnunquam cogunt parum qui-*

Quæ ſit diſpenſatio.

Luc. XII. 42.

Autor ipſe Deus. *Geneſ.* II. 24. *Geneſ.* IV. 19.

Deuter. XXIV.

Modus, et causa.

Cauſ. I. *q.* 7. *c.* 16.

quidem a debito quoſdam foras exire, ut majus aliqui lucri faciant. Sicut enim ii, qui mare navigant, tempeſtate urgente, navique periclitante anxiati, quædam exonerant, ut cætera ſalva permaneant: ita nos cum non habeamus ſalvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia. Diſpenſationum origo eadem eſt cum Eccleſia ipſa, in qua ſemper tolerari debuerunt languidi, atque infirmi: niſi quod *majores noſtri ſeverius, & accuratius diſciplinam Canonum colerent, quæ apud nos remiſſius, & humanius tractatur. Hæc autem eſt ſumma differentia, ut mihi videtur*, ait de Marca, *quod apud veteres nunquam daretur venia Canonis infringendi: ſed infracti, & violati pœna ob graviſſimas cauſas aliquando remitteretur: hodie vero Legum Canonicarum venia in anteceſſum concedatur.* Quamvis fervor, & pietas Chriſtiana ab initio ſumma fuerit, in dies declinavit antiqua virtus. *In cauſa quidem fuit ſubditorum contumacia, apud quos tantus erat in Eccleſia Undecimo jam Seculo contemptus Canonum, ut a vindicta ſæpiſſime ob multitudinem reorum abſtinendum eſſet, & diſpenſatione tanto morbo providendum. Itaque ſatius eſſe duxerunt Pontifices, probabili quadam ratione inducti, Canonibus aliquos ſolvere, ut infractarum legum reatus vitaretur, quam poſt vulnus remedium parare.*

Discrimen inter veteres, et recentiores dispensationes.

Concord. Sacerd. & Imp. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 2.

ibid. c. 14. *n.* 7.

Necessitas multa.

Ne vero diutius extra diſpenſationes matrimoniales in exordio propoſitas divagemur, patet, quod Eccleſia ſemper agnoverit, ſe etiam circa quædam impedimenta cum fidelibus ſuis poſſe diſpenſare: ita ut, *ſi quis dixerit, eos tantum conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire Matrimonium contrahendum, & dirimere contractum; nec poſſe Eccleſiam in nonnullis diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit.* Cum autem inter iſta impedimenta, alia dirimant jure divino, alia jure naturali, alia jure humano, ſive Eccleſiaſtico, rationi congruum fuit, Eccleſiam nullatenus poſſe diſpenſare in iis, quæ a Deo, aut a natura magiſtra, cujus idem Deus autor eſt, infallibiliter, & immutabiliter poſita ſunt, quia inferior non præſumit diſpenſare in lege ſuperioris. Rationi pariter congruum fit, Eccleſiam poſſe diſpenſare omnino in iis, quæ ipſamet ordinavit, quia illius ſemper fuit ſolvere, cujus fuit ligare, & omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur. Hinc Imperatores dum Nuptias proſcripſiſſent ſanctione communi inter certas perſonas, v. g. inter pupillam, & tutorem; inter raptorem, & raptam; inter conſobrinos; inter affines: eaſdem Nuptias ex juſta cauſa, ſive ex mera indulgentia ab iiſdem Imperatoribus ſæpiſſime permiſſas fuiſſe, nullus ſane

Ecclesiæ potestas, et usus continuus.

can. 3.

In quibus Ecclesia nequeat dispensare?

Diſt. XXI. *c.* 4.

In quibus possit?

c. 1. *de Regulis Jur.*

Imperatores in suis Legibus dispensarunt?

Cod. *de Interd. Matrimon. inter pupill. & tutor.*

Cod. Theod. *de raptor.*

D. *De grad. & affin.*

Digitized by Google

Cod. Theod. ſi Nuptiæ ex reſcriptis petantur.

ſane ignorat. Ab initio omnis Nuptiarum prohibitio remitti per populum poterat, ejuſque jamdiu erat arbitrium illicitarum Nuptiarum facere. Cujus poteſtatis exemplum habemus apud Livium, a quo traditur Hyſpalæ Feceniæ libertinæ, cujus indicio nefaria Bacchanalium ſacra detecta fuerunt, inter alia præmia adjectum, *uti ei ingenuo nubere liceret*. Quod jus olim populi ſibi de more poſtea principes arripuerunt. Atque hic ferme univerſarum gentium mos ſemper fuit.

l. 39. c. 19.

l. 31. D. de Ritu Nuptiar.

VARIUM IMPEDIMENTORUM GENUS, ET DISPENSANDI VARIA FACULTAS.

Segregemus igitur impedimenta, quæ dirimunt jure divino, & naturali a reliquis, quæ dirimunt jure humano, ſive Eccleſiaſtico. Atqui *Error*, *Vis*, *Amens*, *Raptus* ex defectu conſenſus legitimi, *Impos* ex impoſſibilitate finis neceſſarii, *Jure naturali*, vel *quaſi naturali* dirimunt. *Ligamen* in Lege Evangelica; *Cognatio* inter aſcendentes ſaltem, vel deſcendentes, vel etiam in primo gradu collateralium; *Affinitas* item inter aſcendentes, & deſcendentes *Jure divino*, *vel naturali* dirimunt; quia nullum reperire eſt in Sacris Literis authenticum exemplum; ſi excipias quoad primum conſanguinitatis gradum inter collaterales neceſſaria filiorum, & filiarum Adam conjugia. Ergo in *Errore*, *Vi*, *Amentia*, *Raptu*, *Impotentia*, *Ligamine*, *Cognatione* in linea recta, & in primo collateralium gradu, in *Affinitate* inter aſcendentes nec unquam diſpenſavit Eccleſia, nec communiter potuit. In reliquis tam dirimentibus, quam impedientibus impedimentis, quæ de jure humano, ſive Eccleſiaſtico ſunt, Eccleſia non raro diſpenſavit, & adhuc ſecundum ſcientiam in Domino diſpenſat.

OLIM EPISCOPUS IN SUA DIŒCESI DISPENSABAT FERME SOLUS.

Olim ſiquidem integræ ſuæ Diæceſis œconomia ſoli Epiſcopo concrederetur, ſolus Epiſcopus (quandocunque neceſſitate quadam, atque utilitate evidenti aut raro, aut nunquam diſpenſandum fuit) etiam in cauſis Matrimonialibus de conſilio Cleri ſui videtur diſpenſaſſe. Poſt majores cauſas, ſenſim minores, & præciſe Matrimoniales diſpenſationes fuiſſe ad Synodos Provinciales, tandemque Romam delatas non inveriſimile eſt.

DEINDE VEL SYNODUS, VEL PAPA.

Favit Epiſcopis mirum in modum Synodus Conſtantienſis anno 1414., & Baſileenſis anno 1431., quorum jura quaſi in integrum reſtituere conabantur Patres aliqui. Sed non aſſenſit Martinus V., non aſſenſerunt ſucceſſores Romani Pontifices, cum longa didiciſſent experientia, diſpenſandi arbitrium præ manibus ſingulorum Epiſcoporum periculoſum fore multis propter iniqua tempora. Sane ſi quilibet privatus Epiſcopus eandem vix limitatam diſpenſandi facultatem exerceret, quid poſſet recuſare ſuo non ſatis æquo Principi, cujus favore impoſterum indigeret maximo aut pro ſe, aut pro conſanguineis, & amicis ſuis? Quo tandem deve-

MAGNA INPRIMIS RATIO.

deveniret clavium poteſtas? Sed infinitæ ſunt aliæ rationes ad comprobandam iſtam neceſſitatem, quare totum diſpenſandi arbitrium, ſecundum ſcientiam in Domino, debeat inconcuſſum permanere apud Sedem Apoſtolicam.

Quod attinet ad diſpenſationes Summorum Pontificum in Matrimonialibus impedimentis, conſtat, quod Gregorius M. exeunte Seculo Sexto diſpenſaverit cum Anglis, qui nuper ad Fidem venerant, *ut jam tertia, aut quarta generatio Fidelium licenter ſibi jungi debeat*: idest in linea collaterali, nunquam in linea recta; quamvis juxta conſuetum naturæ ordinem vix poſſibile foret has generationes convenire propter contractum. Illud Gregorius M. ſcripſerat Auguſtino Anglo: & paullo poſt monet Felicem Meſſanenſem, cui tanta indulgentia diſplicuit, ſe ſpecialiter Anglis converſis, non generaliter reliquis nationibus ſcripſiſſe. Propterea ſervent ſuos mores intactos cœteræ Provinciæ.

DISPENSATIONES ANTIQUÆ RR. PP. IN IMPEDIMENTIS.

l. 11. *epiſt.* 64. *ad* Auguſt. Anglum.

l. 14. *ep.* 17.

Gregorius II. ineunte Seculo Octavo commiſit Bonifacio Moguntinenſi diſpenſationem eandem, ut Germani propter nova converſionis merita poſt quartam generationem jungerentur. Paſchalis II. exeunte Seculo Undecimo diſpenſavit cum Philippo I. Rege Francorum, qui ob repudiatam Bertam Friſiæ Ducis filiam, & ob ſuperinductam Bertradam Andegavenſium Comitis conjugem, ab Urbano II. ſacris interdictus, tandem a ſucceſſore poſt pœnitentiam reconciliatus fuit. Innocentius III. an. 1209. per ſuos Legatos Hugolinum, & Leonem Cardinales diſpenſavit cum Ottone IV., qui duxit conſanguineam ſuam defuncti æmuli ſui Philippi Suevi filiam. Poſt Innocentium III. frequentiores factæ ſunt diſpenſationes ad contrahendum Matrimonium, licet prioribus Seculis ſatis frequentes ſint viſæ ad jam contractum tantum Matrimonium. De diſpenſationibus Summorum Pontificum non tam in hac, quam in ſingulis claſſibus dilucide agit præ reliquis diligentiſſimis Scriptoribus providus Eccleſiaſticarum rerum interpres Ludovicus Thomaſſinus, qui per Secula, tamquam per gradus pulchro ordine deſcendit. Primus omnium fortaſſis in primo affinitatis gradu inter collaterales diſpenſavit Seculo Decimoquinto Martinus V. cum Fuxio Comite ad ducendam prioris ſuæ conjugis ſororem, ut ejus ſtirpi adſereretur Corona Navarræ, atque obviam iretur diſſidiis, & calamitatibus, quæ tum ingruunt, cum de regno in incertum pendente decertetur. Julius II. naſcente Seculo Decimoſexto diſpenſavit cum Henrico VIII. Anglorum Rege, ut Catharinam Auſtriacam defuncti Arcturi fratris relictam viduam aſſociet in uxorem, quam propter Annam Bole-

ep. 13. *Tom.* VI. Conc. *pag.* 1448.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 65. *n.* 34.

Otto a S. Blaſio.

p. 2. *l.* 3. *c.* 24. *& ſeqq.*

Bolenam infelix repudiavit. Vivit adhuc Dorothea Neoburgica duorum fratrum Ranutii, & Franciſci Farneſianorum Parmenſium Ducum Vidua. Vivit Dux Odeſcalchus duarum ſororum Burgheſianarum viduus mœrens. Mitto ſexcenta frequentiſſima exempla, quæ veteris Diſciplinæ rigorem indulgentioribus moribus penitus deleverunt, quamvis eadem

Finis Ecclesiæ.

Eccleſiæ ſancta, & firma mens ſit, ne quid abſque neceſſitate, aut magna utilitate præter Sacros Canones concedatur. Contentus ſatis, quia evinco ſoli Romano Pontifici juxta modernam Diſciplinam, ſuper impedimentis dirimentibus ad contrahendum Matrimonium competere jus diſpenſandi, niſi Epiſcopi oſtendant ex ſpeciali conſuetudine, aut privilegio, aut jndulto Apoſtolico, ultra Montes Sede etiam Vacante concedi ſolito, diſpenſandi auctoritatem plus minus ſibi quoque competere.

Quanta Episcoporum potestas?

Tradunt communiter Canoniſtæ, Epiſcopos vel jure ſcripto, & proprio, vel tamquam delegatos Apoſtolicos nonnunquam poſſe diſpenſare in impedimentis dirimentibus. Plures tamen conditiones adſint, oportet: Prima, ut contractum, & conſummatum fuerit Matrimonium bona fide, & cum inculpabili præcedentis impedimenti ignorantia: deinde ut impedimentum adhuc ſit occultum: rurſus ut contrahentes ſint inopes, nec facile propter graves expenſas tam procul ad Summum Pontificem recurrere poſſint: denique ut ſine ſcandalo ſeparari nequeant. Negat Fagnanus: quæ ſententia tutior eſt, aut accomodatior Curiæ Romanæ. Licet omnino Epiſcopis diſpenſare in impedimentis impedientibus tantum, exceptis Votis ſimplicibus, & abſolutis perpetuæ Caſtitatis, & ingrediendæ Religionis approbatæ. In quibus duobus Votis ſolus Papa diſpenſat, quemadmodum in certis juramentis facit aliquando: non quod ipſa Vota, & juramenta faciat irrita, ſed quod ipſa Vota, & juramenta fuiſſe nulla declarat, tamquam dubiæ divinæ legis, ſive humanæ potius imperfectæ voluntatis legitimus interpres. Formidanda diſpenſatio, in qua Deus non irridetur. Durum onus, quando aliena peccata noſtris imponamus humeris, quibus propria immane cauſant pondus. Concludit Tridentina Synodus: *Si quis intra gradus prohibitos ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur, & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat: Idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, ſed etiam conſummare auſus fuerit. Quod ſi ignoranter id fecerit, ſiquidem ſolemnitates requiſitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eiſdem ſubjiciatur pœnis: non enim dignus eſt, qui Eccleſiæ benignitatem facile experiatur, cujus ſalubria præcepta temere contempſit. Si vero ſolemnitatibus adhibitis impedimen-*

cap. 18. de Filiis Presbyt. n. 27.

Quomodo Papa dispensat in Votis, et Juramentis?

Sess. XXIV. 1563. c. 5. *de Reformat. Matrimonii.*

Disciplina recens.

men-

Digitized by Google

mentum aliquod poſtea ſubeſſe cognoſcatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo gratis diſpenſari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro: idque ex cauſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu nunquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſam. Concludamus & nos cum S. Bernardo ad Eugenium III., non matrimoniales tantum indulgentias, verum etiam ſingulas reliquarum diſpenſationum claſſes, præ oculis habentes: *Quid, inquit, prohibes diſpenſare? Non. Sed diſſipare. Non ſum tam rudis, ut ignorem poſitos Vos diſpenſatores: ſed in ædificationem, non in deſtructionem. Deinde quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt. Ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico communis. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* DISPENSATIO VEL NULLA, VEL RARA. Monita S. Bernardi.

DE DIVORTIIS
TITULUS XVII.

Quamvis Matrimonium ex primæva inſtitutione vinculum indiſſolubile ſit: & *propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una*: dirimitur tamen per mortem, quæ omnia ſolvit; ita ut, ſi alteruter ex conjugibus mortuis ad vitam reſurgeret, jus ſemel extinctum nunquam amplius reviviſceret. *Nam quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro alligata eſt legi: ſi autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.* Matth. XIX. 5. MORS SOLVIT MATRIMONIUM. Rom. I. 2. & 3.

Præterea dirimitur Matrimonium ratum, & nondum conſummatum, per ſolemnem alterius conjugum in approbata Religione profeſſionem: quia tunc homo non eſt, qui ſeparat, ſed lex autore Deo ſeparavit; vel quod jam proba conſuetudine invaluerit, hanc ineſſe tacitam contractui conditionem, quæ alteri poteſtatem faciat, profeſſionem in Religione approbata ſolemnem emittendi, alteri ad alia vota tranſeundi. Unde *ſi quis dixerit Matrimonium ratum, non conſummatum, per ſolemnem Religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit.* DIRIMITUR NONDUM CONSUMMATUM PER PROFESSIONEM RELIGIOSAM. c. 2. 7. & 17. de Converſ. Conjugat. can. 6.

Dirimitur aliquando Matrimonium etiam conſummatum. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem Catholicam convertatur, altero cohabitare nolente, vel non ſine blaſphemia divini nominis, & contumelia QUID SI ALTER INFIDELIS, ALTER FIDELIS EX CONJUGIBUS?

Digitized by Google

c. 7. de Divortiis. Creatoris : tunc qui relinquitur, ad ſecunda vota poterit libere tranſire, priore Matrimonio ſoluto. Sequutus eſt Innocentius III. Apoſtolum dicentem : *ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam. Et ſi qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, non dimittat virum... Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat : non enim ſervituti ſubjectus eſt frater, aut ſoror in hujuſmodi : in pace autem vocavit nos Deus.* Si vero ſimul ad fidem Chriſtianam convertantur ambo pagani conjuges, ſeparari non debent. Si converſus plures in paganiſmo aluerit uxores, poſt Baptiſmum adhærebit primæ, etiamſi in paganiſmo juxta ritum eorum prima fuerit repudiata, quia veritas repudiavit in Evangelio injuſtum repudium. Quod ſi converſum & illa ſerius converſa ſequatur, eam adhuc recipere compelletur, niſi jam poſt Baptiſmum is duxerit novam uxorem. Eadem ratio cum Judæis eſt. Declarat Synodus Toletana an. 589., *ut Judæis non liceat Chriſtianas habere uxores, vel concubinas,* (quæ legitimæ pariter erant uxores, ſed non ad domum ſolemniter traductæ) *neque mancipia Chriſtiana comparare in uſus proprios : ſed & ſi qui filii ex tali conjugio nati ſunt, aſſumendos eſſe ad Baptiſmum.* Et juxta aliam Synodum Toletanam anno 633. *Judæi, qui Chriſtianas mulieres in conjugio habent, admoneantur ab Epiſcopo Civitatis ipſius, ut, ſi cum eis permanere cupiunt, Chriſtiani efficiantur. Quod ſi admoniti noluerint, ſeparentur ; quia non poteſt infidelis in ejus permanere conjunctione, quæ jam in Chriſtianam tranſlata eſt fidem. Filii autem, qui ex talibus nati exiſtunt, fidem, atque conditionem matris ſequantur. Similiter & hi, qui procreati ſunt de infidelibus mulieribus, & fidelibus viris Chriſtianam ſequantur Religionem, non judaicam ſuperſtitionem.* Æquum fuit, ubi prævalet favor Religionis, propter quam filii ſortiuntur meliorem ſanioris partis conditionem. Et hæc legitima viri, & uxoris ſeparatio eſt, quæ dicitur Divortium quoad vinculum.

[Margin notes: I. Corinth. VII. 12. — c. 8. de Divortiis. — Quid si alter Judæus? can. 14. — can. 63. — Divortium quoad vinculum.]

Aliud quoad thorum.

Aliud ſecundi generis Divortium eſt quoad thorum, & cohabitationem, vinculo indiſſolubili manente. Diverſæ autem viæ admittuntur ad tale ſecundi generis divortium ineundum, etiam poſt conſummatum Matrimonium. Primo quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo, ſeparari poſſunt ad tempus, vel ad ſemper, ſi ambo in talem ſeparationem libere conſenſerint : aut ſi uterque perpetuam voverit caſtitatem : aut ſi uterque tranſeat ad Religionem approbatam, & emittat profeſſionem ſolemnem ; quia nihil tam naturale eſt, quam quod ii contractus, qui ſuam perfectionem mutuo conſenſu acceperunt, mutuo diſ-

ſenſu

Digitized by Google

ſenſu novam quoque, & legitimam aſſumant conditionem, cui nulla lex contradicat: quamquam vero Profeſſio Religioſa utriuſque partis ſolveret ipſum vinculum, quemadmodum alio in loco patuit. Secundo quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo, ſeparatio licet, ſi aliquis conjugum labatur in hæreſim, vel Judaiſmum, vel Gentiliſmum, vel Mahometaniſmum: aut ſocium ad peſſima crimina incitet, cum quo ſine gravi animæ ſuæ detrimento amplius vivere nequeat: aut alter atrociter ſævus ſit, aut adulter, ſodomita, beſtialis factus fuerit. Tunc licet inſonti ſontem impune deſerere quoad thorum, & cohabitationem, manente vinculo.

Non ſunt audiendi, (hos inter Binghamus) qui docuerunt dirimi Matrimonium, etiam quoad vinculum, ex parte inſontis tantum, ob fornicationem, aut injuſtam, & malitioſam deſertionem, male intelligentes illud Chriſti: *Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur*. Nam *ſi quis dixerit, Eccleſiam errare, cum docuit, & docet juxta Evangelicam, & Apoſtolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non poſſe diſſolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui cauſam adulterio non dedit, non poſſe, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimiſſa adultera, aliam duxerit; & eam, quæ dimiſſo adultero alii nupſerit, anathema ſit*. Quæſo, quales non orirentur in diem colluſiones inter conjuges ſibi invicem inviſos, ſi liceret ob adulterium, aut injuſtam deſertionem ſocium deſerere, & ad jucundiores thalamos tranſire? Iratus uxori, irata marito fierent adulteri: ob adulterium deſereretur alterutra pars: utraque tranſeundo ad ſecundas tedas, ex ſua iniquitate, aut ex adulterio, aut ex colluſione prava peſſimum lucrum ſentiret, & indignos infandæ libidinis fructus colligeret. Monemus tamen neque quoad thorum dimitti poſſe adulteram, ſi maritus vel conſenſerit, vel remiſerit injuriam, vel uterque adulterii reus fuerit: quia delicta aliquando mutua compenſatione quaſi tolluntur; ideſt quoad accuſationem privatam, non quoad publicam vindictam. Sed *ſi quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges quoad thorum, ſeu quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit, anathema ſit*.

[Margin: ERRORES PROSCRIPTI. — Matth. XIX. 9. — Seſſ. XXIV. 1563. can. 7. — SCANDALA. — ALIQUANDO ADULTERIUM NON CAUSAT SEPARATIONEM. — can. 8.]

Olim apud Hebræos *ſi acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem, ſcribet Libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua*. Exiſtimaverunt Hebræi licuiſſe viro quacunque de cauſa uxorem dimittere, quan-

[Margin: Deuter. XXIV. 1. — LIBELLUS REPUDII.]

Digitized by Google

Gen. XVI. docunque marito fieret odioſa. Sic Abram diu ante Legem Moyſis dimiſit rixoſam Ancillam Agar, quæ deſpexit Dominam ſuam. De hoc Repudii libello meminerunt inter reliqua populi piacula Iſaias, Jeremias, Malachias, Matthæus, & Marcus, quorum nemo dubitavit, quoniam Moyſes ad duritiam cordis eorum permiſit illis dimittere uxores: quanquam ab initio non fuiſſet ſic, & noviſſimo tempore Chriſtus repudium abrogaſſet. Dimiſſæ uxores alterum maritum ducere potuerunt, & ſecunda vice dimitti, ſi hic quoque oderit eam, ſecundus nempe maritus dimiſſam a priore marito. (Deuter. XXIV.) Næ, ſi repudiata mulier alterum maritum ducere poterat, quomodo non erat ſoluta priore vinculo? alias fuiſſet duorum virorum uxor; quod infandum ſcelus nulla natio admiſit, quantumvis barbara. Scio equidem, quod mortuo altero marito, aut quæ novum paſſa eſt a ſecundo marito repudium, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem; quia polluta eſt, & abominabilis facta eſt coram Domino; hoc eſt ignominiæ vertitur illi, quod neque penes ſecundum virum invenerit gratiam in conſpectu ejus; adeoque tamquam vilis, & turpis, & infamis fœmina reputabitur in populo. Sed illud quoque argumento eſt mihi, prius vinculum tali pacto ſolutum fuiſſe, ut neque coire amplius, neque reſtitui potuerit. Rurſus quare hoc factum eſt? ni temere dicam, fortaſſis, ne per tot repudia, aut frequentiores remiſſiones promoverentur odia, rixæ, inimicitiæ, deſtruerentur familiæ, publica res deturbaretur, ſalus integra periclitaretur, nec non perpetuis fornicationibus virum inter, & uxorem, quæ perpetuo admittatur, & dimittatur, anſa fieret. Quæ cum ita ſint, hercle non ſatis miror, quomodo ſcripſerit Gaſparus Juenin: *Matrimonium a Judæis contractum ante promulgationem Evangelii non ſolvebatur dato Libello repudii.*

(De Sacrament. *Diſſ.* X. *q.* 4. *c.* 2. *art.* 2.)

ROMANORUM REPUDIA.

Miſſis Judæis vertamus nos ad Gentes, de quarum frequentiſſimis repudiis profana Hiſtoria ſingulis Epochis luculentiſſima promit exempla. Apud Romanos dirimebatur Matrimonium *divortio, morte, captivitate, vel alia contingente ſervitute utrius eorum.* (*l.* 1. *de Divortiis.*) Divortium primus Romæ fecit Sp. Carvilius Ruga, quod ejus uxor, corporis vitio, ei non pareret, & apud Cenſores jurat maritus, ſe liberorum tollendorum gratia uxorem ducere A. U. DXXIII. Si Gellio credamus, is primus fuit: at primus Domitianus fuit, ſi Plutarcho credamus. Cauſas Repudii numerant Impp. Theodoſius, & Valentinianus AA. multas, (*l.* 8. *C. de Divort.*) adulterium, homicidium, veneficium, perduellionatum, ſepulcrorum violationem, ſacrilegium, latrocinium, aut latronum patrocinium, cum impudicis mulieri-

Digitized by Google

lieribus contubernium, uno verbo quoſcunque malos, & incorrigibiles mores. Concordat Juſtinianus, & pulchre diſtinguit inter cauſas divortii marito permiſſas, & cauſas divortii mulieri conceſſas. Imo mutuus conſenſus interveniente probabili cauſa ſufficere videbatur. Impotentia coeundi, abſentia ſponſi ultra triennium, mulier odio mariti abortans, aut ſi procuraverit ſaltem abortum, & plures graves aliæ rationes ſatis erant ad petendum divortium: cujus actionis inſtitutio ex lege competebat utrique, oppreſſæ ſcilicet parti contra opprimentem, dummodo liberi inſontes damnum nullum ſentiant. Eventus cauſæ arbitrio Cenſorum in Republica, Principum in Imperio plurimum ſtabat plus, quam favor clientis penes optimum Patronum: nec raro eædem rationes, quæ aliquando legitimæ habitæ ſunt, rurſus illegitimæ reputabantur: eædemque rationes, quæ aliquando rejectæ fuerunt, rurſus admiſſæ ſunt. Atque adeo variantibus Patronorum ſtudiis variabat contractus natura, & affectus. Utinam tantus favor, & affectus noſtra tempeſtate in judiciis nullum inveniat locum. Tandem apud Romanos, quorum mulieres quaſi uti mancipium habebantur, & longe majorem, quam viri, pudicitiam, & fidem præſtare cogebantur, *tanta morum diſſolutio nata eſt, ut quotannis prope uxores mutarent virum, atque annos frequentius a maritorum, quam a Conſulum ſerie numerarent*. Apud Athenienſes autem uxori pariter, atque viro libera erat Nuptiarum diſſolutio, dummodo Archontem adirent, tum ut ei diſſidii rationem probarent; tum, credo, ut ſi levioribus cauſis diſtraherentur animi, auctoritate, atque conſilio Magiſtratus, in gratiam redirent. Memorabile autem eſt illud Alcibiadis, qui uxorem apud Archontem de divortio ſuo agentem, virique injurias, & maritalis thori contemptum, conquerentem, e medio foro raptam tranſtulit domum, eamque conjugalibus delinimentis placatam a ſententia dimovit. Refert Gravina ex Plutarcho in Alcibiade. Forum Eccleſiæ inter Chriſtianos ſanctiori lege mores Athenienſium valde imitatur. Alcibiadis exemplo multæ lites, multæ moleſtiæ ſanari poſſunt, quibus partes, & Conſiſtoria perſæpe onerantur.

Novell. CXVII. *c.* 8. *ÿ.* 10.

l. 2. C. *eod.*

tit. Novell. c. 7.

Gravina. Orig. Jur. Civ. *l.* 2. §. 29. *pag.* 259.

Jus Atticum.

DE

DE SECUNDIS NUPTIIS

TITULUS XVIII.

Cauſ. XXXI. *q.* 1. *c.* 10. *& ſeqq.*

LICENT IN ECCLESIA.

I. Timoth. V. 14.

I. Corinth. VII. 9.

c. 2. *de ſecundis Nuptiis.*

VInculo per mortem, aut perpetuam omnimodam ſeparationem inter conjuges ſoluto, ſecunda, & ulteriora vota, licet ægro animo, permiſſa tamen ſemper fuiſſe, & eſſe in Eccleſia nemini compertum non eſt. Volebat Paulus Viduas *juniores nubere*, *filios procreare*, *matresfamilias eſſe*, *nullam occaſionem dare adverſario*, *maledicti gratia*. Rationem addit alibi: *melius eſt nubere*, *quam uri*. Interea univerſis Chriſtianis in captivitate Saracenorum gementibus ſcribit Seculo Duodecimo Lucius III.: *Nullus amodo ad ſecundas Nuptias migrare præſumat*, *donec ei conſtet*, *quod ab hac vita migraverit conjux ejus*.

LICUERUNT JUDÆIS, ET GENTIBUS.

ROMANORUM MORES.

Gravina *ſupra* §. 30.

l. 9. D. *de his*, *qui notantur infamia.*

Cod. *de ſecund. Nuptiis.*

Novell. XXII. *c.* 40.

ſupra l. 3. §. 36. *pag.* 72.

Judæis, & Gentibus non ſolum Repudii libellus, verum etiam ſecundæ, & ulteriores Nuptiæ communis ritus fuerunt. Romani quoque admittebant novam ſponſam. Sed juxta annum, qui erat tempus luctui conſueto poſitum, aut decem menſium autore Romulo, aut duodecim menſium inſtauratore Numa, mulieri nubere non licebat, vel ad expectandum partum intra exactum decimum menſem, ſi plena a priori marito relicta fuiſſet, vel ad evitandam incontinentiæ ſuſpicionem, vel ad ordinandas ſuas, &, qui adeſſent, liberorum domeſticas res, vel potius propter gratum honorem, & reverentiam defuncto viro habitam. Non æqua tamen conſideratio erga conditionem muliebrem facta eſt, &, quia *uxores*, ait Paullus, *viri lugere non compellentur*, *ſponſi luctus nullus eſt*. Pœnæ graviſſimæ manebant nubentem durante luctu mulierum. Infamis erat. Secundo marito ultra tertiam partem bonorum in dotem dare, aut plus ex Teſtamento relinquere vetabatur. Omnium extranearum, vel prioris viri hæreditatum, legatorum, fideicomiſſorum, donationum mortis cauſa expers facta erat. Si tutrix eſt, tutela quoque privatur. De moribus Romanorum propter connubia eorum conſulatur Gravina ad Legem Juliam, & Papiam Poppeam.

ÆQUITAS ECCLESIÆ.

can. 8.

c. 4. *de ſecundis Nuptiis.*

Eccleſia vero more ſuo leges Imperatorum honorans, non laudabat quidem frequentiores Nuptias, non damnabat tamen. Damnavit imo Synodus Nicæna an. 325. malos homines, qui contra ſecundas Nuptias veriti non ſunt aliquando inſurgere, & cum bigamis communicare ſtulte negaverunt. *Cum enim Apoſtolus dicat: mulier viro ſuo mortuo ſoluta eſt a lege viri ſui, in Domino nubat, cui voluerit: per licentiam, & auctorita-*

Digitized by Google

ritatem Apoſtoli, ejus infamia aboletur. In eandem Urbani III. ſententiam concidit Innocentius III., quando ait: *non debet legalis infamiæ ſuſtinere jacturam, quæ licet poſt viri obitum, intra tempus luctus, ſcilicet unius anni ſpatium nubat, conceſſa ſibi tamen ab Apoſtolo utitur poteſtate, cum in his præſertim ſeculares leges non dedignentur Sacros Canones imitari*. Monet tandem Apoſtolus de non Nuptis, & Viduis: *Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant... Igitur & qui Matrimonio jungit Virginem ſuam, bene: & qui non jungit, melius facit*. Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit vidua juxta Apoſtoli conſilium, qui certe ſpiritum Dei habuit. Olim Romani juxta citatam Legem Juliam, & Papiam Poppeam præmia Matrimonio, pœnas Cælibatui edixerunt. Quamvis his ab initio nulla pœna eſſet a jure conſtituta, cælibes tamen aliqua ignominia per Cenſores notabantur exemplo Lacedæmoniorum. Correxit profanas leges Eccleſia. Unde *ſi quis dixerit, ſtatum conjugalem anteponendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cælibatus: & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quam jungi matrimonio, anathema ſit*. Hæc de Sacramentis Novæ Legis in Secundo Libro prolata, atque edita ſunto: ita tamen ut prolatum, atque editum non ſit, quidquid Apoſtolicæ Sedi emendare viſum fuerit, cum ab Ejus cenſura nunquam recedamus.

c. fin. eod.

MELIUS TAMEN EST NON NUBERE.

I. Corinth. V. 8.

ibid. 38.

ibid. 40.

can. 10.

LIBRI SECUNDI FINIS.

Digitized by Google

ORIGINUM
JURIS PONTIFICII
LIBER TERTIUS

DE

REBUS
ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM JURIS PONTIFICII

LIBER TERTIUS

DE CALENDARIO ECCLESIASTICO

TITULUS I.

PRimo Libro de Perſonis Eccleſiæ, Altero de Sacramentis, Tertio tradimus de Rebus, quæ non minus utili, quam neceſſariæ Juris Eccleſiaſtici ſcientiæ pro informanda ſtudioſa juventute adhærent. Porro cum vix abſque crimine calculum Eccleſiaſticum ignorare liceat, de Calendario Primum Titulum opportune inſtituimus, in quo ad ſatietatem, non ad nauſeam eſurientibus cibos paramus. Calendarium ſuam accepit a Calendis Etymologiam, quæ Calendæ primam uniuſcujuſque menſis diem notant: unde Cal. Jan. primam Januarii diem deſignamus. Calendarium hoc Eccleſiaſticum illius anni dies, hebdomadas, menſes, cyclum ſolarem, cyclum decennovalem, ſive aureum numerum, indictionem, epactas, æquinoctium declarat, & quid ſtatuto tempore fieri debeat. Divisio Librorum. Quare de Calendario? Etymologia. Usus.

Quando in principio creavit Deus Cœlum, & Terram, facta lux eſt; & diviſit lucem a tenebris: *appellavitque lucem diem, & tenebras noctem: Factumque eſt veſpere, & mane dies unus*. Dies a Jove poſtea, ſive a Diis ſic dictus vel naturalis, vel artificialis eſt. Artificialem vocant, quamdiu Sol horizontem illuminat. Naturalis continet integrum Solis revolutionem ab ortu ad occaſum. Quamvis communis iſte naturalis dies infra viginti quatuor horas non ad idem omnino cœli punctum revertatur: hunc nihilominus dividimus pro uſu noſtro in vigintiquatuor æquales partes, ſive horas, quemadmodum horas ipſas in ſexaginta partes æquales, ſive minuta dividimus. Minuta ruſus dicuntur prima, quorum ſingula continent alia ſexaginta ſecunda: & in ſingulis ſecundis continentur ſexaginta tertia, & ſic in infinitum: quorum uſus Aſtronomis ſummopere neceſſarius eſt. Explicatio Diei. *Geneſ.* I. 5. Artificialis. Naturalis. Civilis.

Orientales, qui diem ac noctem ſeorſim in horas duodecim dividunt, non ſemper eas habent æquales: nam horæ diurnæ nocturnis breviores ſunt hyeme, longiores æſtate. Babilonii, atque Perſæ diem ab ortu Solis auſpicabantur. Athenienſes, & Itali hodie primam horam numerant ab Orientalis dies. Babilonicus, et Persicus. Atheniensis, et Italus.

ab occaſu Solis, ita ut vigeſima quarta eorum hora ſit ultima hora ad ſequentem Solis occaſum.

JUDAICUS. Olim Hebræi diem in horas non diſpeſcebant, ſed in quatuor partes; mane ſcilicet, meridiem, primum, & ſecundum veſperum dividebant. Noctem etiam in tres partes dividebant, veſperam, medium noctis, & vigiliam matutinam. Si quando autem apud Septuaginta, horarum nomen occurrat, illud denotandis anni temporibus, ut apud Homerum,
HOROLOGIUM ACHAZ. & Heſiodum, uſurpatum eſt. Ante Regnum Achaz, qui obiit ante Æ. V. 726., nulla uſpiam horologiorum veſtigia in Sacra Scriptura apparent; quin & ab eo tempore conſueviſſe Judæos dies in horas diſpertiri, nullo ſatis certo argumento convincimur. Cujus eſſet formæ horologium illud, Scriptores non ſatis conveniunt. Alii ſcalam fuiſſe autumant ea arte fabricatam, ut umbra a Sole projecta horas notaret; quæ communis eſt ſententia. Alii columnam fuiſſe in pavimento erectam, quæ umbram demittens, horas in eodem pavimento deſcriptas, quas gradus Scriptura appellat, denotabat. Alii cyclum, ſeu potius hemicyclum ſphæræ concavæ, globum in medio tenentem, cujus umbra in lineas viginti octo in cavitate deſcriptas incidebat; quod horologii genus fere reſpondet horologiis, quæ Græci ſcaphas, cymbas ſcilicet, ſive hemiſphæria, a Beroſo Chaldæo inventa appellant. In Libris Novi Teſtamenti diſtributio diei in duodecim æquales horas more Græcorum, & Romanorum apertiſſime intelligitur. Porro horæ illæ quamvis æquo conſtarent ſpatio, pro diverſis tamen anni temporibus productiores, contractioreſque fuerunt. Omnium primam ab ortu Solis horam ducebant, quæ ferme ſextæ horæ matutinæ apud nos reſpondet præcipue in æquinoctio, ſed in cœteris anni temporibus data brevitatis, & diuturnitatis proportione. Tertiam horam numerabant, quam nos nonam matutinam in æquinoctio, cœteriſque anni temporibus nominamus habita proportione. Sexta ſemper in meridiem cadebat, & ſic de ſingulis. Conſueviſſe etiam Judæos Romanorum more noctem in quatuor vigilias diſtribuere, ex Novo Teſtamento intelligimus. Conſulatur Calmet in Dictionario Biblico.

Gloſſ. ad l. 8. D. de Feriis. Romæ vero in horas duodecim nox, in totidem dividebatur horas
DIES ROMANUS. dies, ubi mos iſte invaluit poſt reperta ſolaria. Antiquiſſimum ſolarium Romæ apud ædem Quirini primum ſtatutum dicunt alii in Capitolio, alii ad ædem Dianæ in Aventino: & illud conſtat, nullum prius Romæ
HOROLOGIUM SOLARE ROMÆ. fuiſſe, quam id, quod M. Valerius capta Catina, in primo Bello Punico

Digitized by Google

nico (quod incepit an. 259. ante Æ. V., & duravit annos vigintiquatuor) ex Sicilia adductum ad roſtra poſuit in columna : quod vero ad clima Siciliæ deſcriptum cum ad horas Romanas non conveniret, L. Philippus Cenſor aliud juxta conſtituit. Deinde aliquanto poſt P. Cornelius Naſica Cenſor ex aqua fecit horarium, quod & ipſum ſolarium cepit vocari propter inductam conſuetudinem noſcendi a Sole horas. Ante Bellum Punicum Romani quoque diem diſtinguebant more ruſticorum. Nec Siculi vero horologiorum inventores fuerunt. Alii ſolaria horologia inventa trans Euphratem ſcripſerunt. Alii Phœniciis honorem inventi tribuunt, primumque horologiorum veſtigium apud Homerum deprehendiſſe ſe credunt in quadam Inſula vel Syria, vel Ortygia, quam Phænicii incoluiſſe feruntur. Tribus circiter poſt Homerum Seculis Pherecydes ſolare horologium in eadem Inſula horis indicandis deſcripſit. Tandem ex Græcorum opinione Anaximander omnium primus tempus in horas diſtribuens, horologiorum ſolarium uſum in Græciam invexit, qui obiit ante Æ. V. 547. Refert Carolus du Freſne in Gloſſario, quemadmodum horologium nocturnum invenit Pacificus Archidiaconus Veronenſis, qui vixit Lothario Ludovici Pii filio imperante. Citat Pacifici Epitaphium ex Panvinio Ughellus in Italia Sacra. Nocturnum vero dicitur ad diſcrimen ſolaris, ſeu diurni horologii: proindeque illud forte fuerit, cujuſmodi hodie frequens eſt uſus, æreum ſcilicet, aut ferreum, quod rotis, ponderibus, libraminibus, ac campanulis conſtat, cujus inventor Polydorum Virgilium, & Guidonem Pancirollum, illiuſque commentatorem Henricum Salmuthum, alioſque hactenus latuit. Tradunt tamen Annales Francorum anno 807. Aaronis Perſarum Regis Legatos inter cœtera munera Carolo M. attuliſſe *horologium ex aurichalco arte mechanica confectum, in quo duodecim horarum curſus ad clepſidram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & caſu ſuo ſubjectum ſibi cymbalum tinnire faciebant, additis in eodem ejuſdem numeri equitibus, qui per duodecim feneſtras completis horis exibant, & impulſu egreſſionis ſuæ totidem feneſtras, quæ prius erant apertæ, claudebant.*

Horarium ex aqua.

Inventores Horologiorum. Herodot. l. 2. c. 109. Odyſſ. 15. v. 402.

Tom. V. p. 609.

l. 2. novorum Repertorum cap. 10.

Horarum itaque nomen non minus, quam per annos trecentos Romæ ignotum fuiſſe credibile eſt, cum in XII. Tabulis nuſquam nominatas horas inveniamus: ſed vel meridiem, vel Solis occaſum, vel ſupremam tempeſtatem. Quod ut evidentius intelligatur, hic ſequens prope fuit ordo Romani diei. Primum tempus hujus diei, *mediæ noctis inclinatio*, (nox enim media principium dabat, & poſtremum Romani diei) hinc pro-

Horæ diu Romanis ignotæ.

Vetus Ordo.

Digitized by Google

proximum *de media nocte* : inde *gallicinum*, quo galli canere incipiunt: inde *conticinium*, quo vel conticuerunt, vel quod tunc homines adhuc quieſcant : tunc *ante lucem* : & ſic *diluculum*, cum Sole nondum orto jam luceat : inde *mane*, ſeu *ſecundum diluculum*, cum lux videatur Solis: poſt hoc *ad meridiem* : tunc *meridies* : inde *de meridie* : poſt, *tempus occiduum* : mox *ſuprema tempeſtas*, ſicut expreſſum legitur in XII. Tabulis; *Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto* : deinde *veſpera* : inde *crepuſculum*, quod res creperæ, ideſt dubiæ, ut neſcias, dies ſit, an nox. Ab hoc tempore *prima fax*, quod tempus veteribus nuncupabatur luminibus accenſis : deinde *concubia*, ſeu concubium : mox *intempeſta*, quæ non amplius habet idoneum tempus rebus gerendis : ab hoc *ad mediam noctem*: inde *media nox*, ſeu *mediæ noctis inclinatio* : hoc eſt id tempus, a quo hujus brevis narrationis exordium duximus. Fuit & nox in quatuor vigilias diviſa. I. Paullus Patavinus ad Sabinum ſcribit, quod inducentibus Ægyptios Ritus Sacerdotibus Romanis, *more Romano dies a media nocte incipit, & ſequentis noctis media parte finitur. Itaque quidquid in his vigintiquatuor horis, ideſt duabus dimidiatis noctibus, & luce media actum eſt, perinde eſt, quaſi quavis hora lucis actum eſſet.* Hic autem Civilis dies fuit : hic quoque Eccleſiaſticus dies eſt.

l. 8. D. de Feriis.

DIES ECCLESIASTICUS. HEBDOMADÆ EXPLICATIO.

Hebdomada Græcis, Septimana Latinis, continui ſeptem dies ſunt, cujus autor videtur ipſe Deus fuiſſe, quando *requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat, & benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum, quia in ipſo ceſſaverat ab omni opere ſuo.* Hic ſeptimus dies erat Hebræorum Sabbatum, quod ſonat quietem : quia illo die quieſcebant. Apud ipſos integra Hebdomada aliquando nominabatur Sabbatum. Septimus annus erat Sabbaticus, quinquageſimus ex ſeptem annorum Hebdomadis Jubilæus: quo tempore ſumma quies non hominibus modo, ſed jumentis, agris, & vineis ipſis præcepta erat. Chriſtiani ob memoriam Reſurrectionis, neve cum perfidis Judæis Chriſti occiſoribus unquam quieſcerent, Sabbatum verterunt in Dominicam, quæ nobis ſacroſancta eſt. Eccleſiaſtico ritu numeramus Ferias VI., Sabbatum, & Dominicam, quæ inſtar Feriæ primæ foret. Ethnici numerant diem Lunæ, Martis, Mercurii, Jovis, Veneris, Saturni, & Solis, ne dies ſit, qui ſuperſtitioni non devoveatur. Judæi Fer. VI. vocant Paraſceven, ideſt præparationem Sabbati.

Geneſ. II.

SABBATUM HEBRÆORUM. *Exod.* XXXV. *Levit.* XXIII. Luc. XVIII. 12. Matth. XXVIII. 1. *Levit.* XXV.

CHRISTIANORUM DOMINICA.

FERIÆ ECCLESIASTICÆ. ETHNICORUM SUPERSTITIO.

Menſis duodecima pars anni eſt, quia annus habet duodecim menſes, quorum nota ſunt nomina. Aprilis, Junius, September, November

MENSIS EXPLICATIO.

con-

continent 30. dies : Februarius 28., niſi ſit biſſextus, in quo additur dies unus Februario. Reliqui ſeptem menſes Januarius, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, December continent 31. dies. Calendario Judaico cum non ſatis indigeamus, ſufficit advertere menſes Judaicos non ſemper concurrere cum noſtris menſibus, aut eorum partibus, ſcilicet quorum Lunatio Paſchalis modo citior, modo tardior eſt. Duodecim eorum menſes ſunt alii pleni, vel dierum 30.: alii cavi, vel dierum 29. Rurſus alii Civiles, alii Eccleſiaſtici. Primus Civilis incidit in partem noſtri Septembris, & Octobris : Primus Eccleſiaſticus incidit in partem noſtri Martii, & Aprilis; ita ut Ver ſit initium anni Eccleſiaſtici, Autumnus anni Civilis. Ab initio menſes Judaici certa nomina non habuerunt, dicti menſis primus, ſecundus, tertius, & reliqui. Poſt captivitatem Babylonicam Judæi, utpote parva gens in medio frequentiſſimarum nationum, moribus eorum, quibus ſubdebantur, in digerendis anni rationibus ſe conformare coacti ſunt, quemadmodum & hodie illis fit. Primo igitur ad Chaldæos, ſecundo ad Perſas, tandem ad Græcos acceſſerunt, ex quo factum eſt, ut conſueta apud Chaldæos, & Perſas menſium nomina, & fortaſſe eandem anni ſupputationem uſurparent. Ad Græcos acceſſerant ætate Autoris Eccleſiaſtici, Machabæorum, Joſephi, & Philonis. Græci autem annos juxta Solem, menſes vero, & dies juxta Lunam agebant. Græci primam menſis diem a nova Luna Neomenias dicebant cum Hebræis, quia novilunium erat initium ſingulorum menſium. Unde Judæi ſuas vigilias ad cacumina altiſſimorum montium mittebant : viſoque primo novæ Lunæ apice, exploratores iſti ex ſuis ſtationibus, illico novæ Lunæ ſigna clangentibus tubis dabant per univerſam regionem. Hoc forte, quemadmodum & illud de duplici feſto tam prodeuntis, quam deliteſcentis Lunæ extra Civitatem Hieroſolymitanam. In Templo enim, & in Urbe certum erat Calendarium, vel fixum Synhedrii Conſultum ſingulis feſtivitatibus deſignandis : quod præſtant apud nos Diæceſana Directoria, & communes Rubricæ. Verum redigendis in ordinem æquinoctiis, quibus ex diſcrepantia anni ſolaris, & lunaris exorbitantibus Neomeniæ a prima menſis die revellebantur, Judæi ſingulis trienniis decimumtertium menſem intercalarem addebant, ex quo ſolaris, & lunaris annus iterum conciliabantur, cum 36. menſes Solis congruant 37. lunaribus, eo ordine, ut Paſcha ſemper in novilunium poſt æquinoctium incideret. Conſulatur Lamy, & Calmet.

CALENDARIUM JUDAICUM.

Menſis Romanus dividitur in Kalendas, Nonas, & Idus. Prima dies erant

MENSIS ROMANUS.

Digitized by Google

erant Kalendæ, quia recte prima menſis die Populus a Sacerdotibus ad Capitolium convocabatur. Nonæ cadunt vel in quintam, vel in ſeptimam menſis diem, quia recte illa dies nona erat ante Idus. Idus ab iduando, ſeu dividendo, quia dies illa ferme ſecat menſem in duas partes æquales. Cadunt autem Idus in decimamtertiam menſis diem, quando Nonæ fuerunt dies quinta: & in decimamquintam menſis diem cadunt Idus, quando Nonæ fuerunt dies ſeptima. Integrum menſis Romani computum præbent noti verſiculi.

Majus ſex nonas, October, Julius, & Mars:
Quatuor aſt reliqui: Dabit idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic ante calendas,
Quas retro numerans ſumes a menſe ſequenti.

Paucis. Singulorum menſium prima dies inſcribitur, *Calendæ* ejuſdem menſis. Ultima dies menſis inſcribitur, *pridie Calendas* menſis ſequentis: v. g. 1. *Jan.* inſcribitur *Calendis Januariis*: 31. *Jan.* inſcribitur *pridie Calendas Februarii*, ideſt pridie ante 1. Feb. ordine retrogrado. Sic 30. *Jan.* inſcribitur *III. Cal. Feb.*, ideſt tertia dies ante 1. Feb. Sic *pridie Nonas*, *pridie Idus*. Sic *III. Nonas*, *III. Idus* ordine retrogrado. *Nonis* autem ſcribitur 5. Jan., Feb., April., Jun., Auguſt., Septemb., Novemb., Decemb. *Idibus* pariter ſcribitur 13. eorundem menſium. Econtra *Nonis* ſcribitur 7. Mart., Maj., Jul., Octob. *Idibus* pariter ſcribitur 15. eorundem menſium. Hæc ſumma eſt.

ANNUS SOLARIS. De anno longior fluit calculus. Imprimis annus ille gyrus eſt, quoties eccliticam integram ſemel circuiverit Sol, Luna interea duabus, & decem vicibus eundem curſum agente intra ſpatium 354. d., 8. h., 48., min., 38. ſecund. Solaris annus duplex eſt. Alter Tropicus, ſive Aſtronomicus concluditur ſpatio 365. d., 5. h., 49. min. Alter Civilis, ſive Julianus a C. Julio Cæſ., IV. Conſ., biennio ante ejus mortem inſtitutus concluditur 365. d., 6. h.; quæ ſex horæ ſingulis quatuor annis diem integrum faciunt. Ille dies eſt, qui ante VI. Cal. Mart. collocatus, quarto anno Biſſextilem efficit: atque 29. Feb. numeramus anno iſto Biſſextili, quando 28. Feb. tantum numeramus reliquis annis. Quo remedio ſex horas quatriennio neglectas Julius Cæſ. in integrum reſtituit, contentus, quod ordini Civili conſuluerit in Republica; parum curans, quamcunque viam interea Sol teneret. Finem ſuum aſſequutus eſt. Cum vero dies intercalaris inter 23. & 24. Feb. inſereretur, bis eo anno dici debuit VI. Cal. Mart. Unde annus ipſe nuncupatus fuit Biſſextus.

TROPICUS, ET JULIANUS.

BISSEXTUS.

Jam

Digitized by Google

Jam vero quia Tropicus 11. m. brevior Juliano eſt, ita ut intra annos 131. omnia hæc minuta ſimul conjuncta integrum diem conſtituant, evenit ab anno Synodi Nicænæ an. 325. uſque ad annum Gregorianæ correctionis an. 1582., Tropicum decem integris diebus finiſſe ante Julianum: unde nec æquinoctium vernum in Calendario, nec Paſcha rite in Eccleſia celebrabatur amplius. Providit huic malo correctio Gregoriana an. 1582., ſemel decem integros illos dies delendo; atque impoſterum ordinando, ut intra 400. annos Tribus primis Seculis dies unus Biſſextilis perimeretur, Quarto Seculo non perimeretur amplius. Anno 1600. dies omiſſus non eſt: & quia anno 1700. 1800. 1900. omitti debet, ideo anno 2000. rurſus omitti non debet. Quid ſenſerim in hac cauſa, extat altera mea Epiſtola *de conciliandis annis Tropico, & Juliano*. Quam ego anno 1734. edideram Jaurini, hanc edidit anno ſequenti Norimbergæ Adelbulnerus *ad Tomum II. Commercii Aſtronomici*.

Grave malum in ratione temporum.

Correctio Gregoriana.

Nova opinio.

Annum Julianum Angli, Dani, Sueci, atque Ruſſi hodie adhuc ſervant: a quibus decem illi dies nunquam deleti fuerunt, ſed continuo numerantur: ita ut, quando nos 1. Jan. ſcribimus, illi ſcribant 22. Decemb. ſive utrumque ſimul, puta 1. Jan. ſt. n., 22. Decembr. ſt. v. Status vulgo nuncupati Evangelici S. R. I. ſub initium hujus Seculi, relicto Juliano, Gregorianum ſtylum ad certum tempus tantum proviſorio modo adoptarunt. De mea opinione placuit erudito viro Georgio Erhardo Hambergero affirmare, quod non præſumam. Scilicet *optandum eſt, ut S. R. I. Electores, Principes, atque Status hunc reducendi annos Civiles ad ſolaem modum, quo ſane melior dari nequit, communi decreto adoptent*. Quæ fuerit tamen opinio iſta, illam ad calcem hujus Tituli, tamquam Appendicem ſubnectam.

Non ubiqui receptum remedium Gregorianum.

Elogium novæ opinionis.

Interea annus Eccleſiaſticus juxta emendationem Gregorianam ſuum dirigit curſum, in quo magni momenti res eſt, æquinoctia duo, totidemque ſolſtitia figere. Æquinoctium vernale, quod eſt veris initium, cadit 21. Martii. Solſtitium æſtivum, quod eſt æſtatis initium, cadit 21. Junii. Æquinoctium autumnale, quod eſt autumni initium, cadit 23. Septembris. Solſtitium hyemale, quod eſt hyemis initium, cadit 23. Decembris. Et hic computus vulgaris eſt, non præciſus.

Æquinoctia, et Solſtitia.

Interea ſcitu dignum eſt de anno lunari, quod Lunæ menſis duplex ſit. Periodicus continet 27. d., 7. h., 43. m., 7. ſec., quod ſpatium Luna in ſuo gyro impendit. Alter Synodicus continet 29. d., 12. h., 44. m., 3. ſec., quo ſpatio Luna a Sole digreſſa eundem aſſequitur. Annus vero lunaris

Periodicus Lunæ menſis. Synodicus.

Digitized by Google

Annus Lunaris ex Synodicis Menſibus.

ex ſynodicis menſibus perficitur, proindeque continet circiter 354. d., 8. h., 48. m., 36. ſecund. Totus iſte computus præciſus non eſt, ſed communis, & veriſimilior. Hujus digreſſionis rationem inter reliquos reddit Edmundus Purchotius, poſtquam Lunam ab ortu in occaſum dietim cum reliquis ſideribus abripi advertiſſet. Tum vero: *Luna ab occaſu in ortum 13. fere gradibus, quolibet die progreditur, ita ut curſum ſuum ſpatio 27. dierum, & 8. fere horarum abſolvat: & hic menſis Periodicus vocatur, quia nimirum Luna ab occaſu in ortum mota, Periodum ſuam abſolvit; ideſt ab una determinata Cœli parte ad eandem, ſive ab una ſtella fixa ad eam ipſam, peracto Cœli circuitu, revertitur. Sed ſi Luna comparetur cum Sole, qui non in eodem loco ſenſibilis, ut ſtella fixa, remanet: ſed ſingulis diebus unum pene gradum conficit in Zodiaco ab Occidente in Orientem, ut jam dictum eſt, plus temporis ab una ſyzygia, ſeu conjunctione ad alteram inſumit, quam ut ab uno determinato Cœli puncto ad idem Cœli punctum redeat. Cum enim Sol 26. aut circiter gradus* (Petavius habet *fere 27.*) *in ortum ſpatio menſis Periodici progreſſus fuerit, debet Luna duos dies, & amplius menſi Periodico adjicere, ut menſem Synodicum, ideſt ſpatium, quod intercedit ab una ſyzygia ad aliam, compleat, & Solem aſſequatur. Unde menſis ille Synodicus conſtat 29. diebus, 12. horis, 44. minutis, & ſecundis 3. Sed vulgo minuta negliguntur, ac menſes lunares Synodici alternis 29., & 30. diebus conſtant.*

Inſtit. Philoſ. Tom. III. *Phyſices p. 2. ſect. 2. c. 4.*

Digressio Lunæ a Sole.

Ration. Temp. *p. 2. l. 1. c. 2.*

Annus Lunaris Civilis.

Atque ita tertius eſt Civilis annus lunaris, qui omiſſis minutis, ex horis 12. & 12. faciens ſibi diem integrum, alternatim menſem numerat dierum 29. & 30. Tali anno Lunari ſimplici utuntur hodie Arabes, Turcæ, ac Saraceni, contenti hac ſua politica ordinatione, parum ſoliciti, quem gyrum ageret interea Luna, & quæ ſit incerta alias inchoantis anni ſui tempeſtas, & indeterminata ſedes.

Annus Judaicus.

Præterquamquod de Judæorum moribus ſupra obſervavimus, qui plerumque anno lunari 354. d. olim uſi fuerunt, vel potius conſuetudini variæ nationum ſe ſe accomodaverunt, quas inter vivere debuerunt: moderni Judæi Epocham ſuam figunt Orbem Conditum, Natalem vero Chriſti anno O. C. 3760. Unde propter harmoniam utriuſque calculi, Chriſtianorum ſcilicet, & Judæorum, ſat erit huic numero 3760. addere Æ. V. 1739., reſultat annus Judaicus 5499.

Annus Romanus.

Romulus decem poſuit anno menſes, qui fuit dierum 295. Martius primus fuit menſis Marti ſacer, Numa præpoſuit Januarium a Jano, & Februarium a Februo luſtrationum Deo, uſuſque civilibus lunaribus menſibus annum fecit dierum 354. Cum autem integra Solis revolutio non abſol-

Digitized by Google

abſolveretur, Julius Cæſ. dies 11., & horas 6. addidit, annumque ſuum clauſit intra dies 365., & horas 6., propter quas horas ſex Biſſextus quoque fuit inſtitutus. Idem a menſe Martio auſpicari voluit annum, quia Romulus in honorem Martis hoc ipſum ſtatuerat.

Athenienſes, & reliqui Græci ab initio annum poſuerunt dierum 360. ex 12. menſibus lunaribus, quibus ſingulis 30. dies aſſignaverant. Multæ variationes ſubſequutæ ſunt. Videtur initium anni Græci fuiſſe ſumptum vel ab hyberno ſolſtitio, vel ab æquinoctio autumnali. Hodie ab autumno incipiunt annum ii communiter, qui Græci Ritus ſunt, exceptis Ruſſis, qui ab anno 1700. a Circumciſione Domini nobiſcum annum incipiunt, ſalvis decem diebus, de quibus ſupra mentionem fecimus. Unde noſtra Undecima Januarii dies apud illos Prima Januarii dies eſt. ANNUS GRÆCUS.

Ægyptii uſque ad cladem Antonii, & Cleopatræ, ante Æ. V. 26., retinuerunt annum dierum 365., donec cum jugo Romano formam quoque anni Romani receperint. Initium veteris anni Ægyptiaci videtur fuiſſe circa finem noſtri menſis Auguſti. Antiquiſſimus Ægyptiacus annus nonniſi menſem unicum, deinde tres menſes numeraſſe fertur. Non mirum, quod tot annos regnaverint Reges ſui. Sic antiquæ ſingulæ gentes ſingulares annos quoque aut longiores, aut breviores ſervaſſe dicuntur. Veteres Latini annum 13. menſium, 374. dierum gerebant; Mexinani 18. menſium, 360. dierum; Sinenſes 24. menſium, 360. dierum; Inſulani Inſulæ Formoſæ 10. menſium, 360. dierum. Alii aliter. ANNUS ÆGYPTIACUS. LATINUS. MEXICANUS. SINENSIS. INSULÆ FORMOSÆ.

Chriſtiani communiter a prima Januarii initium anni ducimus, quibus ad ſolſtitium hyemale Chriſtus Salvator natus eſt. Fuiſſet quidem nobis ipſe Chriſti Natalis prima dies anni, niſi primi Chriſtiani inter populum Romanum plurimum verſantes, debuiſſent ſe ſe civilibus quoque eorum Ritibus, annoque Juliano conformare. Olim Gallorum alii annum ſuum inceperant a Nativitate, alii a Reſurrectione Domini: Germani, Romani, atque Itali communiter a Nativitate: Lotharingorum alii a Nativitate, alii ab Incarnatione, alii a Reſurrectione. Tandem omnes hi a Circumciſione inchoant annos ſuos. Quod in Gallia evicit Edictum Caroli IX. anno 1564.; in Lotharingia Edictum Caroli III. anno 1580.; alibi uſus inveteratus. Cancellaria Romana & hodie inſcribit annum Incarnationis, Dataria annum Circumciſionis. ANNUS CHRISTIANUS.

Opportuna hic fiet mentio de illuſtrioribus Epochis. Prima eſt ab Orbe Condito, quæ præcedit Æram Vulgarem ante annos 4004., verum autem Chriſti Natalem ante annos 4000. Hic recens Eccleſiæ Latinæ viget com- ORBIS CONDITUS. ÆRA VULGARIS. NATALIS CHRISTI.

Digitized by Google

putus juxta Æram Vulgarem. De Orbe Condito non una ſententia. Celebris Epocha eſt Æra Seleucidarum, ſeu initium Imperii Seleuci Regis Syriæ ab O. C. 3692., ante C. N. 308. Mors Alexandri M. ante Chriſtum 319. Memorabant Græci ſuas Olympiades, quia ſingulis quatriennis colebantur ſacri Jovi luſus ad ripam Alphæi, prope Civitatem Peloponneſi, quæ dicebatur Piſa, in templo Jovis Olympiaci, circa ſolſtitium æſtivum, autore Hercule, inſtauratore Iphyto. Prima Olympias numeratur ab O. C. 3228., ante C. N. 774., quando Choræbus victoriæ præmium tulit. Alii 776. numerant. Roma condita fuit ab O. C. 3256., ante C. N. 744. Antiqua Æra Hiſpanica præcedit Æram Vulgarem ante annos 38., quo tempore Domitius Calvinus ſubjugavit Hiſpanos imperio Auguſti. Tunc acta publica ſignabantur hoc ordine: *Annus erat Regni Auguſti*, quæ formula contracta fuit his notis: *A. E. R. A.* Hinc orta eſt quaſi unica vox *Era*, ſive Epocha. Jam ab anno 1383. Caſtellæ Regnum, ab anno 1359. Arragoniæ Regnum, ab anno 1415. Portugalliæ Regnum adoptaverunt Æram Chriſtianam. Æra Martyrum, quando Diocletianus incepit ſævire in Chriſtianos, A. C. 302., vel 303., in multis Eccleſiis Orientalibus ferme ad noſtra tempora perduravit.

ÆRA SELEUCIDARUM. OLYMPIADES. ROMA CONDITA. ÆRA HISPANICA. ÆRA MARTYRUM.

HEGIRA. Hegira Arabum, ſeu Fuga Muhammedis falſi Prophetæ contigit anno 622. Æ. V. Cœterum Dionyſius exiguus fuit primus, qui Seculo Sexto, regnante Juſtiniano Imp., Epocham fundamentalem ſuæ Chronologiæ inſtituit Incarnationem D. N. J. C. Tunc irrepſit continuus error, quod Æra Vulgaris tribus annis, & diebus ſeptem poſterior facta ſit vero Chriſti Natali. Qui Dionyſium ſequuti ſunt, annum tamen incipiunt a Circumciſione, Dionyſius a Nativitate. Diſcrimen intercedit unius anni, Beda Seculo Octavo primus Æram Incarnationis introduxit in ſuam Hiſtoriam.

UNDE NATUS SIT ERROR DE NATALI CHRISTI?

EXPLICATIO CYCLI SOLARIS, ET LITERÆ DOMINICALIS. Venit Ordo Cyclorum. Scimus annum Julianum contineri ſpatio 365. d., 6. h., ſi ſit communis; contineri 366. d. præciſe, ſi ſit Biſſextus, quando quolibet anno quarto ſex horæ intermiſſæ conſtituerunt integrum diem. Hinc ſequitur anno communi numerari hebdomadas 52., & diem 1.; anno Biſſextili numerari hebdomadas 52., & dies 2. Quare ſi annus communis a Dominica inceperit, ſequens incipiet a die Lunæ: qui ſequens annus ſi foret Biſſextus, inciperet a die Martis. Sunt enim duo dies, qui ſuperſunt in Biſſextili, unus, qui ſupereſt in communi. Jam ſicuti ſeptem dies habet Septimana, ita ſeptem Literæ poſitæ ſunt A. B. C. D. E. F. G., Dominicales imprimis dictæ, quia in Tabellis Temporariis Feſtorum Mobilium

Digitized by Google

bilium denotant Dominicam totius anni : ita ut quia anno 1738. Litera Dominicalis E. fuit, in quocunque Calendarii loco legebatur Litera E., ille locus Dominicæ fuit. Sed quarto anno Biſſexto, quo duplicatur dies, duplicatur Litera, ordine tamen retrogrado. Sic hic annus 1739. habebit Literam D., annus 1740. Literam CB., quia Biſſextus duplicat diem, & literam. Nexus Literæ Dominicalis cum Cyclo Solari hic eſt, quod peractis 28. annis (quem gyrum Cyclus Solaris facit) idem literarum ordo redeat, ſive eadem Litera Dominicalis.

RUBRICA ad habendum Cycli Solaris annum, habito Æ. V. anno.

Pone annum Æ. V.		1739
adde		...9
Divide per	28	1748
	62	168
		68
		56
		12

Reſiduum 12. numerus eſt Cycli Solaris anno currente. Quodſi reſiduum ſuperet præfixum diviſorem 28., tunc detracto numero 28., quod ſupereſt novum reſiduum, illud erit annus Cycli Solaris.

Explicatio Cycli Lunaris.

Major difficultas eſt in conjunctione Solis, & Lunæ, quæ nondum ſatis abſoluta eſt. Hanc intra biennium, vel quatriennium, vel octennium fieri aliquando varia opinio tulit. Tandem Meto quidam Athenienſis Cyclum decennovalem invenit, quem tanti fecit antiquitas, ut aureum ipſum appellaret, aureiſque depingeret characteribus. Illum Chriſtiani adoptarunt propter celebritatem jejuniorum, & Paſchatis. Ideo Cyclus Lunaris annorum 19. gyrus eſt, quo peracto exiſtimabatur, novilunia ad idem punctum zodiaci redire, unde profecta erant, ita ut Lunaris motus ad æqualitatem perduceretur cum Solari. Quomodocunque iſte computus inſtituatur, nec Periodicus, nec Synodicus, nec Civilis annus Lunaris convenit aut cum anno Tropico Solari, aut cum Juliano, aut cum anno communi Græcorum. *Quocirca*, ait Petavius, *annis 19. vertentibus non fit præciſa peræquatio motuum utriuſque ſideris; neque Luna ad idem diei punctum revertitur, unde erat progreſſa*. Dolendum magis, quod nondum inventa ſit hæc jam diu deſiderata peræquatio: & vix aliqua ſpes ſupereſt hujus peræquationis inveniendæ. Certant hodie Angli, quorum alii metuunt, ſe hoc anno 1739. non rite celebraſſe ſuum Paſcha.

Ration. Temp. p. 2. l. 1. c. 2.

RU-

Digitized by Google

RUBRICA ad habendum Aureum Numerum, habito Æ. V. anno.

Pone annum Æ. V. 1739
adde ...1
Divide per 19 | 1740
91 | 171
30
19
11

Reſiduum 11. eſt Numerus Aureus anno currente. Idem dic, quod de Cyclo Solari dictum fuit, vel cum reſiduum ſuperet præfixum numerum 19., vel cum nihil reſidui fuerit. Si enim nihil reſiduum fuerit, numeratur ultimus annus cycli, ſeu diviſoris.

INDICTIONIS EXPLICATIO.

INDICTIO 15. annorum gyrus eſt, originis non ſatis certæ. Conſtantinopolitana, ſeu Græca a Kal. Septemb., Cæſarea, ſeu Imperatoria ab VIII. Kal. Octob., Romana, ſeu Pontificia a Kal. Jan. incipit, quæ poſtrema adhuc in Bullis, & in Calendariis nominatur. Nec Græca, nec Cæſarea amplius in uſu ſunt.

RUBRICA ad habendam Indictionem Romanam habito Æ. V. anno.

Pone annum Æ. V. 1739
adde ...3
Divide per 15 | 1742
116 | 15
24
15
92
90
2

Reſiduum 2. eſt Romana Indictio anno currente.

PERIODUS JULIANA.

Ex Cyclo Solari, Aureo Numero, & Indictione Romana Periodus Juliana ad normam anni Juliani per Joſephum Scaligerum Julii filium inſtituta fuit, quam ab aliis mutuavit. Primi Calippus, & Hipparchus conjunxerunt quatuor cyclos Metonicos, ſive annos 76., ut minutias in aureo numero reſiduas eliderent. Alter Victorius Aquitanus circa annum Chriſti 457. Cyclum Solarem, & Aureum Numerum invicem multiplicavit, ex qua multiplicatione exſurgit productum 532. Voluit Dionyſius Alexandrinos, & Romanos conciliare in celebrando Paſchate: quæ Periodus Dionyſiana uſ-

que

Digitized by Google

que ad correctionem Gregorianam anno 1582. ſummæ exiſtimationis fuit. Addidit Joſephus Scaliger Indictionem Romanam, & productum ex tribus inſignioribus cyclis facit 7980., ita ut diviſo hoc numero 7980., ſive per 28., ſive per 19., ſive per 15., nihil omnino reſidui futurum ſit poſt peractam diviſionem. Id quoque peculiare habet Periodus Juliana, quod intra annos 7980. nunquam redeat eadem figura. Unde ſi annales adſcripſiſſent tres iſtos Cyclos, nulla ſupereſſet difficultas in Chronologia.

RUBRICA ad habendum concordem Periodi Julianæ annum, habito Æ. V. anno, & iſtius anni triplici Cyclo.

Solaris multiplicatur per	4845.
Lunaris per	4200.
Indictio per	6916.

Summa producta dividitur integra per Periodum Julianam 7980. Reſiduum erit ſolutio quæſtionis. Exemplum in annum currentem 1739.

Solaris 12.	multiplicatus per	4845.	producit	58140.
Lunaris 11.	multiplicatus per	4200.	producit	46200.
Indictio 2.	multiplicata per	6916.	producit	13832.
				118172.

Quæ ſumma integra triplicis hujus multiplicationis, ideſt 118172. diviſa per Periodum Julianam 7980., ut fieri debet, dabit præter quotientem 14. pro reſiduo 6452. Unde Annus Æ. V. 1739. concurrit cum periodo Juliana 6452.

Sic anno vulgari 1., Solaris 10.	multiplicatus per 4845.	producit 48450.
Lunaris 2.	multiplicatus per 4200.	producit 8400.
Indictio 4.	multiplicata per 6916.	producit 27664.
Summa integra triplicis hujus multiplicationis facit		84514.

quæ ſumma univerſa diviſa per Periodum Julianam 7980. dabit præter quotientem 10. pro reſiduo 4714. Unde annus vulgaris 1. concurrit cum Periodo Juliana 4714.

Sic annus Creationis concurrit cum Periodo Juliana 710.: quæ ſumma diviſa per 28. dabit præter quotientem 25., pro reſiduo 10.; diviſa per 19. dabit præter quotientem 37. pro reſiduo 7.; diviſa per 15. dabit præter quotientem 47. pro reſiduo 5.

Atque ita Solaris 10.	multiplicatus per	4845.	producit 48450.
Lunaris 7.	multiplicatus per	4200.	producit 29400.
Indictio 5.	multiplicata per	6916.	producit 34500.
Summa integra triplicis hujus multiplicationis facit			112430.

quæ

Digitized by Google

quæ ſumma univerſa diviſa per Periodum Julianam 7980., dabit præter quotientem 14. pro reſiduo 710.; qui numerus reſiduus 710. Periodi Julianæ concurrit cum anno Creationis.

Sic habita Periodo Juliana facile numerantur anni, quod antecedat Æram Chriſtianam illud tempus, de quo agitur. Puta Prima Olympias inſcribitur anno Periodi Julianæ 3938.; Æra Chriſtiana inſcribitur anno Periodi Julianæ 4714. Si ab hac Epocha 4714. ſubtrahas 3938., Præceſſit annis 776. Prima Olympias Chriſti Natalem, ſive Vulgarem Æram Chriſtianam; quæ propter errorem Dionyſii differt quatuor annis a vero, & præcedente Chriſti Natali, ſeu verius tribus annis, & ſeptem diebus, ideſt in quartum annum. Hæc ratio, atque utilitas Periodi Julianæ.

EXPLICATIO EPACTÆ.

Præterea animadvertamus, neceſſe eſt, Epactam nihil aliud eſſe, quam numerum dierum, quibus annus Julianus ſuperet annum civilem lunarem, ita ut Epacta primi anni ſit XI., quia 11. diebus annus Julianus 365. d. ſuperat annum lunarem civilem 354. d. Epacta ſecundi anni erit XXII.; Epacta tertii anni erit III., quia ter 11. facit quidem dies 33., ſed excedente dierum numero, ſemper detrahi debet una integra Emboliſmalis, ſeu plena Lunatio, quæ ex diebus 30. oritur ad diſcrimen alterius cavæ Lunationis, quæ ex diebus tantum 29. conſtat. Ergo Epacta anni quarti erit XIV., quinti XXV., ſexti VI., quia rurſus detrahitur lunatio Emboliſmalis. Solum quando perventum erit ad Epactam decimamnonam, quæ ultima eſt, ideſt XXIX., tunc adduntur 12., ut abjectis 30., ex compoſito numero 41. rurſus habeatur Epacta XI., quæ prima eſt. Quod ideo fit, ut ultima Emboliſmica Lunatio reducatur ad cavam Lunationem 29. d. Si enim 30. d. contineret, non redirent hac vice Novilunia poſt 19. annos ad eoſdem dies, aut ad priorem ſedem; ſed verſus finem talium menſium prolaberentur, contingerentque uno die tardius, quam ineunte Cyclo decemnovali contigerant. Sunt ergo Epactæ 19., quot Aurei Numeri. Quomodo concurrant, præſens Tabella docet.

NUM. AUR.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
EPACTA.	XI.	XXII.	III.	XIV.	XXV.	VI.	XVII.	XXVIII.	IX.	XX.	I.	XII.	XXIII.	IV.	XV.	XXVI.	VII.	XVIII.	XXIX.

Ubi autem compertum fuit, Cyclum decemnovalem imperfectum eſſe, quia poſt annos 19. Novilunia non reſtituebantur ad ſuam ſedem, ſeu in eoſdem dies, horas, & minuta; imo poſt annos 300., & aliquot alios, nempe vel 312. annos, vel 310., vel 304., prouti variant computatio-

num

num Magiſtri, Novilunia ſedem ſuam uno die citius antevertebant, proviſum fuit Autore Aloyſio Lilio, prouti ſequitur.

Obſervavit Lilius, quod propter dies intercalares neceſſaria erat Metemptoſis futura, ideſt prædicta ſedis retardatio. Nam quoties omittitur intercalatio in anno, qui juxta vetus Calendarium foret Biſſextilis, quemadmodum in annis 1700. 1800. 1900. ſtatutum fuit: tunc qui dies appellari debuiſſet 29. Feb. ſtante veteri Calendario, poſt correctionem Gregorianam evadit 1. Mart., quia nempe Februarius propter hanc intercalationis omiſſionem, non amplius 29. dies habet, ſed 28. tantum dies habet. Quare ſi novilunium incidere debuiſſet in primum diem Martii in veteri Calendario, jam in novo Calendario pertinet ad ſecundum diem, ac uno die tardius accidit tale Novilunium. Obſervavit Lilius, quod ſuppoſita anticipatione indicata, poſt annos 19. neceſſaria foret Proemptoſis futura, ideſt anticipatio ſuæ ſedis. Hinc providit Lilius, ut loco Aurei Numeri, & 19. Epactarum, numeri 30. Epactales ſuccederent ſingulis anni diebus accomodati, quamvis 30. Epacta, ſive numerus 30. Epactalis in ſingulis anni menſibus notetur ſimplici aſteriſco *, propterea quod promptum jam ſic eſſet, ubi æquatio vel Lunæ, vel Solis acciderit, Cyclum commutare.

Difficilem hanc cogitationem fuſe explicat citatus Purchotius. Quidquid ſit, non una manet difficultas in æquatione Solis, & Lunæ; non una manet difficultas in vera Noviluniorum, & Pleniluniorum ſede, ita ut continuo Sedes Apoſtolica de firmo remedio ſolicita ſit. Forte hactenus gravis non eſt differentia propter celebrationem Paſchatis, olim gravior erit: & fortaſſis in Oecumenico aliquo Concilio, remotis temporibus futurum eſt remedium determinandæ certæ diei in celebrando Paſchate, quemadmodum certa dies eſt in celebrando Natali, & Circumciſione Domini. *p. 2. Phyſic. ſect. 2. c. 9.*

RUBRICA ad habendam Epactam habito Æ. V. anno. Aureus Numerus multiplicatur per 11.; Productum partitur per 30. a reſiduo ſubtrahitur 11.; Novum reſiduum Epacta eſt.

Pone annum vulgarem 1738. Aureus Num. 10. multiplicatus per 11. exhibet 110.; diviſus per 30. præter quotientem 3. dabit pro reſiduo 20., a quo ſi ſubtrahas 11., novum reſiduum erit 9., ideſt Epacta 1738. IX. Ubi primum reſiduum fuit minus, quam 11., ſubtractio illo anno fieri nequit. Tunc adde 30., & ab integra duplici ſumma ſubtrahe tandem 11.; & ultimum reſiduum erit Epacta. Quod anno 1737. contigit. Aureus

Digitized by Google

Numerus fuit 9., multiplicatus per 11. exhibuit 99., diviſus hic productus numerus 99. per 30., præter quotientem 3., fuit reſiduum 9., a quo cum ſubtractio præſcripta fieri nequiviſſet, additum fuit 30.; & a compoſita ſumma 39., detracto 11., ultimum reſiduum, ſive Epacta 1737. fuit XXVIII. Idem contingit anno labente 1739.

Nam Aureus Numerus		11
		11
		11
		11
	30	121
	4	120
		..1
		30
		31
		11
Epacta		20.

Hæc ſumma eſt Eccleſiaſtici Calendarii. Manet interea, quid ſtatuto tempore fieri debeat, reaſſumendum, ubi de Feſto erit Sermo.

APPENDIX.

DE

CONCILIANDIS ANNIS TROPICO, ET JULIANO

Propoſitio Reſtaurata.

Propoſitionem meam Jaurini 28. Aprilis 1734. editam, in qua ignarus, quo fato adjungebam diem, quem ſemper demonſtrabam eſſe detrahendum, hic reſtaurare in animo eſt. Amice me monuit præclarus vir Georgius Erhardus Hambergerus in ſuis annotationibus Jenæ 26. Augusti 1734. datis, quas, ut mea cogitata partim & ſuis magis cognita evadant, partim vero eum, cui deſtinata ſunt, uſum obtineant, publici juris fecit: atque ita inventum meum, ſi foret egregium, nondum inutile redditum eſſe credam. Cum autem Academicum

Digitized by Google

cum, non Aſtronomum agam, neque accuratioribus Aſtronomiæ obſervationibus, neque recentiori Eccleſiæ Calendario derogare intendo. Opinor, non judico.

Quare, quod non omnibus placet, annum Tropicum diebus 365., 5. h., 49. m., conſtare dixerim, author mihi eſt doctiſſimus vir Dionyſius Petavius in *Rat. Temp. p. 2. l. 1. c. 1.*; *Tropicus*, ait, *annus eſt, qui dierum ſpatio definitur 365., horarum 5., 49. m., ut in IV. de Doctr. Temp. c. 36. probavimus*. Ibi autem de æquabili anni Tropici modo: *Merito anni forma illa probanda videtur, quæ ſit 365., 5. h., 49. m. præciſe*.

Scio equidem celebrem Caſſinum definiviſſe annum Tropicum 365., 5. h., 49. m., 12. ſec. Sed cum Caſſinus non ſic *præciſe* loquatur, quemadmodum *præciſe* loquitur Petavius in ſua definitione, rectiorem calculum duci poſſe exiſtimavi a propoſitione abſoluta, quam a conditionata, vel quaſi conditionata. Conditionata vero, vel quaſi conditionata mihi videtur, quæ legitur *Memor. de l'Acad.* 1704. *pag.* 148., ubi defectus anni Tropici quarto anno Juliano ſtabilitur *d'environ* 43. *m.*, 12. *ſec.* Abſoluta, & præciſa eſt illa Petavii, quam loco citato a ſe probatam eſſe putat.

Petavio duce Propoſitionem noſtram inſtauramus. Quotannis Tropicus deficit, vel præcedit Civilis in 11. m., quia annus Solaris Tropicus, ſive Aſtronomicus dies facit 365., 5. h., 49. min. Civilis, ſive Julianus 365., 6. h. Quarto anno horæ ſex conſtituunt diem, qui tamen deficit in 44. m. Hi quovis Seculo dant m. 1100., ideſt 18. h., 20. m., quibus Tropicus deficeret, vel præcederet Civilis poſt unumquodque Seculum. Jam vero quovis Quarto Seculo numeramus 4400. min., qui dant 73. h., 20. m. Etiamſi quovis Quarto Seculo Gregorius XIII. detraxerit dies 3., adhuc ſupereſt 1. h., 20. m., quibus Civilis quovis Quarto Seculo Tropicum antevertat. Cæterum hi neglecti quotannis ſcrupuli 11. per annos mille conſtituiſſent dies 7., 15. h., 20. min., quibus Tropicus defeciſſet, vel præceſſiſſet Civilis.

Ab anno 1582. Gregor. Correct. ad annum 1734. fluunt anni 152. Computando quotannis 11. m., habebis diem 1., 3. h., 52. m., quibus Tropicus deficeret, vel Civilis præcederet. Sed anno 1700. omiſſus eſt dies juxta proviſionem Gregorianam: Manent itaque 3. h., 52. m., quibus ad finem hujus anni Tropicus deficiet, vel Civilis præcedet.

Noſtrum ſiſtema duo neceſſario, & infallibiliter ſupponit. Primum eſt annum Tropicum claudi intra dies 365., 5. h., 49. min., præciſe,

Digitized by Google

quemadmodum Petavius probavit. Alterum eſt, anno 1582. coiviſſe utrumque annum ferme ad idem punctum, vel nulla ſaltem notanda, periculoſaque diſtantia laboraſſe. Iſtæ binæ ſuppoſitiones tamquam principia ſunt, quæ dein vel novis non indigent probationibus, vel magis probari nequeunt.

Impoſſibile enim eſt varias conciliare opiniones vel circa Solis motum (in quo multi hæſitant) vel circa varias hujus motus obſervationes pro temporum, climatum, & inſtrumentorum varietate. Ex Petavii recenſione, anni Tropici magnitudinem deprehendit

	d.	h.	m.	ſec.	tert.
Ptolomæus	365.,	5.,	55.,	12.	
Albategnius	———		46.,	24.	
Alphonſinæ Tabulæ	———		49.,	16.	
Copernicus	———		49.,	15.,	46.
Tycho Brahe	———		48.,	45.	
Galilæus	———		48.,	43.,	20.
Chriſt. Longomontanus	———		48.,	55.	
Lansbergius	———		48.,	57.	
Scaliger	———		49.,	12.	

Curſu Solis non ſtabilito impoſſibile eſt Correctionem Gregorianam aut non potuiſſe errare, aut infallibilem in reductione annorum controverſorum eſſe conſiderandam. Cæterum cur Petavium ſequar, oſtendi. Cur alterum ſupponam, ratio eſt: non habita Solis æquatione vel vera, vel quaſi vera, quæ utilitas in corrigendo Calendario? qui rediviſſet ad ſuas ſedes Æquinoctium? Fuit tunc aliqua diſtantia? notanda non fuit, & ſemel neglecti aliqui ſcrupuli periculum nullum minantur futurum.

His vel probatis, vel rite ſuppoſitis, ab anno 1582. pro ratione 11. m. ſupplendorum noſtra demonſtratio incluſive procedit, ac ſi ad finem hujus anni 1582., deletis quidem diebus decem, adhuc Tropicus defeceri t, vel præceſſerit Civilis in 11. m. per nos ſupplendis. Eſto; ad finem 1582. præciſe non fuerunt reſidui 11. m.: ſemel neglecti ſcrupuli aliqui periculum futurum minantur nullum, ſi finem inſpiciamus, ad quem Solis æquatio dirigatur. Ab anno 1582. incluſive uſque ad annum 1713. exeuntem fluxerunt anni 131., quos multiplicabis per 11. m.; exibunt m. 1441., qui conſtituunt 24. h., 1. m., quibus Tropicus deficeret, vel præcederet Civilis. Sed anno 1700., qui juxta C. Jul. Cæſ. computum Biſſextilis fuiſſet, juxta proviſionem Gregorianam omiſſus eſt biſſextus dies. Ergo

Civilis

Digitized by Google

Civilis anno vulgari 1713. exeunte ſuperavit, ſive præceſſit Tropicum, Tropicus defecit in 1. m. Hunc unum ſcrupulum aut ſperne pro hac vice, aut uno ſcrupulo citius numera ſequentem potius annum, aſſecutus es, & æquaſti Civilem cum Aſtronomico, Julianum cum Tropico.

Ab ineunte 1714., habita Solis æquatione, pro remedio Temporum, epocham indicimus; & impoſterum quolibet anno quarto Biſſextilis maneat, quemadmodum Gregorius juſſit.

Quolibet Primo, Secundo, Tertio Seculo exeunte non minus, quam Quarto Seculo exeunte, ideſt 1800., 1900., 2000., & ultra, quandocunque quartus incidit annus, ille non intermiſſe Biſſextilis eſto, præterquamquod Gregorius juſſit.

Cum vero Tropicus quotannis adhuc deficiat, adhuc Civilis præcedat in 11. m., qui per annos 131. conſtituunt diem 1., 1. m. (quibus quolibet 131. anno adhuc Tropicus deficeret, vel præcederet Civilis) Hinc quilibet Centeſimus Trigeſimus Primus Annus Subſidiarius, vel Conciliatorius ſit inter utrumque; ideſt talis, qui uno die minor eſſet reliquis, ita ut Februarius, ſi iſte 131. annus foret vulgaris, XXVII. dies contineret: ſin iſte 131. annus Biſſextilis foret, XXVIII. dies contineret. Nam, cum quovis 131. anno Civilis præcedat Tropicum uno die, & uno ſcrupulo, neceſſe eſt ad habendam Solis æquationem, ut quovis 131. anno detrahatur dies a Civili, & ſcrupulus.

Diem detraximus. Supereſt poſt unumquemque 131. annum 1. m., quem ſpernere multis Seculis tutum amplius non eſt. Alias quia 1440. m. faciunt diem, poſtquam ille 131. annus, 1440. vicibus revolutus fuerit, Tropicus deficeret, Civilis præcederet uno die. Cyclus ille caderet poſt annos 188640., & quia epocham indiximus Æ. V. anno 1714., ille annus primo contingeret Æ. V. anno 190354. Ideo uno ſcrupulo citius ſequentem potius annum numera, ſicuti uno ſcrupulo citius annum 1714. ineuntem numeraſti: aut eadem cautela neceſſe foret quolibet 188640. anno diem integrum ſubtrahere, & ſimilem (ſi quis tantos attingeret dies) Subſidiarium, vel Conciliatorium annum celebrare, quem quolibet 131. anno celebrandum volumus.

RU-

Digitized by Google

RUBRICA PERPETUA II. m.

Epocha	1714	
Adde	131	
	1845	Annus Primus.

Impoſterum Huic Anno Noſtro ſemper adde 131., exitus ſemper erit Subſidiarius Annus.

1845	
131	
1976	Annus Alter.

RUBRICA PERPETUA I. m.

Epocha	1714	
Adde	188640	
	190354	Annus Primus.
	188640	
	378994	Annus Alter.

Si duo hi Subſidiarii, vel Conciliatorii Anni concurrerent, tunc non amplius unus, ſed duo dies detrahi deberent a duplici hoc Subſidiario, vel Conciliatorio Anno noſtro.

Ex his, ſalvo Gregorianæ Correctionis honore, illud conſideramus, quod, ſi Gregoriani Correctores Tabulas Alphonſinas ſequuti forent, (ut non nemo aſſerit) nondum præciſam Solis æquationem poſt 400. annos aſſequuti ſint: quia juxta Tabulas Alphonſinas defectus anni Tropici conſiſtit quarto anno in 42. min., 56. ſec.; ex quibus poſt 400. annos reſultant 4293. m., 20. ſec., ideſt dies 2., 23. h., 33. min., 20. ſec. Deſiderantur 26. m., 40. ſec., ad tres dies integros, qui poſt 400. annos integri detrahuntur. Unde poſt annos 400., juxta Tabulas Alphonſinas jam præcedit Tropicus in 26. m., 40. ſec.

Quando autem Scaligeri, & Caſſini opinio prævaleat, illud ſequitur ex proviſione Gregoriana, quod Solis æquatio fiat quovis Quarto Seculo: quia quovis quarto anno Tropicus deficit in 43. m., 12. ſec., ex quibus poſt 400. annos reſultant dies 3., qui tandem quovis Quarto Seculo detracti ſunt. Apud nos æquatio Solis fit quovis 131. anno: quia quovis anno quarto Tropicus deficit in 44. min., ex quibus poſt 131. annos reſultat dies 1., qui tunc detrahitur. De ſcrup. 1., qui reſiduus eſt, pro-

viſum

Digitized by Google

viſum fuit, & ſi uno ſcrupulo citius ſequens incipiat annus, æquatio præciſa eſt. Ibi Tribus Seculis detrahitur biſſextilis dies, Quarto Seculo manet. Hic quartus annus ſemper manet biſſextilis: 131. anno ſemper detrahitur dies. Unde vix non ad captum ignaræ plebis accomodatior iſte numerandi modus fortaſſis videri poſſet.

His forſan rationibus permotus fuit diligentiſſimus Commentator meus, cui placuit ſcribere: *Optandum eſt, ut S. R. I. Electores, Principes, atque Status hunc reducendi annos Civiles ad ſolarem modum, quo ſane melior dari nequit, communi decreto adoptent*. Id non præſumimus. Imo pro iis, qui nunquam induci poterunt, ut vel latum unguem a Gregoriana proviſione recedant, multo minus audiunt illos, qui optimum fore judicant, Paſcha non ſecus, ac Natalem Domini certæ affigere diei, ut cuncta Calendarii Eccleſiaſtici dubia tollantur, nova animadverſio eſt. Abſit. Hoc licet meram tangat diſciplinam, non niſi in œcumenico Concilio definiri debet, ne contra venerandam XV. ferme ſeculorum antiquitatem, in Magna Nicena Synodo fundatam, uno die temere egiſſe videamur.

Interea Gregorium XIII. ductorem habemus. Demonſtravimus, quod annos Julianos numerando, intra Quatuor Secula a vero ſolari, ſeu Tropico anno recedamus dies 3., 1. h., 20. m.: Annos Gregorianos numerando (ſi præciſam Petavii opinionem ſequi liceat) intra Quatuor Secula, non niſi 1. h., 20. m. recedamus. Unde oritur, ut ſicuti poſt 400. annos ſupereſt 1. h., 20. m., poſt 7200. annos futuræ ſint 24. h., quibus Civilis Tropicum præcedat.

Hinc quilibet Septimus Milleſimus Ducenteſimus Annus fit Subſidiarius, vel Conciliatorius inter utrumque; ideſt talis, qui uno die minor eſſet reliquis, ita ut Februarius, ſi iſte 7200. Annus foret vulgaris, XXVII. dies obtineret: ſin iſte 7200. annus Biſſextilis foret, XXVIII. dies obtineret. Cum autem anno Gregoriano noſter calculus inſtituatur, ac ad finem illius anni, deletis quidem decem diebus, adhuc Tropicus defecerit in 11. m., eundem 1582. annum epocham indicendam credimus.

RUBRICA PERPETUA 1. h., 20. m.

Epocha ——	1582	
Adde ——	7200	
	8782	Annus Primus.
	7200	
	15982	Annus Alter.

Con-

Concordat Gregoriana Correctio in præciſo Petavii Computo, quia debent intra 400. annos omitti dies 3., qui ab anno 1582. uſque ad annum 1982. omittuntur; nempe 1700., 1800., 1900., quia 1600. omiſſus non eſt: Rurſus ab 1982. ad 2382. omittuntur dies 3.; nempe 2100., 2200., 2300., quia 2000. omiſſus non eſt.

An vero Civiles anni a Solaribus non niſi quo ad 12. horas recedere poſſint, inutilis quæſtio eſt in tanto annorum numero: quia 1. h., 20. m., quovis Quarto Seculo, juxta Petavii Computum, in Correct. Greg. reſidui, ſolummodo poſt annos 3600. conſtituunt 12. h. Hic quidem primo contingeret annus Æ. V. 5182. Tunc mehercle cautela noſtra, quamvis noſtrum non ſit noſſe tempora, & momenta, vix amplius locum habebit.

Ex quibus colligitur propoſitionem noſtram novum de Conciliandis Tropico, & Juliano modum præſcribere; qui ſi non placeat, Computum Petavii cum ipſa Periodo Gregoriana concordare, imo in Correct. Greg., etiam juxta præciſam Petavii opinionem: circa Solis æquationem, non eſſe defectum, ſecunda ejuſdem propoſitionis noſtræ pars docet.

Dabam 19. Septemb. 1734.

DE JEJUNIO ECCLESIASTICO, ET ABSTINENTIIS

TITULUS II.

Tob. XII. 8. Joel. II. 12. Jejunia Vet. Testam. Exod. XXXIV. 28. JEjunium Ethnicis ipſis admirationi fuit, Judæis ſacrum, & religioſum. Moyſes primum exemplum dedit, quando fuit in Sinai cum Domino, ubi *quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit*. Poſt alteram cladem a libidinoſis Gabaonitis ac-

Judic. XX. ceptam, jejunaverunt filii Iſrael, qui occiſam Levitæ uxorem ulciſcentes, tertio prælio integram Tribum Benjamin, præter ſexcentos fugiti-

I. Reg. VII. 6. vos, funditus deleverunt. Jejunaverunt Iſraelitæ in Maſphat, antequam

I. Reg. XXXI. 13. aggrederentur Philiſtæos. Viri Jabes tulerunt cadaver Saul, & cadavera Filiorum ejus, quibus combuſtis ſepelierunt oſſa in Nemore, & jejuna-

II. Reg. III. 35. verunt ſeptem diebus. David cum lugeret cædem Abner, jejunavit. Idem

II. Reg. XII. 16. propter Infantem, quem pepererat uxor Uriæ David, jejunavit Rex, quia percuſſerat quoque Dominus parvulum. Diebus multis jejunavit Ne-

II. Eſdr. I. 4. Judith. IV. 8. Judith. VIII. 6. hemias in Suſis caſtro. Cum Holophernes extremum filiis Iſrael minatus fuiſſet exitium, fugerunt in montem, & jejunaverunt. Judith Vidua Ma-

naſ-

Digitized by Google

naſſes *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, & Neomenias, & Feſta Domus Iſrael.* Tribus hebdomadis jejunavit Daniel. Moris quo- Dan. X. 3.
que fuit in Iſrael, indicendi jejunii. Sic adjuravit Saul populum cum Phi- I. Reg. XIV. 24.
liſtæis pugnaturum, ne vir comederet panem uſque ad Veſperam, *& non manducavit univerſus populus panem.* Ammonitis, Moabitis, ac Syris II. Paralip. XX. 3.
inſurgentibus perterritus Joſaphat Rex *prædicavit jejunium univerſo Juda.* Eſdras juxta fluvium Ahava indixit jejunium ad viam rectam in Jeruſa- I. Eſdr. VIII. 21.
lem. Contra Veteres Amani inſidias, Eſther, & Mardochæus univerſis Eſdr. IV. 16.
Judæis in Suſan, trium dierum, & trium noctium mandant jejunium.

Ritum jejunii recenſet Bernardus Lamy apud Judæos, qui *tempore jejunii induebant ſaccos; hoc eſt, cum aliis diebus uterentur veſtibus laxis, tunc ſumebant laceras, & anguſtas ex pilis caprarum; non in lectis recumbentes comedebant, ſed humi inter pulverem, & ſordes, in cinere, quo ſpargebant capita ſua.* Concordat interpres eorum Maimonides: *Certis diebus jejunii, tota die pedibus nudis erant, non lavabant ſe, non oleo ungebantur. Diem degebant in Templo, cum Jeroſolymis commorarentur: alibi in plateis, ubi palam legebant. Scripturas Sacras... Tota die abſtinebant omni cibo, ſero tantum comedebant. Jejunia majora incipiebant una hora ante occaſum Solis uſque ad noctem diei ſequentis: quo intervallo non manducabant, unde forte jejunantes vere dicuntur in diebus jejunii neque nocte, neque die cibum guſtaſſe. Quin & in ſolemnibus jejuniis nefas erat labori vacare ſaltem interdiu... Genialis Thorus pariter interdictus erat una cum calceorum geſtatione. Iter tamen facientibus calceos induere licebat.* Ceſſavit etiam apud Judæos hodie multus rigor in jejunando.

Apparat. Biblic. *l.* 1. *c.* 10.

RITUS JUDÆORUM JEJUNANTIUM.

Venit Chriſtus. Meminit Jejunii. Jejunavit ipſe quadraginta diebus, Matth. VI. 16.
& quadraginta noctibus in deſerto, ut imitemur Diſcipuli Magiſtrum. Matth. IV. 2.
Poſt Chriſtum docuerunt Apoſtoli jejunium. Jejunaverunt Joannis Diſcipuli, & ipſi Phariſæi. Anna octogenaria in Templo ſervivit jejuniis, & obſecrationibus. Jejunaverunt Apoſtoli Antiochiæ.

JEJUNIA NOVI TESTAM.

Matth. IX. 14. Luc. II. 37. *Act.* XIII. 3. *Act.* XV. 29.

Verum enim vero poſtquam Spiritui Sancto, & Apoſtolis Antiochiæ congregatis viſum eſt, nihil ultra imponere gentibus converſis oneris, quam ut abſtineant ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione: nulla facta mentione ſive de jejunio, ſive de alio conſimili præcepto; manifeſtum eſt, jejunium neque a Chriſto, neque ab Apoſtolis hic præceptum fuiſſe. Sed monſtrantibus Moyſe, & Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis, quomodo potuit Eccleſia hanc piam, ſalutarem, tot Seculis commendatam altiſſimiſque radicibus fixam conſue-

PRÆCEPTUM DOMINI NON EST JEJUNIUM.

SED ECCLESIÆ.

Digitized by Google

tudinem extirpare, atque evellere? Imo adoptavit, ut ſcindantur corda noſtra, & non veſtimenta: & ut convertamur ad Dominum Deum, *quia benignus, & miſericors eſt, patiens, multæ miſericordiæ, & præſtabilis ſuper malitia.*

de Jejunio c. 13. Ab initio Eccleſiæ præceptum non fuit. Teſtis enim eſt Tertullianus, quod ſuo ævo ſtationes Feriæ IV., & VI., vel ſemijejunia, & abſtinentiæ ex libertate ſervarentur: quæ priſca libertas, accedente longa conſuetudine, in neceſſitatem præcepti Eccleſiaſtici converſa eſt.

EX LIBERTATE NECESSITAS JEJUNII.

ANTIQUITAS JEJUNII PASCHALIS. *l. 6. C. de Feriis.*

Quadraginta diebus, qui auſpicio cæremoniarum Paſchale tempus anticipant, omnis cognitio criminalium quæſtionum inhibita erat ex conſtitutione Valentiniani, Valentis, & Gratiani. Referente alio noſtro Gratiano, in pluribus antiquis Conciliis, ejuſdem quadrageſimæ fit mentio. Inſignis Caroli M. locus eſt de tribus anni Quadrageſimis: *Item admoneant Sacerdotes, ut jejunia tria legitima in anno agantur, ideſt* 40. *dies ante Nativitatem Domini; &* 40. *ante Paſcha, ubi decimas anni ſolvimus; & poſt Pentecoſten* 40. *dies. Quamquam enim nonnulla ex his canonica priventur authoritate, nobis tamen omnibus ſimul, propter conſuetudinem plebis, & parentum noſtrorum, morem hunc obſervare convenit. Præter hæc autem legitima tempora jejuniorum, omni Sexta Feria propter Paſſionem Domini jejunetur. Sed & Sabbati dies a pleriſque, propter quod in eo Chriſtus jacuit in ſepulchro, jejunio conſecratus habetur.* Concordat ferme Regula Chrodogangi Metenſis; quamvis ſtrictius Canonici, atque Monachi, quam Laici jejunaſſent. Conſulatur du Cange de Quadrageſima. Conſulatur Binghamus, ſi excipias præſertim, quæ ſcribit de Fer. V. in Cœna Domini, ubi ſcribit: *Verum mos ille Pontificis Romani excommunicandi hac die omnes populos, ac Principes Sedi Romanæ inimicos, & inter reliquos Regem quoque Hiſpaniæ, eo quod in jura invaſerit Eccleſiæ (quem nulla petita venia, die Paraſceves rurſus abſolvit) ut eſt grande Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ludibrium, ita nullum habet in antiqua Eccleſiæ praxi fundamentum.* Turpiſſima calumnia. Bulla eſt Pauli V. an. 1610. Excommunicat Hæreticos, & invaſores Bonorum Eccl. Rom., Regem Hiſpaniæ, aut alium Principem, aut populos nullibi nominat, nullibi abſolvit, vel eadem die, vel ſequenti. Nominat quidem injuſtum Poſſeſſorem, ſi quis eſſet in utraque etiam Sicilia, non eum, qui juſto titulo poſſidet; præterquamquod jam pridem ſublatæ ſunt controverſiæ inter RR. P.P., & Reges Hiſp., & quotannis adhuc citata Bulla recitatur. Finita recitatione Papa projicit ex majori feneſtra ad Plateam S. Petri unam accenſam

De Conſecrat. Diſt. III.

Capitular. *l. 6. c.* 187.

c. 20. *& ſeq.*

l. 21. *pag.* 236.

flavam

Digitized by Google

flavam candelam. Color luctum, & triſtitiam ſignificat. Candela decidens extinguitur. Accenſa ſignificat lumen Chriſti, ideſt fidem Catholicam: Extincta, quod ſit mortua hæc fides: Projectio ſignificat, & denotat ſeparationem ab Eccleſia, & a Corpore Chriſti. Quæſo jam; quale ludibrium Eccleſiaſticæ Diſciplinæ?

Tria quoque jejuniorum genera agebantur. Jejunia Stationum Quartæ, Sextæve Feriæ durabant uſque ad Nonam, ideſt Tertiam poſt meridianam horam, quæ ſemijejunia nuncupabantur. Jejunia Quadrageſimæ durabant uſque ad Veſperas, ideſt verſus occaſum Solis. Jejunium duplex tandem, vel ſuperpoſitio, quando integra dies, aut plures abſque omni cibo, & potu tranſigebantur, quantum ſingulis datum erat. Hora Nona indicabat tempus mortis Domini, Veſperæ indicabant tempus ſepulturæ. Varii quoque abſtinendi gradus leguntur. Alii Homophagiam, vel non coctos cibos, alii Xerophagiam, vel ſiccos cibos, alii panem cum aqua comedebant. VARIUM GENUS. VARII GRADUS.

Jejuniorum aſperitate Latinos aliquando Græci vicerunt, & vincunt adhuc. Non permittebatur cuiquam in Oriente, etiamſi extremum agat ſpiritum, in magna Quadrageſima carnibus veſci. *Etiam Quartis, Sextiſque Feriis Xerophagiæ ſervabantur, quanquam cepiſſent aliqui tunc, & oleo uti, & oſtreis veſci, alii piſciculis in cochlea ſeptis, quo legi derogari cenſet Balſamon. Itaque jam tum illabebatur ea remiſſio, quæ convaluit poſtea, & etiamnunc locum habet in Eccleſia Orientali.* Hæc Thomaſſini obſervatio eſt. Variæ quoque de jejunio obſervationes leguntur in Gloſſario apud Carolum de Freſne, ubi & illa obſervatio eſt, quod olim jejuniorum denunciatio fieret in Eccleſia in Miſſa poſt illa verba: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, & cum ſpiritu tuo.* Poſt hæc pariter commonebatur plebs pro jejunii I. IV. VII. X. menſis temporibus. Erat olim purgatio per jejunium. Agit ordo Romanus. Narrat Beno Cardinalis de Hildebrando, qui fuit S. Gregorius VII. P., quomodo *idem Præſumptor jejunium indixit Cardinalibus, ut Deus oſtenderet, quis rectius ſentiret de Corpore Domini, Romana Eccleſia, an Berengarius?* De hac Purgatione tractant Leges Kanuti Regis Dani. GRÆCORUM AUSTERITATES. *p.1.l.2.c.84.n.15.*

Cœterum non ſatis mirari poſſumus antiquas auſteritates, quas noſtris moribus accomodandas eſſe negamus. Infirmitatem humanæ naturæ immerito accuſamus, quæ tamen eadem eſt, cum iidem anni, eædem mortalium vires vix non ab ætate Diluvii conveniant. Sed neque olim, neque eadem ubique diſciplina Jejunii. Stat vero, ut ſuæ quiſque Eccleſiæ QUARE NON IMITEMUR?

 inſti-

Digitized by Google

inſtituta & in his rebus ſequatur. Injuriam nobis inferunt adverſarii noſtri, dum nos accuſant, quod nec horas ſervemus, nec cibos cum veteribus. Quid inde? Præceptum Domini non eſt; ſed Eccleſiæ. Dogma non eſt, ſed Diſciplina. Finis Eccleſiæ Pœnitentia. Qui ergo pœnitentiam non agit, finem Eccleſiæ non aſſequitur. Cœterum jejunamus juxta probatos Eccleſiæ noſtræ ritus, cujus eſt legem ferre. Sic majores noſtri fecerunt, aut veteres, qui ideo non ſunt meliores, quam nos. Interea conjiciant inimicos oculos accuſatores noſtri in ſeipſos. Videant, an non rei ſint ipſi criminum, quæ nobis objiciunt? Quidquid ſit de opinione plurimorum, quod, licet tempus jejunandi ſit indefinitum, & hæc definitio ad Eccleſiæ Diſciplinam pertineat, jejunium tamen in genere ſit Domini præceptum: Nos, qui in communione Eccleſiæ Romanæ & vivimus, & morimur, Quadrageſimam, & certas vigilias in jejunio perduramus, Feria Sexta, & Sabbato abſtinemus eſu carnium. Inter regulares perſonas ſingularia, frequentiora, & quaſi perpetua jejunia pro ſingularibus Regulis ſuis vigent. Multi etiam uſum carnium penitus renunciarunt. Inter ſeculares perſonas alibi ſoli piſces in oleo, alibi lacticinia licent. Variæ regiones, varii mores. Singuli bene faciunt; nec eſt, quod alter alterum ſpernat, quia nemo ſcire poteſt, an ſit melior fratre ſuo. Regula eſt Pauli Apoſtoli, ut, qui non manducat, manducantem non ſpernat.

Disciplina recens Occidentalis.

A quibus Epiſcopi ſingulos ex juſta cauſa liberare, & Curatis eandem poteſtatem, intuitu ægrotantium, conferre poſſunt. Nonnunquam ob annonæ difficultatem, ob intemperiem aeris, & ob alias juſtas cauſas Univerſæ Diæceſi indulgetur. Milites, & quicunque in ſudore vultus ſui vitam ſuſtentant, & vires, facile diſpenſari poſſunt a jejunio. Si vigilia cadat in Dominicam, qua nullum Chriſtianis jejunium, ſicuti nullum Sabbato Judæis jejunium, jejunari debet apud nos Sabbato præcedenti. Sed & *Illi, qui nec voto, nec regulari obſervantia ſunt adſtricti, in Sexta Feria, ſi feſtum Nativitatis Dominicæ die ipſo venire contigerit, carnibus propter Feſti excellentiam veſci poſſunt, ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Generalis. Nec tamen hi reprehendendi ſunt, qui ob devotionem voluerint abſtinere.*

c. 1. de obſervat. Jejun.

c. 3. eod.

Illud tamen conſiderat vir prudens Claudius Fleury, quod tam Chriſtiani, quam Judæi jejunium pro ſumma afflictione habuerint. Judæi quidem jejunabant, *aut ob calamitatem ſuam*, ut ſcribit Maimonides, *aut ob malum aliquod inſomnium, aut ob publicam labem*. Sic exteræ Nationes,

Moeurs des Chretiens *n.* 9. Ratio jejunandi. *de Jejunio.*

nes, Græci imprimis, & Romani lugebant ſuos. Chriſtiani vero contriſtabantur ſecundum Deum ad pœnitentiam. *Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Utile jejunium eſt ad avertendas inſidias carnis, ne contra ſpiritum inſurgat. Unde abſtinendum eſt a multis licitis rebus, non tantum a cibo, & potu, ſed a ſomno, & jocis. Conjuges ipſos caſte vivere decet, dum jejunant. De quo autem præceptum Domini non habeo, conſilium autem do; ut loquar cum Paulo, quando de Virginibus loquutus eſt. *Exiſtimo ergo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem*. Cœterum *unuſquiſque, in quo vocatus eſt, in hoc permaneat apud Deum*. Solitudini, ſilentio, precibus, eleemoſynis, aliiſque piis operibus vacandum, præſertim ubi continuis abſtinentiis occupamur, quia tempus illud acceptabile, & dies ſalutis eſt.

I. Corinth. VIII. 10.

I. Corinth. VII. 24.

DE DOMINICIS DIEBUS, ET FESTIVIS

TITULUS III.

PRimi Chriſtiani ob memoriam Paſſionis, neve cum perfidis Judæis quieſcerent, Sabbatum verterunt in Dominicam, quam vocat Sophronius Hieroſolymitanus dierum dominam, Theodorus Studita diem pacis, Chryſoſtomus diem panis, & lucis. Hac die, ſive die ſolis vulgo, *omnium, qui in urbibus, vel in agris degunt, in eundem locum conventus fit*, quemadmodum repetit Seculo Secundo Juſtinus M. Euſebius Seculo Quarto memorat, quia *etiam ad ipſos Gentium præfectos, Imperatoris nutu, & voluntate Edictum perlatum eſt, ut illi perinde Dominicum diem venerarentur. Iidem conſecratos Martyribus dies honore proſequebantur, & feſtorum ſolemnitates in Eccleſiis celebrabant, quæ omnia ſecundum Imperatoris voluntatem gerebantur*. Ex hoc Euſebii paſſu colligitur, quod feſta Martyrum exceperint Dominicam: quod ipſi Principes indixerint non ſolum Civilia, verum etiam Eccleſiaſtica Feſtivitatum tempora, tamquam Eccleſiaſticarum conſuetudinum promotores, atque exequutores: quæ feſta ante redditam Eccleſiæ pacem in ſubterraneis ſpeluncis, aut in privatis Chriſtianorum penetralibus ſine ſtrepitu vix tute celebrabantur. Tandem reddita pace celebrabantur magna populi frequentia. Conſule Bingham., ſi excipias, ubi contra Sanctorum invocationem ſentit de more. Olim quilibet cum ſuo Epiſcopo Dominicum diem, & communes Eccleſiæ ſolemnitates honorabat. Ingens e longinquis regionibus populus ad Martyrum ſepulchra concurrebat. Plures ſæpe convenerunt Epiſcopi.

QUARE CHRISTIANI COLANT DOMINICAM?

Orat. de Nativit.

Cat. II.

Homil. V. *de Reſurr.*

Apolog. II.

in Vita Conſtant. *l.* 4. *c.* 23.

ANTIQUISSIMA MARTYRUM FESTA.

l. 20. *pag.* 145.

Moeurs des Chretiens *n.* 44.

Ex

Digitized by Google

Ex uno diſce reliqua. D. Paulinus ultra viginti Civitatum, & Provinciarum Italicarum nomina recenſet, ex quibus viri, & mulieres, ſenes, & pueri ad Nolanam Urbem quotannis in feſto S. Felicis 14. Jan. convolabant. Quid non facturus erat illa ferventi tempeſtate reliquus Chriſtianus Orbis? Quid non Romæ tantum contingeret in Anniverſariis Hyppoliti, & Laurentii, Petri, & Pauli? Quovis anni tempore aderant remotiſſimarum partium peregrini ad ſepulchra Apoſtolorum.

l. 1. Cod. Theod. *de Feriis*.
Successio aliarum Festivitatum.
l. 7. C. *de Feriis*.
can. 21. 18. 63.
can. 27.
can. 35.
Offic. l. 1. *c.* 25.

Solis diem venerationis ſuæ celebrem altercantibus jurgiis, & noxiis partium contentionibus occupari, Conſtantino videbatur indigniſſimum. Paſchæ, Natalis, atque Epiphaniarum Chriſti, nec non Apoſtolorum Paſſionis memores fuere Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius. Vetuſtiſſimum exiſtit Feſtum Præcurſoris, de quo in Synodo Agathenſi anno 506. mentio fit, non ſecus ac Nativitatis, Paſchatis, & Pentecoſtes. Synodus Aurelianenſis anno 511. vult ante Aſcenſionem Domini tres Rogationum dies celebrari jejunio, & ſervos laboribus vacare. Synodus Epaonenſis anno 517. præcipit, ut nobiliores Cives die Paſchæ, & Natalis Domini Epiſcopos expetant benedictionis cauſa. D. Iſidorus Hiſpalenſis Seculo Septimo numerat anni Feſta, ſcilicet Dominicam, Natalem, Epiphaniam, Dominicam Palmarum, Cœnam Domini, Paſſionem, ſeu Paraſceven, Sabbatum Sanctum, Paſcha, Aſcenſionem, Pentecoſten, dies Apoſtolorum, & Martyrum, nec non Dedicationem Eccleſiarum.

Tom. VI. *Concil. pag.* 1890.
ibid. pag. 1292.

D. Bonifacius Moguntinus Seculo Octavo numerat tres dies Nativitatis, Circumciſionem, Epiphaniam, Purificationem, tres dies Paſchatis, Aſcenſionem, Pentecoſten, diem S. Joannis Baptiſtæ, S. Petri, S. Andreæ, Aſſumptionem, & Nativitatem Virginis Deiparæ. Quanquam vero Sergius I. quatuor B. V. Feſtivitates commemoraverat verſus finem Seculi Septimi, nempe Annunciationis, Nativitatis, Dormitionis, & Purificationis. *Conſtituit autem ut diebus Annunciationis Domini, Nativitatis, & Dormitionis Sanctæ Dei Genetricis, ſemperque Virginis Mariæ, ac Sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Hadriano, & ad S. Mariam populus occurrat.* Litania dicitur Proceſſio, forte quod in Proceſſionibus cantarentur Litaniæ.

can. 36.
Spondan. *ad an.* 607. Anaſt. Beda.

Synodus Moguntina anno 813. inſuper nominat feſtivitates SS. Michaelis, Remigii, Martini, aliorumque Martyrum, & Confeſſorum. Tandem urgente Gregorio IV., qui Iconoclaſtas evertit, Ludovicus P. anno 835. in Galliam, & Germaniam invexit Solemnitatem omnium Sanctorum, quam Bonifacius IV. ante annos ducentos, & ultra Romæ inſtituerat, ubi Pantheon,

olim

Digitized by Google

olim Templum Deorum, convertit in Eccleſiam S. Mariæ ad Martyres, ſeu omnibus Martyribus dicatam, tandem titulo, & nomine omnium Sanctorum inſignitam: quæ vulgo ſonat LA ROTONDA.

Sed nunquam finis, qui ſingulas Feſtivitatum Epochas colligeret. Invaluit pius hominum ardor, quorum una Plebs, una Eccleſia hunc, altera illum Sanctum ſibi Patronum elegerat. Alii unius, alii alterius Beati trahebantur virtutibus, donec una Civitas, una Provincia, una integra Natio alienos, ut ita dicam, Sanctos ſibi adoptaret: quodve feſtum in privato loco inchoabatur, ad univerſas Diœceſes non raro tranſibat: quodve olim ex devotione factum erat, poſtea ex præcepto fiebat. Tanti vero in ſtatuendis feſtivitatibus habebatur Romana Eccleſia, ut D. Bernardus Seculo Duodecimo increpaverit Canonicos Lugdunenſes, quod Conceptionis Feſtum recepiſſent inconſulta Apoſtolica Sede.

DIGNITAS ECCLESIÆ ROMANÆ.
Epiſt. CLXXIV.

Contra nimiam Feſtivitatum frequentiam conclamavit ante annos ferme centum Urbanus VIII., *Quod multi jam dubitare videantur, quænam ex præcepto, quæ ex libera cujuſque voluntate ſint ſervanda, pietatis fervore ob nimiam eorundem numeroſitatem tepeſcente. Quin imo & clamor pauperum frequens oſtendit ad nos, eandem multitudinem, ob quotidiani victus laboribus ſuis comparandi neceſſitatem, ſibi valde damnoſam conquerentium: & quod ſummopere dolendum eſt, magno cum animi noſtri mærore didicimus, ſæpe ſæpius malignatum inimicum in ſancto, ut ipſa multitudine non ad ædificationem, & ad laudandum in Eccleſiis Deum populi utantur, ſed ad otia, vanitates, & vitia frequenter abuti non formident: ita ut quæ ad glorificandum divinum nomen ſunt primitus inſtituta, temporis decurſu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offenſionem, gravemque jacturam converterit animarum.* Ex his conſtat inſtituendorum Feſtorum finem eſſe in ædificationem, & laudem Omnipotentis: conſtat nec ſerviles labores, nec cœtera mundana negotia, his diebus expedienda; *ut in eis mercatum minime fiat, neque placitum: neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur; nec Sacramenta, niſi pro pace, vel alia neceſſitate præſtentur.* Concordat Alexander III., & Gregorius IX.

ABUSUS.
Bull. 164. *an.* 1642. *univerſa per Orbem.*
RATIO FESTOR.
Cauſ. XV. *q.* 4. C. *de Feriis.*
c. 1. *de Feriis.*
c. 3. & 5. *eod.*

Cauſam propoſuerat Imperator mandans, ut *omnes Judices, urbanæque Plebes, & cunctarum artium officia Venerabili die Solis quieſcant. Ruri tamen poſiti agrorum culturæ libere, licenterque inſerviant, quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta ſulcis, aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti proviſione conceſſa.* Concordat Alexander III. propter neceſſitatem ingruentem, exceptis majoribus

l. 3. C. *de Feriis.*
EXCUSATUR CIUS SERVILE.
cit. c. 3. *de Feriis.*

Digitized by Google

hus anni feſtivitatibus. Sub his conditionibus clamant uno ore omnes Docti, quatenus urgente neceſſitate, veluti ſi fruges ingenti periculo expoſitæ, aut optima piſcandi occaſio, tunc Epiſcopus veniam metendi, colligendique, & piſcandi diebus Feſtivis, imo etiam diebus Dominicis concedere poteſt, licet Dominicæ de jure divino feriatæ ſint; quandoquidem Chriſtus autor eſt, Sabbatum homini, non hominem Sabbato datum. Juſta quoque hæc eſt filiorum obedientia, ut petant a bona matre, quæ non facile negat, quidquid eis utile futurum in Domino ſit.

In mentem redit, quod Titulo Primo hujus Libri promiſeram, ea me daturum, quæ ſtatuto tempore fieri debeant, ubi de Feſtis erit ſermo. Locus adeſt. Quamobrem diſtinguamus, oportet, inter Feſta Mobilia, FESTORUM DISCRIMEN. & Fixa. Hæc ſunt, quæ vertente anno in eundem diem communiter cadunt, quemadmodum Circumciſio 1. Jan., Epiphaniæ 6. Jan., Natalis 25. Decemb. quotannis celebrantur. Mobilia vero Feſta vertente anno in eundem diem non cadunt, quemadmodum Septuageſima, dies Cinerum, Paſcha, Aſcenſio, Pentecoſte, Corpus Chriſti quotannis diverſo die celebrantur.

Variæ mobilium Feſtorum Sedes pendent ab ipſa Paſchatis Statione. CAUSA PASCHATIS. Imprimis viguit Seculo Secundo longum in cauſa Paſchali ſchiſma, hinc Victore R. P. Feſtum Paſchatis ſolum die Dominica, illinc Policrate Epheſino, & Aſiaticis quartadecima Luna, quacunque demum contigerit die, celebrandum eſſe pertinaciter contendentibus. Variæ inde Sy- *l. 5. c. 24.* nodi tum in Oriente, tum in Occidente habitæ, de quibus Euſebius. Sublata eſt vetus controverſia in magna Synodo anno 325., communique decreto contra quartodecimanos ſancitum fuit, Paſcha ubique, nonniſi die Dominica Judæorum feſtum proxime ſequente deinceps eſſe ce- *Levit. XXIII. 5.* lebrandum. Itaque juxta Leviticum apud Judæos *menſe primo, quartade-* EPOCHA UTRIUSQUE PASCHATIS. *cima die menſis ad veſperam, Phaſe Domini eſt:* juxta magnam Synodum Paſcha noſtrum nonniſi die Dominica Judæorum feſtum proxime ſequente celebrandum venit. Hinc dies Dominica Judæorum Paſcha proxime ſequens ſemper erit Paſcha Chriſtianorum. Paſcha vero Judæorum menſe Niſan, qui primus eſt, Plenilunium decimæquartæ diei reſpicit, quod tamen cadat, oportet, vel in ipſum æquinoctium vernale, vel poſt, nunquam ante. Unde Paſcha Judæorum nunquam ante 21. Martii; (cui diei noſtrum æquinoctium vulgo affixum manet) Paſcha Chriſtianorum nunquam ante 22. Martii accidere poteſt. Sic fuit anno 1693. Paucis. Vernale Plenilunium dabit Paſcha Judæorum, Dominica proxima ſequens dabit Paſcha Chriſtianorum. Ve-

Digitized by Google

Verum nonne veteres Chriſtiani ſuos Martyres celebrabant iiſdem Feriis, quibus Gentiles coluerunt Deos ſuos? Judæi pejores non ſunt Ethnicis. Nonne veteres Chriſtiani cum Judæis ipſis concurrebant in diverſis ſuis feſtivitatibus ejuſdem diei? nonne nos adhuc ſæpe concurrimus? Ingens diſciplinæ rigor, multus horror, qui juſta non vacat laude. Ad evitandas graviores diſſenſiones inter fratres, & vix ſuperandas difficultates, quæ in diem creſcunt, optimum forſan eſſet, ſalvo veteris diligentiæ, & puritatis honore, Paſcha non ſecus, ac Natalem Domini certæ affigere diei: puta 25. Aprilis ſit Paſcha, quemadmodum 25. Decembris eſt Natalis. Quod nonniſi in novo Oecumenico Concilio definiri debet, licet meram tangat diſciplinam, ne contra venerandam ferme Quindecim Seculorum antiquitatem una die temere egiſſe videamur. Tunc Civili anno communi ſtabilito, (quem Julius Cæſ. ad conſtantem Civium ſuorum, publicæque rei ordinem poſuit) neque in Eccleſia indigeremus amplius incertis majorum ſiderum revolutionibus, neque angeremur de plenilunio vernali propter ſequens Paſcha. PRIOR MEDITATIO.

Interea modus inveniendi Paſchatis utriuſque hic eſt. Obſerva *Æquinoctium* 21. Mart. vulgo affixum: item *Novilunium* primi menſis, qui dicitur Niſan apud Judæos: item *Plenilunium*, ſeu Veſperas ſecundas hujus decimæquartæ Lunæ; quod tamen cadat, oportet, in ipſum æquinoctium vernale, vel poſt, nunquam ante: item *Diem Dominicam*, quæ proxime ſequatur Plenilunium, id eſt decimamquartam diem menſis primi modo dicto. *Plenilunium vernale*, ſeu Veſperæ ſecundæ hujus decimæquartæ Lunæ ſignant initium feſti Judæorum, quorum ſolemne Paſcha die ſequenti celebratur. *Dominica* proxime ſequens Judæorum feſtum ſignat Paſcha noſtrum, in quo immolatus eſt Chriſtus, verus Agnus. Nam ſi Dominica hæc incidat in ipſam decimamquartam Lunam, quemadmodum anno 1734. contigit, Paſcha noſtrum differtur ad Dominicam proxime ſequentem, ne cum perfidis Judæis in celebrando Paſchate conveniamus. Scire juvat, quare elapſo anno 1738. Paſcha Judæorum cadat 5. Aprilis, Paſcha noſtrum 6. Aprilis, in promptu cauſa eſt. *Æquinoctium* 21. Martii: *Novilunium* 20. Martii mane: *Plenilunium* 4. Aprilis ad Veſperas: *Dominica ſequens* 6. Aprilis. Scire juvat, quare currente an. 1739. Paſcha Judæorum cadat 25. Martii, Paſcha noſtrum 29. Martii, in promptu cauſa eſt. *Æquinoctium* 21. Martii affixum: *Novilunium* vulgo 9. Martii de meridie: *Plenilunium* vulgo 25. Martii mane: *Dominica ſequens* 29. Martii. REGULA PASCHALIS. PASCHA ANNI 1738.

Digitized by Google

Reliqua Festa Mobilia.

Quinquageſima dies poſt feſtum Paſchæ erit *Pentecoſte*: Ejus octava, *Dominica Sanctiſſimæ Trinitatis*: Feria quinta, quæ eſt undecima dies ante Pentecoſten, *Aſcenſio*: Tres præcedentes dies, *Rogationes*: Feria quinta, quæ eſt undecima dies poſt Pentecoſten, *Feſtum Corporis Chriſti*. Dominica quarta ante Natalem Domini incipit *Adventus*. Dominica ſexta ante Paſcha numeratur *Prima Quadrageſimæ Sacræ Dominica*, & Feria quarta antecedente *Dies Cinerum*, ſive initium jejunii Antepaſchalis. Præcedentes Dominicæ tres ordine retrogrado *Quinquageſima*, *Sexageſima*, *Septuageſima* a myſtico denario numero nuncupantur. Reliquæ anni Dominicæ vel poſt Epiphaniam, vel poſt Pentecoſten computantur. En integer calculus Eccleſiaſticus.

Honoranda Festa.

Cœterum ſancte in his præſertim Feſtis verſandum eſt, nunquam ferendum, ut illicitis comeſſationibus, & tripudiis tranſigantur. Audiantur Impp. Leo, & Anthemius. *Dies Feſtos Majeſtati Altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari.* Sed proh dolor! quæ ſanctitas apud multos hodie? O abuſum Divino, & Eccleſiaſtico Præcepto contrarium, *quo ſe plerique exiſtimant probe ſuo functos officio, ſi Miſſa etiam privata tantummodo diebus Dominicis, & Feſtivis audita, reliquum diem profectioni, negotiationi, luſibus, choreis, potationibus, & aliis ſecularibus, vel etiam illicitis actionibus impendant.* Quomodo autem dies feſtos digne tractemus, Bulgaros Seculo Nono Nicolaus I. docuit: *Idcirco in diebus feſtis ab opere mundano ceſſandum eſt, ut liberius ad Eccleſiam ire, pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus inſiſtere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad imitationem eorum aſſurgere, eloquiis divinis intendere, Eleemoſynas indigentibus miniſtrare valeat Chriſtianus.*

l. 11. *C. de Feriis.*

Abusus.

Syn Camerac. *an.* 1604 *t.* 4. *c.* 1.

cap. 11.

Pium Exercitium.

Cujus sit Festa instituere?

Reſtat, ad quem ſpectet Feſta inſtituere? Puto Secularia ad Seculares Poteſtates, Eccleſiaſtica ad Eccleſiaſticas ſpectare. Atque hæc olim potiſſima videtur Epiſcoporum cura fuiſſe, quam Principes, Canonum cuſtodes, Eccleſiaſticæque Diſciplinæ vindices diverſis temporibus fideliter imitati. Ipſi, aut Civitates, aut Communitates, & integræ Provinciæ, aut Familiæ ad Sedem Apoſtolicam ſolent hodie recurrere, ut dies certo Beato Sacer inter dies Feſtos vario ritu adſcribatur. Antiquam illam Epiſcoporum poteſtatem agnovit Seculo Decimotertio Gregorius IX., agnovit Seculo præcedenti Gratianus Canonum collector, agnoverunt quodam modo Patres Tridentini Seculo Decimoſexto, ubi decreverunt: *Dies etiam Feſti, quos in Diœceſi ſua ſervandos idem Epiſcopus præ-*

c. 5. *de Feriis.*

Diſt. III. *c.* 1. *de Conſecrat.*

Seſſ. XXV. 1563. *c.* 12. *de Regular.*

Digitized by Google

præceperit, ab exemptis omnibus etiam regularibus ſerventur. Videtur tamen, quæ jam ſunt legitima præſcriptione introducta feſta, ibi manere debere, ubi ſunt. De novo enim nulla amplius introducenda ſunt ſine expreſſa auctoritate Apoſtolica, propter frequentes abuſus, & non levia ſcandala interdum, vel pericula, & incommoda. Audiri ſolent Principes, ſolent Populi, quorum magni intereſt. De Dominicis, Feſtis, Kalendis conſulatur Gloſſarium Caroli du Freſne.

DE DIVINO OFFICIO
TITULUS IV.

CUm Dominici dies, & Feſtivi ad ſpecialem Dei cultum ordinati ſint, ut hic finis propius impleretur, externus aliquis cultus, ſive Divinum Officium, ab Eccleſiæ primordiis, publice, aut private, recitandum, aut pſallendum, tam pro Laicis, quam pro Clericis ſalutariter introductum fuit. Divinum hocce Officium ſub duplici ratione conſiderandum venit, Sacrificii, ſive precum publicarum, aut cantus communis. Illud ſub ratione Sacrificii abunde Libro Secundo Titulo Quinto expoſuimus: aliud ſub ratione precum, aut cantus ſufficienter exponimus. Conſule Binghamum, ſi excipias, quæ contra Sacrificium Miſſæ, *l.* 14. *&* 15. contra adorationem Euchariſtiæ, contra invocationem Sanctorum, contra deſuetudinem linguæ vulgaris pro genio ſectæ frequenter adducit. Suo loco apparent reſponſa, & autores, qui ex propoſito adverſus exteros certant. Ordo aliquis precum publicarum, aut cantus communis pſalmis, & lectionibus tam Veteris, quam Novi Teſtamenti contextus, cum ipſa Eccleſia ad Occidentem migraſſe videtur, in Oriente natus, donec in hodiernos mores, & modernos ritus incidiſſet. Scimus *a Davide electos fuiſſe* 288. *viros cantandi peritos, qui cæteros cantores erudirent. Cum itaque eſſent* 24. *claſſes cantorum, cuique claſſi præerant duodecim viri peritiores. Alii autem voce, alii inſtrumentis canebant*. Hinc argumentum aliquod ſerius ocyus ſumpſit apud Chriſtianos cantus aut voce, aut inſtrumentis inſtructus.

ORIGO DIVINI OFFICII.

Lamy Apparat. Biblic. *l.* 1. *c.* 8. *§. non vacat.*

Muſica inſtrumentalis circa medium Seculum Septimum cum organis in aliquibus Eccleſiis Occidentalibus denuo videtur incæpiſſe. Nam organum non omnino nuperum eſſe inventum, ſatis declarat Auguſtinus: *in Pſalm.* LVI. quia *organa dicuntur omnia inſtrumenta muſicorum. Non ſolum illud organum dicitur, quod grande eſt, & inflatur follibus, ſed quidquid aptatur ad canti-*

ORIGO MUSICÆ INSTRUMENTALIS.

tilenam, & corporeum eſt. Quo inſtrumento utitur, qui cantat, organum dicitur. Sic Iſidorus: *Organum vocabulum eſt generale vaſorum omnium muſicorum. Hoc autem, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris eſt conſuetudo Græcorum.* Concordat Amalarius, Papias, & Ugutio. Alii meminerunt organorum Hydraulicorum, Senator, Voſſius, Eginhardus, VValafridus Strabo, VVillelmus Malmesburienſis. Refert du Freſne in Gloſſario. *At in Galliis ignota fuiſſe organa ante Pipinum, auctor eſt Sigebertus anno 766., referens a Conſtantino Imperatore ipſi dono miſſa, antea nunquam viſa: idemque narrant Annales Metenſes anno 757.* Ex hinc ſimile organum Carolo M. oblatum per Legatos ab Imp. Conſtantino Michaele forte cognomento Rhangare ſubdit Monachus Sangallenſis, ſed de organorum uſu in Eccleſiis conſulendus Stephanus Durandus. Porro an in Eccleſia Græca prioribus ſaltem Seculis ejuſmodi organa in uſu fuerint, addubitari poteſt, cum eorum ni fallor, haud meminerint ſcriptores Byzantini præter Codinum forte. Idem Bona alio loco repetit: *Conſtat igitur ex dictis, nec ſtatim ab initio, nec ubique recepta fuiſſe muſicalia inſtrumenta. Nam etiam nunc Romæ in Sacello Summi Pontificis ſemper ſine inſtrumentis, officiorum ſolemnia celebrantur; & Eccleſia Lugdunenſis, quæ novitates neſcit, ſemper organa repudiavit, neque in hunc diem aſcivit. Non tamen damnari debet moderatus eorum uſus, cum a ſanctiſſimis viris, ac noviſſime a Sancto Tridentino Concilio approbatus, & permiſſus ſit.*

[Margin notes: Orig. *l. 2. c.* 10. — Bona Rer. Liturg. *l.* 1. *c.* 25. *n.* 19. — *t.* 1. *c.* 10. *de* Carolo M. — Rit. Eccleſ. *l.* 1. *c.* 13. — *De Offic. c.* 11. *n.* 1. — De Cantu Eccl. *c.* 17. *§.* 2. *n.* 5.]

Origo Musicæ vocalis. Verum ad confirmandam antiquiſſimam vocalis Eccleſiaſtici cantus originem citat Thomaſſinus conſtitutiones Apoſtolicas: quidquid fruſtra garriat Calvinus VVicleffi aſſecla, quem ſequuntur Centuriatores Magdeburgenſes. *De hymnis, & pſalmis canendis*, inquit Auguſtinus, *ipſius Domini, & Apoſtolorum habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Aliud eximium Ethnici Scriptoris teſtimonium eſt, Chriſtianos nempe *ſolitos fuiſſe ſtato die ante lucem convenire & carmen Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem.* Redit Thomaſſinus: *Conſtat ergo ab initio in morem Hieroſolymitani Templi, pſalmos in Eccleſia cani familiare prorſus fuiſſe. At unum tantum fuiſſe, qui caneret; Clericos vero alios pariter cum Laicis ceciniſſe ſpiritu, ceciniſſe mente, donec graviſſimis de cauſis, quæ infra explanabuntur, & Clero, & Plebi copia facta eſt una canendi. Tunc alternantibus choris cani cæptum eſt; utque religioſiſſimæ cæremoniæ authoritas accederet, antiquitatem quoque aliqui, & cæleſtem originem ei accerſere voluerunt ab illa, quam narrat Socrates, Angelici cantus viſione. In templo Salomonis præter can-*

[Margin notes: *p.* 1. *l.* 2. *c.* 71. — *Inſt. l.* 3. *c.* 20. *§.* 32. — *Epiſt.* CXIX. *c.* 18. *ad* Januar. *edit. Baſilees. an.* 1593. — Plin. *Epiſt. ad* Trajan. — *ſupra n.* 4.]

Digitized by Google

cantores, quos ei rei David inſtituerat, aut eorum Succeſſores, canebat nemo. Ita nec Chriſtiana Plebs in Eccleſia. Adde, quod primis illis temporibus, ne Clerus quidem, nedum Plebs poterat pſalterium edidiciſſe, ut omnes concinerent. Deinde confirmat ſuam inductionem: *Monachorum Diſciplina ſanctiſſima lucem non modicam aſperget iis, quæ de Eccleſiaſticis Officiis huc congeremus. Quod enim a matre acceperant, non ſine fœnore filii reddidere.* Primum quidem diſcipuli Eccleſiæ fuere: ſed ii, quos ipſa deinde compendioſum ſibi, atque honorificum ſequi duxit, & imitari. *ſupra n. 6.*

Origine cantus Eccleſiaſtici demonſtrata, meum non eſt progredi in hac cauſa, quam fuſe tractant Iſidorus, Rabanus, Robertus Bellarminus, Albertus Pighius, Thomas Valdenſis, Alphonſus a Caſtro, Antonius Democh ares, Joannes Fileſacus, Ludovicus Creſolius, Jacobus Pamelius, Franciſcus Suarez, Cæſar Baronius, Stephanus Durandus, Jacobus Sevvertius, Chopinus, Joannes Bona, Ludovicus Thomaſſinus, Carolus du Freſne, & alii quamplurimi. Miſſis variis Rythmi Eccleſiaſtici ſpeciebus, Ambroſiani, Gregoriani, Romani, Metiſci, & Gallicani ſufficiat in unum Gregorium M. oculos conjicere. Hic poſtquam univerſum Officiorum Eccleſiaſticorum ordinem ad meliorem frugem redegiſſet, cantum quoque Eccleſiaſticum in elegantiorem formam inſtauravit: & ſcholam cantorum, nonnullis prædiis, & duabus domibus ipſi aſſignatis inſtituit. Porro cantus ab eo introductus, ille eſt planus, & uniſonus, quem ab ipſo penes totum ferme Clerum ſecularem nuncupamus Gregorianum, progrediens per certos limites, & terminos tonorum, quos modos, ſeu tropos vocant muſici, & octonario numero definiunt, ſecundum naturalem generis Diatonici diſpoſitionem. Diaconos vero cantores eligi prohibuit, quos prædicationis officio, eleemoſynarumque ſtudio vacare congrueret magis: Pſalmos, ac reliquas Lectiones per Subdiaconos, vel per minores Ordines exhiberi mandavit. Poſthac Clerici omnes, & omnes Monachi pſalmos memoriter cantarunt, & ordine Libros Scripturæ diverſis temporibus aſſignatos legerunt, cœteraſque cæremonias in Majoribus obſervatas peregerunt. Multo poſt obſervantia illa in Regulas Monaſticas (veluti in Regulam S. Benedicti, in qua cap. 8. 9. & 10. omnis ratio Pſalmodiæ longo Ordine enarratur) & in libros publicos Eccleſiaſticos, veluti in Pſalterium, Lectionarium, Antiphonarium, Sacramentarium, alioſque relata eſt: in quibus, paucis verbis, literis rubentibus, precum, geſtuumque comitum ordo, moduſque notantur. Unde natæ ſunt Rubricæ, hujus rei unæ eædemque

SCRIPTORES DE CANTU ECCLESIASTICO.

INSTAURATOR CANTUS ECCLESIAST. GREG. M.

l. 4. ep. 44.

Fleury Inſtit. Prem. Partie *chap. 2. n. 1.*

CLERICORUM, ET MONACHORUM COMMUNE STUDIUM.

fide-

fideliſſimæ indices, quas particulatim cum cunctis cæremoniis deſcribere longum foret, & juſti voluminis opus. Summos ſaltem apices attigiſſe juvat.

LAICORUM PIETAS.

Verum enim vero nemo eſt, qui ignorat, quanta frequentia, quanta aſſiduitas diu noctuque tam Clericorum, & Monachorum, quam Laicorum utriuſque ſexus, cujuſcunque gradus, dignitatis, præeminentiæ etiam Regiæ, & Imperatoriæ, ſtatus, ordinis, & conditionis, in ſingulis Chriſtianorum partibus, olim peragendarum Sacrarum Liturgiarum, & Divini Officii fuerit. Inſignia hujus pietatis monumenta ſuperſunt in tot, tantiſque Eccleſiis, quantum res hodie ſinit, continuo patentibus, quo devotus populus ſingulis diebus, & ferme ſingulis horis pro ſuo quiſque affectu, & ſalutari otio confluere queat. Tepuit aliquando vetus fervor. Quo tepeſcente pio ſtudio in Laicis mundo intentis, Clericos quippe alios in nullam vitæ civilis partem vocatos publico Officio aſſidue intereſſe decet: & ſi per utiliora Eccleſiæ negotia impediantur, ſi per alias bonas rationes excuſentur, ſaltem privatim eaſdem preces ex conſuetudine, ex lege Eccleſiaſtica, ex legitima plurimorum Seculorum præſcriptione, ex infallibili multorum Fundatorum mente recitare tenentur Clerici in majoribus Ordinibus conſtituti, aut qui Beneficium, aut penſionem Eccleſiaſticam poſſident. Juſtum enim eſt, ut ſaltem id dent Eccleſiæ, ut pro populo, præſertim pro iis, qui per negotiorum multitudinem nec ſæpe, nec diu precibus immorari queunt, Deum orent: imo pro iis, qui ſuas ſubſtantias Eccleſiæ ea conditione profuderunt, devotas fundant preces.

LEX DE HORIS DIVINIS RECITANDIS.

RITUS PROPRIÆ ECCLESIÆ.

Atque imprimis in celebrando Divino Officio ſervandus eſt propriæ Eccleſiæ Ritus: & cum Chriſtiana Religio non conſiſtat in ſolis cæremoniis, nec ipſe Chriſtus Judaicis ſuperſtitionibus Fideles ſuos ligaverit, ſanus eſt quiſquis approbatus Ordo, ſive ille ſit Gregorianus, ſive Ambroſianus, ſive Orientalis, ſive Mozarabicus: quibus tamen unitas Eccleſiæ Catholicæ non frangitur, cum Doctrinam, Fidem, aut Dogma non afficiant. Eundem quippe Deum Trinum, & Unum ſub diverſis ſignis, eodem amore, & timore ſinguli colimus, & adoramus.

QUARE LINGUA VULGARIS EXOLEVERIT.

Hinc oblivisci nequimus antiquarum querelarum, quod non amplius Officium lingua cujuſque gentis vulgatiſſima, latiſſimeque patente, in Occidente potiſſimum celebretur. Vera cauſa eſt, quod ipſa Latina lingua in Occidente vulgaris erat. Deſiit autem vulgaris eſſe poſt incurſus Barbarorum, & corrupta idiomata. Sed Liturgia prior manſit. Quod vero per conſtantem linguæ Latinæ uſum unio reliquarum Eccleſiarum cum Ro-

Romana Eccleſia Matre, & veneratio erga veram Religionem, & ejus antiquos Ritus mirum in modum conſervetur, ſummopere laudandum venit. Nego tamen, quod populus minimum patiatur detrimentum ex iis, quæ ſub eodem Officio Divino ſtatim non intelligit. Præterquamquod periculoſum ſit, omnia omnes ſcire, aut ſapere plus, quam oportet; abunde in concionibus, in catecheſi, in verſionibus, in paraphraſi idem populus inſtituitur, ut in myſteriis Fidei ipſum Spiritus Dei vivificans minime lateat ad ſatietatem. Ideo Sancta Synodus Tridentina mandat Paſtoribus, ut exponant frequenter myſteria. Revideantur, quæ ad hanc rem Libro Secundo, Titulo Quinto verſus finem dicta ſunt. Officium autem Divinum, totum quantum eſt, ſpectat ad Epiſcopum ordinare, niſi quod approbatos univerſæ Eccleſiæ Ritus immutare, aut tollere minime queat, cum ſit fidelis, & prudens Diſpenſator. Quodcunque enim agat Epiſcopus, ſalvo honore, & jure Apoſtolicæ Sedis illud agit.

Seſſ. XXII. 1562. *c. 8. de Sacr. Miſſæ.*

OFFICIUM ORDINAT EPISCOPUS.

DE ECCLESIIS

TITULUS V.

SI de Templo Hieroſolymitano promiſit Deus Salomoni: *Sanctificavi Domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*; quanto magis propitius, & miſericors erit nobis in diebus noſtris, quodcunque oraverimus in Eccleſia, quæ ſua Domus eſt, Domus Orationis? Hinc quamvis omnis fidelis potuiſſet orare in omni loco, gratior Deo eſt, qui orat cum aliis in Eccleſia. Quapropter locus Orationis, quantum adverſis tempeſtatibus fieri licuit, certus, ac determinatus ſemper fuit. Imo Seculo Tertio procedente Chriſtianos ſub Gentili Imperatore Alexandro Severo jam habuiſſe Eccleſiam teſtis eſt Lampridius. Hic enim narrat, quod, *cum Chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent; contra popinarii dicerent ſibi eum deberi, reſcripſit* Imperator, *melius eſſe, ut quomodocunque, illic Deus colatur, quam popinariis dedatur*. Paullo poſt *cum in antiquis illis ædificiis non ſatis loci haberent, ampliores Eccleſias in univerſis Urbibus, fundamentis earum ad majorem laxitatem dilatatis, erexerunt*. Has inſtigante Maximino Diocletianus Edicto publico evertit, Conſtantinus reſtauravit. Teſtis Euſebius, ubi ait: *Quin etiam omnium noſtrum mentes divino quodam, & cæleſti gaudio triumpharunt, dum ſingula loca,* tyran-

III. Reg. IX. 3.

QUANDO CHRISTIANI POSSEDERINT PRIMAM ECCLESIAM?

Euſeb. *l. 8. c. 1.*

ibid. c. 2.

ibid. l. 10. c. 2.

tyrannorum ſcelere, & impietate paullo ante diruta, tamquam poſt diuturnam, & mortiferam vaſtitatem jam quodam modo reviviſcere, & templa ſolo æquata, ab ipſis fundamentis denuo ad immenſam altitudinem erigi, & multo majore ſplendore, atque amplitudine, quam illa, quæ dudum everſa erant, illuſtrari videbamus. Rurſus inſenſiſſimus Chriſtianæ Religionis hoſtis Julianus Apoſtata publicas quoque ſacras ædes Fidelibus eripuit, quas piiſſimi alii Succeſſores magno fœnore reſtituerunt.

Moeurs des Chretiens n. 35. DESCRIPTIO ECCLESIÆ ANTIQUÆ. Pulcherrimam veterum Eccleſiarum formæ deſcriptionem ex optimis autoribus facit Claudius Fleury. Scilicet Eccleſia ab omnibus ædificiis profanis, quantum fieri poterat, & ab omni ſtrepitu amota erat: veſtibulis, hortis, aut domibus ad Eccleſiam ipſam ſpectantibus incluſa, exteriorque omnis ambitus forti undique muro ſæpe cinctus. VESTIBULUM. Ingens veſtibulum verſus Orientem, unde introitus venuſtus ad periſtylium. PERYSTILIUM. Locus erat columnis ſeptus, circumquaque ampliſſimis porticibus ornatus. FONTES. Sub his ſtabant mendici propter eleemoſynam. In medio fontes, quibus omnes corporum ſordes abluebant ii, qui in ſacros Templi ambitus introibant. CAUSA AQUÆ BENEDICTÆ MODERNÆ. Succeſſit forte noſtra aqua benedicta ad portas Eccleſiarum, ut abluantur deteriores animi ſordes, vel ut ſaltem memoria noſtrorum criminum in ipſo limine incitet ad pœnitentiam. Hunc ſalutarem & pium uſum Binghamus vocat ſuperſtitioſum, quaſi ab aqua luſtrali Gentilium Sacerdotum mutuatum. (l. 8. pag. 181.) DUPLEX ATRIUM. TRIPLEX PORTA. Ad extremum erat poſitum atrium duplex, unde per triplicem Portam ingreſſus patebat ad Baſilicam, ſive ad interiorem Eccleſiam. NARTHEX. *Narthex autem dicebatur, quidquid Eccleſiæ ſupererat ad portas uſque exteriores, quas etiam complectebatur. Ideo nonnulli duplicem fecerunt Narthecem interiorem, & exteriorem.* (Morin. de Pœnit. l. 6. c. 1. n. 10.) *In interiore Monachorum idiotarum, Laicorum fidelium; & inferiori parte uſque ad Narthecem exteriorem erat Catechumenorum, & Pœnitentium ſubſtratorum locus. Ut autem Sanctuarium a Templo Tabulato aliquo, aut etiam muro dividebatur, in quo erant portæ ab illis ſanctæ dictæ; ita Templum a Narthece, in quo ſimiliter portæ erant, quas ſpecioſas vocant, quibus Templum cum Narthece communicabat.*

BAPTISTERIUM. SANCTUARIUM. CELLULÆ. In atrio Baſilicæ erat Baptiſterium: In conſpectu Sanctuarium, ſive Diaconium, Non raro cellæ, exhedræ, & utrinque ſpatioſæ ædiculæ intra longitudinem Templi extruebantur, eorum fidelium cauſa, qui ſibi aliquando meditabantur. BASILICA. Baſilica juxta latitudinem dividebatur in tres partes, duplici columnarum ordine ſuſtentata; quarum media pars nuncupabatur Eccleſiæ navis. NAVIS. ALTARE. PRESBYTERIUM. Verſus Orientem cernebatur ſupremum Altare: poſt Altare Presbyterium, ſive Sanctuarium, ſive Confeſſio, ſive Tribuna.

Digitized by Google

buna. Epiſcopus primum locum ſervabat in Sanctuario, cujus Sedes Cathedra, vel Solium, vel Thronus nuncupabatur. Presbyteri conſidebant ad ejus latus in ſellis, vel ſubſelliis æquali ordine utrinque diſpenſatis. Altare ipſum ſeptum erat aut ligneis, aut marmoreis cancellis, ne a multitudine plebis eo poſſet accedi. Extra cancellos chorus cantorum includebatur. Ad exitum chori eminebat ambo, ſive Pulpitum ligneum, ſive marmoreum, ex quo Lector, ſive Diaconus Lectionem, ſive Evangelium recitabat. Aliquando duplex ambo, alter a cornu Epiſtolæ, alter a cornu Evangelii. Hinc Evangelium, illinc Epiſtola legebatur. Aliquando tertius locus, unde Prophetiæ populo exponebantur. Cunctarum rerum veſtigia apud nos ſuperſunt præſertim in officio majoris Hebdomadæ. Altare erat menſa vel lignea, vel ſaxea, vel marmorea, vel porphyretica, vel argentea, vel aurea quatuor æqualibus communiter columnis fulcita, & tumulis Martyrum impoſita. Ad hos deſcendebatur per gradus. Serius in medio menſæ Tabernaculum, ſeu Ciborium etiam ex auro, & lapide pretioſo fuit collocatum. Aliquando ornabantur ciboria imaginibus, aut cruce aurea: aliquando argenteæ, atque aureæ columbæ ſuper Altare medium ſuſpenſæ fingebant Spiritum Sanctum, in quibus Viaticum non raro aſſervabatur. Valde apud antiquos opus muſivum ex minutiſſimis lapillis, ſeu vitris verſicoloribus commendabatur. Parietes ipſi multis fulgebant picturis. Videre erat imprimis Hiſtorias Veteris Teſtamenti, quæ Novum figurabant, puta Arcam Noe, Sacrificium Abrahæ, tranſitum Maris Rubri, Jonam in Mari, Danielem inter Leones. Videre erat imaginem Salvatoris, & miracula ejus, puta multiplicatos panes, & Lazarum a mortuis revocatum. Binghamus ſcribit: *Picturæ, vel imagines Tribus prioribus Seculis in Eccleſiis non permiſſæ.* Quid mirum? Perſecutio ipſa Gentilium potuit Chriſtianos deterrere, ne vel ipſi revelarentur in Conventibus ſuis, vel ſacræ imagines ludibrio exponerentur. Falſum eſt, quod imagines *primum a Paulino, aliiſque ejuſdem cum ipſo ætatis hominibus Seculo Quarto excunte privatim, gradatimque introductæ* fuerint. Euſebius enim narrat, quod Conſtantinus M. poſuerit in Foro Conſtantinopolitano Effigiem Servatoris, & Danielis in foſſa. Narrat, quod ab initio cuſtoditæ fuerint imagines Chriſti, & Apoſtolorum Petri, & Pauli. Poſthac in multis Eccleſiis aſpiciebantur depictæ in muro Paſſiones Martyrum, quorum Reliquiæ ibidem honorabantur. Chriſtiani rudibus quibuſcunque, & ignaris, ſive parvulis ſuis, ſive ipſis Judæis, & Gentibus extraneis digito monſtrabant myſteria in muro pendentia, ut alli-

[Margin notes: SEDES EPISCOPI. — SUBSELLIA PRESBYTERORUM. — CANCELLI. — CHORUS CANTORUM. — PULPITA. — MENSA ALTARIS. — TABERNACULUM. — OPUS MUSIVUM. — PICTI PARIETES. — *l. 8. pag. 296.*]

Digitized by Google

licerentur ad veram Religionem amplectendam. Portæ ipſæ Eccleſiarum ebore, argento, & auro micabant ſæpe. Portæ majores aliquando Sacratas geſtabant Reliquias intextas, unde ad ſolas portas tantus acceſſit honor. Romæ ſervantur Reliquiæ in Portis trium Baſilicarum, quæ vocantur Portæ Sanctæ, & Jubilæi anno aperiuntur ineunte, clauduntur exeunte. Illud autem erat Diaconium, in quo Theſaurus Eccleſiæ, libri, vaſa, veſtes, oblationes Fidelium, & aliquando Sanctiſſima Euchariſtia, eburnea Turricula cuſtodiebantur. Nos Sacriſtiam vocamus. Aliud erat Secretarium, in quo Epiſcopus cum ſuo Clero ſecreta negotia tractabat. Vetuſtiſſimus Lampadarum, aut Candelarum uſus etiam de die in ſignum honoris, aut lætitiæ, quem hodie ſervamus. Ante Evangelium Antiochus Hieroſolymam profectus, *magnifice ab Jaſone, & Civitate ſuſceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingreſſus eſt.* Romanos Magiſtratus ſemper præceſſit ignis. Baptiſterium erat rotundum Lavacrum, in quod per gradus deſcendebatur. Deinceps Concha major, tandem hodierni fontes propter Baptiſmum. Non defuerunt ſymbolicæ figuræ Agni, aut Cervi ſitientis annexæ vaſculis ad ſacras cæremonias paratis. Ipſa D. Joannis Baptiſtæ, vel Columbæ ſuperappenſæ imago ſignificabant Baptiſmum Chriſti, & virtutem Spiritus Sancti de Cœlo in Balneum ſalutare deſcendentis. Hæc antiquarum Eccleſiarum communis forma. Circa diverſam modernarum Eccleſiarum ſtructuram, diverſas diverſorum locorum Eccleſias intrare poſſumus, & inveniemus, quantam intelligentibus ſapiant antiquitatem. Nos ad noſtra tempora ſiſtimus, & quærimus, quid juris in ædificandis, dotandis, conſecrandis, reparandis, reſtaurandiſque Eccleſiis, Oratoriis, & Capellis.

[Margin: RELIQUIÆ IN PORTIS. — DIACONIUM. — SECRETARIUM. — USUS LAMPADARUM. — II. Machab. IV. 22. — BAPTISTERIUM.]

Reddita Eccleſiæ pace, converſiſque ad Chriſtum Imperatoribus, & Magiſtratibus, ditioribuſque Patriciis, quiſquis ferme cogitabat Eccleſiam, Oratorium, Sacellum, aut Capellam ædificare: donec juxta tenorem Sacrorum Canonum Juſtinianus Imp. ſanciverit: *Nulli licentiam eſſe, neque Monaſterium, neque Eccleſiam, neque orationis Domum incipere ædificare, antequam Civitatis Deo amabilis Epiſcopus orationem in loco faciat, & Crucem figat, publicum Proceſſum ipſi faciens, & cauſam manifeſtam omnibus ſtatuens. Multi enim ſimulantes fabricare quaſi orationis domos ſuis medentur languoribus, non orthodoxarum Eccleſiarum ædificatores facti, ſed ſpeluncarum illicitarum.* Nulla tam ſancta res eſt, qua nunquam abutantur nefarii homines. Vult inſuper providus Imperator, ut Epiſcopus *definiat menſuram, quam deputat & ad luminaria, & ad ſacrum miniſterium, ad in-*

[Margin: NOVA PIETAS DIVITUM. — Cauſ XVIII. q. 2. Diſt. I. de Conſecr. Novell. LXVII. c. I. — OFFICIUM EPISCOPI. — ibid. c. 2.]

Digitized by Google

ad incorrumpendæ Domus cuſtodiam, & obſervantium alimenta: & ſi ſufficienter habere videtur, faciat prius donationem eorum, quæ futura ſunt, deputari, & ita Domus ædificetur. Quid juvat numerum augere Eccleſiarum, & minuere cultum? ubi unica Eccleſia eſt, ibi frequentiſſima plebs: ubi multæ Eccleſiæ, non raro ſingulæ vacuæ ſuperſunt. Aliquando in Civitatibus multæ Eccleſiæ conſpiciuntur, per Diæceſin deſunt; in Civitatibus ornatæ omnes: per Diæceſin vix non ſingulæ deſolatæ. Unde illud ſummopere deſiderandum venit, ut non plures ædificentur Eccleſiæ, quam quas aut neceſſitas aliqua, aut juſta dignitas poſcit, ne videatur Altare contra Altare poſitum quodammodo fuiſſe.

Hæc ſunt manifeſta ad ædificandam, dotandam, conſecrandam, reparandam, reſtaurandamque Eccleſiam, veteris Diſciplinæ veſtigia. Quæ vero ſacrarum ædium œconomia cum temporalem adminiſtrationem valde tangat, facile credi poteſt, quantam olim, quantam hodie in diverſis locis mutationem ſuſceperit. Nos temporibus noſtris inhærentes non dubitamus Ordinarii conſenſum ſaltem tacitum accedere debere: imo quorumcunque pro varia locorum conſuetudine intereſſe poſſit, ſive hi ſint Principes, ſive Magiſtratus, ſive Incolæ. *Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegati, in omnibus Eccleſiis Parochialibus, vel Baptiſmalibus, in quibus populus ita numeroſus ſit, ut unus Rector non poſſit ſufficere Eccleſiaſticis Sacramentis miniſtrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores, vel alios, ad quos pertinet, ſibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot ſufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum diſtantiam, ſive difficultatem Parochiani ſine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non poſſunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxta formam Conſtit. Alexandri III., quæ incipit: Ad audientiam, conſtituere poſſint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Eccleſiis noviter erectis præficiendi, competens aſſignetur portio, arbitrio Epiſcopi, ex fructibus ad Eccleſiam Matricem quomodocunque pertinentibus: & ſi neceſſe fuerit, compellere poſſit populum, ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum ſuſtentandam.* Quid autem, ſi neque Eccleſia principalis, neque populus ſufficiant propter quaſi egeſtatem? Suppleat Epiſcopus; qui cum ſolus ubique ſufficere nequeat, præſertim in vaſtis Diæceſibus, puta etiam in Hungaria, concurrant pro viribus ſinguli, Patronus, aut Dominus fundi, & Princeps terræ. Succeſſu temporis multa fient commoda, quæ ab initio fieri non poſſe videbantur. Propterea mea in his rebus

MORES HODIERNI. Gaſparr.Inſt. Can. p. 2. t. 15.

Seſſ XXII. 1562. *c. 4. de Reformat.*

MODUS ERIGENDÆ NOVÆ PAROCHIÆ.

c. 5. de Eccleſiis ædificandis.

SUPPLEMENTUM.

Digitized by Google

opinio fuit ſemper, ut tantum docti, probi, atque prudentes ubique ſeligantur Epiſcopi, abſque alia perſonarum acceptatione. Cuncta ſuccedent votis.

loco citato c. 7.

QUID CUM DIRUTIS ECCLESIIS AGENDUM?

Præterea ordinat Sancta Synodus, ut curet Epiſcopus, Eccleſias vetuſtate, vel alio infortunio collapſas reſtaurari, ſi fieri poteſt, ex fructibus ad eas pertinentibus: quibus non ſufficientibus contribuant Parochiani, qua meliori poſſunt via; contribuat Beneficiatus, qui fructus percipit; contribuat Patronus, aut Dominus fundi, & Princeps terræ. *Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent*, nec alia ope ſuccurri amplius poſſit, fructus ſuperſtites *ad Matrices, ſeu viciniores Eccleſias transferantur: cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Eccleſias dirutas in profanos uſus non ſordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.* Servetur interea conſuetudo loci, ubi illa diſpoſitio Synodalis tam accurate exequi nequiret. Pronunciata hactenus militant de reparatione neceſſaria, non vero de ornamentis, ſive de amplificanda Eccleſia. Ritum de benedictione, & impoſitione primarii Lapidis pro Eccleſia ædificanda quære in Pontificali Romano.

Diſt. I. de Conſecr.

l. 10. c. 3. Apolog. II.

DEDICATIO ECCLESIARUM.

Eccleſiæ ædificatæ, & dotatæ celebranda eſt Dedicatio, ſive Conſecratio, cujus meminit Euſebius, Athanaſius, ſubſequenteſque Patres. Conveniebant Epiſcopi viciniores, qui conventus frequentem Synodorum occaſionem dederunt. Sic anno 341. nonaginta Epiſcopi, teſte Athanaſio, ad Dominicum aureum Antiochenum Templum accedentes, Antiochiæ novam Synodum per cauſam Encæniorum coegerunt, quæ apud veteres *Synodus in Encæniis* communiter nuncupabatur. Qua ſi conſecrationis figuram, aut exemplum fecit in Lege Naturæ, Jacob erigens lapidem in titulum, fundenſque oleum deſuper, appellavitque Domum Dei, decimis futurorum munerum promiſſis: quibus multi hodie pauperes Eccleſias, & Sacerdotes Dei defraudant. In Lege ſcripta Moyſes Tabernaculum, Altare, omnia unctionis oleo conſecravit.

Geneſ. XXVIII.

Exod. XL.

Num. VII.

RITUS CONSECRATIONIS.

Euſebius *in Vita l. 4. c. 45.*

Quamvis non ubique ſemper idem Conſecrationis Ritus fuerit, hodiernæ antiquioribus cæremoniis valde inhærent propter preces, & publicam lætitiam. Ideo Hieroſolymitanam ſub Conſtantino M. Dedicationem ab Epiſcopis Tyri congregatis, & Hieroſolymam convocatis celebratam conferas velim cum iis, quæ in Pontificali Romano præſcribuntur de Conſecratione Eccleſiæ, ſeu Altaris. Sed ab Ordinario conſecratio peragi debet, quæ, cum ſit Ordinis majoris, non meræ juriſdictionis, nulli, niſi alteri Epiſcopo conſecrato licite delegari poteſt.

SOLUS EPISCOPUS CONSECRAT.

Pau-

Digitized by Google

Paucis. Hodiernam Conſecrationem præcedunt jejunium, & vigiliæ coram Reliquiis Sanctorum. Pridie enim illius diei, quo Eccleſia conſecranda eſt, Epiſcopus cum Clero, & Populo ſupplicationem inſtituit, Reliquiaſque deportari curat ad tentorium pro aſſervandis de nocte Reliquiis ante Eccleſiam erectum. Ipſius Eccleſiæ Clerus nocte illa vigilat ante Sacras Reliquias. Mane fit dedicatio variis benedictionibus, & multis aſperſionibus, exterius, & intus, adhibitis aqua, ſale, vino, cinere, rebuſque ad mundandum accomodatis. Incenſat, orat; inungit oleo altare, & parietes; inque altari Reliquias de more condit. Denique Sacrum celebrare ſolet. Dedicatio per dies octo colitur, & quotannis per diem unum revocatur memoria. Conſecratio Eccleſiæ non eſt reiteranda, niſi quando nullum argumentum de ejus Conſecratione ſuperſit, vel immutatio tanta ex quacunque cauſa incendii, ruinæ, reædificationis, amplificationis ſubſequuta ſit, ut nova potius Eccleſia, quam vetus dicenda foret.

RITUS MODERNUS.

NON REITERATUR CONSECRATIO.

Aliquando reconciliatur Eccleſia, quia polluta eſt. Eccleſia enim ſemper munda, ſancta, nitida eſſe debet, in quo loco orat Sacerdos, peccata populi devorans. Polluitur Eccleſia, in qua cultus impius, voluntaria ſanguinis, aut ſeminis crimino ſa effuſio, vel enorme ſcelus patrata ſint. Polluitur, ſi infidelis, non baptizatus, excommunicatus, publice tamen denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor ibi ſepeliatur. Conſecratio Altaris, novæ ædis dedicatio, pollutæ Eccleſiæ reconciliatio ſoli competit Epiſcopo conſecrato. Imo *ſi Eccleſia non conſecrata, cujuſcunque ſemine fuerit, aut ſanguinis effuſione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne divinæ Laudis organa ſuſpendantur. Eſt tamen, quam citius fieri poterit, conſecranda*. Eccleſia non conſecrata benedicitur, & reconciliatur a ſimplici Presbytero, qui ſit ad hunc effectum ab Epiſcopo delegatus. Nec tantum Eccleſiæ, verum etiam Altaria ſub Conſecratione, pollutione, & reconciliatione cadunt, ſive portatile, ſive fixum ſit Altare, quod confringatur, aut polluatur. Polluta Eccleſia polluitur Altare, polluto Altari polluitur Eccleſia: eodemque modo polluta Eccleſia, pollutumque Altare reconciliantur. *Si Eccleſiam pollui ſanguinis, aut ſeminis effuſione contingat, ipſius cæmeterium, ſi contiguum ſit eidem, cenſetur eſſe pollutum: unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis ſepeliri. Secus ſi remotum fuerit ab eadem. Non ſic quoque in caſu converſo ſentimus, ut videlicet polluto cæmeterio, quamvis Eccleſiæ contiguo, debeat Eccleſia reputari polluta: ne minus dignum majus, aut acceſſorium principale ad ſe*

RECONCILIATIO. *Diſt. I. de Conſecr. & Decretal. de Conſecr. Eccleſ.*

c. 9. eod.

cap. fin. eod.

c. un. de Conſecr. in 6.

Digitized by Google

ad ſe trahere videatur. Non unum, ſed plura cœmeteria eſſe noſcuntur, quæ, quamvis ſibi cohærentia, pariete tamen medio ſejunguntur. Ideoque violato eorum altero alterum (licet de uno ad aliud per portam intermediam habeatur acceſſus) non propter hoc reputabitur violatum.

DE RELIQUIIS SANCTORUM
DE SACRIS IMAGINIBUS
DE CANONIZATIONE SANCTORUM

TITULUS VI.

Seſſ. XXV. 1563. *de Invoc. Sanctor.* DOcet Sacroſancta Synodus Tridentina, *Sanctos unà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, bonum, atque utile eſſe, ſuppliciter eos invocare; & ob beneficia impetranda a Deo per filium ejus Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui ſolus noſter Redemptor, & Salvator eſt, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant Sanctos, æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos eſſe, aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam ſingulis orent, invocationem eſſe Idololatriam; vel pugnare cum verbo Dei, adverſarique honori unius mediatoris Dei, & hominum Jeſu Chriſti; vel ſtultum eſſe, in Cœlo regnantibus voce, vel mente ſupplicare, impie ſentire.* Docet Sacroſancta Synodus, *Sanctorum quoque Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium ſancta corpora, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & Templum Spiritus Sancti ab ipſo ad æternam vitam ſuſcitanda, & glorificanda a Fidelibus veneranda eſſe, per quæ multa beneficia a Deo hominibus præſtantur: ita ut affirmantes, Sanctorum Reliquiis venerationem, atque honorem non deberi: vel eas, aliaque ſacra monumenta a Fidelibus inutiliter honorari; atque eorum opis impetrandæ cauſa, Sanctorum memorias fruſtra* Syn. Nic. *an.*787. *frequentari, omnino damnandos eſſe, prout jampridem eos damnavit, & nunc etiam damnat Eccleſia.* Fuerunt Patres ſeptimi Oecumenici Concilii, Conſtantinopoli anno 786. incæpti, & Nicæam tranſlati anno 787., qui invocationem Sanctorum, & cultum Sacrarum Imaginum adverſus Iconoclaſtas roboraverunt. Expedit facili negotio rem benemeritus Catechiſmus Decreto Concilii Tridentini ad Parochos editus, ubi confirmat venera- *De cultu, & veneratione Sanctor.* tionem, & invocationem Sanctorum Angelorum, ac Beatarum Animarum, quæ cœleſti gloria perfruuntur, aut etiam corporum ipſorum, San-

ctorum-

ctorumque cinerum cultum, quem ſemper Catholica Eccleſia adhibuit,
non repugnare Latriæ debitæ Deo ſoli. Colitur Rex, coluntur Magiſtra- *Exod.* XX. 3.
tus, & Parentes, qui civili ſenſu adorari dicuntur. Adoratur Deus, ado-
rantur nova ſignificatione Angeli, & Sancti ejus, ſed propter Deum, QUOMODO SANCTI ADORANTUR?
in quem omnis cultus terminat. Tantum abeſt, ut in Sanctis, qui in
Domino dormierunt, honore afficiendis, atque invocandis, & ſacris eo-
rum Reliquiis, Cineribuſque venerandis Dei gloria minuatur, ut eo ma-
xime augeatur, quo magis hominum ſpem excitat, confirmat, & ad
Sanctorum imitationem cohortatur. Hæc ſi æquo animo ponderaſſet, ceſ-
ſaſſet Binghamus nos accuſare, quaſi rem creatam eo religioſo cultu ve- *l.* 13. *pag.* 68.
neraremur, quo Deum veneramur. Beatos, atque Angelos honoramus,
atque invocamus, Deum ſolum adoramus, in quem omnis noſter reli-
gioſus cultus terminat, cum propter eum ordinatus ſit. Quid mali in hac
cauſa? Quod ſi dicatur, ut a nonnullis dicitur, ſupervacaneum eſſe San-
ctorum patrocinium, quod Deus ſine interprete precibus noſtris occurrat:
has impiorum voces illud Sancti Auguſtini facile convincit, multa Deum
non concedere, niſi mediatoris, ac deprecatoris opera; & officium ac- QUARE DEUS ACCEPTET MEDIATIONEM?
ceſſerit? Quod illuſtribus Abimelec, & Job amicorum confirmatur exem-
plis; quorum peccata, nonniſi Abraham, & Job precibus condonavit. *Geneſ.* XX. 17.
Scivit Apoſtolus, quod Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chri- Job. XLII. 10. I. Joan. II. 2.
ſtum: & tamen vel orat pro fratribus, vel petit, ut fratres ad Deum
orent pro illo. Si juvant vivorum preces, quid non juvabunt Beatorum
mediationes in virtute ejuſdem Chriſti Jeſu Crucifixi, qui noſtras lachry-
mas Deo continuo offerunt? Sed cui fidem non faciunt & honoris, qui MIRACULA SANCTORUM.
Sanctis debetur, & patrocinii, quod noſtri ſuſcipiunt, mirabiles effectæ
res ad eorum ſepulchra iis, qui oculis, & manibus, membriſque omni-
bus capti eſſent, in priſtinum ſtatum reſtitutis, mortuis ad vitam revo-
catis, ex corporibus hominum ejectis Dæmoniis? quæ non audiſſe, ut
multi, non legiſſe, ut plurimi graviſſimi viri, ſed vidiſſe, teſtes locu-
pletiſſimi Sancti Ambroſius, & Auguſtinus literis prodiderunt. Quid
multa? ſi veſtes, ſudaria, ſi umbra Sanctorum, priuſquam e vita migra-
rent, depulit morbos, vireſque reſtituit; quis tandem negare audeat,
Deum per ſacros cineres, oſſa, cœteraſque Sanctorum Reliquias eadem
mirabiliter efficere. Teſtimonium invincibile proferimus ex Pallio Eliæ, IV. Reg. II. 14.
ſuper quod diviſis aquis tranſivit Jordanem Servus: vel ex Eliſei ſepul- IV. Reg. XIII. 19.
chro, in quo mortuus quidam, cum fuiſſet projectus, ſtatim ac tetigit
oſſa Prophetæ, *revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos*: vel ex fimbria Matth. IX. 20.

Chri-

Digitized by Google

Chriſti veſtimenti, in quo contactu mulier a duodecim annorum ſanguinis fluxu ſanata eſt, & multi in Geneſar ſalvi facti ſunt: vel ex umbra Petri, quæ Hieroſolymæ liberabat infirmos ab infirmitatibus ſuis: vel ex virtutibus, quas in Aſia faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur.

Matth. XIV. 36. *Act.* V. 15. *Act.* XIX. 11.

SOLICITUDO SERVANDARUM RELIQUIARUM?

Proinde ſi nec bonum, nec utile foret Sanctos ſuppliciter invocare, quare tantam ſolicitudinem ſemper adhibuerunt fideles in colligendis eorum Reliquiis? Chriſtiani multi nunquam metuerunt Martyres ſequi ſuos ad ultimum ſupplicium, tantum ut linteis, & ſpongiis manantem ex recenti vulnere ſanguinem abſtergerent primi, quem in anguſtis phialis conſervarent, & in ſepulchris reconderent. Hoc fuit ſeptem mulierum felix crimen, quæ guttas ſanguinis defluentes ex plagis S. Blaſii, dum torqueretur, collegerunt. Deprehenſæ, quod eſſent Chriſtianæ, poſt dira tormenta gladio percuſſæ ſunt. Aliquando pretio redimebantur a Satellitibus Martyrum corpora, oſſa, cineres, ut honorificentiori loco ſepelirentur. Tanta reliquiarum cura crudeliores ſæpe reddidit paganos, qui ad tollendam fruſtra omnis reſurrectionis ſpem, Sanctorum corpora aut feris devoranda projiciebant, aut gladiatorum, aliorumque damnatorum cadaveribus commiſcebant, aut ſubmergebant, aut flammis, & ventis cineres ſacros diſpergebant. Verum Deus nobis multas ſervavit Reliquias. Vidimus, quomodo fideles metu perſequutionis in areis, & cæmeteriis, in quibus Martyrum corpora quieſcerent, ad Liturgiam peragendam convenirent. Vidimus, cum jam liceret palam, & ubique erigere templa, quomodo in iis præcipue locis excitari cœperint, in quibus paullo ante congregari, & clam myſteria perficere conſueverant. Hinc fortaſſis oritur conſtans Ritus, ut ſine Martyrum Reliquiis nullum templum, nullumve altare conſecretur. Vetuſtiſſimum in Eccleſia Reliquiarum uſum eſſe, argumento novo Hieronymus mihi eſt adverſus Vigilantium, qui peſſimus Hæreticus indoluit, Martyrum Reliquias pretioſo operiri velamine, & non vel rudi panno, vel vili cilicio colligari. Romæ jam tum fuit moris Sacras Reliquias in dedicandis Eccleſiis adhiberi. Ambroſius inventis Gervaſii, & Protaſii Martyrum corporibus Baſilicam Mediolanenſem more Romano dedicavit. Damnat Binghamus ſtudium acquirendi Reliquias Martyrum ad vendendum eas, quæſtumque ex illis faciendum. Damnamus & nos cum Optato, & Auguſtino turpem quæſtum, & quamcunque ſuperſtitionem. Nos oramus Sanctos invocatione,

Martyr. Roman. 3. *Februar.*

STUDIUM PAGANORUM IN ELIMINANDIS RELIQUIIS.

RITUS CONSECR. ECCLESIÆ CUM RELIQUIIS SANCTORUM.

l. 23. *pag.* 91.

non

Digitized by Google

non adoramus latria. Ex iis, quæ præmiſſa ſunt, & præſertim ex autenticis Martyrum actis apparet, quam ſit falſum, quod addit Binghamus, *cultum religioſum Reliquiis in veteri Eccleſia exhiberi haud premiſſum, niſi tempore Auguſtini*, quem cum ſuis interdum male explicat. Poſt illa tempora demonſtrat Thomaſſinus, quod non ſoli Epiſcopi, & Clerici, ſed ipſi Laici multi tam in Oriente, quam in Occidente paſſim collo appenſas geſtarent Reliquias, & Imagines. Ne vero ſacra, & pretioſa pignora non digno honore colerentur, ſtatuit Synodus Epaonenſis an. 517.; *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcunque Parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur*. Sangallenſis Monachus teſtatur conſueviſſe Galliæ Reges in bellicis expeditionibus ſecum ferre Cappam S. Martini. Teſtatur Marculphus, quod iidem Reges per Provincias, & Regni loca mitterent Sacras Reliquias, ſuper quibus Sacramentum Fidei ſibi præſtarent vaſalli. Seculo Undecimo, Duodecimo, Decimotertio circumgeſtandarum per Provincias Reliquiarum ejus Sancti, cujus incenſa, vel diruta foret Eccleſia, quaſi ſtipem ipſemet inſtaurandæ ſuæ domus mendicaret, uſus fuit. Narrant Hermannus Monachus, Stephanus Tornacenſis, Guibertus, Hemeræus, Prynneus, Hiſtoria Eccleſiaſtica Abbavillenſis, Synodus Pictavienſis anno 1109., Robertus de Chonſon Cardinalis, Jacobus Petitus in notis ad Pœnitentiale Theodori. Refert du Freſne, Sanctorum Reliquias, & Imagines, atque adeo Dominicam Crucem interdum inter ſpinas depoſitas fuiſſe, ſi quando viri Eccleſiaſtici de injuriis Eccleſiis ſuis illatis a viris potentibus juſtitiam extorquere non poterant, ut omnium in eos odium commoverent, hocque facto ad rerum ablatarum reſtitutionem eos cogerent. Quod quidem a primis Monarchiæ Franciæ exordiis in uſu fuiſſe declarant Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum, S. Audoenus in Vita S. Eligii, vetus notitia ex Tabulario S. Joannis Andegavenſis, Acta Epiſcoporum Cenoman., Tabularium S. Eparchii, Chronicon Senonen., vetus Scheda Tom. IV. SS. Ord. S. Bened., Tabularium Vindonicen. ad annum 1074., Epiſtola Archiep. Rotomag. ad Decanos, Ordericus Vitalis, Rogerus Hovedenus, Ægidius Monachus Aureæ Vallis, Joannes Holſemius. Verum id prohibitum fuit in Concilio Lugdunenſi anno 1274. Reliquiæ Sanctorum olim in prædia Monaſteriorum illatæ, ut prædatores ab iis invadendis averterent. Narrat Bernardus Monachus in Conſuetud. Cluniacen. MSS., Molanus in Natal. SS. Belgii 1. Julii. Reliquiæ Sanctorum delatæ ad loca, quæ Eccleſiis cedebantur, ut hoc ritu

pag. 95.

p. 1. *l.* 2. *c.* 58. *n.* 4. 5.

Conſtans cultus Reliquiarum.

can. 25.

Thomaſſinus *p.* 3. *l.* 1. *c.* 74. *n.* 6. 7.

Digitized by Google

quodammodo in poſſeſſionem eorum Sancti ipſi mitterentur. Narratur in Charta Roberti Comitis Flandriæ anno 1093. in Tabulario S. Bertini. Conferebantur in unum terminum Reliquiæ Sanctorum ex diverſis locis in ſymbolum pacis, concordiæ, atque amicitiæ.

Rer. Liturg. *l.* 1. *c.* 19. *in fine.* COMMUNIO SANCTORUM.

Hæc autem Martyrum veneratio, ait Bona, *ex eo dogmate fidei orta eſt, qua Sanctorum Communionem credimus, & fatemur. Fideles etenim, ut hoc factis profiterentur, in iis locis ad orationem, & ad divina myſteria participanda conveniebant, in quibus Sanctorum Lipſana poſita erant, ut ea ratione, quam ſtatus defunctorum permittit, cum illis communicarent. Per illa ſiquidem repræſentatur Eccleſia triumphans, quæ ſic aliquo modo cum militanti communicat, & ſacrificio noſtro intereſt. Nam licet ipſa Lipſana, & oſſa Sanctorum abſente anima, ſenſu careant, reſpectum nihilominus dicunt ad animam, quæ in Cœlis eſt; ipſis ineſt ſemen quoddam reſurrectionis, & æternitatis. Hac eadem de cauſa veteris Eccleſiæ Patres, Epiſcopos orthodoxos ſub Altari ſepelire conſueverunt, ut cum ipſis Sacrificia, & Ordinationes fierent: quia ad ſervandam fidei unitatem, & ad legitimam ſucceſſionem indicandam, communionem viventis Epiſcopi cum Anteceſſore defuncto neceſſariam exiſtimabant.* Cœterum nihil tam iniquum, quam Eccleſiæ Catholicæ objicere, quod apud ipſam omnis Religio fundetur in cultu Sanctorum, poſtquam oſtendimus, Fideles in Synodo Tridentina vix non aliud doceri, niſi quod *bonum, & utile ſit eos ſuppliciter invocare*. Itaque perpetua, & conſtans Eccleſiæ mens eſt, damnandi impios, quam ſalutarem conſuetudinem vel inſano contemptu, vel alio errore rejiciunt. Cogitur quidem ad proſcribendos contumaces, cum illa ferre nequeat, vel quod tam pius uſus vilipendatur, vel quod tam antiqua doctrina a noviſſimis Doctoribus anathematizetur. Hæc de Reliquiis Sanctorum.

Boſſuet Expoſit. de la Foy Cathol. *n.* 5. *in fine.* PURGATUR ECCLESIA A CALUMNIIS.

CULTUS IMAGINUM. *ſupra.*

Tranſeamus ad imagines, de quibus docet tandem Tridentina Synodus, prout ſequitur: *Imagines porro Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis habendas, & retinendas; eiſque debitum honorem, venerationem impertiendam; non quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ; vel quod ab eis ſit aliquid petendum, vel quod fiducia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a Gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant. Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad Prototypa, quæ illæ repræſentant: ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram caput operimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. Id quod Conciliorum, præſertim vero ſecundæ Nicænæ Synodi Decretis, contra Imaginum*

TERMINAT IN DEUM.

oppu-

Digitized by Google

oppugnatores eſt ſancitum. Vetuſtiſſimum Imaginum uſum in Eccleſia nemo facile negat: qui adeo hominum cordibus infixus erat, ut regnantibus Theodoſio, & Valentiniano, quiſque pro ſuo pio ingenio, Salvatoris ſignum humi, vel in ſilice, vel in marmoribus humi poſitis aut inſculperet, aut pingeret. Quod venerabile ſignum ne pedibus contra omnem honorem concularetur aut a perfidis Paganis, aut a ſceleſtis Judæis, aut ab iiſdem bonis Chriſtianis Eccleſiam frequentantibus, iidem religioſiſſimi Principes ſub graviſſima pœna, ne impoſterum fiat, prohibuerunt. Quæ cum ita ſint, quis arguet nos, tamquam profanos Idolorum cultores? Quis tamquam violatores Dominici præcepti? Non adoramus Sanctos, non colimus eorum imagines, tamquam peſſimi Idololatræ. Sed in imaginibus iſtis adoramus Deum verum, & unicum: & Deum colimus in Electis ſuis. Juxta ſanum hunc ſenſum idem Deus, qui ſculptile, & omnem ſimilitudinem, propter horrorem, & metum Idololatriæ, vetuerat, idem Deus imagines, & ſimulachra Cherubin, & Ænei ſerpentis, ſublato Idololatriæ metu, fieri juſſit.

l. un. Cod. *Nemini licere ſignum Salvatoris pingere, aut inſculpere humi.*

Exod. XX. 4.

III. Reg. VI. 23. *Num.* XX. 8.

Nemo tamen propterea contra Religionem, Deique legem quidquam committi putet, cum SS. Trinitatis aliqua Perſona quibuſdam ſignis exprimatur, quæ tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento apparuit. Nemo enim tam rudis eſt, ut illa imagine divinitatem credat exprimi. Sed illis declarari doceat Paſtor proprietates aliquas, aut actiones, quæ Deo tribuuntur: veluti cum ex Daniele pingitur antiquus dierum in throno ſedere, ante quem libri aperti ſunt; Dei æternitas, & infinita ſapientia ſignificatur, qua omnes hominum & cogitationes, & actiones, ut de iis judicium ferat, intueatur. Angelis etiam tum humanæ ſpecies, tum alæ affinguntur, ut intelligant Fideles, quam propenſi ſint in humanum genus, & quam parati ad miniſteria Domini exequenda. Omnes enim adminiſtratorii ſpiritus ſunt propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Columbæ vero ſpecies, & linguæ, tamquam ignis, in Evangelio, & Actis Apoſtolorum, quas Spiritus Sancti proprietates ſignificent, multo notius eſt, quam ut oporteat pluribus verbis explicari. At vero cum Chriſtus Dominus, ejuſdem Sanctiſſima Mater, cœterique omnes Sancti, humana præditi natura, humanam ſpeciem geſſerint, eorum imagines pingi, atque honorari, non modo hoc præcepto interdictum non fuit, ſed ſanctum, & grati animi certiſſimum argumentum ſemper habitum eſt: quod & Apoſtolicorum temporum monumenta, & Oecumenicæ Synodi, & tot Sanctiſſimorum, Doctiſſimorumque

Catech. *citat.* DOCTRINA SANA.

Dan. VII. 9.

Hebr. I. 14.

Digitized by Google

Patrum inter ſe conſentientium ſcripta confirmant. Præterea deſiderat Sacroſancta Synodus Tridentina, ut *omnis porro ſuperſtitio in Sanctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & imaginum ſacro uſu tollatur, omnis turpis quæſtus eliminetur, omnis denique laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate non pingantur imagines, nec ornentur; & Sanctorum celebratione, ac Reliquiarum viſitatione homines ad comeſſationes, atque ebrietates non abutantur, quaſi feſti dies in honorem Sanctorum per luxum, & laſciviam agantur. Poſtremo tanta circa hæc diligentia, & cura ab Epiſcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpoſtere, & tumultuarie accomodatum, nihil profanum, nihilque inhoneſtum appareat, cum Domum Dei deceat ſanctitudo. Hæc ut fidelius obſerventur, ſtatuit Sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Eccleſia etiam quomodolibet exempta, ullam inſolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, niſi ab Epiſcopo approbata fuerit: nulla etiam admittenda eſſe nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, niſi eodem recognoſcente, & approbante Epiſcopo, qui ſimul ac de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in Concilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati, & pietati conſentanea judicaverit. Quod ſi aliquis dubius, aut difficilis abuſus ſit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæſtio incidat: Epiſcopus antequam controverſiam dirimat, Metropolitani, & Comprovincialium Epiſcoporum in Concilio Provinciali ſententiam expectet; ita tamen ut nihil inconſulto Romano Pontifice novum, aut in Eccleſia hactenus inuſitatum decernatur.*

ſupra. ABUSUS TOLLENDI.

OFFICIUM EPISCOPI.

c. 1. de Reliqu. SS.

c. 52 de Teſtib. & atteſtationib. CANONIZATIO VETUS.

Multo minus Sancti Novi abſque auctoritate R. E., prævioque rigido teſtium, documentorumque examine (quod Judicium Canonizatio audit) colendi ſunt. Olim videtur hoc jus unanimi corde penes Clerum, & Populum fuiſſe; & ſolemnis actus conſiſtere debuit in inſcribendo Beati nomine inter publicas conſuetæ Liturgiæ preces: cujus quidem Apotheoſeos veſtigia in Canone ſunt ſub illis verbis: *Communicantes, & memoriam venerantes, imprimis &c.* Paullo poſt ad Comprovinciales Epiſcopos, tandem ad Summos Romanos Pontifices tranſivit. Refert du Freſne, quippe longe antequam conderentur Martyrologia, in Canone Miſſæ primitus facta eſt commemoratio Sanctorum, non quod pro iis oraretur; ſed potius ut ii pro populo orarent, ut ait S. Auguſtinus in Joannem. Quem morem vetuſtiſſimum eſſe, aſſerit, probatque variis SS. PP. locis Stephanus Durandus Tholoſanus. Narrat Burchardus de Caſibus S. Galli: *Obtinuit etiam amminiculante Henrico Imp., & Conjuge ejus Agnete apud Dom. Apoſtolicum Clementem II. recitata Vita B. VViboradæ, ejuſque mira-*

MEDIA, ET RECENS.

De Ritibus Eccl. *l. 2. c. 35. cap. 6.*

Digitized by Google

miraculis, & de tamdiu neglecta re ab ipſo Papa redargutus, quatenus ipſam præſente Theodorico Conſtantienſi Epiſcopo canonizaret, & pro ſancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius diei ſolennizandum inſtitueret. Paſſio SS. VVlfadi, & Rufini, hæc habet: *Studebant plures religioſa devotione patriæ ſuæ Sanctos exaltare, pia ſolicitudine vitas illorum inveſtigare, Summique Pontificis auctoritate illos canonizare.* Papebrokius putat, quod primus fuerit S. Udalricus, qui anno 983. a Joanne XV. fuit albo Sanctorum adſcriptus. Morinus aliter ſentit, prout ſequitur: *Primus, quem perhibent antiqua monumenta ſolenniter a Pontificibus canonizatum fuiſſe, eſt Hugo Carthuſianus, & Gratianopolitanus Epiſcopus: Secundus eſt S. Bernardus... Ante Innocentium II., & Alexandrum III. ſimplex admodum erat Canonizationis Ritus, ut ex Petro Damiano conſtat in fine Vitæ S. Romualdi; teſtaturque Card. Baronius ad annum Chriſti 1027. Obtinebatur ab iis, quibus erat cura illa Canonizatio, a Sede Apoſtolica facultas, Altare ſuper defuncti corpus erigendi. Eo erecto peracta erat Canonizationis ſolemnitas. Poſt illud tempus cæremoniæ ſanctæ illius actionis paullatim factæ ſunt auguſtiores.* Alexander III. Canonizationes *nonniſi in ſolennibus Conciliis de more* fieri ſolitas ſcribit. Vide Capitulare Francofurdienſe anno 794., Capitulare anno 789., Concilium Romanum anno 993., Epiſtolam Joannis de Burnino Archiepiſcopi Viennenſis, & Suffraganeorum ad Gregorium IX. De Canonizatione Stephani Epiſcopi Dinienſis apud Joannem Columbum. &c. Ex allatis locis (refert du Freſne) plus ſatis patet, non jure Vadianum Hæreticum ſcripſiſſe, Canonizationes ad ſolos Epiſcopos (in Germania præſertim) ſpectaſſe, & facultatem in Canonem referendi, pro more veteri Francorum in Eccleſiis ſibi ſubjectis, iis competiiſſe: quod Pontifex Romanus poſtea ſoli ſibi aſſeruerit, etſi id videatur quodammodo indicare Baldricus. Conſtat quippe infinitis propemodum exemplis, aut Summos Pontifices hanc ſibi provinciam ſumpſiſſe aut Epiſcopis demandaſſe, proindeque ejuſmodi Canonizationes Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſemper peractas fuiſſe, prouti in hanc diem peraguntur. Juxta Conſtitutionem Sixti V. Proceſſus Canonizationis fieri debet in Sacra Congregatione Rituum, & Ordo Canonizationis legitur in Cæremoniali Romano.

Tom. II. Monaſtici Angl. pag. 125.

De Pœnit. *l. 10. c. 20. n. 11.*

epiſt. 3.

cap. 40.

cap. 41.

l. 1. Chron. Cameracen. c. 35.

DE

Digitized by Google

DE EUCHARISTIÆ CUSTODIA
DE SANCTO OLEO
DE UNIVERSA SACRA SUPELLECTILE
DE USU CAMPANÆ

TITULUS VII.

PRæter ea, quæ ſuperiore Libro, Titulo Quarto, de antiquiſſimo aſſervandæ Euchariſtiæ uſu, ab initio uſque ad nos non inutiliter docuimus, addimus Innocentii III. Decretum, ut *in cunctis Eccleſiis*, Parochialibus ſcilicet, *Chriſma, & Euchariſtia ſub fideli cuſtodia, clavibus adhibitis conſerventur, ne poſſit ad illa, temeraria manus extendi ad aliqua horribilia, vel nefaria exercenda*. Aſſervatur Sacramentum pro adoratione, & pro paſcendis famelicis in Eccleſia, & infirmis in domo ad Viaticum. Quæ munia Parochialia Regularibus intra domeſticos parietes communia facta ſunt, niſi quod extra iſtos limites Regularibus non liceat, abſque licentia Parochi deferre Viaticum: nec facile indulgendum, præſertim, quia in certis locis aliqui clam deferunt ſub inani plerumque prætextu, ne terreatur infirmus, ne Fiſcus, aut Magiſtratus, aut Judex occupet bona. Vanus terror, cujus periculum vix abſcondi poterit; nec viventis, ſed mortui ſubſtantia judiciario ſigillo obſignatur. Cœterum qui metuit Dominum ſuum ultimo fortaſſis in hac vita venientem, quomodo illo in alia vita dignus erit? Hac occaſione moneo, ut Parochus diligenter obſervet, quæcunque in Rituali Romano de Communione Infirmorum præſcripta ſunt: nempe ut Sanctiſſimum Sacramentum deferat Parochus ab Eccleſia ad privatas ægrotantium domos, decenti habitu, ſuperpoſito mundo velamine, manifeſte, atque honorifice, ante pectus, cum omni reverentia, & timore, ſemper lumine præcedente, ut etiam noctu fideles ſciant, quem hoſpitem tractet Sacerdos. Moneo ſecundo, ne ultra octo dies in Tabernaculo conſervetur idem Sacramentum, propter metum corruptionis, & irreverentiæ. Abſumatur igitur, & de hebdomada in hebdomadam curet Parochus conſecrari novum tam pro adoratione, quam pro communione, & viatico. Nec plures conſecrentur Particulæ, quam quæ a Fidelibus abſumi ſolent.

De Sacro Oleo plura verba fecimus ſuperiori Libro, Tertio, & Octavo Titu-

c. 1. de cuſtodia Euchariſtiæ.

Causa asservandæ Eucharistiæ.

Munia Parochialia.

Cautela inanis.

Ritus.

Officium Parochi.

Digitized by Google

Titulo. Reliqua quæras velim de conformi Officio in Feria Quinta Cœnæ Domini, quando benedicitur & Oleum Catechumenorum, & Oleum Infirmorum, nec non conficitur Chriſma. Euchariſtia, & Sacrum Oleum a ſolis Presbyteris, & proprie a Parocho tractari debent.

BENEDICTIO RERUM SACRARUM.

Benedicitur autem univerſa ſacra ſupellex, cruces, imagines, capſæ, calices, patenæ, vaſa, corporalia, mappæ, tobaleæ, veſtes, & campanæ, quæ quidem ſatis cito comparuerunt. Veſtes autem conſuetæ, & ornamenta ſunt, humerale, cinctura, manipulus, ſtola, caſula, tunica, dalmaticæ, pluviale, ſandalia, chirothecæ, crux ante pectus, mitra, & paſtorale. De pallio, & reliquo ornatu Epiſcopi duos Titulos, Decimumnonum, & Vigeſimum Primo Libro ſcripſimus. Conſule Binghamum.

l. 6. pag. 417. & l. 13. pag 248.

QUIBUS USI SINT VESTIBUS ANTIQUI CHRISTIANI?

Porro omni dignum animadverſione eſt, quod primi Chriſtiani communibus uterentur veſtibus civilibus, non ſecus ac infideles: neque Clerici ob metum perſequutionis volebant diſtingui a Laicis. Apoſtoli veſtiebantur, tamquam Judæi, cum quibus tam illi, quam reliqui Diſcipuli vulgo confundebantur. Judæi converſi non mutabant ſuas veſtes, neque Gentiles converſi ſuas. Poſt Hieroſolymitanum imperante Tito excidium, diſperſi ſunt plurimi Judæorum, & Chriſtianorum per Græciam, & totum Orientem, in quibus partibus florebat illa tempeſtate nova Religio. Converſi impoſterum vix non omnes fuerunt ex Gentibus: vix aliquis amplius fuit ex perfidis Judæis. Tum vero Chriſtiani cum Græcis, reliquiſque Orientalibus communes veſtes utique induerunt. Tranſeuntibus Chriſtianis in Occidentem, & ad Romanos, jampridem Occidentalium, & ipſorum Romanorum mores, atque habitus facile aſſumpſerunt. Hinc ſandalia, chirothecæ, amictus, humerale, cinctura, manipulus, ſtola, caſula, dalmaticæ, pluviale, mitra, baculus: quibus vel Orientales, vel Occidentales civilibus uſi ſunt veſtibus, & communibus ornamentis. Adolevit Orbis. Diverſæ nationes, diverſæ linguæ, diverſi mores, diverſæ veſtes diverſas regiones intraverunt, aut immutaverunt.

SERVARUNT CLERICI VESTES PRIORES.

Clerici antiquarum uſque veſtium tenaces ſemper fuerunt; quarum civilem uſum cum amplius nec ipſi habuiſſent, ſed tantum Eccleſiaſticum uſum in Divino Officio, Seculiſque obſcurioribus hunc penitus ignoraſſent: ad pia myſteria, & ad vagas interpretationes recurrerunt. Quid enim aliud fuit olim calix, quam commune vas ad bibendum? quid patena, quam communis orbis ad edendum? quid ſingulæ veſtes, quam ad induendum patrio more aptiſſimæ, ordinatæque? Hodie forma qui-

dem

Digitized by Google

dem plurima veſtium longe diverſa eſt: & quaſi ſub oculis noſtris (quemadmodum cum reliquis contingit humanis rebus) novam aliquam, ab initio levem, ſucceſſu temporis maximam pro diverſis regionibus mutationem illa ſuſcipit: quamvis Chriſtiana Religio non ſtet in habitu, & in cultu externo, ſed in fide, & in opere recto. Itaque veriſimile eſt, Apoſtolos, & primos Sacerdotes, etiam in Sacris Liturgiis, uſos fuiſſe communibus civilibus ſuis indumentis. Veriſimile eſt, quod Clerici omnes reddita Eccleſiæ pace inter divinum Officium ornatiores veſtes, tandem pretioſas, ejuſdem tamen civilis formæ, induiſſent; quidquid nonnulli ſentiant, traditione Apoſtolica ſingulares Miniſtrorum veſtes in ſacris functionibus deſtinatas ſemper fuiſſe. Quomodocunque ſit, *Oratoria, vaſa, corporalia, & veſtimenta prædicta, munda, & nitida conſerventur. Nimis enim videtur abſurdum, in ſacris ſordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* Index III. ad Gloſſarium multa habet de miniſteriis ſacris, vaſibus, ornamentis, & veſtibus Eccleſiaſticis.

VESTES APOSTOLORUM.

BonaRer.Liturg. *l.* 1. *c.* 5. *n.* 2. & *c.*24.

c. 2. *de cuſtodia Eucharistiæ.* §. 28. & 43.

USUS CAMPANÆ.

Corona hujus Tituli de uſu Campanæ eſt, de qua tractant Hadrianus Junius, Caſaubonus, Rhodiginus, Polydorus Virgilius, Baronius, Haeftenus, Bona, du Freſne, & alii. Præmittimus ſub jugo Ethnicorum, publica ſigna a Fidelibus, propter metum mortis, adhiberi nequiviſſe, quibus denunciaretur ſingulis hora conveniendi ad ſynaxim. Pace reddita apud Monachos hoc ſignum fuit vel tubæ ſonitus, vel mallei pulſus ad ſingulorum cellas. Teſtis Pachomius Abbas, & Climacus. Reliquæ Orientales uſæ ſunt Eccleſiæ fragoſa lignorum percuſſione. Teſtes poſt ſecundam Nicænam Synodum anno 787. multi. Quæ ligna Græci ſemanteria, vel chiroſemanteria vocant, quibus forte Chriſtiani Orientis adhuc utuntur, ſub Turcarum imperio viventes. Scio enim & in Ducatu Sirmienſi apud ſchiſmaticos Monachos, quos Calopodios vocant, etiam hodie in uſu eſſe. Campanas vero uſui Græcis eſſe cepiſſe an. 865. ex Scriptoribus Hiſtoriæ Venetæ colligitur aſſerentibus Urſum Participacium, Venetiarum Ducem, primum omnium dono miſiſſe duodecim mirificæ artis, & valde ſonoras campanas Michaeli Imperatori, qui eas in Turri vulgo ad Sanctam Sophiam extructa collocavit: quæ vox græca latine Divinam Sapientiam ſonat. Eccleſia Divinæ vero Incarnati Verbi Sapientiæ dicata eſt. Sed jam pridem in Occidentalibus Eccleſiis uſus campanæ viguit. Rejectis vulgaribus opinionibus, veram inquirit originem Bona, ubi ait: *Mihi autem vero propius videtur, ſtatim ac reddita Chriſtianis eſt pax, ad convocandum populum tintinnabula adhibita* (uſu ab antiquis

MONACHORUM SIGNUM.

ORIGO CAMPANÆ IN ORIENTE.

Rer. Liturg. *l.* 1. *c.* 22. *n.* 5.

Digitized by Google

tiquis vel Judaicis, vel Ethnicis Sacerdotibus mutuato) *primum minora, deinde grandiora*. Meminit tintinnabulorum in Vita S. Benedicti S. Gregorius M.; meminit in Vita S. Gregorii Lingonenſis alter Gregorius Turonenſis. Quæris Etymologiam hujus vocis Campanæ? forte quia aut primi, aut optimi fabri illius Regionis in Territorio Neapolitano: forte quia æs campanum præſtantiſſimum, ex quo tantæ conficerentur Machinæ. Sic quod in Urbe Nola optimi fabri invenirentur, campanæ minores præſertim æs nolanum vocatæ fuerunt. Quæris Etymologiam barbaræ vocis Cloccæ, quam uſurpant Seculo Octavo S. Bonifacius Moguntinus, & alii illius ævi Scriptores? forte antiqua Teutonica vox eſt, quum adhuc nos Germani Campanam vulgo vocemus *Glocken*, & Galli vulgo vocent *Cloche*, & Angli vulgo vocent *Glocke*. Signum convocandæ Plebis ad Sacra Templa tum apud Judæos, tum apud Ethnicos ſpectavit ſemper ad Sacerdotes. Inter Monachos convocavit Abbas: inter reliquos fideles Presbyter, aut alter e Sacris Miniſtris. Hodie pulſum ordinare ſpectat vel ad Epiſcopum, vel ad Capitulum, vel ad Rectores, prouti juris, aut moris eſt. CUJUS SIT PULSARE SIGNUM?

Ipſæ Campanæ ab Epiſcopo benedicuntur, Sacroque Oleo inunguntur, tributo nomine alicujus Beati, quaſi viventis voce plebs invitaretur ad Eccleſiam. Ritus Benedictionis Seculo Nono jam viguit, teſte Menardo. Hic Ritus non placet Binghamo, cum tamen innocuum, & religioſum cultum inferat, qui in Deum unice tendit. Non quod revera baptizentur campanæ eo baptiſmo, quo remiſſio peccatorum confertur; ſed quod quaſi præcipuæ, quæ in puerorum baptiſmo obſervantur, ceremoniæ in iis benedicendis peragantur: unde non tam baptiſmus, quam baptiſmi ſignum, ſeu ſymbolum iis confertur, quemadmodum etiam Eccleſiis, quæ baptizari dicuntur ab Ivone Carnotenſi Epiſcopo de Sacrament. dedicat., cum primum dedicantur. Extat formula baptizandi campanas in Ordine Romano, cujus Autorem antiquiſſimum eſſe conſtat, ex quo inquit Alcuinus: *Novum videri non debet campanas benedici, & ungi, eiſque nomen imponi*. Quod vero in Capitulari Caroli M. an. 787. c. 18. Campanæ, quæ Clocæ ibi dicuntur, baptizari vetantur, recte ait Amerbachius prohiberi ſuperſtitionem, non vero legitimam, & Eccleſiaſticam benedictionem. Hodie Regularibus Campanæ æque communes ſunt, quotquot volunt. Olim vel nulla, vel unica propter honorem Cathedralis, vel Parochialis Eccleſiæ. Veſtigia juſti honoris obſervamus in Officio Cœnæ Domini, & Sabbato Santo. Poſtquam in Ec- RITUS CAMPANÆ BENEDICENDÆ. QUOMODO FRUANTUR CAMPANIS REGULARES.

Digitized by Google

cleſia Cathedrali ceſſavit pulſus Campanæ in Miſſa illius Feriæ Quintæ, nulla alia minor Eccleſia præſumit amplius pulſare : & antequam Sabbato Sancto Eccleſia Cathedralis compulſavit prior, nulla alia minor Eccleſia præſumit præpulſare, ſtata pœna.

DE SACRIS LIBRIS

TITULUS VIII.

Libros Sacros alii eos vocant, quicunque ad Divinum Officium faciunt, aut ad munia Religionis tendunt, veluti Rituale, Pontificale, Cæremoniale. Nos vero Sacros potiſſimum illos Libros exiſtimamus, qui in Canone Scripturarum recenſentur, ſive quos divinitus Scriptoribus ſuis inſpiratos credit univerſa Catholica Eccleſia. Conſule Binghamum, ſublatis veteribus conviciis, & calumniis adverſus Eccleſiam Romanam, quibus ſcatent hujus nominis ſcriptores. Porro Chriſtianæ Religionis veritas, & diſciplina continetur in Libris ſcriptis, & aliis ſine ſcripto traditionibus, quæ ex ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis Spiritu Sancto dictante quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt. Hinc Sacroſancta Oecumenica, & Generalis Tridentina Synodus, *Orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes Libros tam Veteris, quam Novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit author, nec non traditiones ipſas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tamquam vel oretenus a Chriſto, vel a Spiritu Sancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia Catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur*. Sanctorum Librorum Indicem confirmant Patres : *Sunt vero infraſcripti : Teſtamenti Veteris, V. Moyſis, ideſt Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Joſue; Judicum; Ruth; IV. Regum; II. Paralipomenon; Eſdræ I. & II., qui dicitur Nehemias; Tobias; Judith; Eſther; Job; Pſalterium Davidicum CL. Pſalm.; Parabolæ; Eccleſiaſtes; Canticorum; Sapientia; Eccleſiaſticus; Iſaias; Hieremias cum Baruch; Ezechiel; Daniel; XII. Prophetæ minores, ideſt Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; Machabæorum I. & II. Teſtamenti Novi, IV. Evangelia ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apoſtolorum a Luca Evangeliſta conſcripti; XIV. Epiſtolæ Pauli Apoſtoli ad Romanos, II. ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, II. ad Theſſalonicenſes, II. ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos;*

l. 10. pag. 12. l. 13. pag. 91. l. 16. pag. 315. l. 6. pag. 348. l. 7. pag. 78. & l. 14.

QUID CONTINEANT LIBRI SACRI?

Seſſ. IV. 1546. *De Canonicis Scripturis.*

INDEX VETERIS TESTAMENTI.

INDEX NOVI TESTAMENTI.

Digitized by Google

bræos ; Petri Apoſtoli II., Joannis Apoſtoli III., Jacobi Apoſtoli I., Judæ Apoſtoli I.; & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Si quis autem Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina Editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens, & prudens contempſerit, anathema ſit.

Quidquid ſit de Canone Judæorum, qui Libros Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum (nam de Libris Eſther illis dubium eſt) extra Canonem Scripturarum expungunt, omnes tamen, & iſti pariter pro authenticis, & genuinis ab univerſa Eccleſia Catholica habentur. Quidquid ſit de Novatoribus, qui non ſolum præcitatos eoſdem libros expungunt; ſed juxta eorum incomprehenſibilia principia, Sacrorum Codicum divinitas, & infallibilitas diverſis ſanctitatis characteribus, quibus ultro ſe ſe produnt eſſe divinos, mirum in modum dignoſcitur. Eſto. Cur repudiant ergo Libros illos? Suntne talibus divinitatis characteribus penitus deſtituti? repugnant veritati, aut moribus, aut aliis ſanæ doctrinæ regulis? cur repudiant ergo? Nos autem non ex nova arbitraria revelatione, verum ex veteri, conſtantique univerſæ Eccleſiæ traditione, divinam his libris authoritatem jure merito tribuimus: quæ quidem longa, & continua traditio niſi primis Seculis, ſaltem proceſſu temporis ab univerſa Eccleſia fuit agnita, & recepta: quam vero dogmatice confirmavit, definivitque Tridentinum Concilium: in quo tuti requieſcimus abſque metu erroris. Hæc de Veteris Teſtamenti Canone.

CANON JUDÆORUM.

NOVA DOCTRINA REFELLITUR.

Jam de Novi Teſtamenti Canone. Novatores iidem, tamquam Apocrypha opera rejiciunt Epiſtolam Jacobi, Epiſtolam Judæ, Epiſtolam Pauli ad Hebræos, & Apocalypſim Joannis. Ubi notandum venit, quod, licet de quibuſdam Novi hujus Teſtamenti locis dubium aliquando remanſerit, illud Seculo Quarto plene ceſſaverit. Undenam amabo habebimus Librum aliquem Scripturis Sacris computandum, & pro infallibili Dei verbo, niſi ex traditione, atque authoritate Eccleſiæ? Non, quod authoritas Eccleſiæ efficere poſſit, ut liber aliquis, qui a Spiritu Sancto inſpiratus non ſit, Canonicus evadat, quemadmodum doloſi nobis affingunt homines: ſed quod Eccleſia lumine traditionis adjuta diſcernat Canonicos, & genuinos a ſuppoſititiis, & apocryphis: nec non vi ſuæ authoritatis Canonicos declaret, ſpurios proſcribat. Rurſus ſublata traditione, ſublata legitima veræ Eccleſiæ authoritate, quæſo,

NECESSITAS TRADITIONIS.

Digitized by Google

quale ſupereſt ad convincendos Atheos fortius argumentum ? Denique ſuppoſito, quod ex ſola luce, quæ in Scripturis affulget, earum divinitas agnoſcatur, ſequitur primo, neminem integro nondum perlecto Codice certum eſſe poſſe de ejus divinitate, aut infallibilitate: ſequitur ſecundo, non legentem impune dubitare poſſe, num ſit anilis fabula, quaſi concinnatum Fontenellii vivaciſſimum opuſculum de pluralitate Orbium. Quod autem Spiritus Sanctus per Eccleſiam ſuam nobis loquatur, illud abunde teſtatur quæſtio ab initio ſuſcitata Antiochiæ de cæremoniis Legis: & ipſi Apoſtolorum Actus docuerunt ſtatim, qua authoritate futuræ ſeditiones coercendæ ſint. Donec igitur contentionibus ſcindantur fideles, Eccleſia ſuam interponit auctoritatem, Epiſcopi in unum collecti pronunciabunt, quemadmodum pronunciaverunt Apoſtoli, & Seniores: *Viſum eſt enim Spiritui Sancto, & nobis*. Cum vero definiverit Eccleſia Mater, diſcant probi filii, nihil ultra inquirendum, ſed credendum, atque obediendum. Sic fecerunt Paulus, & Silas: qui cum *pertranſirent Civitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Hieroſolymis*. Sic filii Dei acquieſcunt judicio Eccleſiæ, credentes ex ore Eccleſiæ intellexiſſe oraculum Spiritus Sancti: & juxta hanc fidem, poſtquam in Symbolo profeſſi ſumus, *Credo in Spiritum Sanctum:* illico profitemur *Sanctam Eccleſiam Catholicam*. Unde promittimus in Eccleſia univerſali infallibilem, & perpetuam agnoſcere veritatem: quoniam hæc eadem Eccleſia, quam omni tempore profitemur, ceſſaret eſſe Eccleſia, quando ceſſaret veritatem a Deo revelatam docere. Quamobrem puſilli cum metuant, ne Eccleſia ad introducendos malos errores ſua abutatur poteſtate, juſtam fidem non habent in Jeſum Chriſtum, qui ſolus ſuam dilectiſſimam Sponſam perpetua regit charitate. Propterea *ad coercenda petulantia ingenia decernit* Sancta Synodus, *ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem Doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam Sacram interpretari audeat; etiamſi hujuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis a Jure ſtatutis puniantur*.

Entretiens ſur la Pluralité des Mondes.

Boſſuet Expoſit. de la Foy Cathol. *n. 19.*

ECCLESIÆ AUCTORITAS.

Act. XV. 28.

Act. XVI. 4.

Seſſ IV. 1546. *de Edit. & uſu SS. Librorum.*

SPIRITUS PRIVATUS ERRAT SÆPE.

QUO SPIRITU SINT LEGENDÆ SACRÆ LITERÆ?

Regulæ Sacras legendi Scripturas primariæ ſunt, quæ ſequuntur. Eo ſenſu lege Sacras Paginas, quo conditæ ſunt, diſcernendo internum ſpirantis

Digitized by Google

rantis divini Spiritus ſenſum ab externo humano ſcribentis ſenſu. Dein fontes Hebraicos, & Græcos adi. Interea cum in Veteri Teſtamenti ſit occultatio Novi, & in Novo manifeſtatio Veteris, facilius agnoſcitur, quod quæritur, ſi ex pluribus locis, quæ de eadem re ſcripta ſunt, exempla proferantur. Deinceps literalem ſenſum myſtico frequenter præfer, niſi evidens ratio cogat recedere, ad evitandam vel falſitatem, vel abſurditatem, vel indecentiam, vel materialium vocum impoſſibilitatem. Myſticum ſenſum tene, ubi tenet Eccleſia. Ex traditione ejuſdem, atque interpretatione, ex Decretis Conciliorum, & Patrum conſenſu, præſertim in Dogmate immutabili, omnem verum ſenſum ſive literalem, ſive myſticum quære: quem ſi nondum invenias, vel Codex mendoſus erit, vel erravit interpres. Author quippe divinus Spiritus errare non potuit. Opportune advertit Claudius Fleury. Quum Officium Divinum Latina lingua inter nos peragatur, præ cœteris electa fuit Verſio, quæ nuncupatur Vulgata, inde a Seculo Septimo fidelium manibus trita, & pro authentico textu declarata: hoc eſt, ut ea inter Sacra, inter orandum, aut prædicandum, aut diſputandum, aut inter cunctos actus publicos adhibeatur, ita ut nemo eam, tamquam aliquid continentem, quod fidei, & moribus adverſetur, rejicere poſſit. Nam Synodus Tridentina in Decreto citato *ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata editio, quæ longo tot Seculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.* Nihilominus Eccleſia agnoſcit Veteris Teſtamenti Græcam Verſionem, qua Eccleſiæ Orientales utuntur; nec induſtriam eorum condemnandam cenſuit, qui textum originalem pro ſuo quiſque modulo rimantur. Unde ſalvo honore, ſalva auctoritate Vulgatæ Verſionis nondum auſim hanc Græcæ Verſioni præferre: multo minus probo temeritatem nonnullorum, qui adeo extollunt Vulgatam editionem, ut videantur Biblia LXX. Interpretum quaſi penitus rejicere. Sed verſiones in linguas vernaculas inde a Seculo Decimotertio ſuſpectas habuit Eccleſia, eo quod Albigenſes, Fraticelli, Begardi, Flagellantes, VVicleffiſtæ, Huſſitæ, aliique recentiores Hæretici, ſpreta veræ Eccleſiæ legitima auctoritate, divinos Libros detorquendos aſſumpſerunt in ſuos privatos erroneos ſenſus. Unde Epiſcopis mandatum eſt, ne promiſcuum talium verſionum uſum cunctis permittant; niſi qui a Paſtoribus idonei reputentur ad fructum ex eis percipiendum: nec ulla nova verſio divulganda ſine auctoritate Epiſcopi,

Inſtit. Canoniq. Second. Part. chap. 8. n. 7.

AUCTORITAS VULGATÆ VERSIONIS.

VERSIO GRÆCA PROBATUR. CONCORDANTIÆ LAUDANTUR.

VERSIONES VERNACULÆ SUSPECTÆ.

non

non ſecus ac reliqua Scripta, quæ ad Religionem, & bonos mores tendunt.

DE SCHOLIS, ACADEMIIS, COLLEGIIS, ET SEMINARIIS CLERICORUM

TITULUS IX.

NE de Gentibus loquar, quæ ſcientias, & artes, non utiles tantum, verum neceſſarias conſervandæ Reipublicæ duxerunt; Chriſtiana Religio humanis, quibus ornatur, ſtudiis ad probam divinarum rerum notitiam pervenit. Chriſtianis itaque maximum fuit viſum negotium, Scripturas ſcrutandi; quod nobile pignus, & inæſtimabile depoſitum ignari Judæi eredentibus nobis tranſmiſerunt. Sacrarum Literarum Schola in Alexandrina Civitate primis temporibus fuit inſtituta, quam ut ſummo habeamus honore ſuos celeberrimos magiſtros Pantœnum, Clementem, Ammonium, Originem, Hieraelam, Dionyſium, Pierium indicaſſe ſat erit. In Oppidis, & vicis vixerunt Doctores; edixitque in Concilio Vaſenſi an. 529. S. Cæſarius Arelatenſis cum undecim Epiſcopis, ut juxta utilem Italiæ uſum Presbyteri Rurales addoceant juniores Clericos Pſalmos, Scripturas, & Præcepta Dei, quos dignos ſibi inſtituant Succeſſores. Jam pridem in Ægypto præter Parochos, ruri quoque erant magiſtri, & diſcipuli. Poſt Alexandrinam, non infimi nominis Edeſſena Protogenis Presbyteri Schola fuit. *Vir apprime admirabilis, in literis educatus ab Eunomio, & in celeriter ſcribendo exercitatus, cum locum reperiſſet idoneum, ludum aperuit, & pueris docendis operam dedit: atque eos non modo exercuit ad celeri manu ſcribendum, verum etiam Sacra Dei Eloquia edocuit. Nam hymnos Davidis tamquam dictata illis propoſuit: & eas Apoſtolicæ Doctrinæ ſententias, quas eorum ingeniis accomodatas putabat, ediſcendas tradidit.* Præterea recenſet Bona: *Cum in Cantico Eccleſiaſtico & Clericalis Diſciplinæ vigor, & Chriſtianæ Religionis, ſacrarumque functionum majeſtas maxime eluceat, ſummo ſemper ſtudio Romani Pontifices, & aliarum Eccleſiarum Antiſtites curarunt, ut Clerici a teneris annis canendi regulas ediſcerent, dato eis magiſtro, qui, ut ſcilicet loquitur Tertullianus lib. de Pallio cap. ult., primus eſſet informator literarum, & primus edomator vocis.* Inde Romæ Schola Cantorum inſtituta fuit vel ab Hilario P. Seculo Quinto, vel a Gregorio M. exeunte Seculo Sexto. Sic Leidradus Lug-

Marginal notes: QUANTA CURA CHRISTIANIS SCRUTANDI SCRIPTURAS. — SCHOLA ALEXANDRINA. Euſeb. l. 5. c. 10. Hieron. & Cave *de Scriptor. Eccleſ.* — *can.* 1. — SCHOLA EDESSENA. Theodoretus *l. 4. c. 16.* — Rer. Liturg. *l. 1. c. 25. n. 20.* — SCHOLA CANTORUM ROMÆ.

Digitized by Google

Lugdunenſis, & Chrodogangus Metenſis alebant ſcholas Cantorum. Celebris adeo fuit Romana ſchola, ut Sergius I., Gregorius II., Stephanus III., Paulus I., Sergius II. in hac ſchola literas, & cantum edocti tandem ad ſupremum Pontificatus apicem pervenerint. Duplex fuit hæc ſchola ad S. Petrum, ſeu Vaticana, & Lateranenſis. Quando deſierit, incertum eſt: quæ tamen anno 1232. adhuc viguit, ſi Card. Cæſari Raſponio ſit fides. Præter has ſcholas vel ruri apud Parochos, vel in Civitate apud Epiſcopos, aliæ florentiſſimæ Paleſtræ in Monaſteriis vix non ubique viguerunt Seculis Sexto, Septimo, & Octavo. In his Gymnaſiis etiamſi primum locum ſibi vindicarent apud Monachos Sacræ Paginæ, nullo pacto humaniores literæ excluſæ fuerunt. Acceſſere pſalmi, notæ, cantus, computus, orthographia, linguæ præſertim Latina, Hebraica, & Græca, Canones, Patres, & Leges tandem ſeculares, nec non ſacra, & profana Hiſtoria. De ſcholis plura more ſuo in medium profert du Freſne.

De Baſil. Later. *l.* 2. *c.* 4.

SCHOLÆ MONACHORUM.

Inſignis ſtudiorum Mecænas fuit Carolus M., qui curante Alcuino Oſnabrugenſem, Aquiſgranenſem, Pariſienſem, Turonenſem, & ſexcentas alias Scholas fundavit. Eadem Ludovico P. filio laudabilis fuit ſolicitudo, ſub quo Turonenſis, Lugdunenſis, Fuldenſis, Pariſienſis imprimis claruerunt Palæſtræ. Reſtauravit Carolus Calvus, quas bella civilia, & Normannorum incurſiones miſerandum in modum deformaverant. Literas continuo promoverunt Epiſcopi, & Magiſtratus. Deficientibus inter arma ſtudiis, extinctaque Carolina ſtirpe Ottones in Germania, Capetii in Galliis priſcum diſciplinarum ſplendorem ſuæ Genti commendaverunt, publicaque Gymnaſia (quantum per obſcurum, & infelix Seculum fieri licuit) providi reparaverunt. Roma perpetua artium, & ſcientiarum magiſtra, & parens, omnibus ſparſis per Orientem, atque Occidentem univerſitatibus, aut ſcholis facile ſemper prævivit. Milleſimum Æ. V. annum attingimus: & hic poſt Morinum obſervat Thomaſſinus. *Ruente Caroli M. ſtirpe, & imperio collapſa, dilapſaque ſunt & hæc clericorum, & vitæ communis collegia: ſubſtantia autem temporali Eccleſiæ ſciſſa in complures Beneficiarios, uti nunc uſus eſt, defluxiſſet clerus in altiſſimas ignorantiæ tenebras, niſi imminenti ei calamitati obviaſſent publicæ ſcholæ, & univerſitates. Earum inſtitutio non ignorantiam tantum a clero propulſavit, propulſatque etiamnunc: ſed id præſtitit, ut expeditior via ſit ad quaslibet diſciplinas attingendas, utque ad longe ſubliminiorem, quam ante, earum apicem perveniatur.* Tandem antiquæ Principum,

SCHOLÆ SUB CAROLOVINGICIS. Thomaſſinus *p.* 2. *l.* 1. *c.* 96. *& ſeqq.*

SCHOLÆ SUB STIRPE OTTONUM, ET CAPETUM.

ROMA MAGISTRA.

ſupra c. 101. *n.* 1.

QUANTUM BONUM EX UNIVERSITATIBUS?

Digitized by Google

pum, atque Epiſcoporum ſcholæ tranſiverunt in publicas univerſitates, in quibus facultates ſingulæ fuerunt quidam gradus ad Eccleſiaſtica Beneficia ſtudioſis viris debita. Hinc magnus concurſus habebatur ad illas Civitates, in quibus tum optimi magiſtri, eæque diverſiſſimæ florebant ſcientiæ. Hæc jam poſt annum milleſimum. Et quidem ad pandendum aditum ad altiora, cæptum eſt ab artibus, ſcilicet grammatica, dialectica, humanioribus, & philoſophia. Inde aſcenſum eſt ad ſuperiores facultates, phyſicam, ſive artem medicam, ad Jus Civile, ad Sacros Canones, ſeu Decretum Gratiani, & ad Decretales Gregorii IX., ad Theologiam præſertim Magiſtri ſententiarum, & ad Summam Divi Thomæ. Conjunctiones harum quatuor facultatum vocatæ ſunt Univerſitates, quas Summi Pontifices, & Principes magnis Privilegiis exornarunt. Papæ exemerunt eas a Juriſdictione Epiſcoporum, dederuntque eis Magiſtratum ſpecialem in ſingula totius corporis membra, cujuſcunque Diæceſeos, vel Nationis fuerint; & poteſtatem docendi per univerſum Orbem Chriſtianum iis conceſſerunt, qui in univerſitatibus probati, Doctoreſque facti eſſent. Evenit poſtea, ut ſtudium Theologiæ propter Clericos, qui medio illius præbendas inhiabant, primas fere ſemper teneret partes: & quamvis Jus Civile panderetur ad illuſtrandos Canones, Decretum, & Decretales præponderabant Codici, & Digeſtis. Principes autem Univerſitatibus, quæ tamquam Collegia Clericorum a Juriſdictione Laicorum per ſe exempta erant, peculiare præſidium, poteſtatem delegatam, & exemptionem ab oneribus publicis indulſerunt. Cujuſcunque Univerſitatis privilegia juxta hodiernos mores, quantum res, & uſus ſinit, conſulantur. Jam Seculo Tertiodecimo celeberrimæ fuerunt Pariſienſis, & Bononienſis. Quod ſpectat ad Jus Civile, ineunte Seculo præcedente Lotharius Imp. *publico edicto in omnes Imperii regiones emiſſo juſſit, ut Romanorum Jus in ſcholas publicas, inque omnia Tribunalia reciperetur: ex eoque impoſterum cauſæ judicarentur, deletis barbaris legibus, profligatiſque cruentis moribus, Italico nomine prorſus indignis. Itaque hoc edicto, Romano Juri faſces reddidit ab hoſtibus ereptos; eique publicam auctoritatem, lucemque reſtituit. Primam autem, atque celebriorem ſcholam Juris Civilis Imperator aperuit Bononiæ; ubi ſedes bonarum artium, & publicum cujuſque doctrinæ docendæ munus vel a Theodoſio minore, ut Bononienſes contendunt; vel ut alii putant, ab ipſo Lothario fuerat conſtitutum. Hujus tam egregii facinoris Imperatori Optimo auctor fuit, atque ſuaſor Juris Conſultorum ea tempeſtate maximus Irnerius, vel, ut alii ſcribunt, Vernerius; qui Mediolanenſiſne, an Germanus fuerit, ambigitur.* Præ-

PRIVILEGIA PONTIFICIA.

PRIVILEGIA REGIA.

Gravina Origin. Jur. Civil. l. 1. §. 142.

Præter Academias, ſive Univerſitates nata ſunt Collegia. Cauſa fuit, vel quia pauperes non valerent extra patriam ſe ſuſtentare, vel quia Religioſi, & ipſi moderatiores Laici privata ſibi deſignarent hoſpitia, ne malitia corrumperet intellectum eorum, qui malis alienis converſationibus, occaſione frequentandorum ſtudiorum communicarent. In minoribus æque locis conditæ ſunt ſimiles Collegiorum ſocietates ſub eodem victu, & veſtitu, ſub eodem diſciplinæ, & morum moderatore, ne juvenes bonæ indolis ad diverſas, & longinquas Regiones propter vaga ſtudia, magno ſumptu, & corruptelæ periculo proficiſci amplius cogerentur. Poſthac videtur, quod Epiſcopi omne onus inſtitutionis tam inferiorum facultatum, quam Theologiæ, & Canonum in Doctores Academicos, & Collegiorum Præſides devolverint, ut adeo nihil foret amplius, quod Cathedralium Eccleſiarum Theologus, & Grammaticus agerent, ſi qui fuerunt.

Quare instituta sint Collegia?

Licet Academiæ, & Collegia literas promoverint, ſcientias, atque artes illuſtraverint; diſciplina tamen, & mores redditi ſunt deteriores ſæpe: multoque ſtudiorum æſtu, & inani Scholarum pompa vetus pietas pene oppreſſa, atque extincta langueſcebat. Tantus adoleſcentium & natali ſolo, & ingenio, & moribus diverſorum confluxus, & immanis unda, ſuæ & novæ gentis, atque indolis pravæ vitia facile adoptavit: ſuas, ſi quæ fuiſſent, virtutes coram peſſimis ſociis exuit. Quid mirum, ſi ab extraneis Magiſtris ſub rigido fræno (quemadmodum unius Civitatis Clerici a Primicerio, vel Archidiacono ſub oculis Epiſcopi continebantur) nullatenus contineri potuerunt? Studioſi mundo magis, quam libris dediti, jam tum Minores Ordines dedignabantur, quæ munia ceſſerunt partim pueris Chori Muſici, & Cantoribus illiteratis, partim ſervis Laicis, cum maxima quidem Eccleſiaſticæ Diſciplinæ jactura. Si quæ in Monaſteriis ſupereſſent Scholæ, earum non alius uberior fructus, quam ut Ordini Monaſtico Juvenes ſe adglutinare inſueſcerent: non etiam ut Clerus reliquus, potior Eccleſiæ pars, nova, ac ſancta in dies accedente prole augeſceret. Hæc corrupta rerum facies etiam ante Synodum Tridentinam. Jam vero diſſimulandum non fuit amplius, ut, qui Eccleſiæ conſecrandi eſſent, mature ab his Laicis ſegregarentur. In hunc ſaluberrimum finem *Sancta Synodus ſtatuit, ut ſingulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Eccleſiæ, pro modo facultatum, & Diœceſis amplitudine, certum puerorum ipſius Civitatis, & Diœceſis, vel ejus Provinciæ, ſi ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipſas Ecle-*

Lapsus Ecclesiasticæ Disciplinæ.

Causa instituendorum Seminariorum.

Seſſ. XXIII. 1563. c. 18. de Reformat.

cleſias, vel alio in loco convenienti, ab Epiſcopo eligendo, alere, ac religioſe educare, & Eccleſiaſticis Diſciplinis inſtituere teneantur. Cogitavit Sancta Synodus duodennes pueros admittere, qui ex legitimo thoro nati ſint. Sed cum difficile judicaretur de ingeniis puerorum, qui perſæpe magno ſumptu per multos annos in his locis educati, non reſpondent expectationi, aut ad Eccleſiaſtica munia prorſus inepti, atque indigni reperiuntur, viſum fuit integris Nationibus, tales ſubſtituere adoleſcentes alumnos, qui aut in Collegiis, aut in Scholis publicis curſum inferiorum ſtudiorum emenſi forent; atque ex fructibus eorum cognoſcerentur ad Philoſophicas, Theologicas, cœteraſque Eccleſiaſtico homine neceſſarias facultates idonei: quorum probata indoles, & matura voluntas proximiorem afferat ſpem, eos Eccleſiaſticis Miniſteriis juxta mentem Concilii perpetuo inſervituros. Vult idem Concilium filios Pauperum præcipue eligi, nec tamen ditiorum filios excludit, dummodo ſuo ſumptu alantur, & ſtudium promptum præ ſe ferant, Deo & Eccleſiæ inſerviendi. *Ut vero in eadem Diſciplina Eccleſiaſtica commodius inſtituantur, Tonſura ſtatim, atque habitu Clericali ſemper utentur*. Nam ad minores, majoreſque Ordines promovebuntur, facti maturiores. *Grammatices*, (de pueris adhuc ſermo eſt) *cantus, computus Eccleſiaſtici, aliarumque bonarum artium diſciplinam diſcent*: (redit propoſitum noſtrum de Philoſophis jam, & Theologis) *Sacram Scripturam, Libros Eccleſiaſticos, Homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ſpectant ad Confeſſiones, & Rituum, & Cæremoniarum formas, ediſcent*.

Quare immaturi pueri non debeant ſuſcipi?

Quæ ſtudia ſelegerit Synodus?

Hæc ſtudia ſelegit Sancta Synodus, hæc tradi debent in Seminariis, quorum alumni futuri Parochi plerumque, indigent ſana, ſolidaque doctrina, non otioſis artibus, vaniſque ſcientiis. Cantum, Computum, Ritus, Cæremonias, Catechiſmum Tridentinum, Concilium Tridentinum, Conſuetudines patrias, Hiſtoriam tum Eccleſiaſticam, tum Profanam, quantum ſatis eſt, & Sacram imprimis Scripturam, continuo ſit, qui doceat in Seminariis, quantum fieri poteſt. Optandum quidem foret, ut longo ſtudiorum noſtrorum curriculo Jus Canonicum imponat coronam: quod tamen ad lectiſſimam præſentis operis normam, dogma, & diſciplinam ab Eccleſiæ incunabulis uſque ad nos non intermiſſe doceat. Sed cum nec dies, nec opes communiter ſufficiant, vix ſperandum. Curent igitur Epiſcopi, & Rectores Seminariorum, ut talia ſeligantur ſtudia, quibus aſſequamur mentem Tridentinæ Synodi: nec non doctos æque, ac pios operarios pro vinea Domini excolamus, atque efformemus. In-

Digitized by Google

Interea præcipit Sancta Synodus, ut Seminariorum alumni pie, & ſanĉte vivant: *Cathedrali, & aliis loci Eccleſiis, diebus feſtis inſerviant. Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna, & neceſſaria Epiſcopi ſinguli cum conſilio duorum Canonicorum ſeniorum, & graviorum, quos elegerint, prout Spiritus Sanctus ſuggeſſerit, conſtituent; eaque ut ſemper obſervent, ſæpius viſitando operam dabunt.* Quas vero Sancta Synodus ad fabricanda, atque dotanda Seminaria utiles facit diſpoſitiones, nempe ex quorumcunque tam Secularium, quam Regularium Beneficiorum in Diæceſi exiſtentium, imo & locorum piorum, Eccleſiaſticorumque ſubſidiorum concurſu, ſalvis Mendicantibus, & Melitenſibus Equitibus: has ego non minus difficiles aliquando, & vix practicabiles vidi, quam quæ ſint duræ, atque injuſtæ inimici hominis propoſitiones, *ut Monaſteria, Monachis ejectis, ad hæc Seminaria applicarentur, & reditus eorum, in hos magis pios, proficuos, & Eccleſiæ ſalutares converterentur uſus.* Vah qui deſtruunt Templum, & Altare ſpoliant vetus, ut veſtiant novum. Indigemus piis, & doctis Monachis, qui juſto titulo res ſuas poſſident, nec minus utiles fuerunt Eccleſiæ, quam ſint. Hodie vigent bonæ artes. Scholas publicas, & privatas, Academias, Univerſitates, Collegia, Seminaria vix non ubique locorum fundata cernimus. Si quæ corrigenda, ampliandaque ad ſanam doctrinam, ea propter Deum, ut corrigantur, amplienturque, Principes, Magiſtratus, Epiſcopos, & eos, qui præſunt, & quorum intereſt, totis viribus adjuramus, atque obſecramus. Nihil magis auget veram pietatem, quam ſana doctrina ad bonos mores ordinata.

CURA EPISCOPI.

QUOMODO POSSINT ÆDIFICARI SEMINARIA?

CONSILIUM INIQUUM.

DE HOSPITALIBUS, ET ALIIS LOCIS PIIS

TITULUS X.

Græci, & Romani vagabundos adigebant ad militiam, ſive ad labores, derelictis debilibus, & infirmis, quorum aut ſalutis, aut virium recuperandarum ſpes nulla. Præſtabat apud illos mori, quam pati. Hinc aliqui juxta eorum malum captum animo robuſtiores, quam corpore, ſe ipſos occiderunt. Hi enim dici debent animo infirmiores, quam corpore: nam Ethnicos illos, qui ſibi vitam adimebant, ne ingruentia tranſitoria mala perferrent, non forti, ſed infirmo animo fuiſſe probant Patres noſtri. Hinc Lycurgus poſtea ſtatuit projiciendos in flumen infantes eſſe, qui vitiato corpore naſcerentur, ne Reipublicæ futuri ſint inutiles. Chriſtiani contra, illos ſua miſericordia digniores exiſtima-

INHUMANITAS ETHNICORUM.

FIDELIUM PIETAS.

Digitized by Google

mabant, qui a reliquis hominibus penitus deſtituti fuerant, quicunque forent miſeri ſive Chriſtiani, ſive Judæi, ſive Pagani. Fidelium pietas nunquam potuit pauperum, & miſerabilium perſonarum oblviſci. Hæc præcipua Epiſcopis, & Clericis cura ſemper fuit, ut apud eoſdem mendici, infirmi, viduæ, pupilli, orphani, peregrini aſylum, & miſericordiam invenirent. Hanc ditiores Laici, & boni Principes imitati ſunt, memores, quod, quæcunque ex minimis ſuis fecerint, Chriſto fecerint propter retributionem. Ad hoſpitalitatem, & commiſerationem variæ egentibus ædificatæ ſunt Domus, quæ ſuo vario nomine Hoſpitalia appellantur. Præerat communiter his domibus unus Presbyter. Talis fuit Alexandriæ S. Iſidorus, Conſtantinopoli S. Zoticus, & S. Samſon. Privatis ſumptibus alebant alii integras Domos. Portuenſis S. Pamachium, Hoſtienſis S. Gallicanum tam liberales Parentes expertæ fuerunt. Epiſcopi potiorem ſibi partem elegerunt, præſertim in ſepeliendis pauperibus, atque in redimendis captivis. S. Exuperius Toloſanus vendita in hanc cauſam ſupellectile omni, tam mendicus ipſe factus eſt, ut Corpus Chriſti in viminea ciſtula, & Sanguinem Sanctiſſimum in vitreo calice circumferret. S. Paulinus Nolanus ſemet captivum poſuit, ut redimeret viduæ filium. Quæ charitas propter periculum ſubverſionis promptiſſima ſemper fuit erga ſervos Chriſtianos, quorum Domini vel Judæi, vel Ethnici fuiſſent. Ubique jam videre eſt xenodochia pro peregrinis, orphanotrophia pro orphanis, prochotrophia pro debilibus, qui ſuis manibus victum ſibi amplius procurare nequeunt, brephotrophia pro infantibus expoſitis, gerontocomia pro ſenibus, noſocomia pro ægrotis, leproſaria pro leproſis, facinoroſorum purgatoria, militum valetudinariorum receptacula, furioſorum clauſtra, viduarum ſedes, pauperum Sacerdotum hoſpitia, deficientium parochorum domus, virginum conſervatoria.

Variæ piæ Domus.

Voluntas Sancta Teſtatoris.

Cum autem quævis juſta Teſtatoris, aut Fundatoris voluntas ſacroſancta ſit, & legis vim habeat, piorum locorum fundationes, etiam quoad ſingula capita, quantum fieri poteſt, religioſe obſerventur, atque exequantur, oportet. Quandoquidem præcepto divino mandatum ſit maxime Epiſcopis, tamquam Apoſtolorum Succeſſoribus, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere: ideo *Epiſcopi tamquam Sedis Apoſtolicæ delegati in caſibus a Jure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſint exequutores: habeant jus viſitandi Hoſpitalia, ... & pia loca omnia, quomodocunque nuncupen-*

Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. *de Reformat.*

Pauperes prima Epiſcoporum cura.

Seſſ. XXII. 1562. c. 8. *de Reformat.*

Digitized by Google

cupentur, *etiamſi prædictorum locorum cura ad Laicos pertineat*, *atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita*: (non tamen, quæ ſub Regum, ac Principum immediata protectione ſunt, nec forte, quæ exemptionem poſt Tridentinam Synodum obtinuerunt) *ac omnia*, *quæ ad Dei cultum*, *aut animarum ſalutem*, *ſeu pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt*, *ipſi ex officio ſuo*, *juxta Sacrorum Canonum Statuta cognoſcant*, *& exequantur*; *non obſtantibus &c.* Quamobrem *curent Ordinarii*, *ut Hoſpitalia quæcunque a ſuis adminiſtratoribus*, *quocunque illi nomine cenſeantur*, *etiam quomodolibet exemptis*, (ſervatis ſervandis, ut ſupra) *fideliter*, *& diligenter gubernentur*? renovata pariter Conſtitutione Concilii Viennenſis anno 1311., quæ incipit: QUIA CONTINGIT. &c. Poſt Concilium Chalcedonenſe anno 451. Juſtinianus Imp. demandavit Epiſcopis provinciam Hoſpitalium, & Piorum Locorum. Quæ diſciplina Seculo Nono conſtans fuit: nam Epiſcopi Provinciarum Rhemenſis, & Rothomagenſis anno 858. adurſerunt, ut Ludovicus Germaniæ Rex cogat Rectores Monaſteriorum, & Xenodochiorum ad præſtandam Epiſcopis propriis debitam obedientiam juxta Sacros Canones, & Capitularia Patris, atque Avi: *quoniam Epiſcopi paternam ſolicitudinem eis ſecundum miniſterium illorum ſtudebunt impendere*. Concordat Eugenius II. in præcedenti Synodo Romana anno 826. Intrat Van Eſpen: *Porro ſicuti poſterioribus Seculis Monaſteria ſe a Juriſdictione Epiſcoporum ſenſim eximere*, *& ſubtrahere cœperunt*, *ita quoque fratres*, *& ſorores Hoſpitalibus præfecti*, *& Clerici*, *qui illa in Titulum Beneficii poſſidebant*, *ut liberius de illorum proventibus diſponere poſſent*, *exemptionis privilegia impetrare ſtuduerunt*. Atque hinc contingit querela Viennenſis Synodi anno 1311., ædificia ruere, jura negligi, conditiones inverti, proventus diſſipari. Quæ tamen pernicioſa privilegia Clemens V. moderare, exceſſus intolerabiles corrigere, primævam Ordinariis juriſdictionem reſtituere, novum apponere remedium, ut nempe *illi etiam*, *quibus dictorum locorum gubernatio*, *ſeu adminiſtratio committetur*, *ad inſtar Tutorum*, *& Curatorum*, *juramentum præſtare*, *ac de locorum ipſorum bonis inventaria conficere*, *& Ordinariis*, *ſeu aliis*, *quibus ſubſunt*, (forte ſub protectione Principum) *loca hujuſmodi*, *vel deputandis ab eis*, *annis ſingulis*, *de adminiſtratione ſua teneantur reddere rationem*; exceptis tamen Hoſpitalibus Religioſorum, & militarium Ordinum, quæ ſuis tantum Superioribus pares reddunt rationes. Eadem fuit Tridentinæ Synodi juſta voluntas, addita nova cautela: *quod ſi ex conſuetudine*, *aut privilegio*, *aut conſtitutione aliqua loci*, *aliis ad id deputatis ratio reddenda eſſet*, *tunc cum iis adhi-*

Seſſ. VII. 1547. c. 15. *de Reformat.*

c. 2. Clement. de Religioſ. Domib.

l. 42. 46. 49. C. de Epiſcop. & Cleric.

Concil. Tom. VIII. *col.* 654.

c. 3. de Religioſis Domibus. p. 2. t. 37. c. 2. n. 20.

ORIGO EXEMPTIONUM.

SCANDALA.

REMEDIUM.

c. 2. Clement. de Religioſ. Domib.

Seſſ. XXII. 1562. *c. 9. de Reformat.*

Digitized by Google

adhibeatur Ordinarius. Res hactenus multis in locis non facile fuit in uſum deducta. *Quod ſi Hoſpitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum; aut aliarum perſonarum genus ſuſcipiendum fuerint inſtituta; nec in loco, ubi ſunt dicta Hoſpitalia, ſimiles perſonæ, aut perpaucæ reperiantur: mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium uſum, qui eorum inſtitutioni proximior ſit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum uſu peritiores ſint, per ipſum deligendis, magis expedire viſum fuerit: niſi aliter forte, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione, aut inſtitutione fuerit expreſſum: quo caſu, quod ordinatum fuit, obſervari curet Epiſcopus, aut ſi id non poſſit, ipſe prout ſupra utiliter provideat.* In his quoque, ubi alias mens fundatoris ſatis clara non eſſet, conſuetudo optima interpres attendatur, quomodo impoſterum providendum. Manet Jus commune, a quo vero in ſubſidium poſteriorum Ordinationum recedendum amplius non erit. De Confraternitatibus Laicorum, quas inter Loca pia recenſemus, ſingularem mentionem non facimus. Illas proprio Epiſcopo quoad inſtitutionem, confirmationem, conſervationem, adminiſtrationemque juxta conſuetum ordinem pleno jure committimus, ſalvis privilegiis, aut contrariis conſuetudinibus. De Hoſpitalibus diverſis diverſa colligit du Freſne.

[Margin: Seſſ. XXV. 1563. c. 8. de Reformat.]

[Margin: CONFRATERNITATES.]

DE SEPULTURIS

TITULUS XI.

NUlla unquam fuit Natio tam barbara, quæ mortuis ſuis ſummos non detuliſſet honores. Ingens opus miſericordiæ ubique gentium cenſebatur mortuos ſepelire. Hebræi omnium antiquiſſimus populus, poſtea Judæi dicti, *in luctu, occaſione mortis, ſicut alterius cujuſque rei luctuoſæ ſcindebant veſtimenta ſua, percutiebant pectus, caput diſcooperiebant, ſpargebant cinere capillos, deprimebantur lecti: quin invertebantur omnes, quia horum tunc nullus uſus. Lugentes exuebant calceos... In pavimento ſedebant in pulvere. Funera proſequebantur tibicines cum mulieribus, quarum munus erat flere, & plangere ad tibiam. Accendebantur etiam faces. Corpora autem pauperum condiebantur in terra. Divitum vero cuſtodiebantur aromatibus, ungebantur, & longiſſimis vittis, ſive faſciis, & inſtitis conſtringebantur... Inde reſuſcitatus Lazarus ſolvendus fuit ab inſtitarum vinculis. Facies enim mortui operiebatur ſudario, nempe linteolo, quo ſudor vultus extergi ſolet. Sepulchra divitum nobiliora exciſa ſunt in petra, in propriis præ-*

[Margin: LUCTUS JUDÆORUM. Lamy Apparat. Biblic. l. 1. c. 14.]

Digitized by Google

prædiis, non modico ſumptu, & artificio. Ante ſepulchrum erat area, in qua deponebatur feretrum, quod poſtea demittebatur in ipſum ſepulchrum. Tactus cadaveris inquinabat, unde ne quis imprudens accederet ad ſepulchra, illa dealbabantur calce, vel gypſo, quem colorem ſingulis annis, decimaquinta die menſis Adar (ideſt circa noſtras Kal. Mart.) *renovabant. Sepulchra appellantur a Judæis Domus viventium, ratione animæ, quæ non moritur. Nunquam Judæis conſuetum fuit cremare corpora mortuorum. Sic ergo interpretari decet ea loca Scripturæ, in quibus de combuſto Regum corpore fit ſermo, ut ſenſus ſit, in corporibus eorum condendis ſepulchro multa aromata combuſta fuiſſe. Semper credidere Judæi locum eſſe, in quo animæ, antequam a Deo judicentur, purgari poſſint, & adjuvari precibus viventium. Tenetur itaque filius totis continuis undecim menſibus precari pro Parente defuncto. Etiam ante mortem confitentur peccata ſua Judæi coram Teſtibus.*

Omiſſis reliquis gentibus, quam religioſi fuerint ſemper erga vita functos ipſi Romani, providæ eorum teſtantur leges vel de Religioſis locis, & ſumptibus funerum, vel de mortuo inferendo, & ſepulchro ædificando, vel de ſepulchro violato. Nos quid apud Chriſtianos circa ſepulcra diverſis temporibus fuerit moris, breviter inveſtigamus. Atque imprimis ad confirmandam Reſurrectionis fidem, Chriſtiani de ſupremo honore, & de ſumptibus funerum valde ſoliciti fuerunt. Accuſabantur primi Chriſtiani, quod *execrantur rogos, & damnant ignium ſepulturas*; qui cadaverum comburendorum ritus tum Græcis, tum Romanis communis erat. Vindicavit nos pridem ab omni calumnia Minucius Felix, ubi ait: *Nec, ut creditis, ullum damnum ſepulturæ timemus, ſed veterem, & meliorem conſuetudinem humandi frequentamus*. Quam vero ex Ethnicis ipſe Cicero probavit, *inquiens: mihi quidem antiquiſſimum ſepulturæ genus fuiſſe videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum, ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur*. Sequitur Lactantius: *Quin etiam defuerunt, qui ſupervacaneam facerent ſepulturam; nihilque eſſe dicerent mali, jacere inhumatum, & abjectum. Quorum impiam ſapientiam cum omne humanum genus reſpuit, tum divinæ voces, quæ id fieri jubent... Non enim patiemur, figuram, & figmentum Dei, feris, & volucribus in prædam jacere: ſed reddamus id terræ, unde ortum eſt*. Scribit Nieuport de Ritibus Romanorum, quomodo *antiquiſſimis Reipublicæ temporibus Romani utebantur ſepultura, ideſt humatione. Sed jam ab anno Urbis CCLIII. uſque ad extrema tempora Antoninorum, cadavera honeſtiorum ſaltem cremata ſunt. At poſtea rurſus ad ſepulturam reditum eſt. Infan-*

ROMANORUM MORES.

CHRISTIANORUM MORES.

Minuc. Felic. Octavius *n.* 11.

n. 34.

de Legibus.

INHUMATIO FREQUENTISSIMA.

Inſtit. Divin. *l.* 6. *c.* 14.

ſect. 6. *c.* 6. *§.* 3

RITUS ROMANORUM.

tes

tes etiam intra ſeptimum menſem mortui non cremabantur, ſed ſepeliebantur. Pyra, cadavere impoſito, pretioſis conſpergebatur liquoribus, cui faces averſo vultu ſubjiciebantur a proximioribus conſanguineis, veſte pretioſa, armis, cœteriſque ornamentis in rogum conjectis. Propinqui odorifera aromata, & comas detonſas mittebant in ignem, fuſo ante feralem ſtruem humano ſanguine, quo Manes defuncti placari credebant. Enecabantur enim aut ſervi, aut captivi, aut buſtuarii gladiatores. Cadavere exuſto, favilla extinguebatur vel vino, vel aqua; oſſa, ac cineres a proximis agnatis in urnam legebantur, mixtis odoribus. Præſentes luſtrali aqua ter a Sacerdotibus aſpergebantur, dictoque extremo vale, urna inſerebatur ſepulchro, cui varius titulus, & votum. Poſt Legem XII. Tabb. locus ſepulturæ ſemper fuit extra Urbem, cum antea quiſque fere domi ſuæ ſepeliretur, & plerumque juxta vias: quamquam præmio dato, virtutis, vel dignitatis cauſa nonnulli in urbe ſepulti ſint. Cujus privilegii participes factæ ſunt Virgines veſtales. Domum reverſi amici ex funere, excipiebantur convivio funebri, cum prius ſe lavaſſent in Balneo. Et in illuſtri funere quandoque Epulum, aut crudæ carnes populo diſtributæ ſunt. Celebrabantur Novemdialia Sacra. Domus polluta purgabatur feriis denicalibus.

l. 23. pag. 63. De Chriſtianis conſule Binghamum, ſi excipias, quæ de Purgatorio
l. 15. pag. 330. contra nos interpretatur: ubi ſe provocat ad ea, quæ adverſus iſtud Catholicum dogma protulit. Sane ſi centies concedit tam in depoſitione cadaveris, quam in anniverſariis preces factas fuiſſe pro mortuis, concedere debet mortuos in tali ſtatu extitiſſe, in quo juvari precibus fidelium potuiſſent. Neutrum verificari poteſt aut de Beatis in Paradiſo, aut de Damnatis in Inferno, quorum finis conſummatus eſt. Ergo de iis, qui ob aliquas maculas nondum digni ſunt viſione Dei, quem tamen viſuri ſunt ſoluto quadrante. Eſto. Genuina ſit formula in Græca Liturgia, quæ orat pro Sanctis, & Martyribus, imo pro Deipara, & ſemper Virgine Maria. Sed iſtæ preces recte Euchariſticæ ſunt, ſive gratiæ actæ, quod Deus Beatos ſuos jam aſſumpſerit in gloriam ſuam. Cum autem Eccleſia pro Peccatoribus oret, preces non amplius Euchariſticæ ſonant, ſed deprecatoriæ, ut veniam conſequi mereantur delictorum ſuorum. Magnum diſcrimen. Si autem mortui veniam conſequi debent, neceſſe eſt, ut animæ eorum nondum ſint in conſummatione ſua. Beatis enim nihil deeſt: Damnatis nihil prodeſt. Tertius ergo ſtatus eſt. Hic dicitur Purgatorii locus, in quo purgantur animæ Deum viſuræ. Terminus purgatio-

Digitized by Google

tionis incertus. Hæc antiqua fides, non commentarius recens, & novus.

Primi Ritus Christianorum.

Chriſtiani in ſepeliendis defunctis alios a Romanis, alios multo plures a Judæis mutuati fuerunt ritus ſuos. Lotum cadaver, aromatibus conditum, tela, ſerico, aut pretioſioribus aliquando veſtibus involutum, triduo in ædibus expoſitum ante omnium oculos, conſtitutis interea cuſtodibus, qui pro mortuo continuas funderent preces. Tandem luminibus accenſis, inter hymnos propter ſpem Reſurrectionis, deferebatur corpus inanime ad ſepulturam. Fiebant Preces, & Sacrificia pro defunctis. Agapæ diſpenſabantur pauperibus, eleemoſynæ mendicis. Anniverſaria, & quotidiana ſuffragia inter Liturgias nunquam ceſſabant. Ad conſervandam diuturnam memoriam, abſcondebantur in ſepulchris certa ſigna, præſertim ornamenta dignitatis, & inſtrumenta martyrii, ampullæ, ſpongiæ ſanguineæ, acta martyrii, epitaphia, titulus, numiſmata, laurus, cruces, Evangelia, facie defuncti recta ad Orientem verſa, propter antiquam reſurrectionis ſpem. Pagani ſumptuoſa monumenta juxta majores vias erigebant, quorum ingens opus decantatæ Ægypti Pyramides, ante omnes alias nationes teſtantur. Primi Chriſtiani pretioſas reliquias celabant in ſubterraneis foſſis, & ſpeluncis, quas cæmeteria vocaverunt. Religio certe fidelibus fuit jam inde ab initio, ut ne tumuli ſui Paganorum ſepulchrorum vicinitate, & contagione inquinarentur. Teſtis eſt Seculo Tertio Cyprianus, qui Martialem Hiſpaniæ Epiſcopum acriter objurgat, quod *filios exterarum gentium more apud profana ſepulchra depoſitos, & alienigenis conſepultos paſſus ſit*. Seculo Quarto Hieronymus cum juvenis degeret Romæ, ſolebat *diebus Dominicis ſepulchra Apoſtolorum, & Martyrum circumire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profundo defoſſæ, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora ſepultorum*. In hæc cæmeteria congregabantur Fideles, ut rem divinam ibi facerent, nec minis perſecutorum deterriti, nec furore attriti. Ubi pax affulſit Eccleſiæ, cæmeteria ab Eccleſiis ſejuncta fuerunt. Sic Legibus Romanorum vetitum erat, mortuorum reliquias intra Civitatem condi, ne Sanctum municipiorum jus polluatur. Mirum fuit, & ſingulare Ceſtii Civis Romani Teſtamentum, qui juſſit ſe ſepeliri nec intra, nec extra Civitatem. Quare Hæres Pyramidem extruxit, cujus mediam partem intra muros, mediam extra muros poſuit, cadavere elevato recte ſupra muros in medio Pyramidis, adjecto Titulo. Vulgaris fabula, de qua multi ambigunt, apud quos Titulus ſepulchralis nihil aliud refert, quam ſepulchrum ab hærede ex Teſtamento factum fuiſſe. Prio-

Thomaſſinus *p. 3. l. 1. c. 65. n. 8.*

Epiſt. LXVIII.

Hieron. in Ezech. *c. 4.*

XII. Tabb. *l. 3. D. de ſepulch. violato.* *l. 12. C. de Relig. & ſumpt.*

Digitized by Google

CÆMETERIA SUBTERRANEA.

ribus Seculis fideles in cryptis recondebantur, quas appellitabant tumbas, catatumbas, catacumbas, quæ extra Urbem, & juxta vias jacerent. Romæ extra muros extant authentica ſubterranearum cryptarum monumenta, quæ ſæpius inviſi ego. In his cryptis ante Martyrum corpora, fractas ampullas, ſicco cruore aſperſas, & ſignum martyrii $\overline{XP}$., ideſt Martyr Chriſti, appoſitum non ſemel obſervavi. Aliquando lumen accendebatur, quod vero in arca, contra omnem aerem, diligenter cuſtoditum plura Secula juxta alios ardere potuit. Quamprimum arca aperta novus intravit aer, extinctum eſt lumen, quod perpetuum vulgo nuncupabatur. Res nota eſt. Sed lumen aliquod perpetuum unquam in ſepulchris fuiſſe negant plerique docti viri; qui ajunt contingere poſſe, ut aperto ſepulchro ex aeris afflatu corpuſcula quædam ſulphurea, aut nitroſa ignem repente corripuerint; quo extincto cum lucernæ inventæ fuerint, creditum ſit eas ad horam uſque remoti lapidis perpetuo arſiſſe, etſi tum primum forte lychnus accenſus.

LUMEN PERPETUUM VULGO.

Thomaſs. *ſupra c. 66. n. 2.*
CÆMETERIA PROPE ECCLESIAS.

Ceſſantibus Tyrannis, viciniora ſuis Eccleſiis evaſerunt cæmeteria. Tandem Martyrum tumuli in Eccleſiis collocati, vel circa tumulos circumſtructæ Baſilicæ, ut jam ſint pulcherrima Civitatis ornamenta, & victricis trophæa Religionis. Imperantibus Gratiano, Valentiniano, & Theodoſio commune ſepulchrum erat extra Urbem, nec niſi Apoſtolis, & Martyribus ſepeliri in Eccleſia cuipiam fas erat. Primus fortaſſis Conſtantinus a Conſtantio filio depoſitus eſt in Eccleſia Apoſtolorum, ideſt in veſtibulo Eccleſiæ, quam ipſe eo conſilio ædificaverat, ne Imperatores, & Sacerdotes ab Apoſtolorum reliquiis procul abeſſent. Concordant Sozomenus, & Evagrius, quia in Templo Sanctorum Apoſtolorum ſepeliri ſolent Imperatores, & Sacerdotes. In porticu Eccleſiæ Apoſtolorum Theodoſius Jun. cum Parentibus ſuis Arcadio, & Eudoxia, atque Avo Theodoſio M., Jovinianus ex adverſo conditi ſunt. Idem de Valentiniano Ammianus Marcellinus, de Honorio Theophanes narrant. Credibile eſt viros ſingulari pietate, aut opibus, aut genere illuſtriores, tanto honore ſenſim donatos fuiſſe. Credibile eſt de porticu infra Eccleſiam ipſam translatas fuiſſe ſepulturas, quæ de cæmeteriis ad porticus translatæ pridem fuerant. Sic Ambroſius, Marcellina ſoror, Satyrus frater, Paula, Fulgentius vel ſub Altari, vel in media Eccleſia jam tum poſiti ſunt. Sic Vigilius M. Epiſcopus Tridentinus paſſo martyrio apud Rhendenenſes, illico translatus, ac ſepultus fuit circa annum 400. in Templo Divis Gervaſio, & Protaſio ab ipſo dicato: cui poſtea de nomine

l. 6. C. Theod. *de ſepulcro violato.*
IN ECCLESIA OLIM SOLI MARTYRES SEPELIEBANTUR.
Socrat. *l. 1. c. ult.*
DEINDE IMPERATORES, ET SACERDOTES.
Sozom. *l. 2. c. ult.*
Evagr. *l. 4. c. 30.*
Niceph. *l. 14. c. 58.*

TEMPLUM VIGILII M.

Digitized by Google

mine S. Vigilii cognomen adhæſit. Ejus Altare reſtauravit an. 802. Hildegarius; reparataque tota Eccleſia Udalricus an. 1027. Ejus Corpus poſuit ſub confeſſionem. Hodie aſſervatur in Urna Argentea, quæ cuſtoditur in Sacrario ad Altare S. Romedii, quod eſt Altare Sacrarum Reliquiarum. Sic D. Vigilii Mater S. Maxentia, ſive S. Maxima ſepulta eſt in pago Majani prope lacum Toblinum, ſacello ſuper Defunctæ corpus extructo: donec Altemanus ante annum 1130. Corpus S. Maxentiæ Majano tranſtulit in Civitatem, Temploque Cathedrali excepit. In hanc diem ſtetit in Eccleſia Cathedrali hæc celebris Crypta S. Maxentiæ. His tamen diebus antequam deſtructa fuiſſet hæc eadem crypta (nam in auguſtiorem, & commodiorem formam redigitur Altare cum Sacrario, & Chorus Presbyterii) acceſſit Epiſcopus Princeps cum Capitulo, & Clero ad Altare S. Maxentiæ, apertoque monumento inventa ſunt me præſente tot oſſa, ut facilis conjectura ſit, ibi non tantum corpus Matris, ſed & filiorum Claudiani, ac Magoriani, nec non forte Juliani Presbyteri ſocii Confeſſorum, aut Martyrum Siſinii, Martyrii, & Alexandri Reliquias quieviſſe.

Qui vero ſepeliendi locus olim Martyribus, poſtea Epiſcopis, & Principibus, Clericis, Monachis, & Sanctimonialibus, venerabilibus, & potentibus viris patebat; tandem plebeis ipſis patuit, & patet. Æmulatio, gloria, invidia, aut opinio firma, quod eorum propinqui, & amici, quoties ad eadem loca ſacra conveniunt, ſuorum recordentur, aſpicientes triſtiſſima ſepulchra, cunctos monuit fideles ad optandas in Eccleſiis ipſis ſepulturas. Quaſve ſuis virtutibus plurimi non obtinebant, ſaltem argento, & auro ſuo quaſi paciſcebantur. Contra venales animas, quæ vel emebant, vel vendebant ſacrum ſepulturæ locum, clamavit illico S. Gregorius M. *Grave nimis eſt, & procul nimis a Sacerdotis officio pretium de terra conceſſa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium... Si quando aliquem in Eccleſia veſtra ſepeliri conceditis, ſiquidem parentes ipſius, proximi, vel hæredes pro luminaribus ſponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero, aut aliquid exigi, omnino prohibemus. Nec, quod irreligioſum eſt, aut venalis fortaſſe, quod abſit, dicatur Eccleſia, aut vos de humanis mortibus videamini gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeatis quærere quolibet modo compendium.* Ex hoc turpi cadaverum quæſtu, quem jam exeunte Seculo Sexto deploraverat Gregorius M., perſæpe nata ſunt odia, rixæ, contentiones inter Clericos, & Monachos, quorum utrumque hominum genus ſuis molendi-

TANDEM VIX NON SINGULIS PERSONIS COPIA FACTA EST.

SIMONIA IN SEPULTURIS DAMNATA.

l. 9. ep. 3. ad Januar. Calaritan.

CONTENTIONES CLERICORUM, ET MONACH.

Digitized by Google

nis aquas procurabat. Teſtis idem Gregorius M., qui pro Monachis S. Georgii ad Urbevetanum Epiſcopum reſcripſit: *Hortamur ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Miſſas, nulla ulterius habita contradictione, permittas.* Ad hæc tempora initium duxiſſe videtur Ritus benedicendi cæmeteria, quia per conſecrationem alliciebantur magis fideles, multis orationibus, & novis benedictionibus freti. Prima fortaſſis meminit Sacerdotalis benedictionis Abbatiſſa Monaſterii Pictavienſis, ſolicita quod Epiſcopus nondum veniret, & locus, in quo corpus Radegundis Francorum Reginæ ſepeliendum veniret, non eſſet Sacerdotali benedictione ſacratus.

RITUS BENEDICENDI CÆMETERII.

Greg. Turonen. *de gloria Confeſſ. c. 106.*

DISCIPLINA ULTRA MILLESIMUM ANNUM.

Hæc duo capita, nempe ut nullus abſque diſpenſatione eorum, ad quos hic & nunc pertinuit, in Eccleſia ſepeliatur, nec non ut nullum quidpiam ſaltem ab invito percipiatur, hæc duo capita, inquam, uſque ad milleſimum annum, tam in Oriente, quam in Occidente, ſæpius inculcata, nunquam ſatis obſervata ſunt: niſi quod Leo Philoſophus, poſtquam Eccleſiarum officinas tamquam ab omni vectigali liberas, a liberaliſſimo Conſtantino Magno fundatas laudaſſet, ut ſcilicet exequiæ ſine ſumptu, & gratis fiant in Urbe Conſtantinopolitana, eandem vero pietatem Anaſtaſio, & Juſtiniano imitantibus, mandaverit primus, ut cuique tam intra Civitatem, quam extra muros liceat mortuos ſepelire. Poſt annum milleſimum nullus pretium pro baptiſmo, aut pro pœnitentia, aut pro ſepultura juxta Synodum Bituricenſem anno 1031. accipere poterat; *niſi quod fideles ſponte dare, vel offerre voluerint.* Atque hinc confirmata fuit vetus diſciplina, per quam impoſterum adminiſtrabantur quidem ſepulturæ ſine pactione, aut exactione: ſpontaneæ vero oblationes neque propter funus, neque propter alias pias cauſas recuſabantur, quia laudabiles conſuetudines nunquam ſunt damnandæ. Jam vero quilibet in ſua Parochia, communi ordine ſepultus fuiſſe videtur, cum ad eligendam alienam ſepulturam requireretur Epiſcopi, vel Parochi licentia. Cujus rei crebra, & manifeſta in multis Conciliis veſtigia ſuperſunt, in quibus contra frequentes ſimonias continuo zelo pugnatum fuit. Incidit in illa tempora juſtus ad Fideles Dardaniæ clamor Leonis IX. poſt annum 1049. contra Monachos Juris Parochialis ſepulturæ violatores: *eſſe quoſdam perverſe agentes, qui ſubvertere nituntur, atque dividere conantur Eccleſiæ unitatem, videlicet Abbates, Monachos, qui non zelo charitatis, ſed ſtudio rapacitatis invigilant, atque ſeducere conantur ſeculares, quos illaqueare poſſint, ut res ſuas, atque poſſeſſiones ſive in morte, ſive in*

l. 18. C. de Sacroſ. Eccleſ.

Novell. XLIII. *Conſtit.* LIII. Leonis.

can. 12.

QUILIBET IN SUA PAROCHIA SEPELIEBATUR.

Thomaſs. *ſupra c. 68.*

FUNDAMENTUM SEPULTURÆ PAROCHIALIS.

c. 2. de ſepulturis.

vita

Digitized by Google

vita Monaſteriis ſuis tradant, & Eccleſiis, quibus ſubjecti eſſe videntur, & a quibus Baptiſmum, Pœnitentiam, Euchariſtiam, nec non pabulum vitæ cum lacte carnis acceperunt, vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt : hunc denique fomitem diſcordiæ nos animadvertendo, modis omnibus inhibere volumus, & ne amplius fiat, omnino prohibemus, conſiderantes non eſſe bonum, ſi illi, qui fuerunt ſocii Paſſionis ſecundum Apoſtolum, ſint immunes ſocietate conſolationum : & quia dignus eſt mercenarius mercede ſua, ideo præcipimus, atque mandamus, ut quicunque amodo in Monaſterio converti voluerit ſive in morte, ſive in vita, omnium rerum, & poſſeſſionum, quas pro ſalute animæ ſuæ decreverit diſponere, medietatem Eccleſiæ, ad quam dignoſcitur pertinere, relinquat. Ex his nondum coguntur Fideles quidpiam elargiri : ſed quidquid ultro elargitum fuerat, ſive in vita per ingreſſum Monaſterii, ſive in morte, medietas ceſſorum bonorum pertinebat ad Parochiam.

Hic jacta ſunt fundamenta ad portionem Canonicam, quæ hodie plerumque Quarta funeralis eſt. Novos ſub initium Duodecimi Seculi impoſuit lapides Paſchalis II. ad Norigandum Epiſcopum Auguſtodunenſem, quamvis directis non utatur verbis. *Statuimus*, inquit, *ut pro ſepulturæ quidem loco, vel ſpatio nullum penitus ab aliquo pretium exigatur. Pro redemptione vero peccatorum, morientes in Eccleſia, in qua fidei Sacramenta acceperint, eleemoſynam dare ſecundum Apoſtolica Decreta ſtatuimus omnino, & confirmamus. Si quis autem ad aliam vivens, ſive moriens ſe conferre voluerit, de eo, quod pro ſalute animæ ſuæ dare diſpoſuerit, ſecundum Apoſtolica Decreta Matrici Eccleſiæ partem relinquat*. Hæc pars conformiter ad citatam Leonis IX. epiſtolam medietas eſt. Concordat Synodus Londinenſis an. 1102., *ne corpora Defunctorum extra Parochiam ſuam ſepelienda portentur, ut Presbyter Parochiæ perdat, quod illi inde juſte debetur* : ideſt ſaltem ne defraudetur ſolitis donis Eccleſia, in qua cœleſti pabulo a principio ſui exordii refecti dignoſcuntur. Sic ſenſere Patres Undecimi Seculi in Concilio Rhemenſi anno 1049. ſub Leone IX., in Placentino, & Claromontano anno 1095. ſub Urbano II. Sic ſenſere Patres Duodecimi Seculi in Rhemenſi anno 1119. ſub Calixto II., in Lateranenſi anno 1139. ſub Innocentio II., in Rhemenſi anno 1148. ſub Eugenio III., in Turonenſi anno 1165., & in Lateranenſi anno 1179. ſub Alexandro III., in Lateranenſi anno 1215. ſub Innocentio III. Aliquando medietas, aliquando tertia pars, aliquando quarta pars Eccleſiæ adjudicata fuit Matrici, tunc cum Parochianus extra Parochiam ſuam ſepe-

[Margin notes: *epiſt.* XXXIII. — *can.* 25. — QUANTA SIT PORTIO FUNERALIS?]

Digitized by Google

ſepeliri petebat. Sciſcitantibus vero quid juris in tanta diverſitate remanſerit propriæ Parochiæ, reſpondet Clemens III. exeunte Seculo Duodecimo: *Unaquæque Provincia in ſuo ſenſu abundet ſecundum rationabilem conſuetudinem Regionis, illa juxta medietatem, vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diverſitate attendatur.* Poſthac pars funeris altioribus hæſit radicibus, & ferme uſque ad Tridentinam Synodum pluribus in locis erat moris, *ne Capellanus alicui portandi funus ad locum ſepulturæ licentiam concedat, quouſque ad Parochialem Eccleſiam fuerit deportatum; ut melius ſciatur ibi, quam alibi, an defunctus interdictus, vel excommunicatus exiſtat.* Hanc profert rationem Synodus Copriniacenſis anno 1260. Alii cautelam ſuſpicarunt Parochorum, ne portio Canonica facile ſubtraheretur. Paullo poſt intrantes Religionem nihil amplius ſolverunt Parochiæ ſuæ, quod eruitur ex Synodo Nemauſenſi anno 1284. de ſepulturis. Hæc ipſa tertia pars ab Honorio III. plurimum fuit limitata, quæ ab ornamentis, & Eccleſiæ fabrica, ab ipſis luminaribus, & anniverſariis non amplius detrahebatur. Bonifacius VIII. vetat, ne cogamur ad eligendas ſepulturas, quæ ſemper, & apud quoſcunque liberæ ſint, oportet. Parochiali tamen Eccleſiæ portionem Canonicam adjudicat. Vult ipſe mulierem ſæpius nuptam ultimi viri tumulum ſortiri, cujus nomen, honorem, & domicilium retinet. Religioſi intra ſua Monaſteria ſepeliantur.

c. 9. de ſepulturis. *can. 13.* MINUITUR. *c. 31. de verb. ſignificat. de ſepultur. in 6.*

HORRENDUS ABUSUS. Extrav. *c. 1. de Sepultur.*

Fuerunt jam nonnulli, qui, *ſi quiſquam ex eis genere nobilis, vel dignitatis titulo inſignitus, præſertim extra ſuarum partium limites, debitum naturæ perſolvat, in ſuis vel alienis partibus remotis ſepultura electa, defuncti corpus ex quodam impiæ pietatis affectu truculenter exenterant, ac illud membratim, vel in fruſta immaniter concidentes, ea ſubſequenter aquis immerſa, exponunt ignibus decoquenda. Et tandem ab oſſibus tegumento carnis excuſſo eadem ad partes prædictas mittunt, ſeu deferunt tumulanda.* Hos excommunicavit Bonifacius VIII., qui impoſterum hanc iniquam immanitatem exercerent. Idem Pontifex contentiones ſuper prædicationibus, confeſſionibus, & ſepulturis inter Curatos, & Mendicantes exortas ſedavit, atque ordinavit, ut hi de quibuſcunque eleemoſynis tam propter funus, quam ex quacunque alia conſimili cauſa cedentibus quartam partem fideliter præſtent Parochis. Hanc quidem ſanctionem ſuſtulit Benedictus XI., ſed cito Clemens V. reſtituit.

c. 2. eod. NOVÆ CONTENTIONES INTER CURATOS, ET MENDICANTES. Extrav. *c. 1. de Privilegiis.* Clement. *c. 2. de Sepulturis.*

Concilii Tridentini adſunt tempora. *Decernit Sancta Synodus, quibuſcunque in locis jam ante annos 40. Quarta, quæ funeralium dicitur, Cathedrali,*

Seſſ. XXV. 1563. *c. 13. de Reformat.*

drali, aut Parochiali Eccleſiæ ſolita eſſet perſolvi, ac poſtea fuerit ex quocunque Privilegio aliis Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut quibuſcunque locis piis conceſſa, eadem poſthac integro jure, & eadem portione, quæ antea ſolvebatur, Cathedrali, ſeu Parochiali Eccleſiæ perſolvatur, non obſtantibus &c. Hoc juſtiſſimum Decretum ſatis indicat, quanta fuerit Eccleſiæ univerſæ cura, ut Parochialibus Eccleſiis provideretur: quodve conſtans opinio daret, hoc æquiſſimum jus quaſi nova violentia Parochialibus Eccleſiis avelli, quibus merito Quarta addicitur, exemplo Matris, cui hæreditas filii adimitur, & ad extraneos defertur. Sed cum hæc portio funeralis lege poſitiva ſit inducta, conſuetudini locorum ſtandum eſt non ſolum circa quantitatem, verum etiam circa qualitatem, e quibus nempe detrahenda ſit. Imo ubi nunquam fuit introducta, vel per quadragenariam præſcriptionem abrogata, vel per quamcunque legitimam poteſtatem prohibita, ibi nihil ſolvitur. Nec Eccleſiæ Religioſarum Communitatum Quartam funeralem facile penderent, aut pendent, niſi Reverſales literas Ordinario conſignaſſent, tunc quando Ordinarius conſenſit, ut introducantur Religioſi iſti in Diæceſim. Quæ cautela niſi adhibeatur, periculoſum erit impoſterum aliquid petere. Variæ autem poſt Synodum Tridentinam conſuetudines ubique comparuerunt.

SEPULTURÆ COMMUNES, AUT PRIVATÆ.

Hodie quid juris ſit, utcunque repetam. Nota res eſt apud Gentes, apud Romanos, apud Judæos ipſos ſepulchra fuiſſe vel communia pluribus, vel privata, & ſingulis propria. Communia erant Romæ extra Portam Exquilinam. Communia vulgaribus, & peregrinis Hieroſolymæ erant. Communia Chriſtianis cæmeteria, communeſque poſtea in Eccleſiis ipſis evaſere ſepulturæ, & adhuc ſunt. Privatæ quidem vel ſunt familiæ, vel hæreditatis. Ad illas ſepulturas, qui ſunt de familia: ad iſtas quicunque etiam extranei hæredes ſuccedunt. Hæreditarii tumuli deſignabantur literis H.M.H.S., ideſt hoc monumentum hæredes ſequitur. Hodie vero in Eccleſiis non ſepeliuntur Hæretici inter Catholicos, præterquamquod Imperator Martianus ſcripſerit, quod nempe Hæretici poſſint inferri in legitimum, & gentilitium ſepulchrum.

Matth. XXVII. 7.

l. 8. & 13. C. *de Religioſ. & Sumpt. Funer.*

HÆRETICI NON SEPELIUNTUR IN ECCLESIIS? *l.* 9. & 10. C. *de Hæreticis.*

ORDO SEPULTURÆ.

Cæterum cuivis liberum eſt (cum ſaltem ad hunc effectum ſui juris ſit) ſepulturæ locum ſibi eligere, quem niſi elegerit, ad ſepulchrum majorum deferatur. Cum autem homo ſepulchrum majorum nullum habeat, nec certum ſibi locum elegerit, ad propriam ibit Parochiam, in qua verum habitationis domicilium contraxit cum aliquo permanendi animo. Clauſum in alieno monumento cadaver effodi poteſt, & reſtitui Parochiæ.

Uxor,

Uxor, quæ non elegit ſepulturam, ſequitur mortuum ultimum maritum. Muliere præmoriente ſortitur illa ſepulturam, quam ſibi futuram elegit maritus. Nulla electa ſepultura præfertur propria Parochia. Contra maritus non ſortitur præmortuæ uxoris ſepulchrum, quia uxor ſequitur jura, & domicilium mariti: non autem maritus ſequitur jura, & domicilium uxoris. Filiusfamilias, Religioſus non Profeſſus, imo & Profeſſus, (qui extra Monaſterium ſuæ Religionis mortuus cum ſit, illuc commode reſtitui nequit) hi poſſunt ſibi communiter eligere ſepulturas.

Rit. Roman. *de Exequiis.* CÆREMONIÆ SACRÆ.

Præterea *ſacras Cæremonias, ac Ritus, quibus antiquiſſima traditione, & Summorum Pontificum inſtitutis Sancta Mater Eccleſia Catholica in filiorum ſuorum exequiis uti ſolet, tamquam vera Religionis myſteria, Chriſtianæque pietatis ſigna, & fidelium mortuorum ſaluberrima ſuffragia Parochi ſummo ſtudio ſervare debent, atque uſu retinere... Caveant omnino Parochi, aliique Sacerdotes, ne ſepulturæ, vel exequiarum, ſeu anniverſarii mortuorum officii cauſa quidquam paciſcantur, aut tamquam pretium exigant: ſed iis eleemoſynis contenti ſint, quæ aut probata conſuetudine dari ſolent, aut Ordinarius conſtituerit.*

PAUPERES GRATIS SEPELIANTUR.

Pauperes vero, quibus poſt obitum nihil, aut ita parum ſupereſt, ut propriis impenſis humari non poſſint, gratis omnino ſepeliantur. Quantum ſcandalum, ubi Parochus litigaret pro pretio, aut nollet ſepelire cadaver, antequam perſolutus foret? Utinam contigiſſet nunquam? nonne hic pretium quærit de terra conceſſa putredini? nonne humanis mortibus gratulari videtur? Fateor equidem operarium dignum eſſe mercede ſua, nam qui altari ſervit, de altari vivere debet. Ideo piæ eleemoſynæ, & laudabiles conſuetudines etiam in funere ſervari debent, unde Parochus ſine aliorum invidia vivat. Renitentes officio Judicis competentis poſſunt adigi ad præſtandum præſtanda: nunquam tamen eorum bona per Sacerdotes ipſos occupentur, ne quid irreligioſum, avarum, & indignum in nobis appareat, qui Chriſti pauperes dici volumus.

Rit. Roman. SEPULTURÆ LOCUS.

Ubi viget antiqua conſuetudo ſepeliendi mortuos in cæmeteriis, retineatur, & ubi fieri poteſt, reſtituatur. At vero cui locus ſepulturæ dabitur in Eccleſia, humi tantum detur. Cadavera autem prope altaria non ſepeliantur. Sepulcra Sacerdotum, & Clericorum cujuſcunque Ordinis, ubi fieri poteſt, a ſepulchris Laicorum ſeparata ſint, ac decentiori loco ſita; atque ita ubi commodum fuerit, ut alia pro Sacerdotibus, alia vero pro inferioris Ordinis Eccleſiæ Miniſtris parata ſint. Nullum porro cadaver perpetuæ ſepulturæ traditum ex ulla cujuſque Ordinis Eccleſia aſportari liceat, niſi de licentia Ordinarii. Cæterum nemo Chriſtianus in communione fidelium defunctus extra

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiam, aut cæmeterium rite benedictum ſepeliri debet. Sed ſi neceſſitas cogat ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut, quatenus fieri poterit, corpus in locum ſacrum quamprimum transferatur: & interim crux capiti illius ſemper apponi debet, ad ſignificandum illum in Chriſto quieviſſe. Ubi pugna fuit, ibi ſolet inter Chriſtianos finita pugna crux infigi. Inter reos vita plexos, alii patibulo ſuſpenſi, alii rotis intexti, alii palis infixi, alii communiter aut prope locum ſupplicii, aut prope quidem, ſed extra cæmeteria inhumati hærent. Sufficit cum eodem Rituali Romano definire, quibus non liceat dare Eccleſiaſticam ſepulturam, quæ pœna antiquiſſima eſt in Eccleſia; penes quam conſtans, ac perpetuus uſus fuit, ut, qui vivus ab ingreſſu Eccleſiæ arceretur, moriens Chriſtiana careret ſepultura, ne, cum quibus vivis non communicamus, cum mortuis his communicaremus. *Negatur igitur Eccleſiaſtica ſepultura Paganis, & Judæis, & omnibus infidelibus Hæreticis, & eorum fautoribus, Apoſtatis a Chriſtiana fide, Schiſmaticis, & publicis excommunicatione majori excommunicatis: interdictis nominatim, & iis, qui ſunt in loco interdicti, eo durante: ſe ipſos occidentibus ob deſperationem, vel iracundiam, (non tamen ſi ex inſania id accidat) niſi ante mortem dederint ſigna pœnitentiæ: morientibus in duello, etiamſi ante obitum dederint pœnitentiæ ſigna. Manifeſtis, & publicis peccatoribus, qui ſine pœnitentia perierunt. Iis, de quibus publice conſtat, quod ſemel in anno non ſuſceperint Sacramenta Confeſſionis, & Communionis in Paſcha, & abſque vero ſigno Contritionis obierunt. Infantibus mortuis abſque Baptiſmo. Ubi vero in prædictis caſibus dubium occurrerit, Ordinarius conſulatur.* Verum quando Eccleſia noluit hos miſeros Chriſtiana frui ſepultura, nunquam prohibuit eorum cadavera terra non ſancta cooperiri. Gentiles, (quod dolet Tertulliano) *nec mortuis parcunt Chriſtianis, quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis jam nec totos avellant, diſſecent, diſtrahant.* Romani poſt alias nationes aut in mare projiciebant parricidas, aut beſtiis objiciebant. Punitorum cadavera non niſi ex præſidis permiſſu ſepeliebantur, quamvis Paullus quibuslibet ea petentibus danda duxerit. Sic corpus Chriſti Jeſu a Pilato conceſſum fuit Joſeph Arimathæo. Hodie quoque damnati ad mortem humantur cum bona venia Magiſtratus: & Medicis, aut Chirurgis pro anatomico exercitio ſæpius conceduntur. Hæc de ſepulturis dixiſſe ſufficiat.

Quibus deneganda sepultura Ecclesiastica?

Adverſ. Gent. *Apolog. c.* 37.

l. 9. D. *ad l. Pomp. de Parricid.*

D. *de Cadaver. Punitor.*

Luc. XXIII. 52.

Digitized by Google

DE BONIS ECCLESIÆ
TITULUS XII.

NAturali, Moſaica, atque Evangelica Lege dignus eſt operarius mercede ſua, & qui altari ſervit, de altari vivere debet. Singuli unus alteri, & univerſæ ſocietati utiles eſſe debemus; videturque quaſi pactum ex hac ſocietate oriri, ut ſacer Miniſter plebem in ſpiritu paſcat, plebs Miniſtrum in victu, veſtitu, & reliquis ad honeſtam, atque decentem vitam neceſſariis, pro ratione ſtatus, conditionis, temporum, & locorum nutriat, & foveat. Cum ſine bonis communibus univerſitas nulla ſubſiſtere unquam potuerit, hinc & frequens Eccleſiæ cœtus ſuis indiguit bonis vel ad alendos miniſtros, & pauperes, vel ad ſacras tantæ Religionis impenſas procurandas, ad lumina ſcilicet, ad vaſa, ad panem, & vinum, ad agapas, ad libros, ad ſexcentas alias piiſſimas cauſas, propter quas Paulus indixit collectas, indixerunt Apoſtoli. Si quis autem ſit invidus, cum nihil retribuat, contra Paulum agat clamantem: *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundum hominem hæc dico? an & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſis: Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura eſt Deo? an propter nos utique dicit? nam propter nos ſcripta ſunt: quoniam debet in ſpe, qui arat, arare, & qui triturat, in ſpe fructus recipiendi. Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Ceſſet ergo omnis invidia, nec reputemur amplius deterioris conditionis, quam reliqui homines. Singuli bonorum capaces. Bona Eccleſiæ ſunt ejuſdem naturæ, cujus inveniuntur naturæ bona apud ſingulas Univerſitates, nempe Oblationes, Collectæ, Decimæ, Primitiæ, Domus, Poſſeſſiones, Cenſus, Agri, Dominia, & Principatus; iiſque modis acquiruntur ferme, vel acquiſita ſunt multa Eccleſiaſtica bona, quibus modis acquirunt, vel acquiſiverunt ſua bona reliquæ Univerſitates. Oblationes liberæ, & voluntariæ erant. Inſpiciamus primitivos Chriſtianos: *neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Quod Eccleſia ante Conſtantinum M., ſub quo jam libere donabatur, fundos habuerit, declarat Imperator omnia reſti-

Marginalia: QUASI PACTUM INTER MINISTRUM, ET PLEBEM. — QUARE ECCLESIA INDIGUERIT SUIS PROPRIIS BONIS? — JUSTA CAUSA MERCEDIS. I. Corinth. IX. 7. — Deuter. XXV. 4. — COMMUNIS TITULUS ACQUIRENDI. — Act. IV. 34. — Euſeb. *l.* 10. *c.* 5. *& de Vita* Conſtantini *l.* 2. *c.* 39.

tui

Digitized by Google

tui mandans, quæ recte, vereque ad Eccleſias pertinere videantur, ſive Domus, ſive Agri, ſive Horti. Sed proh dolor paullo poſt ingemuit Hieronymus, quomodo *ab Apoſtolis uſque ad noſtri temporis fæcem Eccleſia perſequutionibus crevit, martyriis coronata eſt, & poſtquam ad Chriſtianos Principes venit, potentia quidem, & divitiis major, ſed virtutibus minor facta eſt*. Non deeſt, quod lugeamus multum & nos cum Hieronymo, qui meliores non ſumus. De Bonis Eccleſiæ conſule Binghamum.

QUANDO FUNDOS ACQUISIVERIT ECCLESIA?

in Vita Malchi.

l. 5. *pag.* 262.

Tranſeamus ad Decimas. In Lege Veteri Primitias, Oblationes, ac Sacrificia aſſignavit Deus Sacerdotibus, quia nullam aliam partem ſumebant inter filios Iſrael. Filiis autem Levi dedit decimas omnes Iſrael in poſſeſſionem pro miniſterio. Nihil aliud poſſidebant, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum, & neceſſaria ſeparavit. Chriſtus, & Apoſtoli hanc legem in Evangelio non renovarunt. Manſit tamen naturalis ratio, ut operarius dignus ſit ſua mercede, quæcunque tandem illa definiatur. Moyſes ante Chriſtum decrevit hanc impleri per decimas. Chriſtus reliquit Eccleſiæ Sponſæ optionem, quæ Eccleſia potuit merito exigere a fidelibus, unde vel decimas, vel aliam miniſtrorum congruam ſuſtentationem ex quibuſcunque aliis fructibus obtineat. Nos partem ſumimus inter fideles, poſſidemus bona, contenti ſumus, ſive decimas, ſive fundos in noſtrum uſum pro miniſterio ſortiti ſimus. Decimam partem ipſiuſmet decimæ Sacerdotibus offerebant Levitæ. Nos (abſit gloriari, niſi in Domino Jeſu) nos pauperum, Eccleſiarum, Reipublicæ pro viribus immemores nec fuimus, nec ſumus hodie. Non ignorant ipſi, qui invident, aut malis calumniis nos fruſtra aggrediuntur. Sub Ethnicis Imperatoribus, qui nec vitam tutam concedebant, decimæ prorſus nullæ potuerunt eſſe. Poſt Edictum Conſtantini, & Licinii anno 313. continuo Judæorum exemplo moniti ſunt fideles ad perſolvendas decimas, & fructuum primitias, quæ forent eleemoſynæ ad extinguenda peccata, ita ut ſingulorum pudori, & pietati relinqueretur, vellent dare, nec ne. *Fatendum nihilominus eſt*, notat Van Eſpen, *crebris hiſce Patrum, & Paſtorum ſuorum exhortationibus, fideles ad decimarum oblationem multum permotos fuiſſe, atque in pluribus locis ſenſim populum decimarum oblationi, & ſolutioni ſe voluntarie ſubmiſiſſe; quo factum, ut tandem conſuetudine invaleſcente, quæ voluntariæ prius fuerant, tandem in neceſſarias tranſiverint: ipſique Epiſcopi refractarios ad ſolutionem adigere ceperunt*.

DECIMÆ.

Num. XVIII.

Jur. Eccleſ. *p.* 2. *t.* 33. *c.* 2. *n.* 13.

OLIM VOLUNTARIÆ DECIMÆ.

In Oriente ignorabantur decimæ, cum Eccleſiæ, & Clerici bonis, & conſueta

IN ORIENTE NULLÆ.

Digitized by Google

Novell. Juſtin. 3. & 48. *Bulla Aurea* Iſaaci Comneni. *can.* 4. ſueta taxa abunde proviſi eſſent. In Occidente præceptum ſub horrendo
excommunicationis vinculo antiquiſſimum omnium forte in Synodo Ma-
IN OCCIDENTE STRICTA EXACTIO. tiſconenſi an. 581. legitur : *Ut, qui oblationes fidelium defunctorum, quæ
Eccleſiæ conferuntur, retinent, veluti retentores Eccleſiæ, aut egentium ne-
catores, ab Eccleſiæ liminibus arceantur*. Non aliter altera Synodus Ma-
can. 5. tiſconenſis an. 585. præcipit ſub pœna excommunicationis, *ut mos an-
tiquus a fidelibus reparetur : & decimas Eccleſiaſticis famulantibus cæremo-
niis populus inferat, quas Sacerdotes aut in pauperum uſum, aut in captivo-
rum redemptionem prærogantes, ſuis orationibus pacem populo, ac ſalutem im-
petrent*. Hanc ſeveram Eccleſiæ legem Francorum pii Reges, atque Im-
peratores Carolus M., Ludovicus P., Lotharius ſub graviſſimis pœnis in
ſuis Capitularibus confirmant. Pro hac Eccleſiaſtica ſanctione Patres, &
Cauſ. XVI. *q.* 7. Concilia, præſertim vero Summi Pontifices Gregorius VII., Urbanus II.,
Paſchalis II., Seculo Undecimo ſtrenue pugnaverunt.

UNDE VARIA DETRAHATUR DECIMA? Alexander III. Seculo Decimoſecundo altius tollit vocem. Decimas de
proventibus molendinorum, piſcariarum, fœno, & lana exigendas in
c. 5. *de Decimis.* Anglia mandat *ſub excommunicationis diſtrictione*. Rurſus de apibus, & de
c. 6. *eod.* omni fructu, imo & de novalibus; ita ut de fructibus collectis ſtatim
c. 13. *eod.* *c.* 7. *eod.* perſolvatur decima, impenſis annorum ſervitiorum nullatenus detractis.
c. 14. *eod.* Judæi coguntur prædiales decimas ſolvere, aut prædia renunciare. Super
c. 20. 21. 22. *eod.* his omnibus concordat Lucius III., Clemens III., Cœleſtinus III., qui
c. 23. poſtremus etiam de redditibus Molendini ad ventum poſtulat decimas.
c. 26. *eod.* Innocentius III. neque ſemen, neque ſumptus concedit defalcandos eſſe
ante integram decimarum ſolutionem, quæ juxta varias locorum con-
ſuetudines vel in campo, vel in horreo detrahuntur a collectis fructibus.
c. 28. *eod.* Cum negotiatore mitius agit, qui de lucro decimas ſolvit, de pecunia
decimata deductis expenſis, quas fecit : expenſæ vero reliquæ pro ha-
bendis fructibus non deducuntur, & de fructibus ſolvitur decima, etiam
non deductis expenſis pro reſtauranda re factis. Locator, vel conductor
c. 24. *eod.* tenentur decimas præſtare, niſi ſe immunes eſſe docuerint. Puto, con-
tractus hos immunes facit : hodie, quantum ſcio, nullibi Mercatorem,
aut Negotiatorem audivi decimas ſolvere de lucro, aut de pecunia pa-
rata. Pendunt enim ſoli Principi, aut quibus a Principe conceſſum eſt
vectigal. Quapropter quicunque privilegium exemptionis habet, produ-
c. 25. *eod.* cat. *Porro cum Laicis nulla ſit de ſpiritualibus concedendi, vel diſponendi
facultas, Imperialis conceſſio, quantumcunque generaliter fiat, neminem poteſt
a ſolutione decimarum eximere, quæ divina conſtitutione debentur*. Confir-

mat

Digitized by Google

mat hoc ipſum Innocentius III. ad Veſprimienſem Epiſcopum: nec in dubium vertit, quin non prius ſolvendæ ſint decimæ, quam tributa, & cenſus. Tandem ſevere prohibet Gregorius IX., ne perſonæ Eccleſiaſticæ præſumant ab ipſis Laicis decimas recipere in pignus, quæ cum ad alienas Eccleſias pertineant, a Laicis injuſte detinerentur. Concludamus cum Tridentinis Patribus, qui præcipiunt ſingulis, *ad quos decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, impoſterum Cathedrali, aut quibuſcunque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.* Iniqua ſunt, & maligna tempora, quibus vix ſuaderem ad fulminandam excommunicationem, quam protervi homines non metuunt. Cœterum juſtus Titulus vel in petitorio, vel in poſſeſſorio qualificandus; nec non juribus, privilegio, pactis, conſuetudinibus locorum ſtandum eſt, quando, ſuper quibus, quibuſve modis decimæ, tributa, cenſus, ſervitiaque communia ſint præſtanda. Novitates aut periculoſæ, aut ſcandaloſæ forent. Hæc de decimis.

c. 33. eod. *c. fin. eod.* Seſſ. XXV. 1563. *c. 12. de Reformat.* Quid juris hodie?

Tranſeo ad Teſtamenta. Poſt Conſtantinum M. Eccleſia tam in Oriente, quam in Occidente ingentes divitias, terras, vineas, prædia, cenſus, fundos acquiſivit, cumulavitque Teſtamentis. Perſuaſum enim tunc quoque erat, peccata eleemoſynis, & ſubſtantia ad pias cauſas relicta redimi poſſe tum maxime, cum adhuc ſenſus, & ratio vigeret. Teſtamenta ad pias cauſas facta ex largiſſimis Principum, & Pontificum privilegiis, nulla conſueta majori ſolemnitate indigebant, quocunque tandem ſcripto, aut nutu faciliorem interpretationem animus Teſtatoris pateretur. Præſentia Parochi cum duobus Teſtibus paſſim ſufficiens erat. Epiſcopi pro meliori bono facti ſunt teſtamentorum, piorumque legatorum exequutores. Soliciti quidem fuerunt Clerici de bonis eorum, qui ab inteſtato ingenui, ſervique decedebant. Verum non ubique, non ſemper æquali fiducia, aut propoſito exitu admiſſi ſunt. Contradictorem quaſi perpetuum, atque univerſalem offenderunt Regium Fiſcum, ſtatim ac primus fervor ceſſavit. Manet hodie, ut, quantum res ſinit, *Epiſcopi etiam tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati, in caſibus a Jure conceſſis, omnium piarum diſpoſitionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos ſint exequutores.*

Testamenta. *l. 46.* Cod. *de Epiſcopis, & Clericis.* Seſſ. XXII. 1562. *c. 8. de Reformat.*

Tandem Eccleſia Comitatus, Principatus, Ducatus, vaſtiſſimaque Dominia obtinuit. Potentiam Clericorum jam auxit Conſtantinus, quos ubi-

Status, et Ditiones.

Digitized by Google

Sozom. *l.* 1. *c.* 9. ubique per legem immunitate donari voluit: *quodque illis, qui erant in judicium vocati, dedit poteſtatem, ſi modo animum inducerent Magiſtratus Civiles rejicere, ad Epiſcoporum judicium provocandi: atque eorum ſententiam ratam eſſe, & aliorum judicum ſententiis plus habere authoritatis, tamquam ab ipſo Imperatore prolatam, ſtatuit, juſſitque, ut Magiſtratus res judicatas re ipſa exequerentur, militeſque eorum voluntati inſervirent. Praterea ut Conciliorum deciſiones firma, & immutabiles exiſterent.* Nullum arduum negotium, in quo non conſuleretur Epiſcopus. Jam jam Civitates integræ ſub tutela ſuorum Epiſcoporum quieſcebant, qui Comitum, aut Ducum negligentium, deficientiumque officiis ſubſtituebantur ex voluntate ſupremi Principis, aut univerſæ plebis. Præſidiorum, Urbium, Provinciarumque cuſtodia non pacis modo, ſed belli tempore demandebatur

Anaſtaſ. Cedren. Theophan.

Epiſcopis. Unus Gregorius II. ob inſanam Imperatoris hæreſim, Italiæ, ac Romæ tributa ad ipſum deſerenda prohibuit. Romam, Italiam, to-

POTENTIA R. E. QUANDO ORTA?

tumque Occidentem a Leonis obedientia tam Civili, quam Eccleſiaſticæ, & ab ejus imperio ſubtraxit. Nondum Romanæ Urbi dominabatur Papa, quia cognita Imperatoris nequitia, omnis Italia conſilium iniit, ut ſibi eligerent Imperatorem, & Conſtantinopolin ducerent. Sed compeſcuit tale conſilium Pontifex, ſperans converſionem Principis. Quæ mala, quæ pericula perpeſſus non eſt, quas ſolicitudines, vigilias, impenſas non ſuſtinuit Sanctiſſimus Vir, ut Romam ab Exarchis Ravennatibus, ab ipſo Longobardorum Rege Luitprando ſalvam, & incolumem ſervaret? Idem contra Græcorum, & Longobardorum inſidias Succeſſoribus labor. Gregorius III., & Zacharias Carolum Martellum, Stephanus III. Pipinum contra Longobardos ſuſcitaverunt, qui victo Aiſtulpho, Exarchatum Ravennæ, reliquaſque ditiones bello partas Pontifici donavit, ſpretis Conſtantini Copronymi Legatis, ſtatus, quos contra hoſtem tueri neſciverunt, aut vecorditer dereliquerunt, fruſtra repetentibus. Carolus M. Deſiderium Longobardorum Regem ultimum vicit, paternam donationem Hadriano, & Romanæ Eccleſiæ confirmavit, adjectis vaſtiſſimis territoriis, Sabinenſi, Spoletino, Beneventano, nec non fertilibus Venetiarum, atque Iſtriæ Provinciis, ſi Anaſtaſio Bibliothecario fides præſtari velit. Mitto Ludovici P., & Caroli Calvi in

OTTONUM NOVA LIBERALITAS

Eccleſiam Romanam dona; mitto Ottonum, multorumque ſubſequentium Principum in univerſam Eccleſiam liberalitates, quas pro expiatione criminum, pro ſatisfactione peccatorum providi fuderunt. Illud

Thomaſſinus *p.* 3. *l.* 1. *c.* 30. *n.* 17.

addo; *ſi ſint Eccleſiæ Ducatus, ſi Comitatus, non eos ſemper a munifica Principum*

Digitized by Google

cipum, aut Regum manu promanaſſe: Fiſco ex ipſo ſuo eam non ſemel hæc ſibi ornamenta, & poteſtatis augmenta comparaſſe. Teſtis Albertus Stadienſis, quanta eſſet opulentia Adalberti Bremenſis Epiſcopi. Hic ut finem faceret diſperſionum cum vicinis, & deprædationum, *ſtatuit omnes Comitatus ſuæ Parochiæ, qui in ſua Diœceſi aliquam Juriſdictionem videbantur habere, in poteſtatem Eccleſiæ redigere, ad inſtar aliorum Præſulum, & maxime VVirceburgenſis, qui in Epiſcopatu ſuo neminem dicitur conſortem habere. Ipſe enim cum teneat omnes Comitatus ſuæ Parochiæ, Ducatum etiam Provinciæ gubernat.* Aliquando Principes vicinioribus Epiſcopis deſerebant remotiores ſtatus, quos ſoli conſervare nequibant. Aliquando Vaſſalli durius a ſuis Dominis habiti, Epiſcopos in ſuos novos Dominos acclamabant. Nullibi tam immenſa Epiſcoporum, atque Abbatum dominia, & Feuda, quam in Germania. Id divina providentia factum eſſe arbitror, ut contra torrentes novarum opinionum, armis, & opibus, ubi neceſſitas cogit, non minus, quam fide, & moribus prævaleamus. Electores Cæſarem eligunt ſoli, ſaltem ab anno 1239., quos anno ſequenti nominat citatus Albertus Stadienſis, cum antea omnes Germaniæ Principes, & Proceres uno, eodemque privilegio potirentur. Hos inter Electores Epiſcopi tres ſunt. Deo ſint laudes: hactenus & hi ſuſtinent, ne de elevando ad ſummum faſtigium Heterodoxo homine verbum fieret. Servabit impoſterum nos Deus, ne contra leges fundamentales in Aurea Bulla comprehenſas infidelis, aut hæreticus eligatur. Perperam ſcribit Philippus Vitriarius: *Proteſtantium Religionis Imperator eſſe poteſt: quia Hæretici non ſunt, & proteſtantium Religio in Imperio confirmata eſt. R. I. 1555. art. 2., & Capitulationibus Imperatorum.* Falſum eſt, quod aſſeritur: quia talis debet eligi Imperator, quem Electores poſſunt credere *idoneum*. Non autem Electores Catholici, quorum major pars eſt, idoneum credere poſſunt talem, qui non ſit Catholicus, ſicut ipſi ſunt. Præterea eligi debet *temporale Caput Populo Chriſtiano*. Hæc vox ut ſano ſenſu accipiatur, eo ſpiritu accipienda eſt, quo fuit inſtituta: quæ regula eſt communis interpretandæ legis. Quis autem dubitare poteſt, Carolum IV. aliam fidem intendiſſe præter illam, quam tempore conditæ Aureæ Bullæ anno 1356. tum ipſe, tum univerſum Sacrum Romanum Imperium profitebantur? Unde cum omnes ii, qui Catholici non ſunt, eam fidem non habeant, quam anno 1356. tum Carolus IV., tum univerſum Sacrum Romanum Imperium feliciter profitebantur, ſequitur, quod & hi Proteſtantes ab initio videantur excluſi ſua optione, & voluntate

[Margin notes: Chron. *ad annum* 1062. — POTENTIA EPISCOPORUM IN GERMANIA. — ORIGO ELECTORUM. — AN NON CATHOLICUS POSSIT ELIGI IN ROMANUM IMPERATOREM? Inſtit. Jur. Public. *l.* 1. *t.* 5. *pag.* 28.]

Digitized by Google

tate continua. Penes ipſos enim ſtat antiquam ſequi Religionem, & in priſcam fidem redire. Eſto, Proteſtantes Hæretici dici non debeant in Imperio. Quomodo autem dici non debent Hæretici in Eccleſia ii, qui contrariam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam docent: & quorum dogma Eccleſia Catholica in Synodo Tridentina legitime congregata, afflante Spiritu Sancto, damnavit, & anathematizavit tamquam falſum, & erroneum? Non debent igitur Proteſtantes in Imperio dici Hæretici, ne publica res, quies, & pax inani zelo turbetur. Sed non poſſunt Proteſtantes non dici Hæretici in Eccleſia, quæ illos in gremio ſui non amplius recipit. Atque ita aliud eſt Proteſtantes non dici Hæreticos, aliud non eſſe Hæreticos. Addit ſupra Vitriarius: *Et qui idoneus eſt, ut eligat Imperatorem, idoneus etiam eſt, ut in eum eligatur. Poteſt enim Elector ſibi ipſi votum dare in electione, illudque aliis confirmari.* Quod ipſum cum citatus autor ex Aurea Bulla evincere credat, redit idem reſponſum: præterquamquod continuus uſus docet, ſingulos Electores frui electione activa; ſed nondum extitit caſus electionis paſſivæ in eo, qui Catholicus non fuit. Accedit, quod non raro accidit in certis electionibus, eum non ſemper habere vocem paſſivam, qui voce activa gaudet. Sic in Capitulo Colonienſi exiſtunt Canonici Presbyteri, qui eligunt, ſed non eliguntur. Sic in Imperatorem eligi poſſet alter Germanus Princeps, qui non foret Elector. Unde nulla neceſſitas eſt, ut eligi poſſit, qui poteſt eligere; aut eligere poſſit, qui poteſt eligi. Tandem quod Elector ſibi ipſi dare votum valeat, in eo ſenſu verum eſt, in quo intellexit hanc conditionem Aurea Bulla: illius nempe, qui legitime ſit electus ab aliis; non illius, qui contra leges Fundamentales ab aliis electus fuerit.

VIRES ROMANÆ SEDIS.

Redeo ad propoſitum vetus, quomodo Eccleſiæ variæ potentes factæ ſint. Imprimis habet Romana Sedes non Dominia ſolum, ſed potius ingens Regnum. Cardinales Pontificem eligunt. Auget dignitatem potentia, metus amorem. Majeſtas ſine viribus jacet. Dubitavit Otto Friſingenſis, utrum Deo magis placeat hæc Eccleſiæ ſuæ exaltatio, quam prior humiliatio. Videbatur quidem probo Antiſtiti ſtatus ille fuiſſe melior, iſte felicior. Ego ut de meo ſenſu loquar, puto digitum Dei & hic eſſe. Ab initio fuit neceſſaria paupertas: hodie juvant divitiæ juſtæ. Quare hunc ſtatum non utilem modo reor, verum etiam neceſſarium Religioni, ut conſervetur; Principi, ut in anguſtiis ſublevetur; Populo, ut ſuccurratur, atque in fide erga Deum, & Regem confirmetur. Nunquam tamen contemnenda paupertas. Ex Scotis remotis ad Concilium Lateranen-

PAUPERTAS NON CONTEMNENDA.

Digitized by Google

ranenſe an. 1179. venerat alter Epiſcopus, uno equo contentus, alter pedes cum unico pediſequo. Tertius Hybernus ingenuo, & vere Epiſcopali terrenorum omnium faſtidio fatebatur annuos ſuos proventus omnes ex tribus exiſtere vaccis, quas ſibi ſui Parochiani ſuppeditarent. Narrat Friſingenſis. Concludit Thomaſſinus: *Nunquam pudet, nunquam tædet Eccleſiam hujus paupertatis. Quin & illam gloriæ vertit, ubi virtutum affluit opulentia. Non recuſat illa opes, nec dignitates abjudicat, dum religioſus earum uſus ſit, & finis. At vel in Antiſtitibus eas ſuis execratur, ubi nonniſi ſeculari ſerviunt luxui, & ambitioni.* *ſupra.* RERUM USUS RECTUS.

DE FIDELI BONORUM ECCLESIÆ ADMINISTRATIONE

TITULUS XIII.

HActenus de acquirendis Eccleſiæ bonis. Manet, ut rite adminiſtrentur, conſerventurque. Conſervatio plurimum dependet a fideli adminiſtratione. Olim immenſa Eccleſiarum bona ſub Epiſcoporum cura fuerunt. Sanctiſſimi Præſules in tantis opibus non gaudium, ſed mærorem ſenſerunt, qui nunquam immobiles fundos optaverunt, quotidianis oblationibus contenti, quæ pauperibus, Clericis, cœteriſque moderatiſſimis Eccleſiarum ſumptibus ſufficerent. Quoties non obtulit D. Auguſtinus ſuperfluos Eccleſiæ ſuæ agros reſtituere, quos ſuus populus nunquam recepit? D. Joannes Chryſoſtomus objecit Fidelibus, quod multorum avaritia, & durities coegerit Paſtores de fundandis certis Eccleſiarum proventibus cogitare, metuentes, ne virgines, aut viduæ, aut reliqui miſeri fame perirent, quotidianis oblationibus deſtituti. Hinc duo ſcandala: Populus continuo bonorum operum fructu caret, cum non offerat amplius: Miniſtri occupantur in temporalibus negotiis, quæ eos non omnino decent. Epiſcopi alii dum precibus, & ſacris literis incumbere volunt, adſunt mercatores frumenti, & vini, adſunt exactores, oeconomi, conductores, & ſimile profanum hominum genus. Quamobrem ſubalterni Miniſtri primo ab Epiſcopis ſubſtituti ſunt Diaconi, deinde inferiores oeconomi, ſuprema adminiſtratione ſemper apud Epiſcopum remanente. *Si enim pretioſæ hominum animæ ſunt ei credendæ, multo magis ſunt committendæ pecuniæ, ut in ejus ſit facultate omnia adminiſtrare.* Sunt hodie inferiores adminiſtratores multi, qui de jure, aut de conſuetudine

ADMINISTRATIO APUD EPISCOPOS. Fleury Moeurs des Chretiens n. 50. *in fine.* OPINIO PATRUM. Poſſid. *in Vita* c. 24. Can. Apoſt. 41.

Digitized by Google

admittuntur, rationibus obnoxii Ordinario reddendis, niſi in caſibus, qui in jure ſcripto eximuntur. Res nota eſt.

Modus fidelis adminiſtrationis ſtat in viro boni teſtimonii, qui tantam in adminiſtrandis Eccleſiæ bonis diligentiam adhibet, quantam fidelis ſervus, & prudens adhibuiſſet, nec non diligens, & vigil Paterfamilias in ſuis. Modus conſervandæ ſubſtantiæ ſtat in eadem non alienanda.

Cauſ. XII. *q.* 2.

In Bonis Eccleſiæ igitur non alienandis ſiſtimus, quæ diripere, aut invadere neſas, & ſacrilegium. Principio quum ſatis perſpecta eſſet probitas Epiſcoporum, hi & ſervos manumittere, & vaſa ſacra, redimendorum captivorum cauſa, diſtrahere, & proventus Miniſtris Eccleſiæ aſſignare, & Monaſteria condere potuerunt. Qua poteſtate cum nonnulli abuterentur, res ad Concilia eſt delata, e quibus prodiere Canones, unde Epiſcopis, aliiſque bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratoribus omnis alienatio interdicitur, ne Miniſtri, & pauperes languerent, deficiente quaſi quotidiano victu. Concordant aliæ leges Imperiales, omnem alienationem Piorum Locorum ſerio prohibentes. Per alienationem intelligitur donatio, venditio, permutatio, oppignoratio, & ſi qui ſunt alii actus, qui dominium transferunt. Cum vero iſtæ ſalutares leges in favorem Eccleſiæ ſint introductæ, non debent in ejus detrimentum intelligi.

Fleury Inſtit. au Droit. Eccleſ. Seconde Partie. *chap.* 12.

QUOMODO FUERIT LIMITATA POTESTAS EPISCOPORUM?

l. 14. *& ſeqq.* C. *de Sacroſ. Eccleſ.*

OMNIS ALIENATIO UTROQUE JURE PROHIBITA.

c. 6. *de Reb. Eccleſ. alienand. vel non.*

Conſtitutiones tam Eccleſiaſticæ, quam Seculares utique illas vetant alienationes, quæ in damnum, non in commodum emergunt. Aliquando alienationes non utiles tantum, imo neceſſariæ ſunt: vel ſi ædes ruinoſæ in Emphyteuſim concedantur, vel ſilveſtria loca, & inculta colonis diſtribuantur, vel terræ longe poſitæ cum vicinioribus commutentur, vel religionis cauſa, vel quacunque alia honeſta neceſſitate, atque evidenti utilitate, communique pietate ſuadente id fiat. Fundatur univerſa noſtra doctrina in ratione naturali, & in authoritate omnium facile Juriſperitorum, quos celeberrima Leonis P. epiſtola univerſis Epiſcopis per Siciliam conſtitutis ſcripta ita docuit: *Sine exceptione decernimus, ne quis Epiſcopus de rebus Eccleſiæ ſuæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, niſi forte aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu id faciat, quod non ſit dubium profuturum Eccleſiæ.* Tempore Leonis P. nulla alia ſolemnitas deſiderabatur, conniventia, & ſcriptione Clericorum interveniente. Tempus illud Leonis M. non videtur fuiſſe, eo quia Seculo Quinto maxime viguit primæva diſciplina, quæ tractatum, & conſenſum Coepiſcoporum comprovincialium ad ſummum exiguit. Cujus Leonis fuerit ſeries, non ſatis conſtat. Puto Leonis II., qui & ipſe ſiculus fuit. Ho-

INTERPRETATIO JUSTA LEGIS.

AUTHORITAS COMMUNIS.

Cauſ. XII. *q.* 2. *c.* 52.

Digitized by Google

Hodie etſi cauſæ eædem ad quamcunque temporalem, ſive perpetuam alienationem concurrere debeant, nempe utilitas, & neceſſitas, ſive religio, & pietas: utique eorum conſenſus intervenire debebit, quorum intereſt. Epiſcopus cum ſuo Capitulo conſentiat, oportet, in alienandis bonis tam Epiſcopalem, quam Capitularem menſam tangentibus. Prælatus in alienandis bonis Monaſterii, & omnis legitimus Superior in alienandis ſuæ Communitatis bonis indigent legitimo Capituli ſui conſenſu. Pariformiter requiritur conſenſus Patroni, ubi de alienatione Bonorum agatur, quæ ad Juſpatronatus ſpectant. Si Eccleſia ſit exempta, & Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecta, requiritur conſenſus Summi Pontificis. Imo in alienandis tam Secularis, quam Regularis Cleri bonis requiritur conſenſus Apoſtolicus poſt ſpecialem Pauli II. Conſtitutionem an. 1468. editam. Quod ſi tam bona cautela non ubique tanto rigore adhiberetur, ſtandum privatis locorum probatis conſuetudinibus, & patriis juribus quoad minutiſſimas etiam ſolemnitates, ne in nullitatem actus enormiter incidamus, rerumque ordinem periculoſe invertamus.

QUID SIT MORIS HODIE?

AN CONSENSUS PONTIFICIUS UBIQUE NECESSARIUS SIT? *Extrav. cap. un. de reb. Eccl. alienand. vel non.*

Tantum Eccleſiaſticorum Bonorum conſervandorum ſtudium reliquis Univerſitatibus non placuit. Verebantur æmulatione nova, ne Eccleſia ſemper acquirens, alienans ferme nunquam, domina fieret vix non omnium immobilium fundorum, vel ſaltem majoris partis. Reipublicæ quidem intereſt multa bona in commercio eſſe: quæ niſi ſint, onus redundat in reliquos homines, qui pro ſuis, & pro exemptis fundis tributum pendunt. Principes enim, & Domini non minuunt cenſus, quos impoſterum pro ſe, & pro noviter exemptis cœteri deterioris fortunæ homines difficili mulcta præſtant. Hæc momentoſa, & æquiſſima ratio nondum potuit inducere inclyti Regni Hungariæ Status ad conſentiendum novæ propoſitioni, ut nempe onus inhæreat fundo, non perſonæ: quia apud illos nobilis nihil contribuit, ſed ſola miſera plebs. Unde quoties fundus ruſticus tranſit ad proprietatem unius nobilis, ipſe fundus medio tempore gaudet prærogativa nobilitari. Onus adjectum repartitur proportionate in reliquos fundos ruſticos adjacentes. Hæc incidenter. Quapropter, ut revertamus ad noſtrum argumentum, multis in locis cautum eſt, ne Laici bona Communitatis, aut cujuſcunque privati Civis, & Poſſeſſoris tradant ad manus Eccleſiaſticas ſine licentia Principis, & Magiſtratus, aut quomodocunque extra corpus Civitatis alienent: quemadmodum Clericis interdictum eſt, Bona Eccleſiæ ad manus laicas transferre, aut quomodocunque perpetuis temporibus alienare, inconſulto Summo

CAUTELÆ SECULARIUM.

FUNDAMENTALIS HUNGARIÆ LEX.

Pon-

Cauſa Veneti interdicti.

Pontifice. Hinc promulgato Senatus Conſulto, ne Eccleſia ſine conſenſu Principis quidpiam de novo acquirat, Venetorum Reſpublica a Paulo V. interdicta fuit.

Conſuetudo Galliæ.

In Gallia Jus amortizationis viget: ideſt pretium Regi ſolvendum de prædio, quod devenit ad manus mortuas Clericorum, qui publicis oneribus nihil contribuunt. Indemnitas quoque debetur Domino, in cujus gratiam onera priori fundo inhærentia ad novum fundum transferuntur: ſive etiam fit conventio partium in pecunia numerata, qua liberatur fundus ab oneribus. In Auſtria Clerici novum fundum acquirentes coguntur æquivalentem portionem vendere, ut tantum eſſent de bonis jam poſſeſſis poſſidere, quantum de novo acquirunt; & fiat compenſatio, ubi manet æqualitas. Intelligendum de Clericis, qui nomine Communitatis alicujus Eccleſiaſticæ, non autem qui nomine ſingulari acquirunt. Vivimus in medio hominum ſecularium; magnam inter illos partem conſtituimus: decet, ut eorum moribus, commodis, indemnitatibus nos pariter propter Deum, & juſtitiam ejus conformemus; quantum nobis licet.

Conſuetudo Auſtriæ.

DE IMMUNITATE BONORUM ECCLESIÆ ET PERSONARUM

TITULUS XIV.

Immunitas varia.

Immunitas ſive Perſonas, ſive Loca, ſive Res Eccleſiæ reſpiciat, exemptionem dicit. Cauſa exemptionis fuit religio, pietas, juſtitia, æquitas. Quare multi adhuc hanc Eccleſiæ immunitatem de jure divino eſſe non dubitant. Nos rei propius inhærentes, omiſſa antiqua juris controverſia, *in facto* conſiſtimus: ſcilicet quid Pii Principes, quid Summi Pontifices, quid laudabiles conſuetudines ab initio uſque ad nos probe ſenſerint. Hoc Titulo promiſcue de Immunitate Reali, & Perſonali agimus: ſequenti Titulo de Immunitate Locali, ſive de Jure Aſyli ſeparatim agemus. De Immunitate Perſonali in alio Inſtitutionum noſtrarum Libro (qui de Juriſdictione inſcribitur) ſermonem rurſus habituri ſumus. In hac cauſa pariter conſulatur Binghamus ſalvis Eccleſiæ, & Cleri ſui privilegiis.

Quæſtio in Facto.

Diviſio.

l. 5. pag. 212.

Res, aut Perſonas Eccleſiæ, ſævientibus perſequutionibus, immunes fuiſſe nemini in mentem cadere poteſt. Primus reſcribit liberaliſſimus Imperator Conſtantinus, quod omnes penſitare debebunt *præter Eccleſias* *Catho-*

Origo. *l. 1. Cod. Theod. de Annona, & Tributis.*

Digitized by Google

Catholicas, & alios perpaucos caſus, qui non faciunt ad propoſitum noſtrum. Hæc facile prima Eccleſiarum a tributis immunitas realis, per Imperatorem conceſſa. Hujus immunitatis meminit Euſebius, quomodo Conſtantinus voluerit Clericos *ab omnibus omnino communibus*, *& civilibus rerum publ. miniſteriis immunes*, *ac ſolutos*, ... *qui quidem cum Sacrum Numen ſummo honore*, *& veneratione proſequantur*, *incredibile eſt*, *quantum Reipublicæ adjumenti videantur allaturi*. Præceſſit tamen alia lex, ubi ſtatuitur perſonalis Clericorum immunitas a nominationibus, ſeu ſuſceptionibus aliquibus, quas publicus mos expoſcebat. Imo mentionem facit de indultis jam pridem ſimilibus privilegiis, quæ hujuſmodi Religionis homines vexari non ſinunt: ita ut *hi*, *qui Clerici appellantur*, *ab omnibus omnino muneribus excuſentur*, *ne ſacrilego livore quorundam a divinis obſequiis avocentur*. Conſentit Filius Conſtantius, quia *curialibus muneribus*, *atque omni inquietitudine civilium functionum exſortes cunctos Clericos eſſe oportet*. Idem liberat Clericos ab exactione munerum ſordidorum, & diſpendiorum; ab inſtauratione pontium; a ſolicitudine translationum; & ab omni cenſu non tantum Clericos, ſed Conjuges, & Liberos eorum liberat: ita ut *nihil præter Canonicam Inlationem*, *quam adventitiæ neceſſitatis repentina ſarcina depopoſcerit*, *ejus functionibus adſcribatur*. Hæc clauſula Honorii, & Theodoſii fuit: qui alio in loco *ad inſtructiones itinerum*, *pontiumque* etiam divinas Domos, & venerabiles Eccleſias tam laudabili titulo libenter adſcripſerunt. Quod intra ſordida munera non numerabant. Ex his patet, quantum arbitrium ſibi ſumpſiſſent Principes circa perſonalem, aut realem immunitatem Clericorum: qui neque tranſeuntes Milites hoſpitio accipere, neque propter parangarias jumenta, & plauſtra, vel mancipia præſtare tenebantur. Clericis, liberiſque, conjugibus, hominibuſque ſuis moderatus quæſtus erat licitus propter ſuos, & alienos pauperes. In judiciis Epiſcopi accuſari nequibant: Clerici autem nonniſi apud Epiſcopos ſuos. *Fas enim non eſt*, *ut divini muneris Miniſtri*, *temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio*.

l. 10. c. 7. — *l. 1. Cod. Theod. de Epiſc. Eccleſ. & Cleric.* — *l. 2. eod.* — *l. 9. eod.* — *l. 10. 14. 60. eod.* — *l. 7. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* — *l. 8. 10. 14. Cod. Theod. de Epiſc. Eccleſ., & Cleric.* — *l. 12. eod.* — *l. 41. & fin. eod.*

FRAUDES MERCATORUM.

Tantus Principum favor dedit anſam fraudibus. Multi mercatores, ut eſſent a tributis, & vectigalibus exempti, fiebant Clerici in fraudem Cæſarei Ærarii. Contra malum dolum, idem Conſtantinus A., & Julianus Cæſ. ad Taurum PP. declarant non ſolum fundos Eccleſiæ, ſed Clericos omnes a ſordidis muneribus immunes eſſe debere, *ſi exiguis admodum mercimoniis tenuem ſibi victum*, *veſtitumque conquirant*. *Reliqui autem*, *quorum nomina negotiatorum matricula comprehendit*, *eo tempore*, *quo*

l. 15. eod.

DELUSÆ.

con-

collatio celebrata eſt, negotiatorum munia, & penſitationes agnoſcant: quippe poſtmodum Clericorum ſe cœtibus adgregarunt. De his ſane Clericis, qui prædia poſſident, mandatum erat, approbantibus Italiæ, Hiſpaniæ, atque Africæ Epiſcopis, ut ad penſitationes fiſcales, & univerſa munia ſuſtinenda urgeantur. Cœterum pro immunitatibus Eccleſiaſticis militant ferme continuæ ſequentium Imperatorum ſanctiones.

CERTUS CLERICORUM NUMERUS.

Tantis exemptionibus, libertatibus, privilegiis, commodis, emolumentis, & honoribus quomodo non allicerentur homines ad dandum Eccleſiæ nomen? Cavit ideo providus Imperator Conſtantinus, caverunt poſteri ſui, *nullum deinceps Decurionem, vel ex Decurione progenitum, vel etiam instructum idoneis facultatibus, atque obeundis publicis muneribus civilibus,* (*l. 2. eod.*) teneri obſtrictos. Et paullo poſt: *Cum defunctus fuerit Clericus, ad vicem defuncti alius allegetur, cui nulla ex municipibus proſapia fuerit, neque ea eſt opulentia facultatum, quæ publicas functiones facillime queat tolerare... Opulentos enim, ſeculi ſubire neceſſitates oportet: Pauperes Eccleſiarum divitiis ſuſtentari.* (*l. 6. eod.*) Ideo plebejos divites ab Eccleſia ſuſcipi vetant Valentinianus, & Valens. (*l. 17. eod.*) Quid ergo, ubi ſit penuria Clericorum? Novum remedium afferunt Arcadius, & Honorius, quod ſequitur: *ſi quos forte Epiſcopi deeſſe ſibi Clericos arbitrantur, ex Monachorum numero rectius ordinabunt non obnoxios publicis, privatiſque rationibus:* (*l. 32. eod.*) ita tamen ut ex ipſa poſſeſſione, in qua conſtituta eſt Eccleſia, quantum fieri poteſt, *pro magnitudine, vel celebritate uniuſcujuſque vici, Eccleſiis certus, judicio Epiſcopi, Clericorum numerus ordinetur.* (*l. 33. eod.*)

OLIM NULLI VAGI CLERICI.

Nulli tunc vagi Clerici, nulli Sacerdotes nullis Eccleſiis, nullis piis Officiis addicti tolerabantur, ſicuti noſtris moribus quaſi in opificum collegia, & in ſectas mercenariorum impune alii abſque Eccleſiarum vel neceſſitate, vel utilitate aſſumuntur. Non ægre ferendum, ſi laudabiliter vivant in medio ſecularium. Nunquam vero externorum tributorum gravamine, rem publicam Eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam cogitaverunt Imperatores. (*l. 33. Cod. Theod. de annona, & trib.*)

ARBITRIUM PRINCIPUM.

Aliquando a ſuis privilegiis recedere non dubitaverunt. Sic enim Eccleſiis, atque Clericis a ſordido munere alias immunibus Canonicam Inlationem imponendam fore propter improviſam neceſſitatem explicant Honorius, & Theodoſius. (*l. 40. de Epiſc. & Cleric. Cod. eod.*) Sic Theodoſius, & Valentinianus revocant, aut limitant, ne Sacroſancta Eccleſia tempore expeditionis, excuſationem angariarum, ſeu parangariarum habeat. (*l. 21. Cod. de curſu publico. l. 11. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*) Sic quamvis Clericos nonniſi apud Epiſcopalem Audientiam accuſari conveniſſet, nihilominus Clericos perpetrati incendii ſuſpectos in carceris cuſtodiam detruſit Studius P. U., ad inquiſitionem vocavit, Impera- (*l. 37. Cod. Theod. de Epiſc. & Cleric.*)

Digitized by Google

peratores Arcadium, atque Honorium informavit, conformique obtento reſcripto innocentes Clericos carceris cuſtodia relaxavit. Quin ad obſervandos ſeditionis aditus, omnes Epiſcopi, & Clerici peregrini ab Urbe Conſtantinopolitana, IV. Kal. Sept., Honorio VII., & Ariſteneto Conſſ., nulla habita dignitatis Eccleſiaſticæ ratione, tamquam criminoſi, & ſuſpecti pulſi ſunt. Præterco multas in rem noſtram digniſſimas animadverſiones, quæ in utroque Codice Theodoſiano, & Juſtinianæo offenduntur ampliſſimis veſtigiis. Certe hi Principes rati ſunt ſe eſſe interdum Eccleſiaſticarum exemptionum arbitros, quas vel tribuerent, vel aufferrent, vel ampliarent, vel reſtringerent.

Inveſtigemus, quid ſtatuat Juſtinianus. Apparebit Eccleſias non omnino fuiſſe immunes, cum reſcribat reſtituenda quidem in Africa, quæcunque Catholicis oblata fuerunt ab Arianis, ita tamen, ut publicas pro iſtis penſiones conferant. Novum argumentum deſumo, ubi reſcribit Imperator, ut mille tantum & centum Officinæ, ſive Tabernæ apud Sacroſanctam Conſtantinopolitanam Majorem Eccleſiam excuſentur, quæ exinde tenetur cunctos mortuos gratis ſepelire: omnes reliquæ etiam ad quemcumque pium locum ſpectantes conſueta obeant munia; *nemine queunte ea de cauſa inniti privilegiis, aut ejuſmodi alia uti excuſatione. Neque enim ſuſtinemus aliorum onus ad alios deferri, aut tam immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augeantur.* Idem Juſtinianus decernit, Clericos in cauſa Eccleſiaſtica a ſolo Epiſcopo; in civilibus æque, ac in criminalibus primum ab Epiſcopo: deinde non procedente Epiſcopo in civilibus, aut eo in criminalibus degradante criminoſos, conveniri debere apud Præſides, aut Judices Provinciales, atque judicari uſque ad exitum cauſæ, & exequutionem ſententiæ. *Quanquam autem* (& hæc juſta Thomaſſini animadverſio eſt) *æquiſſimo Eccleſia animo publicis his ſerviret oneribus, nihilo tamen minus ſolabatur ipſa ſe ſe conſcientia, & perſuaſione libertatum ſuarum, Chriſti Summi Sacerdotis Sanguine conſignatarum: & ab eo in omne Corpus ſuum, in omnem Clerum, in omnes Sacerdotii ſui Miniſtros profluentium. Accedebat porro & alterius longe etiam præſtantiſſimæ immunitatis conſcientia, ex deſpicientia terrenarum rerum omnium; & ſin minus rerum, cupiditatum certe abdicatione: qua fiebat non modo, ut Chriſti imitatione omni petenti daret, ſed & auferenti tunicam præſto eſſet & pallium dimittere. Hæc enim vera immunitas beata, hæc Imperatoriarum legum viciſſitudini nequaquam obnoxia eſt.*

QUANTA SUB JUSTINIANO IMMUNITAS?
Novell. XXXVII.
Novell. XLIII.
AUREA PRINCIPIS SENTENTIA.
p. 3. l. 1. c. 34. n. 7.
VERA, ET BEATA ECCLESIÆ IMMUNITAS.

Paullo ante Juſtinianum Clodovæus conceſſit immunitatem agris, & per-

IMMUNITAS IN GALLIA.

perſonis Eccleſiæ in Gallia univerſa. Econtra alter a Clodovæo *Clotarius Rex indixerat, ut omnes Eccleſiæ Regni ſui tertiam partem fructuum fiſco diſſolverent.* Inviti ſubſcripſerunt Epiſcopi. Senio tandem confectus, & morti vicinus Clotarius iniquam revocavit legem, confirmata exemptione primæva Clericorum, qui & avi, & genitoris, & germani ſui meruerunt immunitatem. In hæc ferme tempora incidit ingens S. Gregorii M. ſtupor, quem manifeſtavit per hæc verba: *Audivimus autem, quid Eccleſiarum prædia tributa nunc præbeant, & magna ſuper hoc admiratione ſuſpendimur, ſi ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.* Poſthac frequentiſſima immunitatum privilegia fuerunt conceſſa, quarum formulas multas collegit Marculphus Monachus Gallus exeunte Septimo Seculo. *Ubi Eccleſiarum fundos Carolus Martellus militi ſuo largitus eſt* (ſequitur Thomaſſinus) *in tanta, & tam acerba rerum omnium perturbatione, conticuere profecto libertates, & immunitates Eccleſiæ omnes. Ubi vero Principes Francorum Pipinus, & Carolomannus luctuoſiſſimæ calamitati levamenti aliquid conferre cœpere, ſtatutum eſt, ut ad Monachorum ſuſtentationem, quæ neceſſaria eſſent, præcerperentur: tum vero reliqua publicis Regni, & Eccleſiæ permitterentur neceſſitatibus... Nec aliter Concilium Liptinenſe, cui placuit, ut Laici milites, nobileſque, qui terras Eccleſiæ obtinerent, cenſum annuum Clericis, eis alendis idoneum perſolverent. Ita retinebantur a Laicis terræ Eccleſiæ ſub precario, & cenſu.*

l. 7. ep. 115.

VULNERATA NIMIS. *ſupra n.* 17.

in Concil. Sueſſionen. *an.* 744.

an. 743. *vel* 744.

Carolo M., & Ludovico P. placuit, ne prædia, & terræ Eccleſiæ (niſi quantum reſtauratio pontium, & viarum, vel novarum Eccleſiarum fundatio exigeret) deſcriptionem agnoſcant. In aliis omnibus habebant integram immunitatem. Similiter homines earum, & omnia, quæ eis ſubjecta erant. Hæc de bonis poſſeſſis. Quæ vero de novo acquirebantur a Clericis bona, tranſibant communiter cum onere, ſi prius gravata fuiſſent: quæ vero prius libera erant, manebant libera, ſervato utrinque priori ſtatu. Plerumque & hodie tanta obſervatur æquitas. Perſonarum immunitas fines non ſcivit: nam conſecratio Epiſcopos, & reliquos Domini Sacerdotes tam a ſervilibus, quam & a cœteris aſcriptitiis conditionibus ſemper liberos facit. Ideo nullus ab eis alia, niſi divina requirat ſervitia. Clerici ab antiquo nulli fiſcali, aut publico ſubdebantur officio, ut liberi ab omni humano ſervitio, Eccleſiæ deſerviant.

Thomaſſ. *ſupra c.* 36.

RESTITUTA.

Eadem ferme ſub Carolo Calvo, cœteriſque Caroli M. Succeſſoribus circa Terrarum, & Perſonarum Eccleſiæ immunitatem viguit diſciplina. Tantorum beneficiorum immemores nunquam fuere Eccleſiæ. Annuis donis

ſupra c. 37. 38.

Digitized by Google

donis Regem venerabantur Laici omnes, & Eccleſiaſtici Magnates, ne Epiſcopis quidem, niſi fortaſſis pauperioribus exceptis. Vix pretium, vel modus donandi (quamvis ſic fuerit ab initio) poſitus amplius erat in cujuſcunque voluntate, atque arbitrio. Vix in inſolitis, atque improviſis neceſſitatibus nova, & inſolita onera, vel munera certa non exigebantur. Cum anno 877. non poſſet Carolus Calvus Normannos ejicere regni ſui finibus, qui tamdiu pulcherrimas plagas, & Eccleſias depopulabantur, ſtatuit tandem ipſe ſecum, eos ſubmovere pecunia, a Clericis Regni perſolvenda, & ab iis Laicis, qui Eccleſiæ prædia beneficiario jure poſſiderent. Præceſſerat alia pecuniæ exactio ad placandos, eliminandoſque Normannos, nempe quatuor mille pondo argenti. Puto pondus ſaltem Flor. Rhenen. 36. facit. Integra penſa fuit Flor. centum quadraginta quatuor mille. ANNUA DONA. Thomaſſ. *ſupra c. 39.*

Jus erat Metatus, Paratarum, aut Giſtii, in cujus vim ſub Carolo M., & ejus auguſta ſtirpe, Epiſcopi, ac Abbates, non ſecus ac reliqui Laici tenebantur hoſpitio ſuſcipere, & alere Officiales, & Regum miſſos, Regeſque ipſos, imo Legatos exterorum Principum. Magni ſumptus ex voluntaria hoſpitalitate, quos extra Gallias inſumptos fuiſſe non facile ſcimus: ſed in Galliis Regia liberalitate frequenter compenſatos fuiſſe legimus. Pro Metatu Feuda nobilia vidimus elargiri. Cœnobiorum inopiæ ex Regio Fiſco ſuccurrebatur. Ad Principes Synodi recurrebant, tamquam ad Proviſores Eccleſiarum: quibus ita demum nota erat Eccleſiaſticæ Diſciplinæ integritas, cum temporalibus non anxiarentur, & avocarentur Clerici neceſſitatibus. JUS METATUS.

Militia ſupereſt. Quid ni? Tunc quaſi milites facti ſunt Epiſcopi, & Clerici multi. Mutavit manſuetos mores continua conſuetudo, atque neceſſitas inter ipſos, aulæque Proceres. Tandem Carolus M. hortatu Apoſtolicæ Sedis, omniumque fidelium ſuorum, & maxime Epiſcoporum, ac reliquorum Sacerdotum conſultu, Epiſcopos, Clericoſque alios inſolentiſſima militia abſolvit, caſtriſque dimiſit, pauciſſimis exceptis ad Sacramentorum adminiſtrationem neceſſariis, vel ad Sanctorum patrocinia portanda electis. Sequebantur ergo Imperatorem in Caſtris, *niſi duo, vel tres tantum Epiſcopi, electione cæterorum, propter benedictionem, & prædicationem, populique reconciliationem, & cum illis electi Sacerdotes, qui bene ſciant populis pœnitentias dare, Miſſas celebrare, de infirmis curam habere, ſacratique Olei cum ſacris precibus unctionem impendere, & hoc maxime providere, ne ſine Viatico quis de Seculo recedat.* Carolus M. aliarum periculo Thomaſſ. *ſupra c. 40.* CLERICI IN CASTRIS.

Digitized by Google

nationum didicit, quod non deceat Clericos pugnare. *Gentes enim, & Reges earum, quæ Sacerdotes ſecum pugnare permiſerunt, nec prævalebant in bello, nec victores extiterunt*; quia *non erat differentia inter Laicos, & Sacerdotes, quibus pugnare non eſt licitum. Hæc vero Galliarum, Hiſpaniarum, Longobardorum, nonnullaſque alias Gentes, & Reges earum feciſſe cognovimus, qui propter prædictum nefandiſſimum ſcelus nec victores extiterunt, nec patriam retinuerunt*. Voluit tamen Carolus M., ut armatos mittant milites Clerici, qui fundos poſſident; neque arma vendant inimicis. Ludovicus P. convocatis apud Aquiſgranenſem Civitatem Comitiis conſtitutum ſcribere fecit, quæ Cœnobia Regno, vel Imperio dona, & militiam ſuppeditare poſſent: quæ, ſola dona ſine militia: quæ vero nec dona, nec militiam, ſed meras preces, ſacrificia, & eleemoſynas applicatas pro ſalute Imperatoris, & Filiorum ejus, ſtabilique Imperii felicitate. Domni Imperatoris terribile Imperium Metropolitanus omnibus Comprovincialibus Epiſcopis, atque Abbatibus intimabat. Paullo poſt ſub Carolo Calvo, ſive Imperator, ſive Epiſcopi hoc malum flagitarent, Epiſcopi multi caſtris, atque exercitui interfuerunt: atque etiam ſinguli ſuas copias per ſe ipſos duxaverunt, niſi apud Principem inveniſſent excuſationem. Quamquam vero bellum Clericis interdicendum ſemper fuiſſet, ſaltem illud Sacroſanctis Conciliis, Summiſque Pontificibus ſæpe probatum fuit, milites armatos ſubminiſtrari ab Eccleſia ad ejus, totiuſque Regni defenſionem. Qui enim Regni hoſtes ſunt, ii Eccleſiæ ſunt hoſtes: neque enim Urbes, & Provinciæ pereunt, quin non eadem frequenter ruina ſubvertat earum Templa, & Miniſtros. Hinc maxime ſecularibus opibus non ſufficientibus, æquitati congtuum videtur, Eccleſiaſticos in conſortium periculi, & opis vocari, ſumptuque Eccleſiæ voluntario res Eccleſiæ tegi, atque tueri adverſus ejuſdem Eccleſiæ, communiſque patriæ crudeliſſimos inimicos. Iſtos vero publicæ juſtitiæ fines violare nemini foret tutum.

Poſt annum milleſimum immunitas Eccleſiæ iiſdem plerumque hæſit radicibus. Thomaſſinus late Orientem, atque Occidentem perluſtravit. Nos breviori via hominis doctiſſimi veſtigia calcamus. Apud Anglos iter auſpicamur, quibus præcipuus Eccleſiaſticæ immunitatis autor fuit pius Eduardus Rex: quas quidem cum reliquis Eccleſiaſticis legibus VVilhelmus Nothus compilavit: ſed minus ſtricte obſervavit filius VVilhelmus Ruffus; minus ſucceſſores, quamvis Epiſcopi cum ſuo Clero nunquam ſuis Regibus recuſaverint voluntaria potius dona, quam dura nimis tributa.

IMMUNITATIS VICISSITUDO IN ANGLIA.

Digitized by Google

buta : Anno 1188. conſentientibus tandem Epiſcopis, & Proceribus utriuſque Regni, Decimæ Saladinæ ad Bellum Paleſtinæ Philippo Auguſto Franciæ, & Henrico II. Angliæ Regibus perſolutæ ſunt, quidquid non pauci in Anglia reclamaſſent, quod *ſic paulatim tranſibit decimatio in conſuetudinem, & præſumpta ſemel abuſio ignominioſam Eccleſiæ ſervitutem inducet*. Innocentius III. in Conc. Lateran. an. 1215. ſtatuit, ut Cardinales unam plenariam decimam, Epiſcopi & Clerici alii vigeſimam partem Eccleſiaſticorum proventuum ad triennium conferant in ſubſidium Terræ Sanctæ, exceptis cruce ſignatis. Gregorius IX. de Henrico III. optime meritus, quod graviſſima ſubſidia Regi danda probaſſet, ingentem ex Anglia pecuniam hauſit. Immenſi theſauri potiorem fortaſſis partem in difficili, & vix non continuo contra Fridericum II. Imp., tredecim, quos ſedit, annorum bello impendit. Clerus anno 1253. conceſſit Regi triennalem decimam ad iter Paleſtinæ. Alexander IV. anno 1255. nova ſubſidia obtinuit ab exhauſto Clero. Quamvis exactiones ſint raræ, quæ juſtæ prorſus, & æquæ, ac neceſſariæ videantur iis, qui contribuunt, omnis tamen præſumptio militat pro legitimo Superiore. Dignum pariter, & bonæ rationi conſonum eſt, ut nulli Principes ſine evidenti neceſſitate exigant: nulli homines in evidenti neceſſitate pro communi cauſa recuſent. Poſtrema fuit exactio ſub Henrico III., cui anno 1267. Card. Ottobonus in Concilio Northamptonenſi decimam bonorum Eccleſiæ procuravit ad annos ſeptem. A VVilhelmo Notho uſque ad citata tempora Epiſcopi, & Clerici præter ingentia munera ſæpe militiam ſuppeditaverunt. Militem flagitavit Alexander IV. ab Anglis, qui ſuorum Prælatorum ſtipendiis ſerviret Eccleſiæ Romanæ: quod militare ſervitium nulli alias, niſi Regi, & Regiis Principibus debebatur, neque ab alio Pontifice poſtulatum fuiſſe videtur. Eduardus I. ex Andegavenſium proſapia anno 1295. dimidiam partem accepit a Clero, ſextam a Civibus, decimam a vulgo. Prohibente Bonifacio VIII. Clerus anno 1296., & ſequenti Clerus Regi ſubſidia negavit, quæ tamen anno 1298. ſtatim ſolvit, ſalva Magna Charta; unde confirmaret Rex novis juramentis, vel edictis libertates Cleri, quoties ab eo pecuniæ aliquid eliciebat ad levandas Regni neceſſitates. Leve ſolatium. Sic enim vero Clerus Anglicanus aliquando Regem invocavit contra Summum Pontificem, aliquando Summum Pontificem contra ſuum Regem. Plerumque Summi Pontifices, & Reges convenerunt, præterquamquod Clero placuiſſet. Joannes XXI., aut XXII. anno 1330. Regi Eduardo III. conceſſit qua-

Digitized by Google

triennalem omnium bonorum Eccleſiaſticorum decimam, medietate ſibi reſerveta. Sub eodem Rege leguntur ſubſidia an. 1337. 1340. 1343. 1371. Conceſſæ pariter ſunt Regi Richardo II. ab Eccleſia, & Clero duæ decimæ uno eodemque anno 1377. perſolvendæ, ea tamen conditione, ut videlicet Rex de cœtero populum non gravet talibus petitionibus, extorquendo pecuniam ſubditorum. Anno 1385., unanimi voluntate, ſpontaneo conſenſu Clerus obtulit Regi decimam, quod aures obturaſſet impiis VVicleffiſtis, dum prædæ objici ſuaderent Eccleſiæ bona. Sub Henrico IV. anno 1404. idem ſeditioſorum motus, eadem Regis pietas, eadem Cleri liberalitas. Anno 1406. & 1410. nova exactio, nova munera. Eugenius IV. circa hæc tempora obtinuit ſex millia Ducatorum contra Turcas a Clero, qui ſe excuſaverat ab integra decima præſtanda. Tandem anno 1518. Archiepiſcopus Dublinenſis Conſtitutionem Provincialem publicavit ſub vinculo excommunicationis in eos omnes, qui Terris Eccleſiæ imponerent aliquid vectigalium, aut oneris, niſi authoritate Regia id facerent. Tam ſubita, & tam ſervilis obedientia ergo quoſcunque Principes ſuos ſatis indicat, quantum in eo Regno jam res ad opprimendam magis magiſque Eccleſiæ libertatem, & Cleri majeſtatem propenderent. Poſt funeſtiſſimum Schiſma an. 1534., in quo Henricus VIII. Anglicanæ Eccleſiæ caput ſemetipſum dixit, quæ amplius immunitas ſperari poterat? Cromvvelli, & Cramneri turpiſſimorum hominum uſus conſilio, & ope, trecentas ſeptuaginta ſex Abbatias una die, menſe Februario anni 1536. parlamentari edicto ſuppreſſit, pingueſque proventus fiſco adjudicavit. Tum mulierum, tum virorum Monaſteria idem fatum ſuſtulit, quorum bonorum non minimam partem nobilibus peſſimus mercator vendidit. Edoardus Suffolkienſis Dux ſui Regis Tutor, Eccleſiaſtici nominis non fuit mitior hoſtis. Mortuo Edoardo VI. Rege Maria Regina lapſas reſtituit res. Vix incerta pacis lux affulſerat, illa immiti caſu occubuit. A quo Eliſabetha Regina apparuit, Hæreſis vicit, Religio exulavit, omnis immunitas perivit. Deplorandum facinus, quod neque exiguam reſtituendæ fortunæ ſpem poſt ſe reliquit.

ſupra c. 42. 45. & 48. Ex Anglia migremus in Gallias, in quibus dona, metatum, militem diu poſt milleſimum annum præſtitit gratus, & devotus Clerus. Imo non raro Epiſcopi vaſſos ſuos ad bellum, ſive ad pugnam ipſam ducere coacti ſunt. Ceſſavit tandem hoc dedecus, ceſſavit miles, & metatus. Manſerunt ſubſidia, quæ gratuita dicebantur. Vidimus, quomodo immunitatis Eccleſiaſticæ Parens in Gallia fuerit Clodovæus; quas tamen immuni-

SUBSIDIA IN GALLIA.

Digitized by Google

munitates a Succeſſoribus nunquam læſas fuiſſe non legimus. Primus omnium cepit Philippus Auguſtus & decimas, & forte nonnulla graviora Jura ab Eccleſia exigere, qua occaſione murmurat Stephanus Tornacenſis ad Epiſcopum Sueſſionenſem, quod jam *univerſos Fiſcus abſorbeat*. Tunc *epiſt.* CLXXI. forte ſolvebantur decimæ Saladinæ anno 1188. Opportune narrat VVilhelmus Britto, quemadmodum Philippus Rex *Clerum Rhemenſem petiit, ſcriptoque rogavit, ut ſibi ſubſidium fieret, quo gratior illi ad tantos vellet ſumptus impendere gratis, ut ſolet Eccleſia Patronos ſæpe juvare*. Repulſam paſſus, ne poſtea Eccleſiæ oriatur ex conſuetudine damnum, diſſimulavit injuriam Rex, qui vero indiguit pecunia, quam recuſat Clerus, non precibus ſolis, quas offert Clerus. Brevi Comites Retelenſes, Cuciacenſes, aliique invaſerunt ditiones Capituli Rhemenſis. Tum Canonici Regiam opem appellare: Rex contra: *Vos prece me ſola nuper juviſtis, eadem lege, relata nunc vice, prælia veſtra juvabo*. Scripſit tamen Rex, rogavitque Comites, ut rebus Eccleſiæ parcerent. Comites non armatas preces facile contempſerunt. *Denique cognovit Clerus*, (*vexatio quippe rem docuit*) *quanto ſtudio, quantove labore debeat Eccleſia ſibi quærere Regis amorem, ſummopereque ejus ſibi procurare favorem, quo ſine defendi nequeunt patrimonia Chriſti*. Rex tandem nulla vindicta tactus, Cleri cauſam tueri, arma capere, prædatores debellare, prædas reſtituere. Diſcant, qui immerito invident, ut ad ingruentes Reipublicæ neceſſitates conferat aliquid rerum ſuarum Eccleſia, ubi ſoli Laici pares non ſunt ferendo oneri, & commodum ſentiant tam Clerici, quam Laici in pacifico rerum uſu conſervando. Innocentius III. anno 1198. ad bellum ſacrum petiit dona. Gregorius IX. contra Albigenſes non quidem nomine decimæ, ſed obtentu ſubſidii multas exactiones congregavit. Metuebant non pauci, quod tanta Cleri liberalitas converteretur in ſervitutem perpetuam. Idem Gregorius IX. contra Fridericum II. ab univerſa ferme Europa pecuniam, & milites anno 1229. poſtulavit. Annis 1232. 1246. 1252. 1267. 1272. 1274. 1275. 1283. 1284. 1285. 1286. exactiones ferme continuæ interceſſerunt, Pontificibus, & Regibus cauſam communem peragentibus, ne quis impune reſiſteret. Primæ quidem indictæ ſunt religioſæ expeditiones in Saracenos Orientalis Imperii iniquiſſimos uſurpatores: aliæ in Fridericum II. Imp., aliæ in Albigenſes, & Toloſanos Comites, aliæ in Petrum Arragonenſem, repetentem armis Siculum Regnum, tamquam dotem Conſtantiæ uxoris, contra opinionem Summi Pontificis, cui viſum fuit utramque Siciliam Carolo Valeſio Regis Fratri donare. Urbanus IV. is fuit, & Clemens IV. Vi-

Digitized by Google

Viſis cauſis, propter quas peterentur ſubſidia continua, obſervare eſt, quomodo petenti Papæ, urgentibus Regibus, prodente ſe ſe Eccleſiæ neceſſitate, reſtitum quandoque eſt tam abſurde, & tam obſtinate, ut hinc anſam arripuerint Pontifices Cleri conſenſus minus curandi. Poſtea ſubductis in unum calculis, pene annuæ, & ordinariæ fuerunt in Galliis quoque exactiones decimarum. Aliquando exigebantur decimæ ad bellum ſacrum, & nullum evenit bellum, quia vel non inceptum, vel finitum. Ubi diſcordiæ inter Pontifices, & Principes exorirentur, ex his unus alteri ſubſidia vel denegabat, vel impediebat. Ubi renovarentur amicitiæ, vetera fœdere novo diviſa erant munera. Novum in diſſidiis inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulchrum emergit exemplum. Nota eſt

c. 3. de Immunit. in 6. Bulla an. 1296., quæ damnatis Laicorum exactionibus vetat, ne Clerici præſumant inconſulto Romano Pontifice quidquam ſolvere a ſuis bene-

Rainaldus an. 1297. n. 43. ficiis ad manus Laicorum. Sequenti anno idem Bonifacius VIII., Regi quaſi reconciliatus declarat, ſuam Conſtitutionem ad quævis voluntaria Prælatorum, & Perſonarum Eccleſiæ donaria, vel munera non extendi: imo in caſu neceſſitatis, pro particulari defenſione etiam Regni, teneri Prælatos Regi, ſuiſque Succeſſoribus, inconſulto etiam Romano Pontifice, ad ſubſidium, vel contributionem, & valeant ſub quotæ nomine etiam imperari. Anno 1301. antiqua exarſerunt odia. Privilegia cuncta Galliæ Regibus a Sede Apoſtolica quocunque tempore conceſſa revocat idem Bonifacius VIII. Iterum vetat Laico Regi amodo quidpiam ab Eccleſiis ſolvi, Summo Pontifice inconſulto, & non conſentiente. Regem conſueta Beneficiorum nominatione privatum tandem excommunicat. Benedictus XI. Philippum abſolvit, Clemens V. cuncta feliciter compoſuit. Anno 1305. Clemens V. Philippo conceſſit Cleri decimas ad Bellum Belgicum, ne unquam interrumpantur Eccleſiarum quaſi tributa, quæ præter intentionem concedentis ſæpius in uſibus domeſticis, quam in longinquis neceſſitatibus fortaſſis abſumebantur. Poſt annum 1341. novæ decimæ contra Turcas exigi cepere: novæ decimæ ad frequentes Avenionenſium imprimis Pontificum neceſſitates. Pontifices quippe Avenionenſes, verſa vice, impenſis Cleri continuis, beneficia Gallorum Regum

Sess. XLIII. facilius promereri ſatagebant. Nihilominus anno 1418. Martinus V. in Concilio Conſtantienſi ſancivit, ſolum Papam præcipere poſſe Eccleſiarum exactiones: neque exactiones debere ipſum præcipere ſuper totum Clerum, ſine magna cauſa univerſalem Eccleſiam reſpiciente, ita ut etiam Cardinales, & Prælati ſuo modo conſentiant: neque ſpeciales alicujus

Pro-

Digitized by Google

Provinciæ, aut Regni probari exactiones, inconſultis, aut contradicentibus pro majori parte Prælatis, quos tangit: levandas vero quaſcunque exactiones per Eccleſiaſticas perſonas autoritate Apoſtolica deputatas. Anno ſuperiori 1417. Martinus V. indixerat decimas univerſo Clero contra Huſſitas. Solverunt Cardinales. Solvit ipſe Summus Pontifex quintam Apoſtolicæ Cameræ partem proventuum. Eadem ſucceſſoribus frequens cura vel contra Infideles, vel contra Hæreticos, & in Galliis potiſſimum contra Calvinianos, vel ad quamcunque Eccleſiæ, & Regni tuitionem. Conſenſerunt imprimis Eugenius IV., Nicolaus V., Pius II., Leo X. Hodie vix non annua dona parantur, quæ cum ex ſpontanea voluntate dicantur derivare, inconſulto Romano Pontifice aliquando fiunt. Quidquid ſit, facile aſſentimur VVilhelmo Pariſienſi Epiſcopo: *De his, quæ Regibus, & Principibus dantur, Patronis Eccleſiarum, & Fundatoribus, & Donatoribus, & Ditatoribus, dicimus, quia licet: dummodo ex ejuſmodi donationibus non lædantur enormiter Eccleſiæ*. Adde, dummodo ſubſtantiæ noſtræ in propoſitos pios uſus convertantur; non autem in profanos, nedum malos exitus diſſipentur contra Deum: quod tamen de bonis Principibus ſuſpicari nefas foret. Hi erunt uſus pietatis, quoniam ex virtute gratitudinis, quaſi ex jure naturali debentur aliquando ſecularibus poteſtatibus. De Morib. *c. 9.*

Immunitatis vicissitudo in Hispania.

Angliam, & Galliam plus, quam ſatis fuiſſet, inviſimus. Tranſeamus in Hiſpaniam, ubi Reccaredus (quem cum ſua univerſa Viſigothorum Gente S. Leander Hiſpalenſis Epiſcopus ab impietate Ariana ad fidem Catholicam convertit) immunitatum Eccleſiaſticarum facile Parens fuit. Confirmavit tum rerum, tum perſonarum exemptionem Siſenandus Rex in Concilio Toletano anno 633., cui præfuit S. Iſidorus Leandri Frater, & Succeſſor. Egica Rex petiit a Concilio Toletano anno 693., adſtringi Epiſcopos ad reparandas Parochias ex tertia parte fructuum, quam ſolebant ex ipſis Parochiis exigere. *Cum in poteſtatem Saracenorum Africæ veniſſet Hiſpania, ſua ſibi ipſi in ſinu alenda habuit ſacra bella poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum perpetua, ſumptu Cleri ſui partis innumerabilibus victoriis, quibus Eccleſiæ, & Regno libertas redintegrata tandem priſtina eſt... ita & ſingulares hic viguere exactiones in Clerum, alibi prorſus inauditæ*. Ad annum 711. ponitur Saracenorum irruptio ſub occiſo Roderico Rege. Ad annum 1492. ponitur eorum expulſio ſub Ferdinando Catholico. Unde annis 780. ab unica gente contra hos prædones difficili bello, ſera victoria pugnatum eſt. Excuſanda, quæ ad reliqua Orientis ſacra bella

can. 47.
can. 4.
Thomaſſ. *ſupra c.* 44.

nec

Digitized by Google

nec militem unquam fere, nec mulctam ſufficere potuit, continuo hoſte intra ſua viſcera ſæviente. Nemo non videt in tanta, & tam longa neceſſitate Eccleſiam vix non ſuas omnes opes profundere debuiſſe. Ab initio quidem *inexorabilior quædam neceſſitas Prælatos compulit, ut militaribus copiis Duces ſe, vel Comites adderent, cum omnes prorſus Eccleſiæ Maurorum poteſtati fuerint ſubducendæ. Fuere (dictu nefas) ex Præſulibus, qui ita armis aſuevere, ut pugnarint in acie, & quod horret animus etiam cogitare, cum in Mauros certaſſent, eorum ſe caſtris, & diſſidiis ita implicuere, ut Mauris aliis in alios præliantibus utrinque pugnarent Epiſcopi: nonnulli etiam cædendo cæſi ſunt.* Quidquid ſæpe vel temeritas, & error, vel animi fervor, & zelus accenderet, *nemo denique non tum ſentiebat hos Præſules non pugna, non manu, ſed conſilio, vigiliis, precibus, hortamentis, ſumptu in ſuis bellis, Chriſtianæ Eccleſiæ, & Reipublicæ adeſſe, & prodeſſe plurimum.* Tum vero nullus facile domi manſit. Epiſcopi vix unquam a latere Regis diſceſſerunt. Tanta pietas, tantus ardor inter fideles multas peperit victorias. *Si quid in his ſit, quod moroſus Lector minus probet; ſi quis ſit, quem non frangat tantus Conciliorum, Pontificum, Præſulum, Regumque caſto Eccleſiæ, & pietatis amore flagrantium conſenſus: at emolliet forſan illum ſaltem contemplatio tot Provinciarum, tot florentiſſimarum Eccleſiarum, quæ ſub Saracenorum jugo etiam nunc gemerent, niſi iſtiuſmodi ſacris bellis ex eorum poteſtate receptæ fuiſſent. An ſatius fuiſſet, & præſtabilius, Epiſcopos ſine Eccleſiis, Abbates ſine Cœnobiis ſqualere, vel Eccleſiam potius & Epiſcopis, & Abbatibus orbari, quam ut ſacri Miniſtri tumultuoſæ bellorum diſſipationi objicerentur?* Provido numine id fieri debuit. Ab initio quidem non fuit ſic, nec hodie ſic eſt. Sed nec ab initio fuere, nec hodie ſunt hæc ſacra, & religioſa bella, in quibus ultimum momentum ſit poſitum. Tandem Synodus Toletana anno 1473. interdicit Epiſcopis, & Clericis militiam omnem, niſi Regiam Majeſtatem, aut Regias Perſonas comitentur. Poſteaquam Ferdinandus Catholicus Granatam anno 1492. feliciter expugnavit, funditusque Saracenorum longum in Hiſpania 780. annorum Regnum evertit, imo & ad octingenta millia capita Judæorum in exilium miſit, Religioni, & publicæ tranquillitati proviſum late fuit. Impoſterum maluerunt Reges, pecunias a Clero exigi, quam militiam, & Comitatum. Sed eo vel maxime Cleri ipſius proviſum eſt & ſanctimoniæ, & ſeceſſus amori, ſilentiique, quæ non ſatis cum tumultu armorum convenirent. Poſt illa tempora frequentes præſertim ab Alexandro VI., Leone X., Hadriano VI., Pio IV., Pio V., Gre-

ſupra c. 47. n. 8.

can. 15.

Digitized by Google

Gregorio XIII., Urbano VI., Clemente XI., modernoque Summo Pontifice Clemente XII. conceſſæ Regibus decimæ contra Mauros Africæ, qui jam perpetua obſidione, vel frequenti curſu fortiſſimam Fezzani Regni in Africa Civitatem Septam, vulgo Ceutam inutiliter obſident.

In Italia, quæ intra ſuos limites adorat Romanum Pontificem, neque rariores fortaſſis, neque difficiliores forent ſubſidiorum exactiones, niſi penſiones Eccleſiaſticæ vulgatiſſimæ tertiam annorum proventuum partem ferme abſorberent. Non defuerunt in Portugallia, quæ fato reliquæ Hiſpaniæ ſæpe regebatur. Clerus Hungariæ ſub titulo decimæ actu ſolvit duplici fœnore quinquennales angarias. Finito triennali Imperii, atque Italiæ bello novum ardet bellum contra Turcas in annum tertium. Cœterum vix in Germania extra ordinem dari poſſunt novæ exactiones, non ſolum quia Epiſcopi ſunt Principes; ſed quia ſunt Germanici corporis inclyta membra, quæ periclitante univerſitate privatas res ſuas, & militiam, juxta leges Imperii, & Matriculam menſis Romani, ad conſervationem ſingulorum, tradunt, atque miniſtrant. Miniſtrant hodie adverſus Mahometanos aut inſtructum militem, aut paratum æs. In reliquo immunitas tam perſonalis, quam realis per iſtas regiones hodie plurimum innititur Juri communi. Tantum addo, quod nemo neſcit, nullam exiſtere amplius immunitatem in illis partibus, unde exulare debuit Catholica Romana Fides. Principes Seculi hujus pro arbitrio Eccleſias, & Perſonas Eccleſiis dicatas regunt, quæ in ditione ſua exiſterent aut palam, aut clam. In Oriente vidimus autorem immunitatis Conſtantinum M. At Filii maximam Parentis Religionem non ſemper imitati ſunt ſatis. Succeſſoribus non eadem cura. Jam ante milleſimum annum non eadem Principum pietas, non eadem Eccleſiarum immunitas. Nicephori Phocæ ſordidum, & illiberalem animum Annales notant poſt an. *963.*, adeo ut Eccleſias immenſis penſitationibus oppreſſerit, Eccleſiis donari vetuerit, Duces quoque Exercituum juſſerit Epiſcopis, & Clericis mancipiorum loco uti, pro ſua autoritate in ædibus Epiſcopalibus, & Monaſteriis divertere; eorumque rebus pro arbitrio abuti. Iſaacus Comnenus anno 1057. primum Eccleſiaſticæ libertati favere, deinde Cœnobiorum prædia invadere cepit. Alexius Comnenus poſt annum 1082. vaſa ſacra, atque alia Eccleſiarum ornamenta aſportavit ad levandas Imperii neceſſitates. A Normannis victus, numinis iram agnovit, & metuit: ſeraque ductus pœnitentia ſancivit, *ne quis poſthac ſacra temere contrectet, etiamſi Cadmea neceſſitas urgeat.* Emanuel Comnenus poſt an. 1143.

Observationes in Italia.

In Portugallia.

In Hungaria.

In Germania.

In Oriente.

Ddd Im-

Digitized by Google

Immobilia Eccleſiis donari prohibuit, quem tamen revocata lege pœnituit. Anno 1453. capta eſt Conſtantinopolis, magnumque Orientis everſum Imperium. Ipſe Mahumedes II. Conſtantinopoli expugnata, *literas*

Phranze l.9.c.19. *dedit Patriarchæ cum ſubſcriptione autoritatis Regiæ, quibus illi a vexationibus cavit, rebellare vetuit, & quidquam tributi nomine ab eo exigi, vim a quopiam adverſario, & inimico adferri interdixit; ac, ut vectigalibus, & publicis contributionibus, ipſi, omneſque ſucceſſores, & ſubjecti Epiſcopi in perpetuum vacarent, mandavit*. Uſque adeo gens fera ignotam Reli-

Conclusio. gionem, & ſuos Sacerdotes provido numine colit. Dum hucuſque in facto hæſerimus, quid Principes ab initio uſque ad nos vel rite, vel non rite, quid Summi Pontifices, Concilia, nec non laudabiles conſuetudines de

Seſſ. XXV. 1563. c. 20. de Reformat. immunitate ſenſerint: cum Synodo Trid. concludamus. *Decernit itaque, & præcipit, Sacros Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non alias Apoſtolicas ſanctiones, in favorem Eccleſiaſticarum Perſonarum, libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus violatores editas, quæ omnia præſenti etiam Decreto innovat, exacte ab omnibus obſervari debere. Propter eaque admonet Imperatorem, Reges, Reſpublicas, Principes, & omnes, & ſingulos cujuſcunque ſtatus, & dignitatis extiterint, ut, quo largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eo ſanctius, quæ Eccleſiaſtici juris ſunt, tamquam Dei præcepta, ejuſque patrocinio tecta venerentur*. Quid laudabiles conſuetudines noſtris moribus ſentiant, a privatis, ubi degimus, locis, & conſcientioſis Magiſtratibus quæramus, oportet. Quod Imperatoris eſt, agat Imperator: quod Sacerdotis eſt, agat Sacerdos. Singuli vero tribuamus, quod Cæſaris eſt, Cæſari; quod Dei eſt, Deo.

DE IMMUNITATE LOCALI
SIVE DE JURE ASYLI
TITULUS XV.

REverentia, & pietas erga Religionem non minus Locis, quam Perſonis, & Rebus Eccleſiæ Immunitatem multam conceſſit,

Immunitas Localis. quæ Localis Immunitas conſiſtit in refugio, ut nemo vi ex locis ſacris extrahatur. Adigebantur quidem rei ad reparandum damnum, & ad ſubeundam moderatam pœnitentiam: non tradebantur poſtulantibus,

Civitates Refugii. Num. XXXV. Deuter. XIX. qui non juraſſent, vitam fore ſalvam, ſalva membra. In Lege Veteri Civitates Refugii pro homicidio involuntario conſtitutæ fuerunt. Nullum

Digitized by Google

lum locum, in quem virtus Dei altiſſimi deſcendit, neque Altare, neque Tabernaculum, neque Templum ſine ſumma veneratione memorant Sacræ Literæ. Apud Gentes, præſertim Græcas per Urbes crebreſcebat licentia, atque impunitas aſyla ſtatuendi. Aſylum autem primum Athenis ſibi conſtituerunt Herculis poſteri. *Complebantur templa*, ſcribit Tacitus, *peſſimis ſervitiorum. Eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur. Nec ullum ſatis validum imperium erat coercendis ſeditionibus populi, flagitia hominum, ut cæremonias Deum protegentis. Igitur placitum, ut mitterent Civitates jura, atque Legatos. Et quædam, quod falſo uſurpaverant, ſponte amiſere.* Contigit iſta res ſub Tiberio Imperatore. Apud Romanos ipſos, qui ad Flamines, & Veſtales confugerent, a verberibus, & vinculis liberabantur. Romulus nondum Urbem totam condiderat, jam Lucum, qui in proximo eſt, aſylum facit inter Palatinum, & Capitolinum Montem, quod patebat ſervis fugitivis, obæratis, & maleficis. *Dicebatur autem aſylum ab a privativo, & verbo συλάω, h. e. ſpolio; quia aliquem ibi ſpoliare, vel inde detrahere, nefas erat.*

Joſ. XX.

ASYLA APUD GENTES.

Annal. *l. 3. pag. 72. edit. Froben. 1533.*

Gottofred. *in not. ad l. 6. de Epiſcopali audientia.*

Nieuport *de Rit. Roman. ſect. 1. c. 1. §. 1. de Origine Romæ.*

In Lege Nova, quæ tamen perfectior eſt, deteriores facti erimus? Negat religio, negat pietas, quæ tota ſuadet, fragilitati humanæ ſuccurendum eſſe ad minuendam ſaltem, ſi non ad tollendam pœnam. Hoc habet jus aſyli, quod antiquiſſimum ſit. Multi adhuc de Jure Naturæ, aut Divino eſſe putant. Nos antiqua juris controverſia omiſſa, in facto conſiſtimus, quid Principes, quid Pontifices, quid laudabiles conſuetudines ab initio uſque ad nos probe ſenſerint. Ampliſſimum argumentum, quod tamen breviori calamo, quantum licet, conſtringimus.

ASYLA NOVÆ LEGIS.

Veriſimile eſt Conſtantinum, a quo omne bonum Eccleſiis derivavit, aſyli quoque autorem eſſe, quamvis nulla decreta, verum ſola exempla a Zoſimo, & Ammiano Marcellino ſuperſint. Fuit itaque conſuetudo ante latam aliam legem, quæ facile ſub piiſſimo Principe induci potuit. Quo amore Epiſcopos, quo honore Eccleſias proſequutus ſit, ab immenſis ſuis beneficiis arguere licet. Nihil magis cordi Epiſcopis, Clericis, Monachis fuit unquam, quam manſuetudo, & miſericordia non ſolum erga miſeros, verum etiam ergo delinquentes ipſos propter tempus converſionis: quia Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Nihil tam naturale, quam ut rei, aut miſeri, ſpe veniæ, & opis, ad Epiſcoporum genua, tamquam ad optimos Patronos convolaſſent, & ad communes Parentes, qui non tantum miſeris opem,

CONSTANTINUS PRÆSUMITUR AUTOR.

Ddd 2 ſed

ſed veniam reis impetrarent. Tantis precibus, tantiſque viris a bono Principe vix aliquid denegandum fuit. Conſule Binghamum ſalvis Eccleſiarum privilegiis. Extat ſanctio Honorii, & Theodoſii AA. Jovino PP, anno 414., *nemini licere ad Sacroſanctas Eccleſias confugientes abducere ſub pœna læſæ Majeſtatis*. Quam pœnam utique non incurrebant forte legitimi Magiſtratus, lictores, apparitores, qui juſſu Principis reos ligabant: ſed incurrebant creditores, aut ii, qui ad vindicandas privatas injurias præſumpſiſſent debitores, aut offenſores ſuos ad Eccleſiam confugientes ex ſacris locis abducere, atque obtorto collo in judicium trahere more Romano. Non fuit hæc prima lex pro juſto aſylo ſcripta. Præceſſit anno 392. religioſiſſimus Parens Magnus Theodoſius, qui publicæ juſtitiæ, & ſecuritati contra publicos tantum debitores plus, quam Eccleſiæ, & Epiſcoporum autoritati, atque indemnitati favet. *Publicos debitores, ſi confugiendum ad Eccleſias crediderint, aut illico extrahi de latebris oportebit, aut pro his ipſos, qui eos occultare probantur, Epiſcopos exigi. Sciat igitur præcellens auctoritas tua* (Romulus Com. S. L. is fuit) *neminem debitorum poſthac a Clericis defendendum, aut per eos, quem defendendum eſſe crediderint, debitum eſſe ſolvendum*. Hoc remedium fuit, ne in fraudem Imperialis, aut publici ærarii debitores publici ad Eccleſias impune confugiant, ſalvis debitoribus privatis, & aliis delinquentibus, quos Eccleſia defendere poterat abſque ſuo periculo, cum non fuerint comprehenſi ſub iſto edicto.

l. 8. pag. 352.

IMP. CONSTITUT. SERIES DE ASYLO. *l. 2. Cod. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt.*

PUBLICI DEBITORES ASYLO NON GAUDEBANT.

l. 1. Cod. Theod. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt.

Concordant anno 397. Arcadius, & Honorius AA. contra malignos Judæos, qui reatu aliquo, vel multis debitis fatigati ſimulabant ſe Chriſtianæ legi velle conjungi, ut confugientes ad Eccleſias vitare poſſint crimina, vel pondera debitorum. *Arceantur, nec ante ſuſcipiantur, quam debita univerſa reddiderint, vel fuerint innocentia demonſtrata purgati*. Quæ juſta lex anno ſequenti ad omnes rationibus obnoxios homines, qui fruſtra ad Eccleſias confugiunt, extenſa fuit. Theodoſius Jun., & Valentinianus III. anno 431. omne illud ſpatium, quod aliquo modo ad ipſam Eccleſiam ſpectat, quamvis domos, hortulos, balnea, areas, porticus includat, confugientibus deſignat immune, ne tamen in ipſo Templo cubare præſumant Refugiati. Armatos non tolerant pacificæ Eccleſiæ, non depoſitis armis. Non deponentes, quaſi ſeditionem molientes abſtrahi oportebit prævio Epiſcopi conſenſu. Anno ſequenti iidem Auguſti ſtatuerunt, ſervum armatum omnino ab Eccleſia abſtrahendum: inermem Domino ſuo reſtituendum poſt unum diem, impetrata tamen præ-

NEC JUDÆI.

l. 2. eod.

l. 3. eod.

l. 4. eod.

NEC ARMATI.

l. 6. eod.
l. 4. Cod. Juſtin. eod.

Digitized by Google

prævia peccatorum ſuorum indulgentia, *in honorem loci, & ejus reſpectu, ad cujus auxilium convolavit*. Marcianus anno 451. ſeditiones, tumultum, impetum in Sacroſanctis Eccleſiis, & aliis venerabilibus locis, in quibus vota competit celebrari, omnino vetuit, ultimo ſupplicio propoſito. Leo Marciani ſucceſſor anno 466. Aſyla Eccleſiarum ad omnia loca extendit, excepta ſola Urbe Conſtantinopolitana, ubi ſe præſentia Imperatoria ſemper proviſurum promittit. Non eſt, quod Juſtinianus antiquum aſylorum tollat jus. Explicat tamen anno 535. ad Tribonianum Quæſt. Sac. Palat. & Excoſ., quia *neque autem homicidis, neque adulteris, neque virginum raptoribus delinquentibus terminorum cuſtodies cautelam*, ideſt conſueta aſyla: *ſed etiam inde extrahes, & ſupplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, ſed hoc patientibus, ut non talia a præſumptoribus patiantur. Deinde Templorum cautela non nocentibus, ſed læſis datur a lege: & non erit poſſibile, utrumque tueri cautela ſacrorum locorum, & lædentem, & læſum*. Idem Juſtinianus reſcripſit ad Eccleſias Africæ, ut confugiens impunitatem habeat, niſi homicidium, aut raptum virginis, aut vim in Chriſtianum admiſerit. Utique contra Ethnicos aliquos ultima ſuperaddita fuit cautela.

l. 5. eod. NEC SEDITIOSI. *l. 6. eod.* *Novell.* XVII. *tit. 4. c. 7.* NEC HOMICIDÆ, NEC ADULTERI, NEC VIRGINUM RAPTORES. *Novell.* XXXVII. *de Eccleſ. Conſtitut. in Africa.* NEC ETHNICI VIM INFERENTES CHRISTIANO.

Hactenus nullus Epiſcopus controvertit, an Imperatoribus competeret jus condendarum legum de immunitate. Epiſcopi partes erant veniam exorandi pro reis, quas vero Ambroſius, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Martinus Cæſarodunenſis, Epiphanius Ticinenſis, Germanus Altiſiodorenſis, Theophilus Alexandrinus, Baſilius, & ſexcenti alii, paterno amore tacti, apud Principes, aut Provinciarum Præſides nunquam intermiſerunt. Tantum abeſt, ut imperio, aut minis uſi fuiſſent. Vidimus, quomodo primam forte occaſionem nacti ſint Judæi, qui ſub ſpecie amplectendi baptiſmatis ad Eccleſias confugere: deinde debitores, & quibuſcunque rationibus obnoxii, tandem quicunque ſceleſtiſſimi homines, ita ut Domus Dei fieret ſpelunca latronum. Quod cum tolerari nequiret, ita proviſum fuit, ut Eccleſiarum honori, Principum pietati, Epiſcoporum miſericordiæ tantum tribuatur, quantum læſorum indemnitati, publicæque ſecuritati non auferatur. Sane nihil tam Sanctum, quod humana perverſitate non violetur. Exciti aliquando, ſubornatique fuere ab avaro Judice Clerici, Monachique, ut reos ſibi ſecreta pecunia extorquerent, apertaque vi ad Eccleſias traherent. Eo deinceps hominum iſtorum audacia devenit, atque dementia, ut addictos ſupplicio, & pro immanitate criminum damnatos, per vim, atque per temerariam uſurpatio-

EPISCOPI MEDIATORES. OCCASIO AD ECCLESIAM CONFUGIENDI. ABUSUS.

Digitized by Google

pationem ſibi vindicarent. In hos ſeveram ultionem Arcadius, & Honorius anno 398. minantur, ab Epiſcopis non vindicantibus ſtrictam rationem exigentes, ita tamen, ut Epiſcopis ipſis in cauſa criminali, humanitatis conſideratione, ſi tempora ſuffragantur, interponendæ provocationis copiam non negarent. Quamobrem ſanctiſſime ſcribit Magnus Ambroſius: *Adjuvat hoc quoque ad profectum bonæ exiſtimationis, ſi de potentis manibus eripias inopem, de morte damnatum eruas, quantum ſine perturbatione fieri poteſt, ne videamur jactantiæ magis cauſa facere, quam miſericordiæ, & graviora inferre vulnera, dum levioribus mederi deſideramus.*

Offic. *l.* 2. *c.* 21.

QUANDO INCEPERIT ECCLESIA JUS DICERE DE ASYLO?

Antequam ad ſequentes ætates diſcurramus, operæ pretium erit, ut inveſtigemus, quondonam favente Principum aura Eccleſiaſticæ de aſylo inceperint leges. Dignum quidem fuit, ut non minori privilegio fruantur Chriſtianorum Eccleſiæ, quam Salomonis templum, aut Deorum fana, aut Principum ſtatuæ, aut potentum privatæ ædes. Juſtitia, atque æquitas hujus immunitatis naſci debuit cum Chriſtiana Religione, nec indiguit legibus. Habuit tandem ſuas leges, ut ſit modus propter ſcandala. Antiquiſſimi duo editi ſunt Canones in Concilio Arauſicano anno 441., ubi Patres utcunque citatis Principum reſcriptis inhæſerunt, *eos nempe, qui ad Eccleſiam confugerint, tradi non oportere, ſed Loci Sancti reverentia, & interceſſione defendi. Si quis autem mancipia Clericorum pro ſuis mancipiis ad Eccleſiam confugientibus crediderit occupanda, per omnes Eccleſias diſtrictiſſima damnatione feriatur.*

can. 5. *can.* 6.

Excommunicationem Bonifacii Comitis, quæ ſupponitur ab Auguſtino lata fuiſſe, quod hominem de Eccleſia rapuerit, in medium ferre non auſim: niſi majorem fidem Gratiano, quam modernis Criticis præſtemus, quibus citata epiſtola Auguſtinum non ſapit. Gratianus nullo Chronologiæ ordine ſervato Pium, Urbanum, Hyginum, Clementem, Anacletum de immunitatibus jus dicentes introducit, qui cum Siricium anteceſſerint, literas Anteſiricianas apud eruditos, ſuſpectæ fidei haberi, nemo neſcit. Gelaſius autem poſt annum 492. vult ab ingreſſu Eccleſiæ arceri eos, qui confugientes ad Eccleſiam per vim de Eccleſia rapiunt: ſervos autem Dominis ſuis reſtitui, præſtita cautione de non offendendo: idem cum reliquis confugientibus obſervari.

Cauſ. XVII. *q.* 4. *c.* 8.

c. 10. 11. *eod.*

c. 32. *eod.*

c. 33. *eod.*

Concilium Aurelianenſe anno 511. ſub Clodovæo convocatum, & ſub Chilperico concluſum, ni fallor, hæc habet: *De homicidis, adulteris, & furibus, ſi ad Eccleſiam confugerint, id conſtituimus obſervandum, quod Eccle-*

ECCLESIA NON RESTITUEBAT CONFUGAS, NISI MEMBRIS SALVIS. *c.* 36. *eod.*

Digitized by Google

Eccleſiaſtici Canones, & Lex Romana conſtituit, ut ab Eccleſiæ atriis, vel domo Epiſcopi eos abſtrahi omnino non liceat: ſed nec aliter conſignari, niſi ad Evangelia datis Sacramentis de morte, debilitate, & omni pœnarum genere ſint ſecuri; ita ut ei, cui reus fuerit criminoſus, de ſatisfactione conveniat. Perjurus a fidelium conſortio ſeparabatur. Nolens ſe componere, ſuo periculo amiſit reum, qui ſe fuga nova ſalvavit, quin ab Eccleſiæ Clericis quæri poſſit. Servus Domino reſtituebatur, præſtita cautione de non offendendo. Servum exire detrectantem, obtenta impunitate, licebat occupari a Domino. Concordat Synodus Epaonenſis an. 517., Aurelianenſis an. 541., & an. 549.; niſi quod licuerit Dominis ſervos radere, vel laboribus addicere: & quod pro Dominis Paganis Catholici eis neceſſitudine aliqua conjuncti jurare debuerint: *quia ipſi Chriſtiani poſſunt ſervare, quod ſacrum eſt, qui pro tranſgreſſione Eccleſiaſticam metuunt diſciplinam.* Secus extranei, qui nil metuunt.

can. 39. can. 21. & 24. can. 22.

In Matiſconenſi Synodo anno 585. graves inauditæ ſunt querelæ de violatoribus aſylorum, quæ reſtitui debuerunt ad priſtinum ſplendorem. *Si enim mundani Principes ſuis legibus cenſuerunt, ut, quicunque ad eorum ſtatuas fugit, illæſus habeatur, quanto magis hi permanere debent indemnizati, qui patrocinia immortalis Regni, & Cœleſtis adepti ſunt?* Addit Synodus Rhemenſis anno 625. *Ille vero, qui Sanctæ Eccleſiæ beneficio liberatur a morte, non prius egrediendi habeat libertatem, quam pœnitentiam ſe pro ſcelere eſſe facturum promittat, & quod ipſi canonice imponetur, impleturum.* Tanta fuit etiam ab initio manſuetudo Eccleſiæ, ut juxta Canonicam pœnitentiam anima cum corpore ſalva fiat. Hinc forſan derivavit mediæ ætatis diſciplina, ubi propter ſpatium commodæ pœnitentiæ jam pecuniariis mulctis redimebantur non raro capitalia ſupplicia. Cum enim Epiſcopis, & Clericis graviora aliquando judicia committerentur, mirum non eſt, quomodo tandem lenitas, atque indulgentia Matris Eccleſiæ vicerit duritiem, atque ſquallorem legum publicarum. Tunc ceptæ ſunt decerni non pœnæ necandis corporibus dictatæ, ſed pœnitentiæ perſanandis gravioribus animarum morbis temperatæ. Certe leges Hiſpanicæ, Burgundicæ, Alemannicæ, Bojoaricæ, aliæque hoc medio ævo pervulgatiſſimæ fidem faciunt multam hujus ſalutaris judiciorum publicorum converſionis. Cœterum in aſylo quoque Eccleſiaſticæ leges frequenter ſecularibus Principum ſanctionibus ſe conformaverunt. Pii Principes contemplatione Sanctiſſimorum Epiſcoporum, ubique Eccleſiarum privilegia augebant, reis veniam, templis honorem, cunctis ſolatium tribuentes,

can. 8.

can. 7.

ASYLO SERVATI CANONICÆ SUBDEBANTUR POENITENTIÆ.

ALIQUANDO CAPUT REDIMEBATUR MULCTA PECUNIARIA.

HARMONIA UTRIUSQUE POTESTATIS.

nemini

Digitized by Google

nemini jus ſuum pro æquo, & bono denegantes, quia juſtitia miſericordiæ ſemper prævaluit.

MANSUETUDO CAROLI M. Accedamus fortunata Caroli M. tempora, quando rariſſimæ capitales pœnæ pronunciabantur; & ipſi latrocinantes tantum poſt tertiam culpam, de quibus conclamatum eſſet, morte plectebantur: quia facili

Capitul. *l.* 5. *c.* 207. & *l.* 6. *c.* 379. Principi *melius videtur, ut, ſi aliquid inconſuetum, & capitale crimen commiſerint, in uno loco permaneant laborantes, & ſervientes, & pœnitentiam agentes, ſecundum quod ſibi canonice impoſitum ſit.* Unde autem *ſi quis ad*

l. 1. *c.* 134. *l.* 5. *c.* 93. *Eccleſiam confugium fecerit, in atrio ipſius Eccleſiæ pacem habeat, nec ſit ei neceſſum, Eccleſiam ingredi. Et nullus eum inde per vim abſtrahere præſumat. Sed liceat ei confiteri, quod fecit, & per manus bonorum hominum ad diſcuſſionem in publico producatur.* Religioſus Imperator non ſolum antiqua aſylorum privilegia cuncta confirmavit: verum etiam juſſit remotis

Du Cheſne *Tom.* II. *pag.* 86. exterorum deſertorum clientelis, *ut quilibet homo peccans, & interceſſione indigens, intra Regnum Domini ſui vel ad Loca Sancta, vel ad honoratos homines confugiat, & inde juſtam interceſſionem mereatur.* Alii per iſtos honoratos homines intelligunt ſolos Deo amabiles Epiſcopos, & Clericos,

Capitul. *l.* 5. *c.* 193. alii etiam Laicos potentiores. Mirum eſt, quod in ejus Capitulari an-

NOVA INCLEMENTIA. no 779. legatur ſententia non ſatis digna Carolo M., ſcilicet *ut homicidæ, & cæteri rei, qui legibus mori debent, ſi ad Eccleſiam confugerint, non*

l. 2. *t.* 40. *c.* 2. *excuſentur, neque eis ibidem victus detur.* Concordant leges Longobardorum. Sane Eccleſiarum venerationi non ſatis conſuluit Imperator, vel inedia famis cogantur rei potius exire, vel aperta vi extrahantur. Sed

EMENDATA. Capitul. *Tom.* I. *p.* 251. *c.* 2. pœnituit Imperatorem, qui in Saxonia anno 789. Eccleſiarum aſyla poſuit delinquentibus, donec ſalvis membris ſe in judicio ſiſtere debuerint.

Capitul. *l.* 1. *c.* 134. & *l.* 5. *c.* 93. Concordat locus ad annum 801., ubi ait: *Qui ad Eccleſiam confugium fecerit, in atrio ipſius Eccleſiæ pacem habeat, nec ſit ei neceſſe Eccleſiam ingredi; & nullus eum per vim abſtrahere præſumat: ſed liceat ei confiteri, quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad diſcuſſionem in publicum perducatur,* ſalvis tamen membris. Concordat Synodus Moguntinen-

can. 39. ſis: *Reum confugientem ad Eccleſiam nemo abſtrahere audeat, nec inde do-*

Capitul. *l.* 5. *c.* 155. *nare ad pœnam, vel ad mortem, ut honor Dei, & Sanctorum ejus conſervetur, ſed Rectores Eccleſiarum pacem, & vitam, ac membra ejus obtinere ſtudeant; tamen legitime componat, quod inique fecit.* Finis Eccleſiæ, & Principis idem ſemper fuit, ne plus lædenti, quam læſo tribuatur favo-

Capitul. *l.* 4. *c.* 1. *cap.* 1. *an.* 819. ris. Ludovicus P. anno 829. extendit legem, ut, *ſi quis ex levi cauſa, aut ſine cauſa hominem interfecerit, in Eccleſia de vita componat. Si in atrio; ſimili*

Digitized by Google

ſimili modo. Deinde interfector ſecundum judicium Canonicum, congruam facinoris, quod admiſit, accipiat pænitentiam. Sic loco pœnæ ordinariæ ſucceſſit longa tandem pœnitentia Canonica, qua durante ſæpe ſæpius ſibi, & peccato reus moriebatur. Et hodie multis in locis viget conſuetudo, ut habita partis læſæ condonatione, & depoſita multa pecuniaria interfector abſolvatur abſque ulla mediatione Eccleſiæ. Laudo manſuetudinem condonandi quaſcunque injurias. Metuo tantum, ne dicatur ſanguinem humanum pecunia redimi, & venalem fieri vindictam, ubi ſpes veniæ procliviorem animum facit ad perpetrandum venale crimen.

POTERAT INTERFECTOR DE VITA SE COMPONERE.

POTEST HODIE IN NONNULLIS LOCIS.

Plerumque eadem in Oriente, atque Occidente Diſciplina uſque ad annum milleſimum. Taraſius Patriarcha Conſtantinopolitanus creatus anno 784., non dedignatus fuit profugo debitori per plures dies, & non ſemel in die cibos adſerre ad Eccleſiam; imo ex templo deducere, & reducere, quoties neceſſe erat. Cum ſemel milites profugum vi abduxiſſent, Taraſius in Palatio non exoratus, anathema intorſit in omnes immunitatis ſacræ violatores, ſi quid moleſtiæ cauſarent ei, qui ad altaria ſe recepiſſet. Tunc profugus priſtinæ libertati fuit redditus. Iiſdem diebus Theodorus Studita pœnitentiam indicit Mariæ Spathariæ ob violatum Eccleſiæ aſylum hac lege: *Primum quidem tibi ipſi, ut legem ſtatuas, ne hoc facere ſtudeas amplius, etſi peſſum eant omnia. Deinde ut totam quadrageſimam a ſacris abſtineas, decies genua flectens ſingulis diebus, & quinquagies dicens: Domine, condona mihi hoc peccatum: Domine, propitius eſto mihi peccatrici. Similiterque: Domine, miſerere mei gratis. Tres quoque Pſalmos recites, præcipue VI., XXXXVII., & L. Atque ita Deus peccatum tibi, Domina, remittet. Quod ſi etiam ſuppetit facultas, quadraginta argenteos da pauperibus.* A Cedreno narratur Theophilum Imp. poſt annum 829., filiæ ſuæ tumulum eodem decorari voluiſſe aſylorum jure ad reorum relaxationem. Quanto magis Eccleſiæ favendum erat? Qui aſylo Eccleſiæ ob atrocitatem facinorum excludebantur, non diſſimilem & apud tumulum Auguſtæ natæ experiebantur repulſam. Uſque adeo in ſuis mutuis beneficiis certabant Principes, & Eccleſia, quæ nunquam debuit non eſſe grata.

DISCIPLINA ORIENTIS. Surius 25. *Feb. c. 26. 27.*

l. 2. epiſt. 202. edit. Venet. apud Sirmond. *tom.* V.

pag. 429.

Poſt tantam Principum ſuavitatem mira res non eſt, Conciliorum Canones, aut Epiſcoporum Regulas, nec non Romanorum Pontificum placita eo ſe extendiſſe, ut jam nulli pene fines, contentiones plurimæ inter Sacerdotium, & Imperium invenirentur, ne dicam ſcandala, quæ, quaſi neceſſe fuit, ut evenirent. Nicolaus II. nova fiducia plenus circa

IMMUNITAS ASYLI AMPLIATA.

Cauſ. XVII. *q. 4. c. 6.*

Digitized by Google

annum 1059. aſſignat majori Eccleſiæ quadraginta paſſus, minori Eccleſiæ, aut Capellæ triginta. *Qui autem confinia earum confringere tentaverit, aut perſonam hominis, vel bona ejus inde ſubtraxerit, (niſi publicus latro fuerit) quouſque emendet, &c., quod rapuerit, reddat, excommunicetur.* Synodus Coyacenſis anno 1050. meminerat paſſuum triginta. In Synodo Claromontana anno 1095. extenſa fuit aſyli immunitas ad cruces in via publica defixas. *Si quis ad aliquam crucem in via perſequentibus inimicis confugerit, liber, ac ſi in ipſa Eccleſia, permaneat.* Imo quaſi anſa fieret meditandi delicti, *quod ſi quis pro ſecuritate Eccleſiæ, vel prædictæ crucis aliquod crimen peregerit, & ad Eccleſiam, vel crucem confugerit, accepta ſecuritate vitæ & membrorum, reddatur juſtitiæ.* In Synodo Rhemenſi anno 1130. legitur: *In eos, qui ad Eccleſiam, vel Cæmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod ſi fecerit, excommunicetur.* In Synodo Londinenſi anno 1143. propter neglectam forte immunitatem, *Generaliter conſtitutum eſt, ut, qui Eccleſiam, Cæmeteriumque violaverit, vel in Clerico, aut viro Religioſo manus injecerit violentas, ne ab alio, quam ab ipſo Papa, poſſit abſolvi.* Innocentius III. poſt annum 1199. reſcribit illuſtri Regi Scotiæ, hominem liberum, nonniſi ſalvis membris ab Eccleſia extrahi poſſe. *Super hoc tamen, quod inique fecit, eſt alias legitime puniendus.* Reſcribit ſervum obtenta impunitate Domino ſuo reſtitui debere: publicis vero latronibus, nocturnis agrorum depopulatoribus nullum aſylum ſuffragari, qui impunitate non præſtita juxta Canonicas ſanctiones ab Eccleſia extrahi poſſint. Juxta Gregorium IX. poſt annum 1227. *Eccleſiæ, in qua divina myſteria celebrantur, licet adhuc non extiterit conſecrata, nullo jure privilegium adimitur: quia obſequiis divinis dedicata, nullius eſt temerariis auſibus profananda.* Secus, qui ſub ſpe immunitatis in ipſis Eccleſiis, aut cæmeteriis homicidia, aut mutilationes patraverit. Hic ſe facit aſylo indignum, & fruſtra legis auxilium invocat, qui committit in legem. Synodus Lambethana an. 1261. excommunicat prohibentes, ne quid cibi inferretur iis, qui ad Eccleſias, & cæmeteria confugerant; qui inde egredientes interciperent; aut qui vias inſiderent ad injiciendas manus, quando fuga longiori aſylantes ſe ſalvare tentarent. Synodus Bituricenſis an. 1279. excommunicat eos ſacrilegos, qui profugos reos vel mactarent, vel mutilarent, vel vi ab Eccleſia abſtraherent. Synodus Nemauſenſis an. 1284. Xenodochia, & quaſcunque Religioſas Domos aſylo annumeravit ad tutelam tum hominum, tum rerum depoſitarum, exceptis publicis latronibus, atque aliis illectis ad patrandum crimen temeraria ſpe aſyli. In

can. 29. can. 30. can. 14. c. 6. de Immunit. c. 9. eod. c. 10. eod.

Digitized by Google

In Anglia poſt annum milleſimum autor immunitatis videtur fuiſſe S. Eduardus Rex, quam confirmavit VVilhelmus Conquæſtor, ab eodem deſignatus in ſucceſſorem : ut nempe, *ex quo reus atrium Eccleſiæ tenuerit, ſi domum Sacerdotis, vel Curiam ejus intraverit, eandem ſecuritatem, & pacem habeat, quam & apud Eccleſiam.* Concordat Londinenſis Synodus an. 1142., Lambethana an. 1261., Comitia Cleri an. 1316. Agnovit olim aſyli privilegium Henricus III., cum non recuſaſſet Epiſcopis, ut libertati reſtitueretur vinctus, qui carceribus elapſus, ad Eccleſiam profugus, inde vi abreptus, ſuoque carceri redditus fuerat. Mox tamen mutato in pejus conſilio, retractato beneficio, juſſit Eccleſiam more hoſtili circumvallari, vinctumque miſera inedia mori. Succeſſoribus ſanctiſſima fuit immunitas ; abuſus non ferendi, quos ad inſtantiam Henrici VII. anno 1488. correxit Innocentius VIII. ſpeciali Bulla, ita ut committentes in ſpem aſyli, privilegio priventur. Debitores extrahantur : ſecus rei læſæ Majeſtatis, qui tamen ſub oculis Regiorum Satellitum cuſtodiantur. Julius II. anno 1504. declaravit in Anglia reos læſæ Majeſtatis, homicidas, deprædatores vi abſtrahi ab Eccleſiis debere.

IMMUNITAS IN ANGLIA.

Matth. Pariſ. *ad annum* 1233.

Fleury Hiſt. Eccl. *l.* 116. *n.* 93. 94.

Rainald. *n.* 35.

In Hiſpania juxta leges Viſigothas occiſor tradebatur cognatis occiſi, in Eccleſiam profugus, *ut, excepto mortis periculo, quidquid de eo facere voluerint, licentiam habeant.* Cœterum immunitatem aſyli multam fuiſſe ex eo maxime patet, quod an. 1459. Henricus Caſtellæ Rex ad Pium II. graves tulerit querelas de perpetuis inter Epiſcopos, & Magiſtratus Civiles diſſidiis. Delegatus a Pontifice fuit Archiepiſcopus Hiſpalenſis, qui cognoſceret præſertim ſuper cenſuris hac occaſione latis.

IMMUNITAS IN HISPANIA.

Rainald. *n.* 25.

In Germania Saxonibus petentibus anno 1447. Nicolaus V. reſpondit, latrones publicos immunitatis ſpe deſtitui : aſylo tamen pari frui domum Parochi, & circumjacentem aream, quæ juxta veterem Nicolai II. definitionem ſita foret intra quadraginta paſſus majoris Eccleſiæ, intra triginta paſſus minoris Eccleſiæ. In Synodo Colonienſi anno 1336. conceſſum eſt, ut ab altaribus ipſis abriperentur latrones publici, voluntarii homicidæ, & qui improba ſpe ipſius immunitatis Eccleſias, & ſepulchreta facinoribus ſuis contaminarent ; denique quicunque in pacem, & incolumitatem publicam machinati quid eſſent : ne tamen eos corriperet Judex Civilis, niſi re ſerio perpenſa cum officiali Epiſcopi.

IMMUNITAS IN GERMANIA. Rainald. *n.* 28.

cap. 20. *pag.* 9.

Statuta Polonica ad annum 1543. deſignant eos non potiri jure aſyli, qui per Canones, & Leges excipiuntur. Idem & videtur in vicina Hungaria obſervari.

IMMUNITAS IN POLONIA, ET HUNGARIA.

Digitized by Google

IMMUNITAS IN GALLIA.

In Gallia ſumma viguit olim reverentia aſylorum. Martinus IV. anno 1281. Epiſcopos Gallos omnes commonuit, tuitione, atque aſylo Eccleſiæ abjiciendos eſſe hæreticos, atque apoſtatas, quanquam ad aras confugiſſent. Cardinalis Tuttavillenſis in Gallia Legatus anno 1453. decrevit, profugis ad aſylum ſalvam vitam, & membra eſſe debere, niſi ſint publici latrones, viarumque infeſtatores, vel qui cædes in Eccleſia perpetraſſent, deteſtabili Eccleſiaſticæ immunitatis fiducia. Poſt Edictum Franciſci I. Regis anno 1539. ſolent delinquentes, & debitores in Eccleſia libere capi, ſalvo jure redintegrandi, ſi recte confugerint rei. Hanc poteſtatem reos ab Eccleſia divellendi, non expectato Judicis Eccleſiaſtici conſenſu, Civiles Judices impune ſibi arrogaverunt. Cuſtodiam, & cognitionem cauſæ, abſque interventu Judicis Eccleſiaſtici, jam Laici quaſi ſui juris fecerunt, quæ cuſtodia, & cognitio indubitanter ſpectaret ad Judicem Eccleſiaſticum. Cauſa cognita, nulli jam redintegrantur, nulli remittuntur aſylo ſuo rei. Ex quibus manifeſte conſtat, quod Edicto citato, vel adverſa interpretatione, labefactata, atque everſa ſint omnia ferme Galliarum aſyla.

Rainal. *n.* 22.

Rebuff. *in Tract. Immunit. Eccleſ. Tom.* II.

IMMUNITAS IN ITALIA.

In Italia communiter vix non ad literam obſervatur celebris an. 1590. Bulla Gregorii XIV. de Immunitate Eccleſiæ, quæ incipit: CUM ALIAS NONNULLI. Juxta hanc Conſtitutionem Judex Secularis propter reum vi extractum ab Eccleſia committit ſacrilegium; & niſi profugum Eccleſiæ ſpoliatæ reſtituat, excommunicationem incurrit. In illis Italiæ Provinciis, quæ non ſunt ſtatus Eccleſiæ Romanæ, non una accidit contentio perículoſa. In partibus Ultramontanis, quas vocant Itali, probant multi citatam Conſtitutionem, alii quaſi rejiciunt, tamquam vel non receptam, vel non publicatam.

EPILOGUS.

Vidimus, quas ſibi partes in aſylo Principes, quas Epiſcopi, & Summi Pontifices ab antiquo vindicaverint. Conſuetudines varias quotidie diſcimus. Breviter repetam, quæ loca, qui profugi, quæ delicta aſylo excuſentur, quantum communis Canoniſtarum fert opinio. Loca ſunt Eccleſia ſaltem benedicta, licet nondum conſecrata, in qua tamen divina ſint celebrata. Nihil hic refert, an ſit interdicta, & polluta, quia Eccleſia non peccavit. Nomine autem Eccleſiæ venit quodcunque ſpatium vere ad Eccleſiam ipſam pertinens, veluti ſacriſtia, tectum, porticus, atrium, ſcalæ, portæ, cæmeteria. Paſſuum immunitas circa Eccleſias nec facile in uſu eſt, nec in uſum deducenda. Quæſo, in tanta frequentia Eccleſiarum, aliarumque Religioſarum habitationum, nonne impune poſ-

QUÆ LOCA ASYLO SUBJACEANT?

Digitized by Google

poſſent hodie integræ Civitates intra quadraginta, & quadraginta paſſus perluſtrari? Nomine Eccleſiæ veniunt Oratoria publica, quamvis Covarruvias teſtatus ſit, Epiſcopos alios noluiſſe, ut aliæ Eccleſiæ aſylo fruantur, niſi in quibus continuo Sanctiſſimum Sacramentum aſſervetur. Non accedam. Domus inſuper Epiſcopi potitur aſylo. Item Domus Cardinalium. Fagnanus hanc conſuetudinem extra Urbem tantum admitti putat, non in Urbe. Sic ſcripſit Julius III. poſt annum 1550., quando Franchitias in Urbe præjudicioſas ſuſtulit. Sic Hadrianus VI. jam pridem anno 1522. Cardinalium Domos aſylo privavit partim precibus, partim juſſis. Non deſunt, qui falſo negant, Domos Cardinalium etiam extra Urbem privari immunitate, qui nec Epiſcoporum Reſidentiis, nec Parochorum ædibus parcunt. Hi minus favent crucibus, columnis, & ſtationibus in via poſitis. Gregorius XIV. diſertis verbis vetat, ne quis præſumat hominem avellere *ab Eccleſiis, Monaſteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, locisve Sacris, aut Religioſis*. Laudabiles conſuetudines locorum majorem controverſiis exortis, aut exorituris lucem afferunt. Utinam Deus, & Juſtitia nunquam lædatur, nunquam læſa fuiſſet. Redit ſermo, qui profugi fruantur aſylo? Optimam regulam ſuppetit Bulla Gregoriana, quæ Canones antiquos, & novos videtur coacervaſſe. Cœterum profugi omnes aſylo frui debent, quos aut Jus ſcriptum, aut legitima conſuetudo non excludit. Communiter excluduntur, *ſi fuerint publici latrones, viarumque graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidiis aggrediuntur: aut depopulatores agrorum: aut qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſiis, earumve cæmeteriis committere non verentur: aut aſſaſſini: aut qui proditorie proximum ſuum occiderint: aut læſæ Majeſtatis in perſonam ipſiuſmet Principis rei*. Excluduntur fraudulenti Decoctores, qui, cum ſint ſolvendo, creditores fraudant ſuos, atque alieno ære injuſtiſſime ditantur, pejores publicis latronibus, a quibus homo cavet. Excluduntur complices, non ſecus ac ipſi ſicarii: Hæretici in materia hæreſis tantum: Hebræi, atque Infideles, niſi Baptiſmum ſerio petant: Delinquentes in ipſa Eccleſia, aut ſub ſpe aſyli, & fiducia, ut neque peccans in una Eccleſia, in alia defendatur. Uno verbo, multis videtur omne atrox facinus ab aſylo excipi, quia in Exodo ſcriptum eſt: *ſi quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*; quemadmodum Joab a Banaja in Tabernaculo ad altare, juſſu Salomonis Regis occiſus eſt, vel quia is Abner, & Amaſam

ad c. 9. de Immunit. Eccleſ.

Rainal. *n.* 17.

QUI PROFUGI, ET QUÆ DELICTA?

Fagnan. *ad c. 6. de Immunit. Eccleſ.*

Exod. XXI. 14.

III. Reg. II.

Digitized by Google

ſam occiderat, vel quia recens poſt Adoniam contra Regem declinaſ-
IV. Reg. XI. ſet. Athalia, Jojadæ Sacerdotis mandato, extra ſepta Templi divulſa,
QUÆ SINT ATROCIORA CRIMINA? & interfecta eſt. Inter atrociora facinora vix dubitari poteſt cadere crimen parricidii, læſæ Majeſtatis, & perduellionis, vel contra graviſſimam ſtatus rationem, vel contra fidem publicam commiſſum ſcelus, ut ſunt
AN EXCUSENTUR EXULES, ET DAMNATI AD LABORES PUBLICOS? falſarii monetarum, & literarum. Exilio mulctati in Eccleſiis non tolerantur, qui patriam, & communitatem amiſerunt, cujus ſocietatis dulciſſimæ pars ingens ſunt Eccleſiæ. Ad triremes, vel ad labores publicos damnati non facile in Eccleſiis tolerantur, quia videtur Jus aſyli eos ſuſcipere profugos, qui non ſunt damnati, non autem eos, qui jam damnati ſunt per ſententiam Judicis: neque aliter Reſpublica componitur, niſi reſtituantur.

AN CONFUGIENS AD EUCHARISTIAM? Confugiens ad Euchariſtiam, dum portatur in via, ſumma gaudet immunitate, & per Eccleſiam eſt defendendus: & hoc teneas, quidquid irreligioſi homines contrarium ſuadeant. *Si Templum Dei Sanctum*
In Gloſſ. *Tit. quomodo Divinum Officium ſit celebr.* *eſt, (legitur in ſanctione Pragmatica Gallicana) quanto ſanctior ipſe Deus?... ſi vero homicidis, vel latronibus in captivitate pænitentibus portatur Corpus Chriſti, talibus non ſubvenitur, ut a carcere liberentur, licet illa die juſtitia*
HORRENDUM FACINUS RECENS. *ſit differenda*. Contigit in hanc rem horrendum facinus ab ignaris præſidiariis militibus patratum Jaurini anno 1729. Transfugam avellerunt ſocium e manibus Sacerdotis, divinam Hoſtiam in ſupplicatione geſtantis, Sacerdote dejecto, Hoſtia ipſa inter furentium tumultus conculcata. Gaudebant aſylo olim fana, & delubra Deorum, ſtatuæ, & ſepulchra Principum. Gaudent hodie Templa, & Palatia multa. Verus, & vivus Deus reum tunc non ſalvavit, ideſt ejus honori, & conſpectui non peper-
CÆSARIS PIETAS. cerunt ſacrilegi homines. Reparanda venit injuria. Reparavit pius Cæſar. Criminoſos damnavit ad mortem, quorum miſeram vitam petenti Eccleſiæ donavit. Ad ſempiternam Facti reparati memoriam, Columnam cum Inſcriptione extrui juſſit: quæ Inſcriptio, ut accidere ſolet, cum non omnibus placeret ſatis, poſtquam inſculpta fuiſſet, ſequentem pro amicis rogantibus Inſcriptionem ſubſtitui. Hæc quamvis nulli lapidi impoſita inſpiciatur, forte aliquo lapide digna, ſaltem juxta facilem amicorum opinionem viſa eſt.

OB.

Digitized by Google

OB. CONCULCATAM. DIVINAM. HOSTIAM.
EXPIATO. SCELERE.
RESTITUTO. HONORE.
PLACANDO. NUMINI.
CAROLUS. SEXTUS.
RELIGIONIS. SERVATOR. ET. VINDEX.
HANC. ARAM. POSUIT.
ANNO. MDCCXXXI.

AN DESERTORES MILITES?

Redeo. Deſertores Milites defendit Eccleſia, & propter iſtos magna incommoda non raro patitur innocens Eccleſia. Multas, & magnas rationes adducunt pro tranquillitate publica militum Præfecti, & Duces. Non poſſumus contra. Nos legem habemus: habent illi ſuam. Nos profugos nullos ab aſylo communiter excludimus, niſi quos imprimis Conſtitutio Gregoriana excluſit. Cum autem deſertores non ſint excluſi a Gregorio XIV., quomodo nos contra legem Eccleſiæ ab aſylo communi excludere poſſumus iſtos deſertores? Unum eſt, quod non levem nobis injuriam impune cauſant militares Præpoſiti. Vel enim deſertores milites juxta diſciplinam Caſtrenſem gaudent aſylo, vel non. Quod ſi gaudeant, cur Eccleſias, & Domos noſtras militari obſidione cingunt? cur ingreſſus, aut egreſſus vetant? cur eadem ſontis, atque inſontis cuſtodia, & pœna? Quod ſi contra non gaudeant, cur non utuntur jure ſuo? cur non intrant armis? cur non extrahunt ipſi reos, quos ſui faciunt juris? Ecquando Epiſcopi, aut Clerici fuerunt civilis, aut criminalis Magiſtratus lictores, apparitores, atque ſatellites? Paucis: quod illi fortaſſis jure fieri poſſe putant, hoc non faciunt: quod nos jure fieri non poſſe ſcimus, hoc a nobis non ſine bonorum ſcandalo petunt. Utinam per eos, ad quos de Jure pertinet, litis, & damnorum fieret finis.

AN CLERICI, ET RELIGIOSI?

Clerici tandem, & Religioſi ſuis Superioribus quocunque in loco ſubſunt, nullo ſe aſylo tutantur, qui alias in Eccleſiaſticis Domibus, & Monaſteriis degentes impune delinquerent. Accidit, quod nec ſuſpicio mortis, vel mutilationis hic ſit: *& ſuper hoc tamen, quod* aliquis *inique fecit, ſit alias legitime puniendus*. Accedit pariter, *aſyla legibus divinis conſtituta Veteris Teſtamenti, & civilibus Paganorum conſtitutionibus, ad unam ſpectaſſe ſcelerum impunitatem, mortiſque reorum abolitionem. Non eum autem ſibi Eccleſia ſcopum proponebat in aſylis ſuis tuendis. Mortalis enim hominis, aliquando tandem interituri mortem differre, humanitatis eſt illud quidem inculpate,*

Thomaſſinus p.2.l.3.c.100.n.9.

patæ, nec illaudatæ. At oculi mortalium fide Chriſti ſemel illuminati, & charitatis Chriſtianæ inſtinctu non in his hærent: ulterius, altiuſque ſpirant aliquid: ad beatiſſimæ vitæ immortalitatem cæleſtem aſpirant. Ea, qua ſe Eccleſia induebat, cura prorogandæ reorum vitæ, ad aras confugientium, ad otium ſpectabat feriæ, canonicæque pœnitentiæ conſequendam, cui ſe ipſo in Eccleſiam ſuo ingreſſu mancipabant. Quanto magis delinquentes Clerici, aut Religioſi a ſuis Epiſcopis, aut Superioribus ad pœnitentiam converti debent, quin nimis prompta, & facilis immunitas eos ſubtrahat ab emendatione vitæ, aut in perditionem ultimam perducat. Quod

JUSTA CAUTELA. ſi adhuc dubium permaneat, an gaudeat aſylo criminoſus, an delictum ſit atrox, ac enorme, tunc Canones, Jura, conſuetudines, circumſtantiæ, pericula, cuncta conſulantur, quidquid Deus, & Juſtitia ejus exigat, cui ſtrictam rationem de commiſſis, & omiſſis reddituri ſumus. Summa enim Religio eſt, neminem lædere, & jus ſuum unicuique tribuere.

MODUS PROCEDENDI CUM PROFUGO. Supereſt modum procedendi examinare. Sane quem ſuggerit Gregorius XIV., nec in ditione Eccleſiæ Romanæ ſervant forte totum Judices Laici. Vult enim quemcumque graviſſimi ſceleris reum, nonniſi cum Epiſcopi facultate, & præſente ſpeciali Epiſcopali Deputato, ab Eccleſia divelli, in carcere Epiſcopali cuſtodiri, Epiſcopum ſuper qualitate criminis cognoſcere, demum ſeculari brachio tradere: excepto tamen caſu, *quo ipſe Epiſcopus, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitæ illos in delictis ibi expreſſis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & aſſiſtere recuſaverint: tuncque reverentiæ Eccleſiæ, & locis Sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, ſcandalo, & tumultu extrahere curent.*

MUTATI MORES. Ab initio non ſemper fuit ſic, quando Principis erat indulgere, Epiſcopi impetrare. Civiles Judices fruſtra malunt priores revocare mores. Dignitas Eccleſiæ non finit, tenax ſui juris pro æquo & bono. In omni eventu manſuetudinem noſtram omnino decet, ut confugientium reorum vitam, & membra ſervemus, juramentum exigentes ſuper hac impunitate. Placet mihi præ reliquis, ut in quocunque delinquente tradendo,

UTILIS PROTESTATIO. niſi Judicis juramentum obtineamus, ſaltem proteſtemur, reum per nos non alia conditione tradi, quam ſalva vita, & ſalvis membris. Non

OPINIO REJECTA. deſunt, qui docent, reum, qui Eccleſiaſtica immunitate non gaudet, abduci poſſe propria Judicis Secularis authoritate, abſque nova Epiſcopi licentia, cum hæc præſumatur, quando negari non debeat. Nos

nihil

Digitized by Google

nihil tale fieri poſſe probamus contra manifeſtam Gregorianæ Conſtitutionis declarationem. Pœnæ in jure variæ ſunt adverſus eos, qui confugientes ab aſylo injuſte abripiunt. Ultimum ſupplicium minantur Imperatores. Nunquam legi, violatores aſylorum ſubiiſſe pœnam capitalem. Canones ſtatuunt mulctam pecuniariam, pœnitentiam publicam, vetitum Eccleſiæ ingreſſum, excommunicationem, niſi emendatio ſuccedat. Concordat ſatis Gregorius XIV. in citata Bulla an. 1591., quam Benedictus XIII. in Conc. Rom. an. 1725. nova Conſtitutione, quæ incipit EX QUO &c. non tantum confirmavit, ac renovavit, verum etiam ampliavit, ac declaravit præciſe, privari ejuſdem Immunitatis privilegio *interficientes proximum ſuum animo præmeditato, ac deliberato*. Hodierna igitur Diſciplina vix aliam, præter arbitrariam pœnam admittit. Excommunicationem declarare, ubi non ſit ſpes emendationis, non facile ſuadeo, ne contemnatur. Abſolutio ſaltem ad Ordinarium ſpectat, quia ejus eſt ſolvere, cujus fuit ligare. Quæ non ſolum in iſto, verum etiam in antecedentibus Libris ſcripta fuerunt, de his judicet Sancta Catholica Apoſtolica Romana Eccleſia.

POENÆ VIOLATI ASYLI. Cod. Theod. *de his, qui ad Eccleſ. confugiunt.*

PROPOSITUM AUTORIS.

LIBRI TERTII FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM
JURIS PONTIFICII
LIBER QUARTUS
DE
BENEFICIIS
ECCLESIASTICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM JURIS PONTIFICII

LIBER QUARTUS

DE ORIGINE BENEFICIORUM

TITULUS I.

PRimus Liber inſcribitur de Perſonis Eccleſiæ, alter de Sacramentis, ſequens de Rebus Eccleſiaſticis, præſens de Beneficiis Eccleſiaſticis, ultimus de Jurisdictione Eccleſiæ. Priusquam progrediamur, Beneficiorum origines attingamus, quæ vix hodie poſſunt diſcerni. Habent hoc humanæ res, ut nullæ ſtabiles ſint. Nihil in iis firmum, conſtansque eſt. Novam aſſumunt faciem; ipſi mutamur in illis. Utinam inevitabiles mutationes iſtæ formas non aſſumant deteriores, corruptis veteribus. Revertentibus nobis ad primœva Apoſtolorum tempora, *quotquot enim poſſeſſores agrorum, & domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant: & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebantur autem ſingulis, prout cuique opus erat.* Sic fecit Joſeph, poſtea cognominatus Barnabas. Væ illis, qui fraudarent de pretio, ſicut Ananias, & Saphira. Hi repentina morte tacti ſunt. Jam ante Conſtantinum M. Eccleſia fundos poſſidebat. Poſt Conſtantinum usque ad Carolum M., qui cum Succeſſoribus ſuis poſſeſſiones antiquas mirum in modum auxit, jam in immenſum creverant Eccleſiaſticorum hominum bona, ab initio ab Epiſcopis ſolis, poſtea a Diaconis, Hypodiaconis, atque aliis Oeconomis adminiſtrata. Tanta rerum copia novos adminiſtrandi modos poſtulabat. Hinc exciſa fuit portio fundorum, & agrorum, quæ uni credita in uſumfructum, & adminiſtrationem, alteri cedebat, uſufructuario adminiſtratore defuncto. Hæc vera Beneficiorum cauſa, quæ Clericis benemeritis diſtribuebantur ab Epiſcopis, non ſecus ac Prædia a Principibus conceſſa viris nobilibus, aut militaribus ob eorum merita. Itaque apud Thomaſſinum *ea proprie beneficia dicebantur eo ſenſu, quo ea vox uſurpatur apud Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores. Agri erant, & prædia, quibus ab Imperatore Duces, militeſque donabantur, ut ſuo deinceps ſumptu ſtipendia facerent. Ubi agros, & fundos Eccleſiæ Laici uſurparunt, eoſque illis Princeps, & Eccleſia ipſa fruendos conceſſit eadem conditione merendi, & ſtipendia faciendi ad Regni, & Eccleſiæ tuitionem, ea dici tum*

cepere

Diviſio operis. (beside line 1)

Primæva tempora. *Act.* IV. 34. (beside "Revertentibus nobis ad primœva Apoſtolorum")

Ibid. V. (beside "Jam ante")

Portio exciſa. (beside "Hinc exciſa fuit portio fundorum")

Diſcipl. Eccleſ. p. 2. *l.* 3. *c.* 13. *n.* 5. (beside "Itaque apud Thomaſſinum")

cepere Beneficia. Poſtquam denique ab Imperatoribus, & Regibus illi ipſi agri Eccleſiarum Laicis adempti, Clericis, Monachiſque reſtitui cepere, inhæſit his uſque ea vox Beneficii, quæ & deinceps latius patere cepit, omnes prorſus titulos, & dignitates ſive Regularium, ſive Secularium complexa. Hæc nova Beneficiorum cauſa, ubi Beneficia quaſi Feuda diceres, Beneficiatos quaſi Vaſſallos. Horum autem Beneficiorum aliam Epocham definire nequeo; niſi quam opulentiſſimam Eccleſiaſticorum bonorum induxi congeriem, Conſtantini M. inter, & Caroli M. pinguiſſima tempora. Meminit Beneficiorum ſub finem Seculi Quinti Symmachus P., meminit Synodus Aurelianenſis an. 511. Alia dividendorum bonorum cauſa fuit, ut ceſſent continuæ contentiones inter Oeconomos, & reliquos Clericos. Forte primi fuerunt Presbyteri, qui oblationes Eccleſiarum ſuarum non amplius ad Epiſcopos detulerunt, ſed inter ſe hac occaſione diviſerunt. Hinc reliqui Clerici non ſunt veriti petere, ut pro bono pacis & ſibi fiant diviſiones, vel beneficia. *Cum vero* (quantum obſervat Van Eſpen) *incommodum videretur, quod moriente Presbytero ſucceſſor ejus Jus percipiendi proventus ab Epiſcopo, ejuſque quaſi liberalitate recipere denuo deberet, ceperunt ſingulæ Eccleſiæ jus percipiendi proventus, intra limites ſuarum Eccleſiarum ſuis Presbyteris, independenter ab Epiſcopis, vindicare; invaluitque tandem Juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, aliosque proventus. Jus itaque fructus percipiendi jam non perſonis, ſed Eccleſiis, ſeu titulis annecti cepit, ita ut, qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis conſequeretur: quæ diſciplina tandem univerſaliter obtinuit, & recepta fuit. Hinc ulterius factum eſt, ut ipſe titulus tandem nomen Beneficii fere obtinuerit; tum quod illo obtento ipſum jus percipiendi proventus, tamquam annexum obtineatur: tum quod Eccleſiaſticum officium, ſive miniſterium, tamquam principale, jus vero percipiendi proventus, ut minus principale, & acceſſorium conſiderari, & reputari debeat.* Unde annexi ſunt fructus, ſeu *Beneficium datur propter officium*. Conſiſtit iſtud aliquando in levioribus oneribus, puta aliquot Miſſas celebrandi, Hoſpitalitatem exercendi, pueros inſtruendi, quemadmodum Fundatori placuit. Mens enim Fundatoris legitima auctoritate approbata, & acceptata, nec non in uſum deducta imprimis eſt attendenda; potiſſimum vero in materia Beneficiaria, tam quoad onera, quam quoad concomitantes qualitates ultimus ſtatus obſervari debet pro poſſeſſione, donec de veritate aliter conſtet. Quod de legitima auctoritate additur, ideo additum eſt, quia non ſufficit fundare Beneficium: ſed

ORIGO BENEFICIORUM.

Cauſ. XVI. *q.* 1. *c.* 61. *can.* 23.

ALIA CAUSA.

Jur. Eccleſ. *p.* 2. *t.* 18. *c.* 1. *n.* 11. 12.

c. fin. de reſcriptis in 6.

ONERA SUBINDE.

ſed debet acceptari imprimis ab Epiſcopo, nec ante ejus ſolemnem acceptationem verum Beneficium nuncupari poteſt: non ſecus ac donum, quod accipit complementum ab acceptatione donatarii; & quilibet contractus perfectionem ſumit a mutuo partium conſenſu.

Vicissitudines Personatuum.

Priuſquam tranſeamus ad diviſiones Beneficiorum, verbum facimus de dignitatibus, & perſonatibus, quæ præeminentiam ſemper habent, juriſdictionem aliquando. Donec vita communis vigeret, officia erant manualia, nutuque vel Superioris, vel Communitatis amovibilia. Deficiente communi dormitorio, & victu, manſit titulus cum juriſdictione. Unde ortæ ſunt dignitates ipſæ in Capitulis. Nonnunquam defecit communitas. Stetit caput truncum ſine membris. Duravit dignitas ipſa ſine juriſdictione, cum non amplius exiſterent, in quos exercenda juriſdictio. Sic Albæ Regalenſis Eccleſiæ in Hungaria a S. Stephano Rege poſt annum milleſimum fundatæ ſuperſunt Præpoſitus, & Cuſtos: Capitulum inter tot bella, incendia, & rapinas penitus extinctum jacet. Habet quævis Eccleſia, & unumquodque Capitulum ſuas dignitates, & officia diverſa, quæ ſatius erit ex privatis locorum ſtatutis, uſibuſque recentioribus adjicere.

Beneficia alia Secularia, alia Regularia. Syn. Trident. Seſſ. XIV. 1551. *c. 10. de Reformat. c. 5. & 32. de Præbend. in 6.*

Quod attinet ad Beneficiorum diviſiones, prima eſt in Secularia, & Regularia. Hæc Regularibus ejuſdem Ordinis, illa Secularibus competunt, ita ut Secularia Regularibus, Secularibus Regularia conferri nequeant, niſi diſpenſatio Apoſtolica intercefferit. In dubio omne Beneficium præſumitur Seculare, niſi contrarium qualificetur vel per literas erectionis, vel per quadragenariam præſcriptionem cum juſto titulo, quem ſupplebit bona fides continuata, & nunquam interrupta. Ad Epiſcopatus propter excellentiam perſonæ Summus Pontifex cum Regularibus ſæpius diſpenſat. Adolphus modernus Epiſcopus Jaurinenſis e Scholis Piis aſſumptus fuit. Ad Parochias aliquando admittuntur ab Epiſcopis Regulares cum conſenſu ſuorum Superiorum, qui Regulares, Parochos ſuos ad clauſtra revocare facile poſſunt. Qua Parochi, Epiſcopo Diæceſano parent, ita ut delinquentes juſſu Epiſcopi a ſuis Superioribus puniri debeant. Ne tamen ſoli ad Plebanias exponantur Regulares, conſultum foret, ut Socium haberent ex Ordine, & Teſtem. Sine neceſſitate a ſuis Conventibus, & a vita Regulari extrahendos non eſſe, ſemper ſuadeo.

Alia duplicia, alia simplicia.

Altera diviſio eſt tam apud Seculares, quam apud Regulares, inter duplicia, & ſimplicia Beneficia. Conferunt illa præeminentiam aliquam, aliquando cum juriſdictione, aliquando ſine juriſdictione, quemadmodum

dum de dignitatibus, & perſonatibus notavimus: quæ quidem præeminentiæ hodiernis moribus, ſi careant juriſdictione, & officio, plerumque non obligant ad Reſidentiam.

NATURA, ET DEFENSIO BENEFICII SIMPLICIS.

Simplicia autem (quamvis de Jure communi nullum eſſet Beneficium ſine Officio, & Reſidentia perſonali) nihil amplius conferunt, niſi ſolam obligationem recitandi Divinum Officium, vel Miſſas certas celebrandi. Quod ſimpliciſſimum onus fuit tandem introductum aut ex longa conſuetudine, aut ex natura talis Beneficii, aut ex ipſa recentiori Fundatione. Has Inſtitutiones, aut Conſuetudines multi non laudant, multi non vituperant. Concilii Tridentini Patres ampliſſimi, quidquid contra tentâſſent Legati Caroli IX. Galliarum Regis, ſaltem non ſuſtulerunt. Nullam ego in his malam invenio cauſam. Aluntur enim Clerici, qui Deo ferme ſoli ſerviunt, aliis aliter famulantibus. Sunt in aula Principum diverſa munia: ſunt ad eundem terminum multæ viæ. Objiciunt, quod non appareat verus Fundatorum animus illuc tendere, ut profundantur tanti proventus in otioſos Clericos. Falſum eſt, quod ſit otioſus, qui legem Dei ſervat. Imo fundationes plurimæ nihil ultra petunt, quam Miſſarum celebrationem, aut quid ſimile. Abutuntur ſuis proventibus multi: ſed multi non abutuntur, quorum Beneficia non ſunt tam pinguia, quemadmodum invidi latrant. Honeſte vivunt, eleemoſynas pauperibus diſtribuunt. Abutuntur aliqui Epiſcopatu. Quid inde? Nullus erit impoſterum Epiſcopus? tollendus idcirca Epiſcopatus? Abutuntur plurimi Seculares ſuis bonis: ergo privandi? Hoc apud nos non ſequitur; ſed illud: ſeligantur ibi viri probi, ubi ſeligi poſſunt. Si tales non invenirentur intra nos, quærantur procul etiam apud extraneos. Errantes ab Ordinario corrigantur. Invidia in Reformationibus non raro majorem partem habuit, quam zelus Domus Dei. Alia ſimplicium Beneficiorum claſſis conſiſtit in Canonicatibus quibuſcunque Secularibus, vel Regularibus, & Commendis, quatenus ſimplicia hujuſce ſphæræ Beneficia opponuntur Curatis. Unde tertia diviſio eſt inter Curata, & non Curata. Curata propter maximam animarum ſolicitudinem important Reſidentiam. Quarta igitur diviſio inter Reſidentialia, & non Reſidentialia. Quæ ſint vel unius, vel alterius ſpeciei vel diximus, vel dicemus. Quinta diviſio eſt inter manualia, nutuque amovibilia, & non manualia, atque perpetua, quibus poſſeſſores abſque delicto non privantur. Ultima diviſio eſt, quod alia ſint collativa, & libera, alia electiva, alia mixta, ſeu patronata. In dubio omne Beneficium præſumitur liberæ collatio-

ALIA CURATA, ALIA NON CURATA.

ALIA RESIDENTIALIA, ALIA NON.

ALIA MANUALIA, ALIA NON.

ALIA COLLATIVA, ALIA ELECTIVA, ALIA PATRONATA.

lationis, quemadmodum ab initio omnia Beneficia libere contulit Epiſcopus. Superadditæ vero qualitates non præſumuntur, quia probari debent. Acquirendorum igitur Beneficiorum univerſi modi ſunt vel per collationem, vel per electionem, vel per præſentationem, vel per reſignationem, vel per permutationem. De ſingulis inſtituendum erit ſingulare nomen, quod in ſuperioribus Libris nondum locum obtinuiſſet.

MODI ACQUIRENDORUM BENEFICIORUM.

DE ÆTATE PRÆFICIENDORUM

TITULUS II.

IDeo de ætate, & qualitate præficiendorum vix non hic ſiluiſſemus, cum primus inſtitutionum noſtrarum Liber illud ſatis docuiſſet, imo & ſecundus. Sufficit in mentem revocare, quod primis Decem Eccleſiæ Seculis nulli facile legantur editi Canones, certam Beneficiis ætatem præſcribentes, cum interea circa Ordines, & Ordinandos ſatis providiſſent. Quare id factum eſt? Puto, quia nondum Beneficia ab Ordinibus ſeparabantur. Ordini annexum erat officium, officio Beneficium. Pueris ipſis ſtipes, vel ſportulæ erant diurnæ, menſtruæque; vel etiam in pio ſodalitio menſa, & veſtis communis, quemadmodum multi alumni hodie in Seminariis aluntur: quemadmodum Samuel puer olim, & alii forte pueri in Tabernaculo miniſtrabant. Uſque adeo tenerrima ætas Deo placuit, quem alloquitur David Rex: *Ex ore infantium, & lactantium perfeciſti laudem propter inimicos tuos*. Quinque prioribus Eccleſiæ Seculis conferebantur minores Ordines pueris ætate tenellis, & recens baptizatis. Acolythatus, & Subdiaconatus anno ætatis XX., Diaconatus anno XXX., Presbyteratus anno XXXV., Epiſcopatus anno XLV., quantum Thomaſſinus ex Siricio P., ex Zoſimo P., & Victore Uticenſi, ſeu potius Vitenſi collegit. Nonnunquam propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiæ, candidatorumque merita diſpenſatum fuit; quemadmodum de Epiphanio Ticinenſi narrat Ennodius, de Joanne Cabilonenſi Sidonius Apollinaris, de Chryſoſtomo Palladius, de Felice Paulinus. Synodus Neocæſarienſis an. 314. retraxit annum Presbyteratus ad annum XXX., cum ſibi facile perſuaſerit, quia *Chriſtus in trigeſimo anno baptizatus eſt, & cepit prædicare*: quidquid hodie inter doctos alii facile ſentiant ductore Uſſerio, quia *J. C. D. N. trigeſimo tertio ætatis anno baptizatus eſt*. Omiſſa hac controverſia, quæ adverſarios multos habet, ubi virtus prævertit ætatem, ſane virtus inſpicienda, non ætas: quidquid alias Eccleſiaſtica regula non

QUARE TAMDIU NULLA ÆTAS PRÆFIGATUR BENEFICIIS?

I. Reg. III. 1.

Pſalm. VIII. 3.

DISCIPLINA PRIMÆVA.

p. 1. l. 2. c. 67.

can. 11.

Lamy Apparat. Chronolog. p. 2. c. 7. §. 3.

Digitized by Google

omnem ætatem ad Epiſcopalem imprimis dignitatem admitteret. Sic Vi-
in ejus Officio. gilius annos natus XX. circa annum 383. Epiſcopus Tridentinus, Re-
Floroard. Hiſt. Rhemen. *l.* 1. *c.* 11. migius annos natus XXII. circa annum 472. Epiſcopus Rhemenſis facti
ſunt propter eximias virtutes. Sic de Gregorio Thaumaturgo, & Athe-
Euſeb. *l.* 6. *c.* 23. nodoro fratribus jam pridem legitur: *Quinquennio integro in ejus*, ideſt
Origenis, *Schola verſati, tantam, & tam admirabilem in Sacroſanctis Dei
eloquiis fecere progreſſionem, ut, dum adhuc ambo admodum adoleſcentes erant,*
Thomaſſ. *ſupra c.* 68. & 69. *Eccleſiarum in Ponto crearentur Epiſcopi*. Eadem ferme ſubſequentium Se-
Sequens Disciplina. culorum Diſciplina. Sic Theodorus Siceota, licet invitus, tamen Preſ-
byter factus eſt anno ætatis ſuæ duodevigeſimo. Excuſavit veniam Theo-
dorus Epiſcopus Anaſtaſiopolitanus Ordinator, quod Paulus Timotheum
valde juvenem dierum, provectum meritis ordinaverit Epiſcopum Epheſi.
Ævum Caroli M. Theodoro Theodorus poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit. Ævo Caroli M. Ca-
non Neocæſareenſis de Preſbyteris ante annum ætatis trigeſimum non
ordinandis ſatis viguit: quod teſtantur Synodus Aquiſgranenſis an. 789.,
Francofordienſis an. 794., Turonenſis an. 813. Tunc quoque Epiſcopales
ædes inſtar erant Seminariorum, ubi non ſolum Preſbyteri ordinandi,
ſed & Clerici omnes imbuebantur Sacris Inſtitutis, ad eoſque informa-
bantur Ordines, quibus illos Epiſcopus addicturus erat. Suo enim ipſius
exemplo docet Hincmarus, valde rudes ibi pueros admiſſos fuiſſe, ut diſ-
ciplinæ ſanctiori a teneris inſueſcerent tanto proclivius, quod maturius
ſubducti fuiſſent exitialibus Seculi voluptatibus, & pompis. Nonnun-
Abusus. quam horrendi abuſus tam in Oriente, quam in Occidente. Narrat Clau-
Hiſt. Eccleſ. *liv.* 55. *n.* 1. & 7. dius Fleury, quod an. 925. Hugo quinquennis Infans, Heriberti Aqui-
taniæ Comitis Filius, Rudolpho Rege, Abbone Sueſſionenſi, Bavone
Catalaunenſi, Clero Populoque Rhemenſi conſentientibus, Papa Joan-
ne X. confirmante, electus ſit Archiepiſcopus Rhemenſis, cum interea
Epiſcopatus grave officium Abboni Sueſſionenſi committeretur. Poſt
annos ſex Rudolphus Heriberto indignatus novam electionem fieri cura-
vit, quam Joannes XI. anno 933. confirmavit. Narrat idem, quod
ibid. n. 12. & 51. Theophilactus Imperatoris Romani Lecapeni filius, vix ſexdecim annos
natus, in Sedem Conſtantinopolitanam intruſus fuerit, Tryphone Mo-
nacho vices Patriarchales ſupplente. Conſecratus tamen non fuit, niſi ubi
annum vigeſimum quintum attigiſſet. Accidit iſtud facinus circa an-
num 933. Obiit poſt annos viginti tres, flagitioſo alendorum equorum
ſtudio maxime deditus. Quo infauſto tempore, ideſt circa annum 956.
Petav. Rat. temp. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 15. Romanam Sedem pari juvenis improbitate, ac turpitudine dedecorabat
Albe-

Alberici filius Octavianus, vix annum agens decimum octavum, in Pontificatu ſuo dictus Joannes XII. Narrat Luitprandus eundem in Synodo *l. 6. c. 7.* Romana an. 963. accuſatum fuiſſe, quod annorum decem Epiſcopum in Tudertina Civitate ordinaverit. Miſere objit. Poſt annum milleſimum Syn. Melfit. 1089. Subdiaconus poterat ordinari anno decimoquarto, vel decimoquinto, *can.* 4. quia tunc vix inter Sacros majores Ordines numerabatur Subdiaconatus. Infandum ea tempeſtate patravit ſcelus, amore ſanguinis inſano, Albe- Baron. *an.* 1033. ricus Tuſculi Comes, qui Theophilactum filium duodennem horribili Glaber. *l. 4. c. 5.* ſimonia Joanni XIX. ſubſtituit. Benedictus IX. Joannis XIX. Nepos is Fleury fuit, qui ſalutaribus Bartholomæi Abbatis Cryptæ Ferratæ monitis in *liv. 59. n. 53.* ſe reverſus, ſuprema dignitate circa annum 1048. ſe abdicavit. Felix, ſi nunquam intraſſet. Seculo Duodecimo eadem ferme ætatis, & juſtæ veniæ diſciplina. Iidem abuſus, ſaltem frequentiores, niſi tam graves. Conqueritur D. Bernardus ad Henricum Senonenſem, quod *Scholares* *epiſt.* XLII. *pueri, & impuberes adoleſcentuli ob ſanguinis dignitatem promoventur ad Eccleſiaſticas dignitates, & de ſub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim, quod virgas evaſerint, quam quod meruerint principari: nec tam illis blanditur adeptum, quam ademptum magiſterium.* Quare hortatur Cardinalem Jordanem, ut apud Eugenium III. accuſet Lega- *epiſt.* CCLXL. tum perverſum, qui formoſulos pueros ad Eccleſiaſticos honores promovit, ubi potuit. In Rhemenſi Synodo an. 1131. Innocentius II. de Præ- *can.* 8. poſitis, ſive Decanis prohibet, *ne adoleſcentibus, vel infra Sacros Ordines conſtitutis, ſed qui prudentia, & merito vitæ clareſcant, prædicti concedantur honores.* Quod in alia Rhemenſi Synodo anno 1148. ſub Euge- *can.* 9. nio III. confirmatum fuit. Tandem Alexander III. in Synodo Lateranenſi anno 1179. ſtatuit, ne eligantur Epiſcopi, niſi expleto anno ætatis XXX.; Parochi, niſi cepto ſaltem anno XXV.; quive reliqui Beneficiati *præfixo a Canonibus tempore*, ideſt infra annum aditæ poſſeſſionis *can.* 3. teneantur ſuſcipere Ordinem ſuis Beneficiis competentem. Irrepſerat aliquando abuſus in Anglia, ut Beneficia pueris intra decennium conſtitutis non ſolum conferrentur, ſed a Laicis adminiſtrarentur. Negat, imo vetat utrumque impoſterum fieri Alexander III., ſubſtitutis illico *c. 2. de ætate,* Clericis, *donec prædicti pueri ad congruam veniant ætatem.* Poſthac *nemini* *& qualitate.* *intra annum XIV. conſtituto* perſonatus, aut regimen alicujus Eccleſiæ committi poterat, quia *indecorum eſt, ut hi debeant Eccleſias regere, qui non* *c. 3. eod.* *noverunt gubernare ſeipſos: cum ad Eccleſiarum regimen tales perſonæ ſint admittendæ, quæ diſcretione præmineant, & morum fulgeant honeſtate.*

Digitized by Google

DISCIPLINA SECULI XIII.
c. 9. eod.

c. 10. eod.

Uguell. Italia Sacra. *Tom. I. pag. 999. edit. Rom.* 1644.
ANTIQUI ABUSUS.

c. 35. de Prabend.

can. 13.

Rainald. *n.* 85.

JUSTA DISPENSATIO.

Hæc eadem Seculo Decimotertio Innocentium III. movit ratio, ut Subdiaconi, *quia etiam ipſi miniſtrant Altaribus*, opportunitate exigente, in Epiſcopos eligi poſſint, *ſi tamen præclaræ ſcientiæ, ac Religionis exiſtant, quod ipſum non ſine Romani Pontificis, vel Metropolitani licentia fieri* debuit. Sic *inſtante neceſſitatis articulo* poterat cum eximia diſpenſatione *in Abbatem aſſumi etiam in minoribus Ordinibus conſtitutus*. Hoc ſcribit Summus Pontifex in odium Laicorum, ne quis eorum præſumat Monaſterium regere. Cœterum medio Seculo Decimotertio nondum ubique extirpatus ſatis jacuit favor erga ineptos pueros. Extat Innocentii III. epiſtola contra Melphenſem Epiſcopum exauthoratum ob id quoque, quod *Nepotibus ſuis vagientibus in cunabulis, licet ad plus vix valentibus balbutire, ne dum quod in Eccleſia agerent, vel cantarent, majores præbendas tribuit, & beneficia meliora, portantibus aliis pondus diei, & æſtus, & iſtis, ubi non ſeminaverunt, metentibus plena manu*. Declaraverat paullo ante Gregorius IX., quod, *cum illi ſint idonei reputandi, qui ſervire poſſunt, & volunt in ipſis*, ideo *pueri, & Beneficiati, qui non poſſunt in eadem Eccleſia deſervire, in ea non debent idonei reputari*. Tandem claudit hoc Seculum Gregorius X., qui in Concilio Lugdunenſi an. 1274. in uſum revocavit Decretum Alexandri III. in Concilio Lateranenſi an. 1179. editum, quod nempe Parochus *infra annum a ſibi commiſſi regiminis tempore numerandum, ſe faciat ad Sacerdotium promoveri. Quod ſi infra idem tempus promotus non fuerit, Eccleſia ſibi commiſſa (nulla etiam præmiſſa monitione) ſit præſentis conſtitutionis authoritate privatus*. Illud etiam redit, ut tantum laudetur juſta diſpenſatio, quantum vituperetur iniqua diſſipatio. Honorius III. an. 1217. punivit Ovetenſem in Hiſpania Epiſcopum, quod Diaconum ordinaſſet puerum tredecim annorum. Bonifacius VIII. poſt annum 1295. Epiſcopatu Toloſano donat ſanctiſſimum juvenem ex Ordine Franciſcano profeſſum, D. Ludovicum Regiæ Francorum proſapiæ Principem.

c. 3. Clement. de ætate, & qualit.

NOVA INDULGENTIA.

c. 2. eod.

QUOMODO VOTUM IN CAPITULO ACQUIRATUR?

Seculo Decimoquarto Synodus Viennenſis an. 1311. mandavit generalem Eccleſiæ obſervantiam ſervari, antiquis in hac parte juribus poſtpoſitis, *ut alio non obſtante impedimento Canonico poſſit quis libere in XVIII. ad Subdiaconatus, in XX. ad Diaconatus, & in XXV. ætatis ſuæ anno ad Presbyteratus Ordines promoveri*. Item *nullus de cætero in hujuſmodi Eccleſiis* (ideſt Cathedralibus, vel Collegiatis) *vocem in Capitulo habeat, etiamſi hoc ſibi ab aliis libere concedatur, niſi ſaltem in Subdiaconatus Ordine fuerit conſtitutus*. Nihilominus exceſſus hoc ævo in diſpenſationibus multos

tos

tos fuiſſe, evincunt continuæ imprimis Henrici Gandavenſis, & Durandi Mimatenſis querelæ ad eandem Viennenſem Synodum. Seculo Decimoquinto eadem ferme Diſciplina. Diſpenſationes non raro admiſſæ, aliquando negatæ. Pius II. poſt annum 1458. Marchiæ Comitem, quantumvis Regii ſanguinis Principem, ob defectum ætatis, noluit confirmare Caſtrenſem Epiſcopum, quem idem Carolus VII. Galliarum Rex nominaverat; quo petente alium immaturum juvenem acceptaverat olim Epiſcopum Nicolaus V., ita ut Rex de ſumma Pontificis indulgentia exclamaſſet: *Quanquam ego interceſſerim, nunquam puta-vi tamen, hoc illum eſſe facturum*. Ex quibus apparet, quia accidit ſæpe, ut illa maxima rogent, quæ minimum cupiant magni Principes. Quærendum ergo ſemper, quod rectum, & conſcientia gratiæ præferenda. Utinam importunæ preces poſſent non audiri aliquando? Utinam potuiſſet Sixtus IV. non audire preces, aut minas Arragoniæ Regis, qui filium ſpurium, & ſexennem infantem nominavit Archiepiſcopum Cæſar-Auguſtanum? Reſtitit primum, tandem ceſſit, ne forte majora evenirent mala; pueroque illegitimo perpetuam illius Eccleſiæ conceſſit adminiſtrationem.

ABUSUS SECULO DECIMOQUARTO.

DISCIPLINA SECULI XV. RARUM PII II. FACINUS.

NON SIC NICOLAUS V.

Rainald. an 1459. n. 87.

NON SIC SIXTUS IV. Spondan. an. 1473. n. 14.

Seculo Decimoſexto Synodus Tridentina, ætatis annum XXII. definivit Subdiaconis, Diaconis XXIII., Presbyteris etiam Regularibus XXV.; qui anni ut ſint incæpti, ſufficit. Præterea ætas ad Beneficia videtur neceſſaria eſſe annus XIV., quia talis determinatur in eadem Synodo: quidquid privatæ opiniones, & conſuetudines contrarium adſtruant, & fervent. Ætas ad curam animarum eadem, ac ipſa ætas ad Presbyteratum, nempe XXV. Ætas ad dignitates non curatas XXII. Annos Epiſcopatus Synodus ſuo loco non movit. Manet antiquum Decretum Concilii Lateranenſis anno 1179. ſub Alexandro III., *ut nullus in Epiſcopum eligatur, niſi qui jam XXX. annum exegerit*. In reliquis Ordinibus ſufficit attigiſſe annum conſuetum, in Epiſcopatu neceſſe eſt compleviſſe. Idipſum confirmat Gregorius XIV. in Bulla an. 1591. ONUS APOSTOLICÆ SERVITUTIS. Diſpenſationes ſine cauſa rationabili concedendæ non ſunt. Credibile eſt maximis argumentis devictum fuiſſe modernum Summum Pontificem Clementem XII., quod anno 1735. Aloyſium Hiſpaniarum Infantem, vix octennem puerum, renunciaverit Toletanæ Eccleſiæ adminiſtratorem, olim conſecrandum Archiepiſcopum, ſpiritualibus muniis interea per Suffraganeum proviſis. Idem anno ſequenti creatus fuit Cardinalis. Hæc de ætate ſive ad Ordines, ſive ad Beneficia. De ſcientia, juſtis natalibus, bona fama, & probis moribus, quæ magis magiſque

Seſſ. XXIII. 1563. c. 12. de Reformat.

MODERNA DISCIPLINA. ibid. c. 6.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 12. de Reformat.

c. 7. de Electione.

PERRARA CLEMENTIS XII. DISPENSATIO.

tam

Digitized by Google

tam ad Ordines, quam ad Beneficia requiruntur, vix non eſt pagina in Sacris Litteris, in Conciliis, & Patribus, quæ nos non ſanctos eſſe jubeat, cum *beneficia ad Divinum Cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint conſtituta.*

Seſſ. XXI. 1562. *c. 3. de Reformat.*

DE IRREGULARIBUS

TITULUS III.

DUPLEX IRREGULARITAS.

IRregularitas, nomen primis Seculis ignotum, hodie impedimentum eſt ad Ordines vel ſuſcipiendos, vel exercendos. Quæ impedit Ordines ſuſcipiendos, utique impedit ſuſcipienda Beneficia, cum hæc ſine Ordinibus non dentur. Aliquando impedit exercendos tantum Ordines, quin privet poſſeſſo Beneficio, ut patebit infra. Propter irregularitatem ad Beneficia reſervavimus Titulum de Irregularibus ad Quartum Librum, qui totus agit de Beneficiis. Olim equidem, donec Beneficium ab Ordine non ſepararetur, incapax Ordinis, incapax Beneficii reddebatur, ſicut apud nos ferme. Quapropter Paulus monuit Hebræos: *Non quiſquam ſibi ſumit honorem, ſed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* Hujus vocationis Epiſcopus cum Eccleſia teſtis, & judex eſt. Miniſtri Eccleſiæ, non ſecus ac eorum Epiſcopus ſine crimine eſſe debuerunt. Deo ſint laudes, quod ſine crimine ſimus. Irreprehenſibilis autem, quis eſt hic? & laudabimus eum. Nemo neſcit, quomodo Paulus Antiochiæ reſtiterit in faciem Cephæ, *quia reprehenſibilis erat.* Num meliores ſumus Cepha?

OLIM UNICA. — Hebr. V. 4. — JUSTA VOCATIO. — I. Timoth. III. — Galat. II. 11.

PRIMITIVÆ ECCLESIÆ RIGOR.

Primis igitur temporibus rejiciebatur a Miniſterio Sacro, quicunque integer vitæ, ſceleriſque purus non fuiſſet. Lapſi poſt Baptiſmum in quodcunque grave ſcandalum, & crimen, perpetuo excludebantur ab Ordinibus, etiamſi pœnituiſſet eos, Eccleſiæque fuiſſent reconciliati. Tam exoſa delicti memoria, ut publicæ ſemel pœnitentiæ addicti tam in Oriente, quam in Occidente, Clerici nunquam amplius fieri poſſent. Longa, & diverſa fuit Irregularium pœnitentia, & Diſciplina. Conſulantur imprimis Morinus, & Thomaſſinus, vetera, & nova argumenta incredibili diligentia recenſentes. Prioribus Quinque Seculis Clerici publicæ pœnitentiæ non facile addicebantur. Sed prius expellebantur, deponebantur, degradabantur. In quo pariter mitius agi cæptum eſt deſinente Seculo Quarto. Seculo Sexto, Septimo, Octavo in Hiſpania irregulares fuerunt criminoſi, infames, publici pœnitentes, hæretici, ſui mutilatores, deformes ex vitio tum animi, tum corporis, bigami quicun-

Thomaſſinus *p. 2. l. 1. c. 56.* — *ibid. c. 57.*

IRREGULARITAS IN HISPANIA.

Digitized by Google

cunque, corruptarum mariti, ſervi, ignoti, neophyti, milites curiales, illiterati, mortalis criminis rei, aut confeſſi. Videre eſt Synodum Ilerdenſem an. 524., & Toletanam an. 633. Potamius Braccharenſis Epiſcopus ſe ipſum accuſavit in Toletana Synodo an. 656.; & inani Epiſcopi nomine retento, abdicavit Epiſcopatum, ſucceſſore ſurrogato: quem rigorem introduxerat Synodus Valentina an. 524. Circa initium *can. 5.* Seculi Septimi Iſidorus Hiſpalenſis accuſavit Cordubenſem Epiſcopum carne lapſum, petiitque cum effuſione lachrymarum, ut idem lapſus ſancto Epiſcoporum cœtui præſentatus, agnito Confeſſionis eloquio, Synodali ſententia deponatur a gradu Sacerdotii.

In Gallia eundem ferme rigorem fuiſſe teſtantur Synod. Agath. an. 506., IN GALLIA. Aurelianenſis an. 511. 538. 549., Cabilonenſis an. 650. Contumelioſus *ibid. c. 58.* Regienſis Epiſcopus, fornicationis reus, accuſatore Cæſario Arelatenſi, poſt annum 532., judicio Joannis II., & Agapeti RR. PP. depoſitus eſt. Salonius Ebrodunenſis, Sagittarius Vapincenſis, Epiſcopi, adulteri, homicidæ, & crimine læſæ Majeſtatis involuti, tandem in Synodo Cabilonenſi 579. Sede ſua ejecti ſunt. Non deſunt ſingularia vix imitandæ VENIA RARA. veniæ exempla. Narrat Gregorius Turonenſis de Urbico ſucceſſore Beati Auſtremomii in Arverno Epiſcopatu. Senator ille fuit, qui Sacerdotio initiatus Uxorem dimiſit. Rediit aliquando de nocte plorans Uxor, quæ domo tandem, thoroque veteri recepta fuit. Peperit Epiſcopo marito filiam. *De perpetrato ſcelere condolens, acturus pœnitentiam, Diœceſis ſuæ* Hiſt. Franc. *Monaſterium expetiit: ibique cum gemitu, & lachrymis, quæ commiſerat,* *l. 1. c. 39.* *diluens, ad urbem propriam eſt reverſus.* Non aliter Genebaldus Laudu- Floroard. Hiſt. nenſis ex antiqua Uxore, quam aliquando ſibi fidens nimis, ut ſororem, Rhemen. *l. 1. c. 14.* habuit, filium, & filiam ſuſcepit. Puduit tamen novæ turpitudinis: quam cum in ſeptennali voluntario carcere expiaſſet, a Beato Remigio Rhemenſi, ſingulari inſtinctu, priſtino honori reſtitutus fuit.

In Italia quomodo non omnis diſciplinæ rigor ſtaret, cui præſentes IN ITALIA. invigilarent ſolicitudine continua Sanctiſſimi Romani Pontifices? Anci- *ibid. c. 59.* pitem, dubiamque ſemper exiſtimabat Gregorius M. Epiſcoporum, Clericorumque omnium pœnitentiam, novamque virtutem, niſi tota primævæ reſtitutionis ſpes abrumperetur. *Presbyteris quidem poſt ſtrenuam veterum ſcelerum pœnitentiam, annuebat lubens Gregorius regimen Monaſteriorum, honoratiorem concedebat locum, ſi ex Monachis eſſent, quin & Abbatis provinciam exercere patiebatur. Sed Ordinum, & functionum ſacrarum ſpem omnem circumſcribebat.* Occultorum conſcios criminum nihilo-

Joan. Diac. *l.* 4. *c.* 27. 32.

hilominus repudiabat, *quæ in Teſtamento Veteri, morte mulctantur*. Minorum criminum rei deponebantur quidem Clerici, ſed reſtituebantur, ubi pœnitentiam Canonicam impleverint, Quæ depoſitio vera non erat, ſed potius temporaria ſuſpenſio, atque ſeceſſio in Monaſterium. Conſentit Eccleſia Græca. Extat Synodus Trullana an. 692., quæ Clericos depoſitos in Laicorum locum detrudit, ita tamen ut voluntarii pœnitentes peracta Canonica pœnitentia tondeantur more Clericali. *Sin autem non ſua ſponte hoc elegerint, comam nutriant, ſicut Laici, utpote qui mundanam converſationem vitæ cœleſti præpoſuerint.*

Consensus Ecclesiæ Græcæ. *can.* 21.

Disciplina Seculi Noni, et Decimi. *ibid. c.* 60.

Uſque ad annum milleſimum ſane quodcunque Capitale crimen vix non ubique, vix non ſemper irregularitatem induxit, quæ per pœnitentiam publicam non extinguebatur ad effectum Ordinis exercendi. Teſtis eſt Hincmarus: *Detecti ergo ſive Confeſſione ſua, ſive Convictione Legali, ac regulari, de criminibus, ad gradus Eccleſiaſticos non accedant, & in gradibus Eccleſiaſticis non maneant, vel ad Eccleſiaſticos gradus non redeant, ſicut Sacri Canones, & Decreta Sedis Romanæ Pontificum aperte, atque expreſſe decernunt*. Cepere tamen Hincmarus, & Rabanus ſecernere a publicis criminibus occulta: & publica tantum crimina irrevocabili irregularitate notare. Ne ipſe quidem Rabanus diſſimulat, id a ſe quoque novari. Hæc ſubita immutatio illico multis non placuit. Irrevocabili quidem depoſitione Clericos dejiciebant vetuſti Canones. At eo contenti, pœnitentiæ illos non ſubjiciebant, niſi rariſſime, imo nec a Communione inter Laicos participanda ſubmovebant. *Seculo Decimo diſplicere id nonnullis cepit; quibus & illud conſultius fore tunc viſum eſt, ut pro irrevocabili depoſitione infligeretur ſuſpenſio annorum aliquot, cum acerbiſſima pœnitentia, ut ita mundati jam, & puri accederent ad Euchariſtiam, & ad Sacerdotii munia*. Concordant Græci. Memorandum miſeri Presbyteri facinus profert Cedrenus. Saracenos inter ſacra irrumpentes vel occidit, vel fugavit. Venia, vel reſtitutione Sacrorum nunquam amplius obtenta, defecit ad Mahumetanos, quorum nefarius Dux in Bello factus eſt contra Chriſtianos, ex Paulo Saulus. *Quanquam ergo nonnulla hactenus delinimenta ſubinde obſervata ſint, & indulgentiæ exempla in utraque Eccleſia, rariſſima tamen illa fuere: viguitque priſcus Canonum rigor etiam in Latina Eccleſia ad Seculi uſque Decimi exitum. In Eccleſia autem Græca illibatus etiam nunc viget, adeo ut, quantumvis occulta ſint flagitia, illis tamen infligatur irregularitas, ſi Ejuſmodi ea ſint, quibus olim pœnitentia publica præſcriberetur.*

Quando occulta crimina mitius tractari cœperint?

Suspensio succedit depositioni.

Græcorum Disciplina.

Poſt

Digitized by Google

Poſt annum milleſimum mitius agi ceptum eſt ob multitudinem incontinentium, & ſimoniacorum Clericorum. Statuerat quidem S. Leo IX., omnes Simoniacas Ordinationes in Concil. Rom. 1049. irritas pronunciare. Sed protinus inter frequentiſſimos Romanos Sacerdotes exortus eſt magnæ ſeditionis tumultus, omnes pene Baſilicas Sacerdotalibus officiis deſtitutas iri. Indixit igitur pœnitentiam quadraginta dierum, ut juxta Decretum Prædeceſſoris ſui Clementis II., qui a Simoniacis ordinati fuiſſent, peracta pœnitentia, Ordinibus ſuis reſtituerentur. Clericos in Hæreſin lapſos reſtituit ſuis functionibus, abſciſſa ſpe altioris conſecrationis. Poſt novum Leonis IX. Decretum Nicolaus II. concubinarios in Synodo Romana an. 1059. ab Ordine, & Beneficio ſuſpendit, qui concubinas palam duxerint, nec ductas dimiſerint. Contumaces omni privabantur reſtitutione. Cum homicidis, & bigamis nondum videtur diſpenſatum fuiſſe. Alexander II. in Synodo Romana an. 1063. contra vitium commune ſimoniæ conqueritur: *Hæc venenata pernicies adeo hactenus inolevit, ut vix quælibet Eccleſia valeat reperiri, quæ hoc morbo non ſit aliqua ex parte corrupta... Tanta quippe talium multitudo eſt, ut, dum rigorem Canonici vigoris ſuper eos ſervari non poſſumus, neceſſe ſit, ut diſpenſatione ad piæ condeſcenſionis ſtudium noſtros animos ad præſens inclinemus: ita tamen ut auctoritate SS. Apoſt. Petri, & Pauli interdicamus, ne quis Succeſſorum noſtrorum ex hac noſtra permiſſione regulam ſibi, vel alicui ſumat, vel præfigat*. Exeuntis Undecimi Seculi diſciplinam, facta diſpenſandi copia, Conſtantienſi Epiſcopo declarat Urbanus II., conſtare quidem, quod Clerici quocunque gravi crimine lapſi Eccleſiaſticis poſſint officiis inhiberi: poſſe reſtitui propter neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiarum, aut novam eorum ſanctam converſationem: reos mortis inhabiles fieri ulterioris officii: Clericos non facile addicendos eſſe publicæ pœnitentiæ, addictos nunquam promovendos impoſterum ad altiorem gradum: Laicos pœnitentes, quantumvis reconciliatos nuſpiam in Clerum admitti. Unde colligimus, diſpenſationem potius ſuper occultis, quam ſuper publicis irregularitatibus cadere. Homines inde remiſſiores in diem facti ſunt, auſteritates abhorrere, indulgentias expetere, memores David adulteri, & homicidæ, Petri perjuri, Pauli perſequutoris, quorum alter regnum, alii Apoſtolatum obtinuerunt. Sane Matthæus de Telonio vocatus fuit; ut, ubi ſuperabundaſſet in multis delictum, ſuperabundaret & gratia.

CAUSA MITIORIS DISCIPLINÆ SECULO UNDECIMO. *ibid. c. 61.*

cap. 2.

Gratianus diſtinguit: *Quorum enim crimina manifeſta ſunt, ante vel poſt Ordinationem a Sacris Ordinibus dejiciendi ſunt. Quorum autem peccata occul-*

DISCIPLINA DUODECIMI SECULI.

Digitized by Google

occulta ſunt, & ſatisfactione ſecreta ſecundum Sacerdotis edictum purgata, in propriis Ordinibus remanere poſſunt. Homicidas voluntarios, Hæreticos, atque Apoſtatas omnino excipit Gratianus, qui claruit ab anno 1131., obiit autem anno 1151. Poſtquam publica, & inevitabilis neceſſitas eo adegit Epiſcopos Galliæ, Angliæ, Germaniæque uſque adeo dilatare hanc diſpenſationem, juri quodammodo communi illam tranſcribere, eam denique iis approbare, qui doctrina, zeloque plurimum abundarent: iiſdem etiam ſe attemperavit regulis Alexander III. Concordant Urbanus III., Clemens III., Innocentius III., Honorius III., Gregorius IX., & alii, qui in Decretalibus, & Extravagantibus fuſe citantur.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 8. *de Reformat.* MODERNA DISCIPLINA.

Concludit Tridentina Synodus: *Apoſtolus monet, publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportet; ut, quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.* Hoc prudens Epiſcopi arbitrium docet, quod nova Indulgentia Eccleſiæ neceſſario probetur, non quod Pœnitentia Canonica, ſive antiquior diſciplina ſit de medio ſublata. Oportet aliquando tempori cedere.

DUPLEX IRREGULARITAS, ET EJUS EFFECTUS.

Ad hodiernos mores propius accedamus indicantes, quod irregularitas altera ex defectu vel mentis, vel corporis præter noſtram voluntatem, & citra omnem culpam oriatur; alia ex crimine, vel infortunio. Utraque parit impedimentum ad Ordines ſuſcipiendos, & ad ſuſceptos adminiſtrandos: neque illud impedimentum per publicam pœnitentiam, quæ vix amplius locum habet, ſed per ſolam diſpenſationem vel Summi Pontificis, vel Epiſcopi juxta naturam defectus, aut criminis tollitur. Oſtendit Thomaſſinus, quod ab initio fuerint irregulares, Hæretici, Schiſmatici, Apoſtatæ, Neophyti, Energumeni, Servi, Milites, & ii, qui occidunt, vel mutilant, Judices, & Curiales capitalium criminum, & cauſarum, ære alieno obruti, publicis obnoxii rationibus, mutili, bigami, eunuchi, illegitimi, illiterati. Longa via foret illum ſequi. Inhæremus noſtris moribus, quantum Juris Canonici periti concordant ſatis. Ex defectu mentis, ſive animæ, hodie irregulares ſunt non baptizati, quia Baptiſmus Janua Sacramentorum eſt: Neophyti, ne in ſuperbiam elati, in judicium incidant Diaboli: Bigami, ſive ad ſecun-

ibid. c. 62.

IRREGULARES SUNT NON BAPTIZATI. NEOPHYTI. BIGAMI.

Digitized by Google

ſecundas Nuptias tranſiverint, ſive viduam meretricem, non virginem duxerint. Apoſtolus miniſtros quoſcunque unius uxoris viros, & viduas in miniſterium eligendas, unius viri uxores poſtulavit, quia ſecunda vota ſaltem incontinentiæ ſuſpicionem relinquunt, & Apoſtolus miniſtros Eccleſiæ voluit irreprehenſibiles. Patres diſſenſerunt, num ille, qui plures habuiſſet uxores ante Baptiſmum, bigamus foret cenſendus? ego aſſirmarem. Diſſentiunt hodie Autores, num ad bigamiam ſufficiat matrimonium cum alterutra conjuge ratum tantum? negarem, quia matrimonium licet conſenſu perficiatur ſine copula, copula ſola tamen verum libidinis ſignum eſt, quæ reprehenſibilis apparet in Miniſtris Eccleſiæ. Diſſentiunt, num ex matrimonio invalido? negarem, quia quod nihil eſt nullum in Jure producit effectum. Secus, ſi interveniſſet copula: quia tunc videtur puniendus, tamquam incontinens, licet verus bigamus non foret. Nihilominus decidit Innocentius III., quod ex eo bigamus non fiat, qui plures aluit concubinas: quia videtur requiri copula in matrimonio. Nec, quod irregularis fiat Religioſus Profeſſus ob contractum, vel conſummatum invalidum matrimonium, alia ratio eſt, quam ſacrilegium, vel quaſi ſacrilegium. Unde ille ſacrilegus, non adulter, aut bigamus cenſendus venit. Hodie cum bigamis ſolus Romanus Pontifex diſpenſat. Sixtus V. enim declaravit, Epiſcopum cum bigamo diſpenſantem ab Ordinum collatione ſuſpenſum eſſe, ordinatum ab exercitio Ordinis. Cum non baptizato diſpenſatio impoſſibilis; cum neophyto periculoſa, niſi ſit tantæ virtutis, quantæ fuit Paulus, Ambroſius, aut Nectarius. Digitus Dei hic erat. Inconſulto Romano Pontifice non auderem Epiſcopus neophytum ad minores Ordines admittere. Olim aut Neophyti, aut Clinici perraro admiſſi ſunt.

c. 4. de bigamis non ordinandis.

c. 6. eod.

CUJUS SIT DISPENSARE CUM HIS TRIBUS?

Irregulares ſunt, Hæretici, Schiſmatici, atque Apoſtatæ. Vetuit Eliberitana Synodus an. 305. venientes ab Hæreſi vel promoveri ad Clerum, vel in Clero remanere. Iſque fuit deinceps uſus Eccleſiæ. Facile tamen cum iis diſpenſabatur, qui vel præ ſimplicitate paſſi ſunt ſibi illudi, vel lapſi ſtatim reſipuerunt. Multa horum exempla, præſertim in primis Neſtorii, Eutychetis, & Pelagii ſectatoribus. Diſpenſavit Miltiades P. cum Donatiſtis, Synodus Nicæna an. 325. cum Novatianis, & Paulianiſtis. Exeunte Seculo Quarto Epiſcopi Africæ petierunt a Siricio, & Anaſtaſio, cœteriſque Italiæ Epiſcopis, ut poſſint cum Donatiſtis diſpenſare. *Tanta erat*, ait Thomaſſinus, *beato illo ævo & in Apoſtolicam Sedem reverentia, & inter Epiſcopos Orbis conſenſio, & religio, ne temere Canones*

HÆRETICI, SCHISMATICI, APOSTATÆ SUNT IRREGULARES.

ibid. c. 61. n. 8.

 uſquam

Digitized by Google

uſquam laxarentur. Si cum Hæreticis diſpenſari potuit, potuit cum Schiſmaticis, qui non ſunt pejores. Cum Apoſtatis, qui nullam habent excuſationem, ſumma ſemper difficultas fuit, quibus tandem aliquando, nonniſi poſt magnos fletus, & longam pœnitentiam Eccleſia veniam conceſſit irregularitatis. Declaraverunt Innocentius IV., Alexander IV., Bonifacius VIII. eos, quorum pater, mater, avuſque in Hæreſi mortui fuerunt, irregulares fore ad Beneficia. Id, quod Sacra Romana Rota anno 1598. explicavit de iis etiam Beneficiis intelligendum, quæ ante lapſum patris, matriſque impetraſſent: quamvis ante quatuor annos tantum ab eodem Clemente VIII. poſt vota audita Cardinalium Congregationis Inquiſitioni præfectæ pronunciatum fuerit, non ſpoliari debere natos beneficiis impetratis, quibus infelix parentum apoſtaſia nocere non debet. Quidquid Canoniſtæ aliqui putent, eos irregulares eſſe ad Ordines, quorum pater, vel mater in Hæreſi deceſſerint, licet eorum hæreſi nunquam fuerint afflati; illaque eorum ſententia antiquiori Eccleſiæ Diſciplinæ magis conſentanea ſit, præſertim in Synodo Carthag. an. 253. fundata: veriſimilior tamen eſt oppoſita ſententia; Galliæque, ac Germaniæ, atque Hungariæ Diſciplinæ hodiernæ conformior, in quibus Provinciis filii non ſuſtinent paterni delicti pœnam.

vide Diſt. LXVI. ILLEGITIMI.

Quamvis Apoſtolus non excluſerit a miniſterio illegitimos, dummodo ipſi nullum crimen habeant, Jure Decretalium irregulares ſunt omnes extra verum Matrimonium geniti, quorum aſpectus citra culpam ipſorum, paternæ incontinentiæ memoriam renovat. Veſtigia tanti rigoris apud Occidentales leguntur in Synodo Meldenſi anno 845., prout ſequitur: *Filii vero ex ejuſmodi vituperabili conjunctione ante conjugium etiam minus laudabile procreati*, (concludendum tamen ad reparanda ſcandala) *ad Eccleſiaſticam dignitatem nullo modo provehantur: nec de tali conjugio generati Eccleſiaſticis Ordinibus applicentur, niſi forte eos vel maxima Eccleſiæ utilitas; aut neceſſitas poſtulet, vel evidens meritorum prærogativa commendet*. Rationem addit Commentator Rhegino, ejuſdem ævi Scriptor: *Eos itaque, quos publicæ leges non admittunt, ſed velut infamiæ maculis reſperſos reſpuunt, & quaſi degeneres deſpiciunt, Eccleſiaſtica dignitas nullatenus reſpicit; præſertim cum nihil maculoſum Deo rite poſſit offerri, vel ejus ſervitio applicari*. Græcorum diſciplinam mitiorem exponit Balſamon Duodecimi Seculi Scriptor: *Sed & qui ex ancillis nati, & donati libertate, parique modo, qui ex concubinis geniti, non vetantur ſacrari. Matres enim eorum, pœnis ſcortantium obnoxiæ fuerunt*; *ipſi autem nihil deliquerunt; quam-*

can. 64.

Diſcipl. Eccleſ. *l.* 1. *c.* 418.

Digitized by Google

quamobrem nec pœnis ſubjiciuntur. Ut reliqui igitur homines, qui nihil deliquerunt, honorem Sacerdotalem ſecundum Canones conſequentur & ipſi.

Quare autem poſt annum milleſimum illegitimi in Occidente penitus excluſi fuerint, cauſa eſt, quæ ſequitur. Potentes viri ſuos ex ancillis procreatos baſtardos in Eccleſias impune non ſine maximo ſcandalo intrudebant. Ipſi nefandi, ac impudici Clerici multi nefariis prolibus ſuis Beneficia Eccleſiaſtica reſignabant. Atque ita ne Sanctuarium Dei, hæreditas iniqua, & colluvies ſceleſtiſſimorum hominum peſſima fieret impoſterum, ſtatutum eſt in Synodo Pictavienſi circa annum 1004., *ut filii Presbyterorum, & cæteri ex fornicatione nati ad ſacros Ordines non promoveantur, niſi aut Monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes.* Puto, quod ſolitudo in Monaſteriis, & Religioſis Domibus pœnitentiæ æquiparetur. Concordat Alexander III. ſuper irregularitate illegitimorum, cum quibus tamen non ſemel diſpenſavit. Ubi vero de filiis Presbyterorum ex legitimo thoro ante ſacros Ordines natis ſermo non eſt, cum & hos Epiſcopatu, & Beneficio in eadem paterna Eccleſia capaces eſſe Clemens III. definiat. *Multi* enim, ait Thomaſſinus, *Pontifices Romani a prioribus Pontificibus legitima ſucceſſione orti ſunt, ex conjugio ante Ordinationem prognati. Sylverius Hormiſdæ filius, ex Liberato: Agapetus ortus erat ex Gordiano Presbytero, teſte Anaſtaſio. Gregorii M. Pater, Nepos erat Felicis Papæ.* Hæc quidem irregularitas vix ante promulgatam Seculo Decimotertio collationem Gregorii IX. tranſivit in vim univerſalis Eccleſiaſticæ Legis. Unde juxta id, quod ſcriptum eſt in Deuteronomio, *non ingredietur Manzer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini*, illegitimus diſpenſatione indiget etiam ad Tonſuram: neque diſpenſandum, niſi & ipſe paternæ incontinentiæ imitator non ſit, ſed bonæ converſationis, & probæ vitæ. Commendandus ille magis, qui ex malis parentibus bonus, quam ex bonis effectus eſt bonus, quamvis ex arbore fructus, ex ſemine pares ſegetes communiter expectentur. De impetranda diſpenſationis venia ſuper quavis irregularitatum claſſe, conſule imprimis Praxim Beneficiariam Petri Rebuffi.

c. 1. de Filiis Presbyt. Ordinand.

c. 12. eod.

ibid. c. 80. n. 8.

QUANDO HÆC LEX LATA SIT?

Deuter. XXIII. 2.

Interea in diſpenſatione ſuper defectu natalium notandum eſt, quod ad minores Ordines, & ad Beneficium ſimplex poſſit Epiſcopus cum illegitimo diſpenſare. Ad Ordines majores, & ad Beneficia curam animarum habentia, ſive ad Canonicatus, & dignitates ſolus Romanus Pontifex diſpenſat: & tanto difficilior juxta D. Thomam diſpenſatio exiſtit, quanto turpior origo. Diſpenſatus ad Beneficium, non cenſetur diſpen-

DISPENSATIONIS CAUTELA.

c. 1. de Filiis Presbyt. in 6.

Digitized by Google

ſatus ad plura. Diſpenſatione ſemel obtenta, mentionem ei oportet facere de priori, qui ſecundam petit: neque ulla diſpenſatio extendit ſe ad non expreſſa, cum ſit odioſa. Hæc diſpenſationum ſumma. Cavet Tridentina Synodus, ne filii Clericorum illegitimi ſub eodem tecto, in eadem Eccleſia miniſtrent, ubi parentes impudici miniſtrant, aut miniſtraverunt: ut ſic paternæ incontinentiæ memoria a locis Deo conſecratis, quos maxime puritas, ſanctitaſque decet, longiſſime arceatur. Diſpenſatus ad dignitates, non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum, qui ſingularem requirit diſpenſationem. Et tunc non dicitur talis ſtricte eligi, ſed quaſi poſtulari, quia vix præſumitur, diſpenſationem potuiſſe hic locum habere. Tantus criminis horror. Tanta officii ſupremi dignitas. Sic illegitimus per emiſſam quidem profeſſionem non eſt amplius irregularis quoad Ordines ſuſcipiendos: verumtamen ad Prælaturas in Religione poſſidendas diſpenſari debet a Summo Pontifice. Denique per ſubſequens Matrimonium legitimantur filii illegitimi tam quoad effectus Civiles, quam quoad effectus Eccleſiaſticos, dummodo non ſint ex inceſtu, & adulterio nati. In quocunque alio caſu, ſcribit Alexander III., *tanta eſt vis matrimonii, ut qui antea ſunt geniti, poſt contractum matrimonium legitimi habeantur*. Fictio juris multa veritate, aut æquitate nititur.

Seſſ. XIV. 1551. *c. 15. de Reformat.*

c. 6. qui filii ſint illegitimi.

SERVI. *can. 82.*

Irregularitas Servorum antiquiſſima obſervatur in Canone Apoſtolorum, quem Beveregius ſic tradit: *Servos in Clerum provehi ſine venia Dominorum non permittimus in poſſeſſorum moleſtiam. Domorum enim everſionem illud efficit. Si quando autem etiam dignus Servus viſus ſit, qui ad gradum eligatur, qualis noſter quoque viſus eſt Oneſimus, ac Domini conceſſerint, & liberaverint, & ædibus emiſerint, fiat.* Oneſimus is fuit, quem Paulus ex ſervo ordinavit Epiſcopum, poſtquam ab Hero ſuo Philemone libertatem ei impetraſſet. Apud Gratianum quoque ſervi ſine conſenſu Dominorum ordinari nequeunt, quia conditio ſervilis Eccleſia digna non eſt, & Jus Dominicum lædi non debet. Aevo Caroli M. eadem ratio, qui monuit Epiſcopos nimis faciles, ut in Monaſteriis ſuis *non ſolum ſervilis conditionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient*. Ludovicus P., quando adhuc ſervi *paſſim ad gradus Eccleſiaſticos indiſcrete promovebantur*, prohibuit, ne ſervus ordinari poſſit, qui prius non fuerit dimiſſus a Domino ſuo. Alias *deponatur*, *& Dominus ejus eum recipiat*. Cauſam adjungit antiquam, *quia juxta ſacros Ordines vilis perſona manens, Sacerdotii dignitate fungi non poteſt*, præterquamquod Jus Dominicum lædi non debeat. Servi Eccleſiæ, & Laicorum in ipſa Eccle-

Diſt. LIV.

Thomaſſ. *ſupra c. 70.*

Digitized by Google

MANUMISSI ORDINABANTUR.

Eccleſia potiſſimum coram populo libertatem conſequebantur, & tunc demum ad gradus Eccleſiaſticos promoveri poterant. Sed & de his, quos Præpoſiti Canonicorum, aut Monachorum expetiverint ordinandos, eadem forma ſervabatur. Hic mos, qui dicebatur juxta legem Romanam, Conſtantinum præbet autorem. Poſtquam Salii, Franci, aliæque Boreales nationes irrupiſſent in Romanas Provincias, alii quoque Liberti Denariales nuncupabantur, jactato denario in ſignum novæ libertatis coram Rege: alii Chartularii obtenta manumiſſione ex reſcripto Principis. Sic apud Romanos manumiſſio juſta fiebat vel per cenſum, vel per vindictam, vel per teſtamentum.

QUI FUERINT LIBERTI DENARIALES? QUI CHARTULARII? Nieupoort *de Ritib. Romanor. ſect. 6. c. 5. §. 3.*

Cœterum *ſi homines prorſus ignoti in Monaſteria admitti ſe peterent, triennio in veſte laica eſſe cogebantur. Interim ſi repoſcerentur, reddebantur Dominis; ubi id tempus effluxerat, tum vero veſte donabantur Monaſtica; atque ſi poſterius vendicaret eos Dominus, non ipſi quidem, ſed quaſcunque intuliſſent res, ei reſtituebantur. Quod Juſtiniani, & Gregorii M. decretis cum primis conſentit.* Chrodogangus Metenſis, quamvis vituperet Epiſcopos, & Abbates, qui nonniſi ſervos in Eccleſias, & Monaſteria aſſumerent, ut illis quaſi imperioſiores dominarentur; non tamen excludit ſervos, cum apud Deum non ſit perſonarum acceptatio.

PROMISCUA ORDINATIO INGENUORUM, ET SERVORUM.

Concordat coætanea ferme Synodus Aquiſgran., quod *nullus Prælatorum ſecluſis nobilibus*, vel ingenuis, *viles tantum in ſua congregatione admittat, quibus nulla natalium, nulla morum dignitas ſuffragatur*.

vide Syn. Aquiſg. *an. 789. cap. 23.*

Optima Thomaſſini conjectura, quod *hinc ille perantiquus uſus paucarum Eccleſiarum, ut ſoli nobiles, ideſt ingenui admitterentur, excluſis ſervis. Quod cum & ipſum per ſe ſe jam ſubalienum eſſet ab antiquiore diſciplina, quæ ſervos quoque libertate donatos ſuſcipi jubeat: tum multo alienius lapſu temporis evaſit, ubi ſoli longo avorum ſtemmate clari admiſſi ſunt. Cui tamen conſuetudini alicubi* jam *robuſtiſſimæ poteſt & inde forſan aliquid conciliari patrocinii, quod neceſſe fuerit hoc propugnaculo muniri dignitatem, libertatemque nonnullarum Eccleſiarum, quibus pergebant Epiſcopi nonniſi ſervos aſcribere, & ordinare, ut impotentius dominarentur. Idem porro uſus etiam tum poſtea retentus eſt, ubi non liberi, non ingenui omnes nobiles dici cepere, ſed præcipua quadam nobilitate clari.* Mirari non poſſumus de abjecto nonnullorum Epiſcoporum ingenio, *quia jamdudum illa peſſima conſuetudo erat, ut ex viliſſimis ſervis Summi Pontifices fierent.* Indignum ſane facinus, ubi non excuſat ſordidos natales vera magnæ virtutis nobilitas. Virtus enim unica, vera nobilitas eſt.

ſupra n. 4.

CONJECTURA DE GRADIBUS NOBILITATIS.

Ex Concilio Papienſi an. 1014. *ſub Benedicto VIII. P. multos adhuc, &* nume-

ſupra c. 74.

SCANDALA PROPTER SERVOS ORDINATOS.

numeroſos ſervorum Greges Eccleſiis ſuperfuiſſe conſtat : eos omnes ad clericatum anhelaſſe, ut voti compotes facti liberas uxores ducerent, liberoſque ex eis ſuſciperent, vere liberos futuros : eo abuſu non paucas Eccleſias exhauſtas, & ad extremam adactas inopiam : elaboratum eſſe ab hoc Concilio, ut ejus ſtatuta ab Henrico II. Imp. confirmarentur : iis vero ſtatutis ſanciri, ut filii omnes ſervorum Eccleſiæ tum Clericorum, tum Laicorum, ſervi ipſi quoque eſſent, quamquam libera, & ingenua matre nati eſſent : denique nequidquam poſſent unquam, niſi Eccleſiæ acquirere, quamlibet ementitis nominibus abuterentur. Credibile eſt Sanctum Imperatorem anno ſuperiori Romæ coronatum, nihil unquam Summo Pontifici potuiſſe negare : multo minus tunc, quando Benedictus VIII. Bambergæ Imperatorem an. 1020. inviſit, confirmatis veterum Imperatorum, præſertim Ottonis Primi donationibus.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 58. *n.* 46.

SECULO XII. QUASI SEPULTA JACUIT SERVITUS.

Per illam tempeſtatem illa laus acceſſit, ut Eccleſiæ ſervi, non amplius ſervi, ſed famuli, aut homines Eccleſiæ vocarentur, qui impoſterum in omni Judicio admiſſi ſunt ad dicendum teſtimonium adverſus ingenuos ipſos. Extat privilegium Ludovici VI. Regis ineunte Seculo Duodecimo, ut Carnotenſis Eccleſiæ ſervi (ſeu famulos, ſeu homines dicere mavis) in ferendo illo teſtimonio diſcriminarentur a ſervis Laicorum. Extat Synodus Londinenſis anno 1102. ſub Beato Anſelmo, *ne quis illud nefarium negotium, quo hactenus in Anglia ſolebant homines ſicut bruta animalia venumdari, deinceps ullatenus facere præſumant.* Extat Synodus Vaterfordienſis in Hibernia, quæ anno 1158. juſſit libertate donari Anglos omnes ibi divenditos, atque emptos. Liberos enim ſuos Angli vendebant, non ſecus ac Romani, cum fame, & inopia rerum premerentur. Gregorius IX. compilavit obſoletos diſciplinæ Hiſpanicæ Canones, quod ſervos non liceat ordinari ſine conſenſu Domini. Concordat ſuper his moribus Alexander III., & Innocentius III. Declarat autem Gregorius IX. antiquam æquiſſimam regulam, quod nempe partus ſequatur ventrem : ita ut natus ex ſervo patre, ſed matre libera, ſit liber & ipſe, liciteque promoveri poſſit. Poſthac nulli Canones de ſervis non ordinandis propter irregularitatem. Quin ex adverſo Clemens IV. an. 1266. Belæ IV. Hungariæ Regi ſcribit pro Epiſcopo, quondam humili ſervo, jam illuſtri Prælato : *quia nec ei poteſt obeſſe originalis ſervitus, etſi de ipſa conſtaret, quam dignitas Epiſcopalis abſorbuit, & eliſit.*

can. 27.

Nieupoort *ſupra* §. 4.

QUID SENTIANT DECRETALES? *c.* 5. 6. 8. *de ſervis non ordinand.*, & *de eorum manumiſſ.*

LEX HUNGARIÆ.

Clarum eſt, quod olim ſervi in Hungaria, aut Coloni non excluderentur ab Epiſcopatu, cum tandem Uladiſlaus Rex anno 1514. articulum

Digitized by Google

lum XXIV. condiderit, ut nemo amplius de ruſtica progenie natus in Epiſcopum promoveatur in pœnam recentiſſimæ, atrociſſimæque proditionis. Facile remedium, ſi creetur nobilis; præterquamquod ſinguli Parochi, ne dicam Canonici gaudent prærogativa nobilitari in Regno, quin ipſis noceat prima origo, & jam per quemcunque ſtatum Eccleſiaſticum quaſi nobilitentur. Unde ſequitur, quod citatus Uladislai articulus non ſit amplius in uſu, ſi modo fuerit unquam in uſu. Nec ſupereſt hodie apud Chriſtianos ea ſervitus, quæ irregularitatem veterem pariat. Succeſſere alia Jura Dominicalia, alia ſubjectorum ſervitia in regionibus diverſis diverſa. Talia Jura inveniuntur & hodie apud Eccleſias, non ſecus ac apud Laicos Dominos.

EXTINCTA SERVITUS QUOAD IRREGULARITATEM.

Irregulares fiunt, qui occidunt, vel mutilant, dummodo non tantum machinata, & procurata, verum ipſa mors, mutilatio, & effuſio ſanguinis vera ſit ſubſequuta. Apoſtolus a Chriſto, qui mitis erat, atque humilis corde, didicit litigioſum, & percuſſorem a miniſterio repellere. Eccleſia ſemper defendit reos, ut illis impetret ſaltem ſpatium ad pœnitentiam. Quomodo perdet mater filios ſuos, quæ extraneos, & ignotos juvat? Propter hanc manſuetudinem Clerici judicium ſanguinis exercere nequeunt. Prælati vero, & alii Eccleſiaſticæ dignitatis viri, cum tamquam Domini jus gladii poſſideant, ſeu tamquam ſupremi Principum Rectores, delegant juriſdictionem ſuam conſuetis Officialibus, ut hi pro juſtitia in crimінoſos procedant, reſervato ſibi veniæ concedendæ arbitrio: nam juxta Bonifacium VIII. *licet Clericis cauſas ſanguinis agitare non liceat, eas tamen* (ubi juriſdictionem obtinent temporalem) *debent, & poſſunt metu irregularitatis ceſſante aliis delegare*. Plerique ſolent Breve Apoſtolicum petere, quibus ſalva irregularitate conceditur ſe ſe directe immiſcere in cauſa ſanguinis. Sic ipſi Cardinales tres Legati, & dum alii Proreges Neapolitanos noſtra ætate egerunt, Apoſtolica ad inevitabile ſanguinis judicium uſi ſunt diſpenſatione. Innocentius III. ſtatuit poſſe Clericum degradatum Curiæ Seculari tradi, ***pro quo tamen debet Eccleſia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum ſententia moderetur.*** Proteſtatio quidem hodie fit, quam vero efficacem non auſim credere, cum traditus brachio Seculari jam ſit filius mortis. Potius dicamus, quod degradatio nihil ultra operetur, quam quod degradatus amittat omnia privilegia Clericalia, & forum Eccleſiaſticum; unde poteſtati laicæ ſubjiciatur, factus & ipſe laicus, vel quaſi laicus: Eccleſiam vero nullas ſibi vindicare partes in judicio, in quo convictus, tamquam in ſuo legitimo

QUIVE OCCIDUNT, VEL MUTILANT, IRREGULARES FIUNT.

CLERICI NEQUEUNT INTERESSE JUDICIO SANGUINIS.

cap. fin. ne Clerici, vel Monachi negotiis Secularibus ſe immiſceant in 6.

CAUTELA CONSUETA.

c. 27. de verbor. ſignificat.

PROTESTATIO PROPTER EUM, QUI DEGRADATUS TRADITUR CURIÆ SECULARI.

Digitized by Google

foro, digna factis recipit. Quid opus de proteſtatione multum angi, num ſit efficax? Iccirco irregulares fiunt judex, aſſeſſores, accuſatores, denunciatores, teſtes, tabelliones, ſatellites, & quicunque directe ad mortem, vel mutilationem, atque effuſionem ſanguinis cooperantur. Super hac irregularitate juxta Synodum Tridentinam ſolus Pontifex hodie diſpenſat, qui communiter delegat hanc Ordinario provinciam: dummodo Orator alias idoneus reperiatur, vitæque, ac morum probitas, aliaque merita ipſi ſuffragentur, nec aliud obſtet Canonicum impedimentum, & quod de cætero a ſimilibus abſtineat.

QUID DE IIS OMNIBUS, QUI AD MORTEM HOMINIS DIRECTE CONCURRUNT? Seſſ. XIV. 1551. c. 7. *de Reformat.*

NOTORII INFAMES.

Irregulares fiunt notorii infames, quorum conditio multo deterior eſt ſervili. Minus malum eſt fortuna, & vita carcere, quam probitate, & fama. Ceſſat ceſſante infamiæ cauſa poſt longam, atque conſtantem vitæ emendationem. Sic unicum brevis horæ delictum multis virtutibus, & diuturno fletu vix reparatur, nunquam extinguitur, ut nulla amplius ſit veteris delicti memoria recens.

ILLITERATI.

Irregulares fiunt illiterati, qui ſufficientem non poſſident ſcientiam. Plus valet modica doctrina cum multa virtute, quam modica virtus cum doctrina multa. Maximus ille, in quo utrumque Dei donum felici æmulatione concurrit. Quamvis conſultum non ſit plus ſapere, quam oportet, tamen ferendum non eſt, minus ſapere, quam oportet. Hinc cum homine illiterato, qui neceſſaria ſcientia prædirus non eſt, diſpenſari nequit. Ceſſat turpe impedimentum ceſſante ignorantia, & ſuperveniente ſufficiente, aut competente litteratura.

ET QUI INFRA ÆTATEM ORDINARI PETUNT.

Irregulares ſunt, qui infra ætatem Ordini, & Beneficio determinatam ordinari volunt. Sic ordinati manent ſuſpenſi ab exercitio, ordinans a collatione Ordinum juxta Superioris arbitrium. Ceſſat impedimentum temporaneum ſuperveniente juſta ætate. Diſpenſat hodie ſolus Papa, quemadmodum docet Petrus Rebuffus.

CORPORE VITIATI.

Irregulares ſunt corpore vitiati, ſi ſit defectus impediens uſum Ordinis ſuſcipiendi, aut ſuſcepti: vel generans in populo gravem horrorem, deformitatem, ſcandalum, & riſum, quamvis id ſine culpa noſtra acciderit. Tales ſunt ſurdi, muti, cæci, qui omnino inhabiles ſunt; neque tolli poteſt irregularitas non ſublato impedimento. Cum luſcis, lippis, claudis, gibbis, & quocunque ſimili modo vitiatis, atque læſis diſpenſatur interdum, ubi magna probitas, ſcientia, aut Eccleſiæ bonum ſuppleat. Arbiter Epiſcopus eſt, cui committitur judicium ferre ſuper defectu, & diſpenſatione tam ad Ordines, quam ad Beneficia. Fundatur

Digitized by Google

datur irregularitas iſta in Levitico, ubi homo de ſemine Aaron, habens maculam non offerebat panes Deo ſuo, nec accedebat ad miniſterium ejus. Nova lex veteres abolevit cæremonias. Primis Seculis ignotum fuit iſtud impedimentum, quia Eccleſia non adeo curare debet de corpore Miniſtri ſui, cujus anima multo æſtimabilior eſt. Unde aureum antiquiſſimi Antiſtitis effatum apud Palladium: *Hæc lex in uſu ſit apud Judæos. Mihi autem ſi vel truncatis naribus adduxeritis, qui ſit bonis moribus, ego eum ordinabo.* Concordant Conſtitutiones Apoſtolicæ, & Canones Apoſtolorum: teſtaturque Balſamon Seculo Duodecimo hanc perduraſſe Græcorum diſciplinam. Primi fortaſſis in Occidentem SS. Hilarius, & Gelaſius PP. Seculo Quinto hanc videntur introduxiſſe diſciplinam, non quidem propter illos, qui citra eorum culpam, neceſſariam, aut violentam paſſi fuiſſent injuriam; ſed contra eos, qui ſe ipſos mutilaſſent vel inani falſæ virtutis imagine decepti, vel ignavia turpiſſima, ne militiam exercere inviti cogerentur. Hoc diſcrimen fecit Innocentius I. ineunte Seculo Quinto, cujus mentem ſatis aſſequutæ ſunt modernæ Decretales, quæ cum corpore vitiatis diſpenſare non vetant. Concordat moderna diſciplina. Excuſandi autem ſunt, quos ſingularis Dei ſpiritus eo perduxit, non imitandi. Origenes, & Leontinus ſe caſtraverunt, ut liberiores cum virginibus converſare poſſent, & cum mulieribus. Sed admirationis plurimum habet, quod narrat Juſtinus M. in Apologia de juvene illo, qui, ut purgaret Conventus Chriſtianorum, illamque abſtergeret libidinum infamiam, quam Ethnici nobis illinebant, Præfectum Alexandriæ adiit, ut per eum liceret ſibi abſcindi, quod id jam non poſſent Medici per leges ſine Magiſtratus publici conſenſione.

Levit. XXI. 17.

Origo.

Non imitandæ virtutes.

Irregulares ſunt energumeni, leproſi, paralitici, morbo caduco, phreneſi, aut ſimili habituali miſerrima infirmitate laborantes, quia inhabiles ſunt ad exercenda munia. Ceſſante morbo ceſſat irregularitas, ſuper qua nulla alia dari poteſt diſpenſatio.

Infirmi tum animo, tum corpore.

Irregulares peſſimi ſunt crimінoſi, quorum animæ infelicis perіculoſior morbus eſt, quam ægri corporis languor. Hos ſemper Eccleſia arcet ab altari; ſed hoc diſcrimine veteris, atque novæ diſciplinæ, quod utraque comprehendat occulta non ſecus, ac publica crimina: verum nova poſt ſeriam vitæ emendationem pœnitentes recipit ad miniſterium, quos vetus rejicit publicis his pœnitentibus reconciliatis tantum, atque inter Laicos detruſis. Nam ſi Epiſcopi hodie Miniſtros *eos pravis, & corruptis moribus eſſe permittant, quo pacto Laicos de ipſorum vitiis redarguent,*

Seſſ. XIV. 1551. *de Reformat. in Proemio.*

Iii 2 *qui*

qui uno ab eis ſermone convinci poſſent, quod Clericos ipſis patiantur eſſe deteriores? qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite ſibi ipſi reſpondeant, eadem ſe admiſiſſe, quæ corripiunt.

Quibus, et in quibus diſpenſare liceat?

Quod attinet ad rationem diſpenſandi, collige Summum Pontificem poſſe diſpenſare in omnibus irregularitatibus a Jure humano introductis. Secus ab inductis Jure Divino, aut Jure Naturæ: puta, ſi inhabilis, & omnino incapax ad munia exequenda ordinaretur, quemadmodum ex dictis patet. Collige, quod reſpectu Subditorum ſuorum *liceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus (excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum) diſpenſare.*

Seſſ. XXIV. 1563. c. 6. de Reformat.

DE COLLATORIBUS

TITULUS IV.

Epiſcopus ordinarius collator.

DOnec Beneficia non ſeparabantur ab Ordine, donec attondebatur, ordinabaturque nemo, quin illi officium, & ſtipendium propter officium aſſignaretur, facile demonſtrari poteſt, Epiſcopum non minus fuiſſe ordinatorem, quam collatorem ordinarium, & unicum in ſua Diæceſi. Atque ita quemadmodum Epiſcopus ſine conſilio cleri, ſine teſtimonio plebis neminem ordinabat, clerus, & plebs quodammodo concurrebant ad ſtipem ex conſuetudine certa diſtribuendam, ſive ad Beneficium procurandum. Sic vero electus aſſequebatur conſenſum totius Eccleſiæ ſuæ, & fideles libentius iis parebant, quorum electionem laudaſſent. Sane arbiter fuit ſemper Epiſcopus, qui clero conſulente, plebe informante digniorem ſeligeret. Quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore, atque ſanctiore? At nunc forte cernimus plurimos, hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit, vel, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent, aut potius ut jam Beneficia pinguiora, & vaſtos Epiſcopatus acquirerent, muneribus impetrarunt. Utinam calumniæ forent accuſantium, non querelæ proborum, quæ olim Auguſtino, & Hieronymo communes fuerunt.

p. 2. l. 1. c. 33. & ſeqq.

Id Thomaſſino ſatis clarum eſt, ſaltem per Undecim priora Secula Epiſcopum tam in Oriente, quam in Occidente ordinarium fuiſſe, & uni-

Digitized by Google

unicum ferme Collatorem omnium Beneficiorum, atque univerſæ Eccleſiaſticæ oeconomiæ adminiſtratorem, & diſpenſatorem, qui & hodie Abbates a Monachis ſuis electos inſtituit, cujus antiquiſſimi juris veſtigia in benedictione Abbatum non obſcura ſuperſunt. Seculo Duodecimo profundiſſimæ plagæ vetuſtiſſimo Epiſcoporum Collatorum juri infixæ fuerunt. Rationem reddit Thomaſſinus contra Capitula multarum Eccleſiarum, quæ jam novam Beneficiorum collationem acquiſiverunt. Scilicet *ſi quæ vero Capitula inconſulto etiam Epiſcopo Canonicos eligunt, non poteſt hic uſus, Canonum normæ tantopere adverſus aliunde, ut auguror, irrepſiſſe, quam vel ex diutino*, præſertim propter continua bella, *Epiſcopatus interregno, aut ex frequentiore*, præſertim in aulis Principum, & in caſtris, *Epiſcoporum abſentia, aut ex eorum diuturna negligentia*, vel deſidia mala, *qui præſcribi eam conſuetudinem paſſi ſunt; aut denique ex privilegio, quod Epiſcopi ipſi conceſſerint: ſicut & eligendi Abbatis privilegio tam multa donarunt Cœnobia ad faciliorem clauſtralis diſciplinæ cuſtodiam.* Novæ in dies diſcordiæ, & lites: nova pacta, & conventiones, in quibus nihil plerumque lucrari debuerunt Epiſcopi, cum hi vel ſenes, vel infirmi breve ſibi Regnum promitterent: Capitula robuſtiora, & nunquam moritura perpetuum affectarent imperium. Ab illa tempeſtate quo plus Eccleſiæ bona diviſa ſunt in varietate locorum, eo plus diviſæ ſunt collationes ipſæ. Fuit, & eſt, ubi Epiſcopus, ubi Capitulum, vel unitim, vel diviſim ſuas conferunt præbendas. Summopere concordata Epiſcoporum cum Capitulis, & poſſeſſio ultima conſulenda: quia capitulationes introductæ ſunt in eum finem, ut Capitulorum jura quibuſcunque modis vindicata firmarentur, quarum vigore jurant electi, illas perpetuo ſalvas fore, ne ſubſtitutis novis conventionibus vetera ſua jura promovere amplius, & in uſum priſtinum deducere velint, Solio Epiſcopali inſidentes. Nullam meliorem unquam viam invenerunt Canonici, quo pacto plurimorum Beneficiorum, & ipſorum Canonicatuum collationem ſibi confirmarent. Aliam viam tenuerunt, neſcio an dicam tunc magis proficuam, quam poſtea tum Epiſcopis, tum Canonicis difficilem. Magna Romani Pontificis authoritas, qui forte ſuo jure ſemper uti noluit, maximum quoque a continuis non amplius ferendis Epiſcoporum, & Capitulorum contentionibus incrementum ſumpſit. Utraque pars mutuo ſemper conſenſu adivit Apoſtolicam Sedem, aliquando per compromiſſum, aliquando per appellationem. Papa ex arbitro non tantum Judex, ſed Dominus factus eſt. Nonnulla Epiſcoporum jura ſaniori

dif-

Rit. Rom.

IMMUTATIO DISCIPLINÆ.

c. 36. n. 11.

CAPITULATIONES NOVÆ.

ACCEDIT AUTHORITAS R. E.

diſpenſatione ad ſe ſolum traxit: Capitulorum privilegia, & exemptiones prætenſas aliquando fovit, aliquando depreſſit, quantum juſtitia, & charitas Chriſtiana pro meliori bono ſuaſit. Sub illa tempeſtate frequentiores inſcribuntur Decretales, De Præbendis, & Dignitatibus: De Inſtitutionibus: De Conceſſione Præbendæ, & Eccleſiæ non Vacantis: Ne Sede Vacante quid innovetur: De his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli: De his, quæ fiunt a majori Parte Capituli: Ut Eccleſiaſtica Beneficia ſine Diminutione conferantur; & alia plura. Ferme iidem Tituli reperiuntur in Sexto, in Clementinis, & Extravagantibus.

REMEDIA RECENTIORA.

PAROCHIARUM COLLATORES VARII.

Sed neque Parochias multas libere amplius confert Ordinarius. Sunt alii quaſi collatores: Patroni nempe Laici, Capitula, Monaſteria tum virorum, tum mulierum, Ordines militares, quibus præſentatio Beneficiorum frequens, & nominatio ad Parochias ipſas competit. Saltem Vicarius Generalis ſine mandato ſpeciali Beneficia conferre nequit. Capitulum ſede vacante confirmat, & infirmat collationes neceſſarias, veluti inſtitutionem nominati, aut proviſionem Parochorum, quæ ſine periculo animarum amplius differri nequeat. Alias liberæ collationes ſucceſſori reſervantur, ne quid contingat, quod illi diſplicere debeat. Non minus autem in libera collatione, quam in reliquis materiam Beneficiariam tangentibus proviſionibus, ſingularum Eccleſiarum legitimus uſus eſt attendendus, ſive ille ex jure communi, ſive ex ſpeciali fundatione, ſive ex longa præſcriptione, ſive ex novo privilegio originem probam ducat: quia de mera diſciplina agitur, quæ pro temporum, & locorum varietate varia ſemper fuit. Interea tamen Beneficiatus conſtituitur Miniſter, & pars Eccleſiæ, in qua fundatum eſt Beneficium. A Patrum inſtitutis alienum prorſus videtur, Miniſtrum conſtitui ſine omni ſcitu Epiſcopi, cujus eſt regere Eccleſiam Dei. Hoc vetuſtiſſimum, & primævum jus ordinarium elucet in recentiori oeconomia, quia Epiſcopus adhuc Beneficiatos multos examinat, approbat, reprobat; præſentatis curam animarum committit, & inſtituit Parochos, quamvis jus præſentationis, nominationis, collationis, aut electionis ad inferiores, ſive alios quoſcunque translatum ſit, atque deviatum.

c. fin. de offic. Vicar. in 6.
c. 14. de majorit. & obedient.
c. 2. ne Sede Vacante aliquid innovetur.

FUNDAMENTUM JURIS EPISCOPALIS.

Præter Epiſcopos collatores multa modis multis per orbem Chriſtianum Beneficia confert Romanus Pontifex, de quo ſeparatus Titulus erit. Legati a Latere in Provincia ſuæ Legationis Beneficia conferunt juxta mandatum Apoſtolicum, & probatas locorum conſuetudines, de quibus Legatis egimus. Poſt ſexcentos alios repetit Thomaſſinus: *In cauſa id fuit*

SUPREMA R. P. POTESTAS.

MANDATUM LEGATORUM.

ſupra c. 52. n. 7.

Digitized by Google

fuit, quod ipſa legationis vox, & natura declaret participationem quandam Pontificiæ poteſtatis. Ideo & quamprimum ceptum a Pontificibus dari mandata, & reſervationes Beneficiorum patronatus, vel collationis Clericorum: jam tum Legati idem ſibi pro ſuo modo ſumpſere. Ipſis etiam quandoque Legatis mandabat Pontifex, ut hæc & illa ei Beneficia ſervarent integra. Sed ex eo maxime capite promanavit hæc ampliſſima Legatorum poteſtas in Beneficia, quod uno & eodem tempore illa duo lapſa ſint in mores, & in diſciplinam Eccleſiæ: ut Pontifices collatores quodammodo univerſales evaderent omnium orbis Beneficiorum: utque Legationes frequentiſſimas in omnes Eccleſiæ Provincias ad caſtioris diſciplinæ redintegrationem miſſitarent. Exundaverat in omnes Provincias Occidentis effrænata incontinentiæ, & ſimoniæ licentia: ſerpenti malo objecit Sedes Apoſtolica Legatos ſuos, quoque verſum diſcurſaturos, pleniſſima inſtructos poteſtate ad abdicandos, aut ex diſpenſatione retinendos Beneficiarios vel ſimoniacos, vel impudicos: ad eorum reſignationes admittendas, & tum plerumque eos beneficiis, quibus ſponte ſe exuiſſent, inveſtiendos: ad ea etiam alii nonnunquam conferenda. Origines iſtæ ad Seculum Undecimum, & Duodecimum revertunt, donec ſub Innocentio III. in Jus commune abiverint. Cardinales conferunt Beneficia in Eccleſiis ſuis Titularibus: qui ſi alterius Diæceſis Epiſcopi exiſtant, ex ſpeciali Indulto ſolent conferre Beneficia in menſibus Papalibus. Capitula, Abbates, & alii jam optimo Jure conferunt certa Beneficia. Hæc de collatoribus ordinariis, quibus ceſſantibus collatio plerumque devolvitur ad ſuperiores.

CARDINALIUM JURA.

VARII COLLATORES ORDINARII.

DE JURE DEVOLUTIONIS

TITULUS V.

Ceſſantibus Collatoribus Ordinariis, ad quos de Jure, vel de Conſuetudine ſpectaret; Collatio devolvitur ad legitimos Superiores, vel ad alios extra hunc ordinem poſitos. Ceſſat apud eos, qui infra tempus vel a jure, vel a conſuetudine legitima introductum non replent vacantia Beneficia idoneis Succeſſoribus. *Quam ſit Eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus, non ſolum jura teſtantur, ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat:* quia interim lupus rapax Gregem Dominicum invadit, & quamdiu jura, & Eccleſiæ in incerto ſunt, metuendum ſæpe, ne pereant, aut deteriora fiant.

QUANDO SIT LOCUS DEVOLUTIONI?

c. 6. de elect. in 6.

INCOMMODA DIUTURNÆ VACATIONIS.

An-

Digitized by Google

ORIGO DEVOLUTIONIS. *Novell.* CXXIII. c. I. *ſupra c.* 51.

Antiquiſſimum devolutionis jus eſt, cum illius meminerit Juſtinianus mandans: ſi qui debent *Epiſcopum eligere, citius ipſa decreta intra ſex menſes non faciunt. Tunc periculo propriæ animæ ille, quem competit ordinare, Epiſcopum ordinet*. Hinc infert Thomaſſinus: *Sapientia quadam incredibili majores noſtri in Eccleſiæ mores, & jura, devolutiones invexere, ut negligentiæ moderarentur Prælatorum inferiorum, & laſcivientem eorum poteſtatem intra juris limites cohiberent*. Hæc multa ratio fuit, quare Epiſcopi vacua relinquerent beneficia.

TERMINUS DEVOLUTIONIS. IN EPISCOPATIBUS OLIM MENSIS. DEINDE TRIMESTRE.

Incidit prima quæſtio, intra quod tempus Beneficiis providendum ſit? Priora ſunt evolvenda Secula, ut ad ipſam originem pertingamus. Teſtatur Synodus Rhemenſis anno 989., quæ ab antiquo fuerint Canonica tempora, nempe *quibus cavetur, nullam ſedem amplius triginta dierum ſpatio vacare debere*. Paulatim vero prorogatæ ſunt leges electionis, cum Beatus Anſelmus Cantuarienſis ad Thomam Electum Eboracenſem anno 1108. reſcripſerit: *Canonica authoritas præcipit, ut Eccleſiæ Epiſcopatus ultra tres menſes non maneant ſine Paſtore*; minatus, alias ſe facturum, *quæ pertinent ad Epiſcopale officium in Eboracenſi Archiepiſcopatu*. Sic anno 1142. Innocentius II. donavit Bituricenſi Archiepiſcopatu Petrum de la Chaſtre Biturigem, uſus hoc devolutionis jure, cum jam biennio vacaſſet iſta Eccleſia, vel non permittente Ludovico VII. Rege celebrari Canonicas electiones, vel ſuſpendente eo vanis accuſationibus electos. Regem tandem placavit adjuvante Petro Cluniacenſi Bernardus Clarevallenſis. Ejus verba ad Regem hæc ſunt, Evangelicæ libertatis plena: *Non ſilebo, quod illicitum illud, maledictumque juramentum inconſultiſſime uſurpatum a vobis contra Bituricenſem Eccleſiam (pro qua heu tot & tanta mala jam nunc merito provenerunt) non ita tandem corrigitis; ut Chriſti Ovibus apud Catalaunum Paſtorem præfici non ſinatis... Dico vobis non erit diu inultum, ſi hæc ita facere pergitis*.

Epiſt. CCXXII. *ad* Ludovic. Reg.

c. 7. de electione.

Præterea Alexander III. in Concilio Generali Lateran. an. 1179. Jus devolutivum confirmavit, ubi copiam fecit collatori, ejus Beneficia conferendi, qui ad Epiſcopatum electus ultra trimeſtre ſpatium ſuam Conſecrationem diſtulerit. Concordat Innocentius III. in Concilio Generali Lateran. an. 1215., *ut ultra tres menſes Cathedralis, vel Regularis Eccleſia Prælato non vacet: infra quos juſto impedimento ceſſante ſi electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant, eligendi poteſtate careant ea vice: ac eligendi poteſtas ad eum, qui proxime præeſſe dignoſcitur, devolvetur. Is vero, ad quem fuerit devoluta poteſtas, Deum præ oculis habens, non differat ultra*

c. 51. eod.

DEVOLUTIO COMMUNIS AD SUPERIOREM.

Digitized by Google

ultra tres menſes cum Capituli ſui conſilio, & aliorum virorum prudentium, viduatam Eccleſiam de perſona idonea ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illa, Canonice ordinare; ſi Canonicam voluerit effugere ultionem. Tandem Bonifacius VIII. circa finem Seculi Decimitertii, nova utitur interpretatione: *Igitur ſi Electores in hujuſmodi Eccleſia, vel ipſo jure, cum eligunt ſcienter indignum, vel per ſententiam, cum formam traditam in Generali Concilio non obſervant, eligendi poteſtate priventur: non ad dictum Superiorem, ſed ad Rom. Pont. poteſtas eadem devolvetur. Secus autem in inferioribus Eccleſiis eſt cenſendum*. Infra de Concordatis plura. In Hungaria Rex Apoſtolicus vigore certi Indulti vulgo Silveſtrini, aut immemorabilis præſcriptionis, ſpolium quorumcunque Regiorum Beneficiorum poſſidet, fructus vacantes incamerat, & vix infra annum tenetur providere, aut nominare. Nullum tamen devolutionis exemplum in hoc Regno unquam audivi. Indultum illud, quamvis nec in Bullario, nec in Collectione Labbeana legatur, aſſeritur eſſe Bullam Silveſtri II., Stephano Duci Hungarorum datam Romæ VI. Kal. April. Indict. XIII.

DEVOLUTIO AD ROM. PONT. *c. 18. de elect. in 6.* *ſupra c. 7. de elect.*

USUS HUNGARIÆ.

Cum electio Epiſcopi, atque Abbatis intra tres menſes fiat, aliæ tamen inferiores dignitates, & quævis Beneficia communiter concedi debent intra ſex menſes, ſive per electionem, ſive per collationem tam primi, quam ſecundi collatoris concedantur. Cœterum, ut loquitur Fagnanus, *non vendicat ſibi locum pœna devolutionis, hic ſtatuta in eo, qui debet inſtituere præſentatum a Patrono, ut tenent Domini de Rota;... quia hæc Decretalis loquitur in eo, ad quem ſpectat jus conferendi. Unde non extenditur ad eum, ad quem ſpectat jus inſtituendi: reſpectu enim inſtitutionis faciendæ non reperitur tempus a jure præfixum; & illam deciſionem refert, & ſequitur Abbas*. Sic neque in confirmatione quoad confirmantem, neque in permutatione quoad approbantem, certum tempus præſtitutum eſt; quia devolutio quantumvis juſta, odioſa eſt, & odia ſunt reſtringenda. *Demum pœna devolutionis locum habet, dummodo is, ad quem ſpectat collatio, diſtulerit conferre per negligentiam. Secus ſi per impotentiam juris, vel facti, etiam culpa contingentem... Ubi nota, hanc devolutionem poteſtatis, conferendi Beneficium ob negligentiam non conferentis, fieri ad proximum Superiorem gradatim... Unde ſi Capitulum infra ſex menſes non conferat, poteſtas devolvitur ad Epiſcopum, qui habet ſex menſes:... & Epiſcopo negligente ſit devolutio ad Metropolitanum, qui ſimiliter habet alios ſex menſes: eoque non conferente devolvitur poteſtas ad Patriarcham,*

TERMINUS IN BENEFICIIS INFERIORIBUS.

ad c. 2. de conceſſ. præbend. n. 32.

POENA DEVOLUTIONIS NON CADIT AD INSTITUTIONEM PRÆSENTATI.

NEQUE AD CONFIRMATIONEM, NEQUE AD PERMUTATIONEM.

n. 33.

UBI LOCUM HABEAT? *n. 34.*

AD QUEM FIAT?

Digitized by Google

cui Archiepiſcopus ſubeſt. Quod ſi Superiorem non habeat, ad Papam fit devolutio... Rurſus Papæ negligentiam nemo ſupplet, cum Superiorem non habeat: ſalvo tamen eo, quod habetur in c. Statutum de Præb. lib. 6., ubi ſi Papa Beneficium vacans in Curia non conferat infra menſem a die vacationis, Ordinarius confert. Præterea extra dubitationem cadit, *poteſtatem conferendi non tantum devolvi ex minoribus ad ſuperiores: ſed etiam ex ſuperioribus ad minores, quemadmodum hic fit devolutio de Epiſcopo ad Capitulum. Alias vero minor per negligentiam ſuperioris, vel paris non ſupplet, niſi ubi reperitur expreſſum*.

n. 37.

c. 3. de prabend. in 6.

n. 39.

AN SIT CONTINUUM TEMPUS DEVOLUTIONIS?

Tempus devolutionis continuum eſt: nec tamen currit a die vacationis veræ, ſed a die ſcientiæ, vel potius quando debuit ſcire ſuus collator: quia ubi non eſt ſcientia vel facti, vel juris, ibi non poteſt eſſe negligentia vera, propter quam devolutio introducta fuit. Imo qui allegat ſcientiam, eam probare tenetur, quia alias ignorantia præſumitur, quæ vacat culpa: & ratio eſt, quod ignorantia tanta foret delictum, cum mereatur tam gravem pœnam. Delictum vero præſumi non poteſt, ſed probari debet. Juſtum impedimentum non raro pro legitima excuſatione admittitur, cur debeat in integrum reſtitui: quamvis multi præſertim in devoluto Epiſcopatu excuſationes facile rejiciunt: in minoribus Beneficiis purgationes libentius audiunt. Uſui ſtandum, probo multarum rerum magiſtro.

VARII TERMINI.

Denique ad hanc cauſam facit, quod mandatarius, quando vacant duo Beneficia per obitum unius, ſi in ſuo mandato habeat clauſulam motus proprii, utique habeat decem dies ad eligendum, utrum velit Beneficium acceptare. Is vero, qui optionem præbendæ habet, intra viginti dies optare debet. Patronus vero Laicus intra quatuor menſes pro ſuo ingenio utique præſentare poteſt, Eccleſiaſticus autem Patronus intra ſex menſes. Sic vero devolutio introducta fuit, ne Beneficia diutius vacarent. Unde ſi finem ſaluberrimæ hujus inſtitutionis, quicunque ſit collator, aſſequi voluerit, quo citius fieri poterit, vacuas ſedes in Domino replebit. Aliquando enim devolutio in cauſa eſt, ut Beneficia quaſi diutius vacent. Firmiſſima illudendæ devolutionis cautela ſtat in nota regula Triennali, quia contra pacificam trium annorum poſſeſſionem devolutioni amplius locus non eſt, ut infra. De his devolutionibus multa utilia edifferit Petrus Rebuffus, abſtinentibus nobis progredi, cum præter ea, quæ diximus, vel dicemus alibi, hæc potiſſimum cauſa hodie facta ſit vix non magis conſuetudinis, quam juris.

c. 24. de præb. in 6.

c. fin. de conſuetud. in 6.

FINIS INSTITUENDÆ DEVOLUTIONIS.

CAUTELA UTILIS.

DE

Digitized by Google

DE MANDATIS, RESERVATIONIBUS, ET EXPECTATIVIS

TITULUS VI.

POſtquam lento gradu memoranda prorupit ſententia, ex plenitudine poteſtatis, quæ ſola pro cauſa eſſe poteſt, Papæ competere collationem omnium Beneficiorum non modo vacantium, ſed & non vacantium, antequam vacant: diverſi poſiti ſunt modi, quibus ſuprema vis ſuos ſortiretur effectus. Parum quidem profuit proviſiones Beneficiorum non vacantium in Concilio Lateranenſi an. 1179. inhibitas fuiſſe, cum ſint diſpoſitiones de hæreditate viventium, & alienæ mortis captationes: declaravit enim proximus Innocentius III. ſuæ intentionis non eſſe, inveſtituras de vacaturis factas contra Canonum inſtituta ratas habere, poſſe tamen de jure ſecundum plenitudinem poteſtatis ſupra jus diſpenſare. Ideo cum Papa ſupra Canones eſſe dicatur, hoc jus ſoli Pontifici adſcribitur, qui legibus ſolutus pronunciatur eiſdem, quibus ligantur Epiſcopi, cœterique inferiores collatores. Rem, qua poterit brevitate fieri, ab ovo deducimus. Imprimis quærit Thomaſſinus, num conferret Romanus Pontifex aliqua Beneficia in aliis Epiſcopatibus, præſertim extra Italiam, & quidem ante Caroli M. tempora? Inveſtigavit autem, primum fortaſſis Gregorium M. exeunte Seculo Sexto fuiſſe, qui Paulinum Epiſcopum in Brutiis, everſa a Barbaris ſede, Felici Meſſanenſi commendaſſet pro Monaſterio B. Theodori in Civitate Meſſanenſi. *Quam rem*, ait, *venerationi tuæ innoteſcendam prævidimus, ne te omiſſo aliquid inordinatum in tua Diœceſi contriſteris*. Charitas fuit, non imperium, quo non debuit uti pius Pontifex, donec nemo ſapientiſſimis ſuis conſiliis reſiſteret. Cœterum ſuas extraneis Clericis Eccleſias, extraneas ſuis communi voto perſæpe replevit. Pauperes Clericos, quos alere ſolus nequibat, aliis commendabat Epiſcopis. Pro ſuſtentanda paupertate alimentariæ diſtribuebantur penſiones. Id genus tantum Beneficiorum tunc erat. Eadem ſolicitudo cum exulibus, & deportatis Epiſcopis, quibus alimenta, Abbatias, novoſque Epiſcopatus procurabat, quemadmodum cum Paulino Brutio egit. Nihil tale extra Italiam, ſive adjacentes Inſulas tentatum a Gregorio fuiſſe intelleximus.

Conſule Fagnan. *ad c. 8. de Conſtit. n. 2. & ad c. 3. de Translat. Epiſcopi n. 38.*

c. 2. de conceſſ. præbendæ.

c. 4. eod.

PLENITUDO POTESTATIS ETIAM IN BENEFICIIS, QUÆ DICITUR PAPÆ COMPETERE.

p. 2. l. 1. c. 41.

MODERAMEN GREGORII M.

l. 1. epiſt. 38.

Magni tamen ponderis ſemper fuerunt Gregorii verba, & virtutes.

Digitized by Google

NONDUM FACILE QUIDQUAM FUIT EXTRA ITALIAM TENTATUM.

Epiſcoporum electionibus præſertim in Italia, tamquam intra fines ſuæ Metropolis, more cœterorum Metropolitanorum invigilabat, ne indignus eligeretur, neve negligentes nimis, & moroſi forent electores. Nondum auſim ſtrictas affirmare devolutiones, partes illas, quas tunc ſibi vindicabat Gregorius. Videtur enim compromiſſum, & arbitrium exercuiſſe, confluentibus undique cleri, & populi miſſis, quos aliquando invitabat, vel quia diſcordarent, vel quia Romæ dignum ſe inventuros ſperarent, quem domi non invenerant. Ideo contingit ſæpe, ut inter Compromiſſarios viduarum Eccleſiarum Deputatos Romæ coram Summo Pontifice extranea celebraretur electio. Exempla in antiquis monumentis crebra apparent. Quanta poteſtatis ampliandæ occaſio, quam vel ille non raro ſprevit, vel invitus quandoque illa uſus fuit. Succeſſores aliqui forte quæſiverunt. Poſthac evenit interdum, ut Romanus Antiſtes exauctoritatis aliis ſubſtituerit meliores Epiſcopos: quod alibi Metropolitani, & Synodi fecerunt Provinciales. Evenit, ut extra Italiam mitterentur Legati, vel Romam mitterentur rei Epiſcopi. Cuncta hæc peracta ſunt vel per compromiſſum, & arbitrium, vel citra conſuetudinem, & præter non amplius requiſitum Cleri conſenſum. Sic devicto ab impiis Saracenis Oriente, Antiochia, atque Hieroſolyma capta, Catholicis Epiſcopis fugatis, Monothelitis ope Conſtantinopolitani Patriarchæ intruſis, & Urbem ipſam vix unquam egreſſis, frequentius accidit. Hinc Martinus I. medio Septimo Seculo commiſit Joanni Philadelphiæ Catholico Archiepiſcopo, Epiſcopos, & Clericos ordinare ad omnes illas Eccleſias, ne propter anguſtias temporis, & preſſuras gentium, uſque in finem in illis partibus deficiat Sacerdotalis Ordo. *Eandem uſurpaverant libertatem Patriarchæ Conſtantinopolitani, ut deſignarent, ordinarentque Patriarchas, & Epiſcopos in Eccleſias omnes earum Provinciarum, quas Saraceni depopulati eſſent. Hi Patriarchæ, & Epiſcopi ita ordinati ævum omne plerumque ſuum Conſtantinopoli degebant, ut docet Eutichius Patriarcha Alexandrinus in Chronico ſuo Alexandrino. Titulares hi erant Epiſcopi, quos nec improbaſſet Martinus Papa Sanctiſſimus, ſi Monothelitarum veſania non laboraſſent.* Sequitur Thomaſſinus: *Raro interponebatur Romani Pontificis authoritas ad proviſiones Beneficiorum in aliorum Epiſcoporum Eccleſiis Seculo Octavo, Nono, & Decimo, regnante, vel imperante Caroli M. ſtirpe. Profitebatur Carolo M. Hadrianus I. literis ad eum datis, ante exemplo ſe illi, quam conſilio, & præcepto præiviſſe, ut nunquam Epiſcopalibus electionibus interſereret ſe: ſed contentus eſſet ei ſuffragari, quem Canonica ele-*

ZELUS R. P. ULTRA FINES ITALIÆ.

INFELIX OCCASIO ORIENTE VICTO.

Thomaſſ. *ſupra n.* 28.

TITULARES EPISCOPI.

ibid. n. 42.

LIBERTAS ELECTIONUM ÆVO CAROLI M.

electio teſtaretur merito, & pietate cæteris præpollere. Sæpe etiam ex devotione erga S. Petrum ordinandi Epiſcopi, & Presbyteri legitimis teſtimoniis, & dimiſſoriis litteris, ſeu conſuetis formatis proviſi, Romæ ejus Succeſſorem adibant propter Conſecrationem, aut Ordines ſuſcipiendos. Remiſſi Clerici non amplius preces, & commendatitias tabulas, ſed exemptiones, & privilegia exponebant, quos fortior in dies primæ ſedis authoritas tuebatur, Principibus aliquando annuentibus, aliquando abnuentibus, reliquis ſæpe reſiſtentibus. Atque ita majorem anſam exteri præbuerunt ampliandæ Pontificiæ Poteſtatis, ſaltem quoad exercitium: & quando bonus fervor ceſſavit, præſumpta vis offendit multos, neceſſitas multa coegit. ZELUS EXTERORUM.

Si initium, & progreſſum Juris, vel exercitium Summorum Pontificum in Beneficia alterius Diæceſis, mandataque, reſervationes, & expectativas uſque ad annum milleſimum trecenteſimum inquiramus, videtur, quod forte omnium primus Hadrianus IV. Anglus poſt an. 1154. poſtulaverit ab Epiſcopis, & Capitulis præbendas, vel dignitates quaſdam, quæ concederentur privatis perſonis de Eccleſia benemeritis. Sic ex ſingulari modeſtia rogavit Epiſcopum Pariſienſem, ut *primum Perſonatum, vel honorem* proxime vacaturum conferret Cancellario Regis Franciæ Hugoni, jam pridem Archidiacono Majori Atrebatenſi. Eundem diſpenſavit a reſidentia propter præbendam in Eccleſia Aurelianenſi poſſeſſam, quidquid repugnaſſent Canonici Aurelianenſes. Paullo poſt mandat, & mandando præcipit, ut Capitulum Pariſienſe eidem Cancellario vacantem, ſeu primo vacaturam *Præpoſituram* concedat. Propter pacem inter Franciæ, atque Angliæ Reges feliciter geſtam, Pontifex, Rex, Eccleſia, Regnum, omnia tandem conſpirabant in augendos optimi viri honores. Hadriani IV. Succeſſor, Alexander III. liberiori ſtylo utitur ad Abbatem, & Capitulum S. Remigii his verbis: *Devotionem veſtram per Apoſtolica Scripta rogantes attentius, monentes, atque mandantes*, ut nempe præbenda conferatur certæ perſonæ, quæ & eruditione, & ipſius Abbatis gratia floreret. Idem dum adhuc in Gallia degeret (quo ſe ad Ludovicum VII. receperat, ab Imperatore Friderico Ænobarbo, & Antipapa Victore pulſus) Regis, Reginæ quoque, & aliarum Magnarum Perſonarum precibus inductus, monet, mandat, præcipit, quatenus Capitulum Pariſienſe concedat Nepoti Meldenſis Epiſcopi vacantem, vel vacaturam præbendam. Hactenus evincitur, hæc mandata Principibus ipſis aliquando concurrentibus, Capitulis fruſtra aliquando obſtre-

QUANDO INCEPERINT MANDATA?

ibid c. 43.

Append. I. *Epiſt.* XLIII.

Epiſt. CVII.

pen-

pentibus, data fuiſſe vel ad vacantes, vel ad vacaturas præbendas, & dignitates. Alexander III. multas in Beneficiaria materia ordinationes fecit, quam ſui Prædeceſſores vix non intactam plerumque reliquerunt. Stephanus Tornacenſis ejuſdem mandata de providendo, nec non mandata Lucii III. ad inobedientes Aurelianenſes vel S. Aniani, vel S. Crucis Canonicos felici ſucceſſu promovit. Innocentius III. ineunte Decimotertio Seculo mandata, monitiones, præcepta, exequutiones, ubi jam aliter fieri nequivit, familiares habuit. Exequutores Apoſtolici, ceſſantibus, aut repugnantibus collatoribus, Beneficia ipſi conferebant, freti ſuprema R. P. authoritate, de cujus amplitudine poteſtatis jam pridem dubitare fas non erat. Nemo mirari debet, ſi vero poteſtas hæc non eodem ſemper limite, quoad exercitium ſaltem externum, ſe ſe circumſcripſerit, ſi repugnari amplius non ſit paſſa, poſtquam longo uſu corroborata fuit, Doctorumque & probiſſimorum hominum adgratulatione, & voto. Tantum ſuaſit communis utilitas, & maxima neceſſitas, quam tandem ii agnoverunt, qui ab initio magis reſtiterunt. Eadem pariter humanarum rerum ſors eſt, ut ſemper adoleſcant, vel ſeneſcant; augeantur, vel minuantur; nunquam diu conſtent eodem ſive in bonum, ſive in malum gradu. Virtutes, & vitia eandem ſæpe periodum habent aſcenſus, & deſcenſus. Habent eundem humanæ viciſſitudines ordinem tum in rebus ſecundis, tum in adverſis. Verum Honorius III. ab initio mitius agere, preces ſimulare apud Epiſcopos Galliæ pro unica tantum præbenda in ſingulis Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis, forte quia recens erat memoria Concilii Lateranenſis anno 1179., in quo Beneficiorum non vacantium proviſiones inhibitæ ſunt. Mox neceſſitate ſuadente per imperium egit: neque amplius unica contentus collatione, inſtar ordinarii collatoris cenſeri voluit non ſolum in Gallia, ſed etiam in Germania, & alibi. Angli, Gallique ſuo privato ingenio ducti, fortiter reſtiterunt. Otho IV. per Germaniam Pontifici ſavit.

c. 4. & ſeqq. de præbend. & dignitatib. & alibi.

c. 16. & ſeqq. eod.

EXEQUUTORES APOSTOLICI.

CONSIDERATIO IN VARIOS MORES.

COMMUNIS UTILITAS, ET NECESSITAS MULTA.

Marten. & Durand. *in Theſ. Anecdot. part.* I.

Rege, & Baronibus Regni urgentibus Gregorius IX. an. 1239. Patronatus Laicorum imperturbatos in Anglia relinquere ſingulari beneficio promiſit. Nihilominus Innocentius IV. multas debuit Anglorum, & Gallorum audire querelas in Concilio Lugdunenſi an. 1245., & ſequentibus annis contra Italos, qui ſubreptitie, & obreptitie immenſa utriuſque Regni Beneficia a Summo Pontifice extorſerant. Mollior factus propoſuit, ſe citra conſenſum Regis non facile proviſurum, abrogatis interea reſervationibus, & mandatis, quæ ſubrepta ipſi fuerant in Archiepiſcopatus, Abbatias, & Prioratus. Ale-

epiſt. XIII.

QUERELÆ CONTINUÆ.

EXAUDITÆ.

Digitized by Google

Alexander IV. cum Eboracenſi Archiepiſcopo durum negotium habuit, qui nec ſuſpenſionibus, nec excommunicationibus territus eſt, quia majori conſtantia, aut contumacia, quam quæ deceret, *inexpertos, & linguæ*, quæ tunc in Vallia vulgaris erat, *Gallicanæ ignaros renuit acceptare.* Idem Alexander IV. ſub idem tempus videtur ſe compoſuiſſe in Germania, quia Synodus Colonienſis an. 1260. vult in Eccleſiis Collegialibus ſervari ejuſdem Summi Pontificis Bullam, quæ vetat, ne plura eis infligerentur, quam *Quatuor* mandata reſervationum. De Urbano IV. nulla ſingularis mentio. Clemens IV. Beneficia in Curia vacantia non tantum reſervavit, ſed etiam altiori tuba proclamavit: quod, *licet Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum plenaria diſpoſitio ad Romanum noſcatur Pontificem pertinere, ita non ſolum ipſa, cum vacant, poteſt de jure conferre, verum etiam Jus in ipſis tribuere vacaturis.*

MULTA EBORACENSIS RESISTENTIA.
Matth. Pariſ. *ad an.* 1258.

TEMPERAMENTUM IN GERMANIA.
can. 13.

BENEFICIORUM CURIALIUM FORTE PRIMA RESERVATIO.
c. 2. *de præbend. in* 6.

Jurgiorum caput inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulchrum fuit, quod Legatus Pontificius nunciaſſet Regi, *penes Summum Pontificem eſſe ſummam poteſtatem conferendi Beneficia, quæ vacarent in Curia, vel alias, nec a Laico conferri ulla poſſe, niſi ſe permittente.* Conformis eſt Bulla data in Palat. Lateran. III. Non. Maj. an. I. Rex contra, diſſimulata priori Pontificiæ poteſtatis parte, quoad Jus Regium conferendorum Beneficiorum ſic reſpondit: *Eo uti Regem, uſumque hactenus eſſe, ſicut uſus erat Beatus Ludovicus Rex, ejuſque Prædeceſſores.* Hinc indignatus Papa electiones Capitulorum Regi adhærentium, Regiaſque nominationes quaſcunque ſuſpendit anno 1303., ſibique proviſiones Beneficiorum quaſi generali nomine reſervavit. Inde Prædeceſſorum ſuorum formas providendi in gratiam pauperum Clericorum ſummopere extendit, quorum tamen fides ſuſpecta Regno non debuit eſſe vel ob integritatem morum, vel ob eminentiam ſcientiæ, quantumvis inter plurimos Gallos oriundos aliqui etiam exteri proviſi fuiſſent. Accedit, quod ad alendos pauperes Clericos parum ſe extenderet domeſtica Prælatorum pietas, quorum negligentiæ, aut incuriæ pro bono univerſæ Nationis ſuccurrere voluit vigil, & ſupremus Paſtor.

Hiſt. de Differend.

DISSENSIONES INTER BONIFACIUM VIII., ET PHILIPPUM PULCHRUM.
Extrav. *c.* I. *de præbend.*

Clemens V. majorum, & minorum Beneficiorum reſervationibus non abſtinuit, fortaſſis connivente Rege, grato magis, cum quo cuncta diſſidia compoſuit, quæ Bonifacius VIII. incæpit. Proviſiones alias ſub titulo Commendæ de Eccleſiis etiam Patriarchalibus, & Monaſteriis, ad petitionem Regum, atque optimatum exortas idem Clemens V. revocaverat. Magnæ in Concilio Vienneſi an. 1311. querelæ, exiguum remedium.

ibid. c. 3.

A SUCCESSORE COMPOSITÆ.

ibid. c. 2.

Joan-

ibid. c. 4.
Novæ Joannis XXII. reſervationes.

Joannes XXII. mandat anno 1318., habentes plura Beneficia unicum retinere poſſe, reliquis infra menſem dimiſſis, quacunque etiam diſpenſatione præcedenti revocata. Excipit tamen Cardinales, & Filios Regum: quæ omnia, & ſingula Beneficia vacatura, ut præmittitur, vel dimiſſa, ſibi, & Apoſtolicæ Sedi reſervat. Interea Monaſterium Montis Albani in Gallia, & Epiſcopatum Vintonienſem in Anglia eodem anno 1320. providit.

ibid. c. 9.

Omnium ampliſſima Bened. XII. ibid. c. 13.

Nulla hactenus incircumſcripta minus apparuit reſervatio, quam illa Benedicti XII., quæ inſcribitur: AD REGIMEN; & in qua ſibi reſervat quæcunque majora, & minora Beneficia in Curia quomodolibet vacantia, & vacatura. Item per depoſitionem, privationem, translationem, aut muneris Conſecrationis ſuſpenſionem vacantia, & vacatura. Item per electionem, & poſtulationem non admiſſam, aut renunciationem vacantia, & vacatura. Item Curialium quoruncumque, & aliorum accedentium ad Curiam, vel recedentium, ſi moriantur in locis ultra duas diætas legales ab ipſa non diſtantibus, vacantia, & vacatura. Denique confirmatis Prædeceſſoris ſui quibuſcunque quomodocunque factis proviſionibus, videtur dicere, illa prius reſervata, & affecta fuiſſe quæcunque Secularia, vel Regularia Beneficia, quandocunque ſibi placuit, vel placuerit cunctis temporibus providere. Ne quis rudis immanem dominandi cupiditatem in Benedicto XII. male ſuſpicetur, teſtantur Rainaldus, & Spondanus, non alia de cauſa id factum fuiſſe, quam ut dignioribus Beneficia conferantur. De eodem Pontifice Scriptor coævus narrat: *Juſtus erat, & durus, Beneficia reſervavit, & vix conferre voluit, timens, ne conferrentur indignis.*

Excuſatur.

Nova neceſſitas reſervationum.

Benedicti XII. Succeſſor, Clemens VI. ſæpe fuit in maxima anguſtia conſtitutus, hinc innumeris pauperibus Clericis concurrentibus pro ſubſidio ex multis Beneficiis comparando, illinc Gallis, Anglis, Hiſpanis non raro ſubſidium omne recuſantibus. *Inexorabilis quædam videbatur illis*, ideſt RR. PP., *incubuiſſe neceſſitas, hæc adhibendi importuna alioqui remedia levandæ egeſtatis ſuæ poſt tranſvectam* autore Clemente V. *Avenionem Romanam Curiam, quod eam arripuiſſent nefarii Prædatores anſam invadendi Dominii, vel Patrimonii Eccleſiæ Romanæ in Italia. Dolori fuit Galliæ, & ingenti diſpendio illa, quam ſibi gloriæ, & compendio fore augurabatur tranſmigratio. Quanquam nec illud diſſimulari debeat, cum plerique Cardinales per annos hos tranſmigrationis ſeptuaginta Gallicæ fuerint Gentis, ingentes illas opes, quæ in Cardinalium confluebant manus, a Gallia ipſa* non

Thomaſſ. ſupra c. 44. n. 7.

Digitized by Google

non effluxiſſe. Quæ ideo proferuntur, ut pateat, quam iniquæ fuerint tunc quoque Gallorum imprimis multæ querelæ. Quod autem ad ſingularia ſuccedentium Canoniſtarum placita pertinet, ſatis multi crediderunt, ejuſmodi placita tantum valuiſſe, quantum uſus, & conſuetudo cujuſque ævi ubique conceſſit.

Innocentius VI., Urbanus V., Gregorius XI., qui Avenione redux Romæ anno 1378. obiit, moderatiores fuerunt. Poſt mortem Gregorii XI. infandum ortum eſt ferme annorum quadraginta Schiſma, Romanos inter, & Avenionenſes Pontifices, inſtigante Joanna Neapolitana; quæ Urbanum VI., Gregorii XI. Succeſſorem verita, Gallicanarum partium Cardinalibus animos fecit, ut illatam prioribus Comitiis ſibi vim ulciſcentes, Clementem VII. novum Pontificem crearent. Is Avenionem ſeceſſit. Credibile eſt, quantis Romanus, & Extraneus Papa reſervationibus, expectativis, privilegiis, exemptionibus, diſpenſationibus, & quibuſcunque aliis Beneficiis ſtuduerint animos Principum fautorum, & familiarium ſuorum captare. Teſtes Nicolaus Clemangius, Theodoricus Niem, & alii coævi Scriptores. Credibile eſt, multos ſæpe occaſionem nactos eſſe multis proviſionibus reſiſtendi. Sic anno 1391. Richardus II. Angliæ Rex in ſuo Parlamento decrevit, ut electiones, & patronatus redeant ad viam Canonicam, ſive ad antiquam libertatem. Sic Pariſienſis Synodus an. 1399. ſtatuit, auferri expectativas. Sic Conventus Complutenſis eodem anno ſtatuit. Benedictus XIII., quem Gallia anno 1403. pro legitimo Pontifice habuit, nunquam potuit amplius convenire cum Carolo VI. Rege, poſtquam is cauſam reſervationum movit. Tandem anno 1408. in Conventu Pariſienſi Petrus de Luna, hactenus Benedictus XIII., ſchiſmaticus, hæreticus, contumax, pacis, atque unionis Eccleſiæ perturbator declaratus fuit, ſpoliatus omni dignitate, & juriſdictione. Concilium Piſanum an. 1409. depoſitis Petro de Luna, & Angelo Corario, qui ſe in Pontificatu Gregorium XII. dixit, Alexandro V. Pontificatum cum omnibus juribus, & reſervationibus obtulit: quamvis ipſe multas reſervationes, & annatas condonaverit Eccleſiarum paupertati. Concilium Conſtantienſe an. 1414. indictum præſentavit futuro Pontifici inter octodecim Reformationis articulos, ordine II. de Reſervationibus Sedis Apoſtolicæ, III. de Annatis, & Communibus ſervitiis, IV. de Collationibus Beneficiorum, & Gratiis Expectativis. Martinus V. 11. Nov. an. 1417. concorditer electus fuit, & 2. Maji ſequentis anni in eadem Civitate Conſtantienſi publicavit concordata cum ſingulis Nationibus inita.

SCHISMA AVENIONENSE.

MULTA OCCASIO RESERVATIONUM.

MULTA OCCASIO RESISTENDI.

Rainald. *n.* 15.

BENED. XIII. VICISSITUDINES.

Fleury *liv.* 100. *n.* 10.

ALEXANDRI V. ÆQUITAS. *n.* 33.

QUID SENSERIT SYNODUS CONSTANTIENSIS?

CONCORDATA MARTINI V.

Edictum Caroli VI. an. 1418.

l. 3. c. 6. n. 5. l. 6. c. 9. n. 6.

Revocatur an. 1435.

Bulla Martini V. de octo menſibus.

Galli minus acquieverunt. Eodem an. 1418. edictum Caroli VI. Clero, Conſilio, & Parlamento conſentientibus promulgatum eſt, reſervationes perpetuo aboleri, niſi quæ ſunt in corpore Juris, ideſt in Decreto, & Decretalibus; nec non quæ ſecundum antiqua Jura communia, Conciliaque Generalia aut neceſſariæ, aut valde utiles in Eccleſia noſcuntur eſſe: ſcilicet devolutio ad Papam propter culpoſam indigni electionem, vel propter Beneficia vacantia in Curia, vel propter Epiſcoporum Translationes. Conſule Petrum de Marca Pariſienſem Archiepiſcopum in Concordia Sacerdotii, & Imperii. Caroli VI. edictum confirmavit Succeſſor Carolus VII. an. 1422., revocavit an. 1435., ſolutus Sacramento priori, quo ſe forte ligavit olim Delphinus, nondum Rex: atque ita jura omnia Summorum Pontificum videtur reſtituiſſe, inductus monitis Reginæ Neapolitanæ, & Britanniæ Ducis. Bullam Martini V. de octo menſibus Pontifici, quatuor menſibus Ordinario aſſignatis Eugenius IV. anno 1431. renovaverat. Exteræ Nationes nunquam ſatis acquieverunt.

Decretum Baſileenſe an. 1436.

Seſſ. XXIII. c. 6.

In Gallia publicatum, Romæ rejectum.

Pragmatica an. 1418. inde novas vires ſumpſit.

Concilium Baſileenſe (cujus non eadem omnibus auctoritas, & quando anno 1431. convocatum fuit ab Eugenio IV., & quando diſſolutum fuit anno 1432., vel Ferrariam translatum anno 1437.) reſervationes omnes tam generales, quam ſpeciales, ſive particulares caſſavit, & annullavit, reſervationibus in corpore Juris expreſſis, & his dumtaxat exceptis, quas in Terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeu utilis dominii, mediate, vel immediate ſubjectis fieri contigerit. Canonicas item electiones, & antiquas confirmationes reſtituit, ſalvo Jure devolutionis, quod in tribus citatis caſibus inconcuſſum manſit. Galli Baſileenſe Decretum (quod Romæ nunquam probatum fuit, rejectum ſemper) in Bituricenſibus Comitiis anno 1438. publicarunt, & auctoritate Regia ſanctioni pragmaticæ cum debitis clauſulis, & modificationibus pro perpetua Regni lege inſeruerunt. Reſtrictiones iſtæ quomodo placuiſſent Eugenio IV., & Pio II., cum interea nota Caroli VI. Pragmatica an. 1418. in dies magis magiſque obſervaretur in Gallia?

Revocata an. 1461.

Reſtituta illico.

Ludovicus XI. ſuadente Cardinali Atrebatenſi ſeu cupidine conciliandæ Pontificis amicitiæ ad recuperandam aliquando Siciliam, ſeu averſione rerum omnium, quæ ſuus parens geſſerat, authenticam, & autographam pragmaticæ chartam ad Pium II. an. 1461. Romam miſit, addito perpetuæ abolitionis diplomate. Senatus Pariſienſis adeo clamavit, ut eodem anno reſtituta, & in uſum revocata ſit, quia Cardinalis Atrebaten-

Digitized by Google

batenſis ſorte ob denegatos uno tempore duos Epiſcopatus, altero recuſato, optione rejecta, Papæ in damnandam Epiſcopatuum pluralitatem non conſentienti quaſi inimicus factus eſt. Neque vero pragmaticæ uſus ita reſtitutus eſt, ut ſubinde non interveniſſent reſervationes, atque expectativæ. Rex Pontificis gratiæ tunc magis ſtudebat, ne fratri ſuo neceſſariam annueret diſpenſationem ad ducendam Mariam Caroli Ducis Burgundi Filiam, & Hæredem: quæ tamen 20. Auguſti an. 1477. Gandavi Maximiliano Friderici IV. Cæſaris Filio multa celebritate nupſit, defuncti Parentis voluntatis, & Sacramenti conſcia. Sixtus IV. Concordatum propoſuit Ludovico XI. in Bulla anno 1472. Ordinariis Regni Franciæ ad conferenda Beneficia concedit ſex menſes, reſervatis tamen ſibi ſex Gratiis Expectativis, nec non Beneficiis Cardinalium, aut eorum Familiarium. Terminum ponit quatuor menſium ad conſentiendum, vel diſſentiendum. *Scias autem*, innuit Rubrica, *quod hujuſmodi concordata, tamquam Juri communi, & Decretis Conſtant., & Baſileen. contraria non ſunt effectum ſortita*. Sub Carolo VIII. Canonicæ electiones nonnullæ; diſſenſiones plurimæ, quas Innocentius VIII. de medio tollere fruſtra tentavit. Ludovicus XII. Caroli Ducis Aurelianenſis filius anno 1499. labeſcentem prope pragmaticam reſtituit, quidquid Julius II. in Concilio Lateran. anno 1512. pro ejuſdem abolitione molitus fuiſſet, Ludovici XI. ſoceri caſſationem anno 1461. imprimis citans. Tandem affulſit pax anno 1515., ubi Leo X., & Franciſcus I. Bononiæ per ſe ipſos celeberrimum inierunt Concordatum Bononiæ. Bulla Leonis X. pro revocatione pragmaticæ lecta eſt, & confirmata in eodem Concilio Lateranenſi; & in eadem Seſſione XI. an. 1516. approbatum eſt Concordatum Bononienſe, inſertumque actis Concilii.

MUTUÆ, ET CONTINUÆ DISSENSIONES.

Extrav. Comun. c. 1. *de tregua, & pace.*

PROPOSITIO SIXTI IV. NON ADMISSA.

ANTIQUÆ DISCORDIÆ SUB CAROLO VIII. AUCTÆ SUB LUDOVICO XII.

Seſſ. IV.

SUMMA CONCORDATI.

Summa Concordati, quod Petrus Rebuffus utiliſſimis commentariis ipſi Franciſco Regi dicatis paullo poſt illuſtravit, hæc eſt. *Pragmatica* aboletur. Rex nominabit *intra ſex menſes* Epiſcopum; qui niſi ſit idoneus, novas *unius Trimeſtris* inducias habet. *Expirato Trimeſtri*, ubi Rex officio ſuo functus non eſt, Papa, qui & alias ſemper confirmabit nominatum, *Jure devolutionis* conferet vacantem Eccleſiam. *Epiſcopatus in Curia vacantes* conferet Papa non ſecus, ac *Abbatias, & Prioratus* tam Seculares, quam Regulares *in eadem Curia vacantes*, ſalvo Jure Eccleſiarum quarumcunque ex Privilegio Apoſtolico Canonicam electionem habentium. *Ætas Epiſcopi* annus XXVII., qui tamen licentiatus ſit Theologiæ, aut Juris. *Ætas Abbatis, & Prioris* annus XXIII., non infra,

LII 2 quia

quia alias non haberetur idoneus : Papa vero poſt novum *trium menſium* ſpatium pari devolutionis Jure provideret.

Reſervationes, *& Expectativæ* penitus extinguuntur. *Præbenda Theologalis* ſemper pro *Graduato in Theologia* ſervatur. Collatores inferiores, & Patroni *unumquodque tertium Beneficium* tenentur conferre *Graduatis*; quod idem eſt, ac dicere : Collatores omnes, & Patroni Eccleſiaſtici dare tenentur tertiam partem Beneficiorum Graduatis. *Pontifex unuſquiſque* ſui Pontificatus tempore toto *unum* poterit Mandatum Apoſtolicum dare collatoribus iis, quibus decem ſaltem Beneficia ſuppetent conferenda. *Duo* autem iis, quibus quinquaginta ſuppetent, & amplius. *Mandatarii* graduatis anteponuntur. Denique gaudet ſemper Pontifex *Jure Præventionis* : poteſt autem creare *Canonicos* in Cathedralibus, & Collegialibus, ut in iis dignitates, perſonatus, vel officia obtinere poſſint; quod alias non poſſent ex hujuſmodi Capitulorum ſtatutis. Clemens IX. an. 1668. extendit Concordatum ad quaſcunque Regiones tunc Galliæ Regno jam adjectas, ſive incorporatas. Hæc ſumma Concordati eſt. Ad hæc, quæ hactenus deducta ſunt ab initio, reflectit juſto compendio Thomaſſinus : *Collatores*, *& inſtitutores primarii omnium ſuæ Diœceſi Beneficiorum fuere Epiſcopi*, *utpote earum omnium Eccleſiarum Fundatores*, *vel Fundatorum Hæredes*, *& Succeſſores*. *Longo Seculorum decurſu*, *Juris illius Epiſcopalis rivuli aliqui in Patronos*; *ſeu Laicos*, *ſeu Eccleſiaſticos*, *in Inſtitutores item*, *& Collatores alios plures dimanarunt* : *ita tamen ut jam ab exordio Epiſcopi jure hoc ſuo gavisi ſint nominando*, *nominatos ab aliis inſtituendo*, *conferendo*, *aliorum collationes conſenſu ſaltem tacito ratos habendo*. *At Romani Pontifices ex adverſo*, *etſi a Petro orti*, *omnium Eccleſiarum parente*, *non tamen fere ſe interpoſuere in ullas Beneficiorum proviſiones per cæteras extra Italiam Provincias annis amplius centum ſupra mille*. *Principum ambitione*, *piorum*, *doctorumque Virorum inſtigatione*, *Seculo demum Duodecimo aliquid hujuſmodi agreſſi ſunt*. *Ea poteſtas*, *ut ſolet*, *lapſu temporis latius ſerpſit*, *ulteriuſque progreſſa eſt*, *quam plerique optaſſent*. *Ita modos*, *fines*, *& temperamenta ei mox adhibuere Principes*, *Concilia*, *Pontifices ipſi*. Aliud ſupereſt nobis documentum. *Sive Pontifices*, *ſive Epiſcopi*, *Patroni*, *aut Collatores Beneficia diſpenſent*, *unum id curæ*, *unum id cordi eſſe debet*, *ut dignioribus ea largiantur*; *& paratioribus Eccleſiam ædificare*, *& ornare moribus*, *ac obſequiis ſuis*; *ut una ſit*, *eaque religioſiſſima*, *qua omnes ſuccendantur*, *æmulatio*, *non qui Beneficia conferant*, *ſed qui ſanctius*, *qui ſanctioribus conferant*.

COMPENDIUM DISCIPLINÆ BENEFICIARIÆ.

ſupra c. 45. *n.* 14.

NOVUM DOCUMENTUM.

Ad

Ad Concordatum Gallicanum ſpectat quodammodo Jus Regaliæ, quare Reges vacantium Beneficiorum fructus, titulo primævæ fundationis ab immemorabili conſuetudine percipiunt. Quidquid ſit, allegatur Synodus Lugdunenſis an. 1274. negaſſe, Jus Regaliæ introduci poſſe in aliis Eccleſiis, in quibus nondum in uſu foret. Libertates iſtarum Eccleſiarum a Philippo Pulchro, Philippo Valeſio, Ludovico XII., Henrico IV., & Ludovico XIII. confirmatæ ſunt, & in Camera Pariſienſi regiſtratæ. Nihilominus novo edicto dato 6. Octob. an. 1637. Cardinalis Richelieu mandavit Epiſcopis, alias exemptis, & Archiepiſcopis, ut doceant de Titulo Exemptionis ſuæ. Multi docuerunt, ſalvo Jure &c. ſine præjudicio &c. Idem Cardinalis menſe Februario anno 1673. ſingulis Epiſcopis, & Archiepiſcopis (exceptis tamen illis, qui titulo oneroſo exempti fuerant) mandavit præſtare juramentum fidelitatis, & infra bimeſtre in Camera computorum, manum Regiam levare, ſub pœna privationis, declarandique eorum Beneficia vacantia. Regi obediverunt reliqui præter Electæ, & Apameæ Epiſcopos, multa ideo paſſos. Conſule Natalem Alexandrum.

JUS REGALIÆ.

Conſtitut. XII.

Tom. VII. *pag.* 424.

Ut adhuc ſemel ad primum negotium utiliter revertamur, repetendum eſt, quod Decretum Baſileenſe an. 1436. de abrogandis Expectativis, & Reſervationibus, plurimis in locis non fuerit receptum, aut non fideliter obſervatum. Jam ubique vigent concordata, aut conſuetudines. Extra Germaniam vix ſuperſunt Capitula, quæ libera ſuorum Epiſcoporum electione fruantur. Plerumque alii Principes ſuos nominant Epiſcopos, quos Papa confirmat. Manet ordine præpoſtero hic indagare, quid de hac re actum ſit in Synodo Tridentina? Monuerant enim ſub Paulo III. Prælati reſtituendæ diſciplinæ delecti: *Alius abuſus eſt in expectativis, & reſervationibus Beneficiorum, quibus & datur occaſio, ut aliena mors deſideretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum ſupremum dignioribus; cum vacant, dant litibus anſam. Omnes has putamus tollendas eſſe.* In hunc ferme ſenſum decernit Sancta Synodus, *mandata de providendo, & gratias, quæ expectativæ dicuntur, nemini amplius etiam Collegiis, Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus perſonis, etiam ſub nomine Indulti, aut ad certam ſummam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus conceſſis cuiquam uti licere. Sed nec reſervationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura, nec indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui, etiam ex Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, concedantur, & hactenus conceſſa abrogata eſſe cenſeantur.*

DECRETUM BASILEENSE SALTEM HODIE LOCUM NON HABET AMPLIUS.

MENS SYNODI TRIDENT. DE EXPECTATIVIS.

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 19. *de Reformat.*

Ex

Varia disciplinæ capita.

Ex his reſultat, expectativas eſſe ſublatas: neque operaretur ſatis Ordinariorum conſenſus ſuperveniens, qui alias a Superioribus eiſdem facile extorqueri poſſet. Reſultat Canonicum ſupernumerarium cum effectu ſucceſſionis neque a Capitulo, neque ab Epiſcopo creandum eſſe. Honorarios Eccleſiæ Collegialis Caſtriferrei in Diœceſi Jaurinenſi vidi Canonicos ab Ordinario creatos, apud quos cum ſubſiſtat merus titulus ſine fructibus, abſque ſtallo, & choro, abſque omni vera ſpe ſucceſſionis, nec laudo, nec vitupero. Reſultat primarias preces Auguſtiſſimi Imperatoris non venire ſub nomine expectativarum. Reſultat derogatum eſſe Mandatis de providendo in Gallia, quæ modo dicto ſtipulata fuerant: vel ſaltem juxta Claudium Fleury hinc ea pars Concordati, quæ ad mandata Apoſtolica pertinet, non amplius in uſu eſt. Reſultat derogatis expectativis, non derogari reliquis proviſionibus de Jure, vel de Conſuetudine, vel de Concordatis ad Sedem Apoſtolicam, ſive ad alios quoſcunque legitimos collatores ſpectantibus, aut ſpectare debentibus. Porro unum eſt neceſſarium, ut perſonæ Eccleſiis, non autem Eccleſiæ perſonis profundantur: Proviſiones vero Beneficiorum ad ædificationem altaris, & ſine acceptatione perſonarum fiant.

In Cauſ. Camerac. *Congreg. Concil. an.* 1575. Inſtit. Canoniq. *Seconde Partie chap.* 15. *n.* 7.

DE CONCORDATIS GERMANIÆ

TITULUS VII.

p. 2. *l.* 2. *c.* 38. *n.* 1.

Inveſtituræ Othonum.

PRæmonendi ſunt, qui legunt de cauſa Concordatorum: Miſſis antiquiſſimis electionibus Canonicis, *Indubium eſt*, ait Thomaſſinus, *a tribus Othonibus Imperatoribus Eccleſias Epiſcopales, & Abbatiales donatas fuiſſe, donatas & earum per pedum inveſtituras. Sed tria ſunt, quæ in eo obſervari conducat.* 1. *Illos ipſos fuiſſe primos Inſtitutores ſub Romani Pontificis autoritate, & Fundatores complurium Epiſcopatuum eorum in Regionibus Germaniæ non ita pridem Chriſto ſubjugatis.* 2. *Semper fere ſpectatiſſimæ pietatis, & ſapientiæ viros ab eis deſignatos fuiſſe.* 3. *Non ſemper excluſas fuiſſe ab eis electiones; ſed vel toleratas, vel perpetuo privilegio quibuſdam Eccleſiis indultas; denique pro virili operam datam fuiſſe, ut Regiæ nominationes, Cleri & Populi electionibus permiſcerentur. Idipſum invictiſſimis documentis roboratur. At non multo poſt occæpere Reges, & Imperatores, electiones proterere, nundinari Epiſcopatus, Epiſcopos obtrudere ſacro miniſterio impares. Statim Pontifices, & Epiſcoporum Concilia inſurrexere, & injurioſum jus laicæ inveſtituræ illis extorſere.*

Abuſus.

Fœdi

Digitized by Google

Fædi quippe, ac perpetui fere diſſidii Pontifices inter, atque Imperatores infelix autor fuit Henricus IV. Id illi certe probro maximo datum eſt a multis Germaniæ Principibus apud Sanctiſſimum Pontificem Gregorium VII.; *qualiter omnem in ſtatuendis Epiſcopis Canonicæ electionis libertatem adimeret, ponens per violentiam Epiſcopos, quos voluiſſet*. Sic Henrico V. ejus filio objecerunt Epiſcopi Germaniæ apud Paſchalem II.; *Meminiſti, qualiter Epiſcopatus, Abbatias, & omnia Eccleſiæ regimina feciſti venalia: nec fuit in conſtituendis Epiſcopis ulla legitimæ electionis facultas, ſed ſola pecuniæ ratio*. Non eſt, quod inveſtituræ haberentur malæ, ſed quod abuſus tolerari amplius nequirent, excluſa omni præcedenti Canonica electione. Quare Gregorius VII. in Conc. Rom. anno 1078., & anno 1080. Inveſtituras prohibuit, damnatis & Epiſcopis, qui ſuſcipiebant, & Principibus, qui dabant manu laica ſacræ poteſtatis inſignia. Concordarunt Victor III. in Conc. Beneventano an. 1087., & Urbanus II. in Conc. Claromontano anno 1095. Fruſtra tentata fuit Concordia in Conc. Catalaunenſi an. 1107., præſente Rege Galliæ Ludovico Craſſo, ad quem confugerat Paſchalis II.; nempe ut Epiſcopi reſignarent Imperatori, quidquid Imperatorii juris erat, reſtitutis forte innumeris prædiis, & dominiis, quæ ab optimis Imperatoribus Carolo M., Ludovico P., Othonibus, & aliis acceperant: Imperator vero *dimitteret Eccleſias liberas cum oblationibus, & poſſeſſionibus ſuis, quæ ad Regnum non pertinent*. Qui cum Germanis convenire nequivit Paſchalis II., cum Anglis, & Gallis rem ita compoſuit, ut jam nullæ amplius inveſtituræ fuiſſent. Apparuit tamen inter Calixtum II., & Henricum V. nova concordia, qui in Concilio Romano an. 1112. tranſegerunt ad hæc capita: ut in Germania electiones Epiſcoporum, & Abbatum Imperatore præſente celebrarentur, *abſque ſimonia, & aliqua violentia*. 2. Si qua inter partes diſcordia emerſerit, *Metropolitani, & Provincialium conſilio, & judicio, ſaniori parti auxilium, & aſſenſum præberet*. 3. Inveſtituras Feudorum tantum Imperii, Epiſcopis, & Abbatibus, non jam per *Baculum, & Annulum* Sacrum, ſed *per Sceptrum daret*. 4. Epiſcopi, & Abbates jura, & officia Feudorum Imperatori fideliter perſolverent. 5. In aliis vero partibus Imperii, extra Germaniam electi Epiſcopi, & Abbates conſecrarentur primum: Conſecrati vero infra ſex menſes ſe ſiſterent pro recipiendis Regalibus. 6. Viciſſim Sacramento firmare debuit Imperator per hæc verba: *Dimitto Deo, & Eccleſiæ inveſtituram omnem per Annulum, & Baculum, & concedo in omnibus Eccleſiis, quæ in Regno,*

DISSIDIUM HENRICI IV. CUM GREGORIO.

Helmod. Chron. Slavor. *l.* 1. *c.* 28.

DISSIDIUM HENRICI V. CUM PASCHALE. *ibid. c.* 32.

QUARE SINT DAMNATÆ INVESTITURÆ LAICÆ?

Chron. Caſſinen. *l.* 4. *c.* 35.

Eadmer. *Hiſt.*

CESSANT INVESTITURÆ IN ANGLIA, ET GALLIA. CONCORDIA INTER CALIXTUM II., ET HENRICUM V.

Otto Friſingen. Chron. *l.* 7. *c.* 14. 16.

vel

Digitized by Google

vel Imperio meo ſunt, Canonicam electionem, & liberam Conſecrationem. Forte ſimilis inveſtitura etiam in Gallia poſtea locum habuit, non quidem Sceptro, ſed Regio reſcripto, quod eſt *Inveſtire manu, nutu, lingua.*

Ivo Carnutenſis.

Nova dissidii causa.

Quidquid in Germania electiones vigerent, ex ea potiſſimum, quam Calixtus II. an. 1112. Imperatoribus conceſſerat, facultate rei pacandæ, vel *auxilii*, & *aſſenſus* præbendi, ubi eſſent aliquæ diſſenſiones, quæ quidem frequentiſſimæ erant, diſſenſiones emergebant multo difficiliores. Jurgiorum caput hoc fuit inter Alexandrum III., & Fridericum Ænobarbum uſque ad an. 1177., quo pax Eccleſiæ reddita fuit. Deinceps cum de Romano Imperio decertaretur poſt mortem Henrici VI. anno 1179. inter Philippum Henrici defuncti fratrem, & Othonem Saxoniæ Ducem, Innocentius III. providam arripuit occaſionem: nec antea Othonis partibus ſe adjunxit, quam hic promiſiſſet anno 1209., ſe Canonicas electiones nullo modo amplius turbaturum, ideſt nec diſſenſurum electioni concordi, nec dijudicaturum electionem diſcordem, quantum ad validitatem electionis faceret, *dummodo nihil ei obſtet de Canonicis inſtitutis.* Fridericus II. Henrici VI. filius, ubi Imperator electus fuit, eadem ſe ſponſione, iiſdem verbis an. 1213. ſe obligavit, tantum ut amicitiam Pontificis ſibi conciliaret. Interea frequentiſſimæ electiones in Germania, rariores, & extra ordinem Pontificiæ proviſiones. Gregorius IX. varias admiſit poſtulationes, nonnullas impertivit diſpenſationes. Clemens IV. Eccleſiam Salisburgenſem contulit Præpoſito Vice-Gradenſi, poſtquam Prædeceſſor ſenio, & morbo attritus Archiepiſcopatum in manus Romani Pontificis libere reſignaſſet.

Rainaldus *an.* 1209.

Nova Concordia inter Innocent. III. et Othonem IV.

Rainaldus *an.* 1213. *n.* 23.

Rainaldus *an.* 1275.

Rudolphus Habsburgicus domeſtica pietate, bellicaque virtute clarus, Othonis IV., & Friderici II. Sacramentum de liberis electionibus coram Gregorio X. anno 1275. Lauſannæ renovavit. Poſthac tantum abeſt, ut Auſtriaci Cæſares pro inveſtituris, aut fructibus Eccleſiarum vacantium quidquam molirentur; quin imo liberas electiones in terris Imperii perpetuo tutati ſunt, excluſis, quantum fieri potuit, mandatis, reſervationibus, atque expectativis, donec ad tranſactiones deventum ſit. Ad hæc attonitus clamat Thomaſſinus: *Illud arcanæ numinis providentiæ non poſſumus non magnopere mirari conſilium, quod, cum in Germania electiones & audacius fuerint, & diutius oppugnatæ: ea ipſa nunc ſit earum retinentiſſima, & una propemodum Chriſtiani Orbis Provincia, in qua adhuc vigeant. Nec illud fortaſſis ſtupendum, quod, ut prius Romani Pontifices invictiſſima conſtantia fregerunt contumaciam Principum Germanorum, electio-*

Insignia Imperat. Austriacorum merita.

*p.*2. *l.*2. *c.*38. *n.*10.

Justa meditatio.

nes

Digitized by Google

nes impugnantium: poſt Germani Principes ſtrenue certarint, ut concordata ſibi ſua ad tuendas electiones concederentur a Pontificibus adverſus Pontificias maxime reſervationes. Hæc præmitti debuerunt in præſenti cauſa. Jam vero extat Concordatum inter Fridericum III., & nonnullos alios Eccleſiaſticos, nec non Seculares Principes inclytæ Nationis Germanicæ ex una, & Cardinalem S. Angeli Legatum de Latere ſpecialiter deputatum ex alia partibus, Romanæ Eccleſiæ, & dictæ Nationis nominibus, perpetuis valiturum temporibus, debitiſque ſolemnitatibus per ſpecialem Bullam, quæ incipit, AD SACRAM PETRI SEDEM &c. Romæ publicatam XIV. Kal. April. anno 1448., a Nicolao V. confirmatam. Videbantur cuncta diſſidia compoſita. Interim multæ quæſtiones quotidie fiunt. Summa eſt.

EPOCHA CONCORDATI.

Imprimis vigore citatæ extravagantis EXECRABILIS &c., & AD REGIMEN &c. reſervat ſibi Nicolaus V. in perpetuum quæcunque Beneficia majora, vel minora quocunque modo vel in Curia, vel in locis a dicta Curia ultra duas diætas legales non diſtantibus decedentium vacantia, & impoſterum vacatura. Curia ibi dicitur eſſe, ubi Papa eſt, niſi Bulla ſpeciali declaraverit Curiam Romæ manere, quidquid alibi ad breve tempus Perſona Papæ verſetur; quemadmodum Benedictus XIII. aliquando declaravit, ut liberiori aura in Beneventanam Civitatem ſecedere potuiſſet. Struvius duas diætas legales explicat *Zwey rechte tage reiſen*, ideſt juſtum duarum dierum iter.

RESERVANTUR BENEFICIA IN CURIA.

UBI SIT CURIA?

Corp. Jur. Publ. Acad. Jenæ an. 1726. pag. 95.

Circa Epiſcopatus, quantum ſcio, a nonnullis contrarius uſus prætenditur, quaſi Epiſcopatus propter eminentem ſuam dignitatem intelligi non debeat ſub communi vulgarium Beneficiorum appellatione: & quamvis Nicolaus V. diſtinguat inter Beneficia majora, aut minora, majora dici poſſunt Præpoſituræ, & ſimiles dignitates reſpectu Canonicatuum, aut Parochiarum, quæ illis minora ſunt Beneficia. Unde quæſtio non levis, an Epiſcopo Germaniæ mortuo in Curia, adhuc electio ſit penes Capitulum? Duo quidem Cardinales de Familia Madruzziana defuncti ſunt in Curia, qui fuerunt ambo Epiſcopi Tridentini. Sed habuerunt Coadjutores formiter electos cum ſpe ſucceſſionis; quæ binæ electiones fuerunt ſtatim approbatæ, & confirmatæ a Sancta Sede. Recens obiit Romæ anno 1725. electus Epiſcopus Tridentinus, Benedictus Gentilottus Sacræ Rotæ Romanæ pro Germanica Natione Auditor. Sed nondum fuerat confirmatus: & nondum confirmatus pro vero Epiſcopo non habetur. Neutrum ſatis eſt: & niſi aut privilegio, aut conſuetudine con-

QUID, SI EPISCOPUS IN CURIA FUERIT MORTUUS?

Digitized by Google

trarium evincatur, ſane litera occidit. Unde quærenti mihi, an Epiſcopo Germaniæ mortuo in Curia, adhuc electio Succeſſoris ſpectet ad Capitulum, præterquamquod in Concordatis diſpoſitum fuerit, & quin ſpeciale Indultum intervenerit, ita ut eligentes fundari poſſint in ſola conſuetudine, aut præſcriptione contraria, reſponſum fuit ex Dataria *negative, niſi intercedat Indultum ſpeciale occaſione acceſſus ad Curiam Romanam. Nec locus eſt conſuetudini.* Sane Dataria non debuerat contra ſe loqui.

RESERVANTUR BENEFICIA, UBI SE APOSTOLICA AUTORITAS IN POENAM IMMISCERE DEBUIT.

ÆQUISSIMA INTERPRETATIO.

c. 53. de Elect. & Electi poteſtate.

Reſervat ſibi Nicolaus V. in perpetuum quæcunque Beneficia vacantia, & impoſterum vacatura per depoſitionem, privationem, translationem auctoritate Apoſtolica factas, & in antea faciendas ubilibet; nec non quorum electio caſſata, ſeu poſtulatio repulſa, vel per eos facta renunciatio, & admiſſa auctoritate Apoſtolica extiterit apud Sanctam Sedem, vel alibi ubicunque. Parum refert, an electio, vel poſtulatio in concordia, vel diſcordia fuerit celebrata. Ego autem puto, hoc abſque præjudicio Juris communis procedere: quia major pars Capituli, etiamſi ſcienter indignum elegerit, valet electio de digno a minori parte facta, & ſaniori, quamvis in eodem ſcrutinio facta ſit. Rurſus ſi poſtulatus fuerit indignus a duabus tertiis partibus, reliqui cur impediantur eligere dignum, illud non ſatis video. Hæc opinio, ſeu definitio eſt Honorii III. ad Sylvanectenſem Epiſcopum.

RESERVANTUR BENEFICIA PER OBITUM CARD., AUT OFFICIAR. APOSTOLIC. VACANTIA.

CAUTELÆ CAPITULORUM IN ELECTIONE CARDINALIUM. CASUS SINGULARIS IN ELECTIONE TRIDENTINA.

Reſervat ſibi Nicolaus V. quæcunque Beneficia vacantia, & vacatura per obitum Cardinalium ejuſdem Eccleſiæ Romanæ in quocunque alio loco contingentem; aut officiariorum dictæ Sedis, quamdiu ipſa officia actualiter tenebunt. De Cardinalibus hoc ſcio. Si petant eligi, exigitur ab illis Indultum Papæ, vigore cujus futura electio Capitulo ſalva relinquitur. Sic nuper VVratislavienſes cum Card. Philippo Sinzendorff egerunt. Adeſt in Capitulo Tridentino antiquior caſus Card. Adalberti ab Harrach, (Erneſtum alii dixere) Archiepiſcopi Pragenſis, qui qua Cardinalis anno 1662. fuit cum Indulto eligibilitatis electus Epiſcopus Tridenti: & licet in Capitulationibus tunc formatis, & ab electo approbatis, & juratis fuerit cautum, ut procuraret a Sancta Sede Indultum liberæ electionis Succeſſoris, per Capitulum poſt ejus mortem faciendæ, nil tamen de tali Indulto invenitur in Protocollo electionis Alphonſi Sigiſmundi Comitis a Thunn, qui immediate præfato Card. Harrach ſucceſſit. Imo nec dum in actis publicis mox relatæ electionis, a Capitulo illa occaſione obſervatis: ſed etiam in Brevibus eligibilitatis tam præfato Sigiſmundo, quam Cardinali Gui-

Digitized by Google

Guidobaldo a Thunn ejus competitori conceſſis nec minima mentio ſit de tali Indulto: ſed ſingula iſta acta loquuntur, quod electio ad Capitulum de Jure, & vi Concordatorum Germaniæ ſpectabat. Reducta ad forum contentioſum mox dicta electione in Curia (prout videre dat una, alterave deciſio impreſſa Card. de Luca, qui pro Archiepiſcopo Salisburgenſi conſultaverat) nulla ſit exceptio contra validitatem electionis, eo quod defecerit tale Indultum: ſed ex aliis cauſis fuit controverſia excitata. Defuncto Archiepiſcopo fuit confirmata electio ad favorem Alphonſi Sigiſmundi: & denuo in Bullis Pontificiis nec verbum legitur, quod Capitulum ad electionem vi Indulti proceſſerit, ſed vi Concordatorum, ita ut etiam credere fas ſit, electionem ſequutam eſſe abſque Indulto. Verum is ſi fiat Epiſcopus, qui prius Cardinalis fuit, proſpiciat ſibi Capitulum de Indulto. Philippo Bavaro mortuo Cardinale Capitulum Ratiſponenſe anno 1599. Succeſſorem elegit Fridericum Fuggerum. Electio fuit Ferrariæ in Conſiſtorio caſſata. Sed tandem Papa illi de dicta Eccleſia providit. Hinc tutiſſimum erit ſibi in tempore proſpicere de Indulto.

CAUTELA TAMEN NECESSARIA. Branden. *qu. 6. ſuper Concord. Germaniæ.*

Præter reſervationes Curialium Beneficiorum, quæcunque ſint, ſive curata, ſive non, ſive ſecularia, ſive regularia, ſive majora, ſive minora, ſequitur Bulla Nicolai V. *Item placet nobis, quod in Eccleſiis Metropolitanis, & Cathedralibus, etiam Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjectis, & in Monaſteriis immediate ſubjectis S. A. ſiant electiones Canonicæ, quæ ad Sedem Apoſtolicam deferantur, quas etiam ad tempus conſtitutum in Conſtitutione Nicolai P. III., quæ incipit,* CUPIENTES &c. *expectabimus.* Et hodie illud tempus Trimeſtre eſt, intra quod Electio peragenda eſt. Aliud Trimeſtre ad petendam Confirmationem electi, ubi citius fieri nequit: ultimum Trimeſtre, niſi ex diſpenſatione prorogandum ſit, ad ſuſcipiendam a Confirmato Conſecrationem. *Et elapſo dicto tempore*, ideſt elapſis tribus primis menſibus, *ſi non præſentatæ* Electiones, *vel ſi præſentatæ, minus Canonicæ fuerint, providebimus: & ſi Canonicæ fuerint, eas confirmabimus; niſi ex rationabili, & evidenti cauſa, ac de dictorum Fratrum conſilio, de digniori, & utiliori perſona duxerimus providendum.* Quod concernit hanc poſtremam clauſulam, nullum fuit exemplum, nullum facile futurum. Quomodo enim illa Pontificis cauſa haberetur pro evidenti, & rationabili, poſtquam concordiam inivit perpetuam? quis ſibi libenter perſuaderet, proviſum Apoſtolicum eſſe digniorem, atque utiliorem proviſo Capitulari, cui nullum alias Canonicum obſtat impedi-

RESTITUUNTUR ELECTIONES CANONICÆ.

c. 16. de Elect. in 6.

VARII TERMINI.

NON OBSERVATI PARIUNT DEVOLUTIONEM.

CLAUSULA NONDUM IN EFFECTUM DEDUCTA, VIX UNQUAM DEDUCENDA.

Digitized by Google

mentum? Penes Papam ſtaret, Concordatum pro arbitrio fruſtrare. Qualis tranſactio, ubi una pars tantum haberet ligatas manus, alia liberas? Poſſentne tunc Concordata dici Germaniæ utilia, & ſalubria? Hæc Eccleſiæ unitas, pax, tranquillitas firma, & ſtabilis? Hæc ſane neque Nicolai, neque Friderici mens fuit. Si ad conſuetam poteſtatis plenitudinem in Summo Pontifice recurratur, ergo potuit etiam ſe ligare in Concordato, ſaltem via directiva, niſi coactiva. Quod additur: *Per nos proviſi Metropolitanis ſuis, & aliis præſtent debita juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur:* Metropolitanis nullum præſtatur ſingulare juramentum. Imperatori, & Imperio, aut aliis Dominis directis præſtantur juramenta, & Regalia propter Feuda, & Inveſtituras Feudales, quas ipſi Epiſcopi tamquam Vaſſalli Imperiales de manu Cæſaris ſuſcipere tenentur, communiter infra annum, & diem, niſi tempus prorogetur.

An sit præstandum Metropolitanis Juramentum?

Regalia.

Manet usus antiquus in Monasteriis.

Monaſteria manebunt in uſu priori ad petendam, vel non petendam Pontificis Confirmationem ſuper Electionibus ſuis. Quæ peterent Confirmationem ex longa conſuetudine, cum his ſervabitur prædictus ordo, qui cum Cathedralibus Eccleſiis ſervatur. Cum Monialibus exemptis fiet diſpoſitio ad partes. Hodie plerumque fit Proceſſus per Nuncium Apoſtolicum mittendus Romam, quemadmodum de Confirmatione Prælati ſcripſeram. Deinde Majores Dignitates poſt Pontificalem in Cathedralibus Eccleſiis, & Principales in Collegiatis vult ipſemet Papa providere. Sic Tridentinus Decanatus, tamquam prima dignitas in Capitulo, Pontificiæ Collationis eſt. Si quæ alia Eccleſia juſtam prætendat exemptionem, legitimum hunc titulum docere tenetur aut per Indultum ſpeciale, aut per legitimam præſcriptionem. Sic Eccleſia Auguſtana in Cathedrali ex Indulto Alexandri VI., Leodienſis in omnibus Collegiatis ex Indulto Sixti V. ſemper eligunt ſuum Præpoſitum.

Reservatur prima dignitas Ecclesiæ Cathedralis, et Collegiatæ.

Branden. *ſupra qu. 12. n. 2.*

Alternativa ex mensium.

In reliquis vero Dignitatibus, & Beneficiis quibuſcunque tam Secularibus, quam Regularibus ultra reſervationes prædictas vacaturis, *cum vacabunt de Februarii, Aprilis, Junii, Auguſti, Octobris, & Decembris menſibus, libere diſponatur per illos, ad quos eorum collatio, proviſio, præſentatio, electio, ſeu quævis alia diſpoſitio pertinebat, reſervatione, aliave quavis diſpoſitione, autoritate noſtra factis, vel faciendis non obſtantibus quibuſcunque.* Cedit ergo Papa juri ſuo, quodcunque tandem illud fuerit, ita ut ſub nullo titulo velit amplius in his menſibus inferiores collatores turbare, aut impedire, reliquis ſex menſibus Januario, Martio, Majo, Julio, Septembri, & Novembri reſervatis. Aliquando ſolet Papa bene-

Digitized by Google

benemeritis Epiſcopis ex gratia ſpeciali (quod tamen privilegium perſonale eſt, nec perſonam impetrantis excedit) ſuos menſes Papales indulgere, ut Beneficia his quoque menſibus vacantia valeant ipſi conferre. Cardinales Epiſcopi videntur quaſi jus acquiſiviſſe ad menſes Papales conferendos, cum hoc Indultum illis nunquam denegetur. Simile perſonale Indultum habet Archiepiſcopus Salisburgenſis, puto quia Legatus natus. Quærenti autem mihi, an Archiepiſcopus Salisburgenſis habeat perpetuum Indultum conferendi in menſibus Papalibus? & a quo habuerit Pontifice? Reſponſum fuit ex Dataria : *Obtinuit a Regnante Pontifice Indultum conferendi, prout conceditur Cardinalibus, in perſona moderni Archiepiſcopi, tribus abhinc annis circiter*, ideſt an. 1734. Videtur itaque a ſingulis Archiepiſcopis renovandam eſſe inſtantiam, quæ tamen nunquam rejicitur. *Quoties vero aliquo vacante Beneficio in Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, & Novembris menſibus ſpecialiter diſpoſitioni Sanctæ Sedis reſervatis, non apparuerit intra tres menſes a die notæ vacationis in loco Beneficii, quod alicui de illo Apoſtolica auctoritate proviſum fuerit, ex tunc & non antea, Ordinarius, vel alius, ad quem illius diſpoſitio pertinebit, de illo libere diſponere poterit.* Gregorius XIII. an. 1576. Kal. Novemb. declaravit in Bulla, quæ incipit, QUÆ IN ECCLESIAM DEI &c., tres illos menſes, intra quos proviſio apparere debeat, computari debere ab eo die, quo forte vacare Beneficium Papæ innotuerit : *ſenſumque conceſſionis, & literarum prædictarum ſic eſſe, ut diſpoſitio Beneficii intra tres menſes a die notæ vacationis a Sede prædicta fieri, deque gratia facta alicubi apparere debeat, quemadmodum re inter V. J. interpretes jam pridem controverſa, ſumma ratione judicatum appareret... Quis ex tam longinquis Regionibus ad dictam Sedem profectus, & in ea ad expediendum negotium vel pauliſper moratus, in eaſdem ſe recipere tanta temporis anguſtia poſſit?* Germani continuo acquieſcunt, quidquid æquitas, & juſtitia ſuadeant.

Menses Papales certis Ordinariis indulgentur.

Multo magis Cardinalibus.

Indultum Salisburgense.

Devolutio ad inferiores, an, et ubi locum habeat?

Sensus Gregorii XIII.

Cœterum Taxæ ſolvantur in Camera Apoſtolica : quæ ſi excedant, retaxentur per Commiſſarios in partibus. Taxæ hodie deponuntur integræ, & illico, licet Biennii terminum poſuiſſent Concordata. *Et ſi infra annum bis, vel pluries vacaverint, ſemel tantum ſolvantur : nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem in Eccleſia, vel Monaſterio tranſeant.* De Epiſcopatibus, & Monaſteriis exemptis ſermo eſt. De reliquis Beneficiis, quæ in Dataria expediuntur, ſolvitur illico taxa conſueta, quamvis Concordata petant medietatem fructuum infra annum perſolvendam. *Sed de Beneficiis, quæ valorem XXIV. Floren. auri de Camera non excedunt, nihil ſol-*

Quomodo Taxæ solvantur?

Digitized by Google

ſolvatur. Bona ordinatio. Stylus eſt, quod Beneficia forte ſuum verum valorem non exprimant, imo exprimant non excedere. Nihilominus ſolvunt, cum tamen nihil ſolvere deberent, ſi admittatur non excedere. Expeditio Canonicatus in Germania ſemper importat ferme florenos centum Germanicos. Hodie igitur vera æſtimatio conſiſtit in taxa antiqua, quæ regiſtrata legitur in libris Cameræ Apoſtolicæ. Hoc ſenſu multa Beneficia cenſentur excedere XXIV. flor. auri: neque alio numero multorum proventuum ſumma efferri ſolet. Verus valor in Dataria Scuti aurei eſt Juliorum 16. & medii; Ducati aurei Juliorum 17. & medii; Floreni aurei Juliorum 18. ob. 2. Ducatus argenteus non datur. Julius continet obulos decem, ſeu cruciferos noſtros vulgares 13. & medium circiter: quorum cruciferorum ſexaginta continent florenum Germanicum.

VALOR MONETÆ APOSTOLICÆ.

QUERELÆ AD CALIXTUM III. DE NON OBSERVATIS CONCORDATIS.

Concordata inita ſunt anno 1448., & poſt paucos annos idem Fridericus III. dictus (qui tamen IV. dici debet, habita ratione ad Fridericum Auſtriacum in concurſu Ludovici Bavari Imperatorem deſignatum, quamvis ab æmulo victus, captuſque fuerit anno 1323.) graviter expoſtulavit, quod Romani minus obſervantes eſſent Concordatorum, quodque Germaniæ electiones contemptui haberentur. Reſponſum eſt a Calixto III., electiones omnes eas confirmatas fuiſſe, quæ Canonicæ eſſent: nec uſum eſſe, & nec uti velle Pontificem, niſi ſumma, & ineluctabili neceſſitate coarctatum, ea poteſtate, quam legibus divinis, & humanis, & ipſo Concordato obtineret, Epiſcopum digniorem nominandi eum, qui Canonice etiam fuiſſet electus. Anno 1510. inter Julium II., & Maximilianum I. nova tentantur remedia ad ſublevanda Nationis Germanicæ gravamina, quibus illa ſe attritam, oppreſſamque conquerebatur. Videtur etiam Germanos poſt infandam Urbis Romæ anno 1527. direptionem fregiſſe habenas, cum tandem anno 1534. Clemens VII. exclamet in Bulla, quæ incipit, ADMONET NOS &c., irritans proviſiones omnes, ac violentias, quas nonnulli Prælati, Principes, Dominique temporales inclytæ Nationis Germanicæ poſt recens excidium Civitatis attentaſſent præter Concordatum an. 1448., & legitimas reſervationes Pontificias.

Æneas Sylv. *epiſt.* CCCLXXI.

QUERELÆ AD JULIUM II.

Goldaſt. *Conſtit. Imperial. Tom.* II. *pag.* 119.

QUERELÆ CLEMENTIS VII. CONTRA GERMANOS.

QUOS OBLIGET CONCORDATUM?

Superſunt dubia, quorum præcipua, hactenus intacta, tangam. Quæritur imprimis, quos obliget Concordatum? utique contrahentes, qui ſunt Eccleſia Romana, (quæ ſaltem obligatur directive per modum pacti naturalis) & Natio Germanica: quia nomine Romanæ Eccleſiæ contraxit Legatus Apoſtolicus, nomine Nationis Germanicæ contraxerunt

Impe-

Digitized by Google

Imperator, & nonnulli Principes tam Seculares, quam Eccleſiaſtici. Hic mihi videtur eſſe Bullæ ſenſus, non alter, quem tenet Van Eſpen. Putat enim Principes illos contraxiſſe nomine proprio tantum, & aliquorum, non totius Nationis Germanicæ nomine.

Jur. Eccleſ. *p.1.t.13.c.2.n.13.*

Zypæus vero inquit: *multi ſiquidem per Germaniam eadem Concordata non acceptaverunt, ut Herbipolenſes, Bambergenſes, aliique, qui ampliora privilegia, vel ſibi forte convenientiora obtinuerant.* Ego quidem præſcriptionem, vel exceptionem de non receptis Concordatis, vel quod amplius in uſu non ſint, legitimam eſſe poſſe totus arbitror, quominus in aliquibus ſingularibus punctis ad rigorem Concordati teneantur: ita ut certa Beneficia, quæ alias vigore Concordati de collatione Papali eſſent, Ordinarii in Germania citra novum ſpeciale privilegium conferre valeant, & recipientes in conſcientia tuti ſint, dummodo ab antiquo, & præſertim immemorabili, conſtantique uſu talia Beneficia ſolita fuerint ab Ordinariis etiam poſt Concordatum conferri. Tota hæc doctrina Ludovici Engel eſt, ubi oſtendit contra Brandenum citatum, præſcriptionem immemorabilem (quæ ſola pro juſto titulo habetur propter pacificam longiſſimi temporis poſſeſſionem) etiam adverſus Apoſtolicam Sedem procedere paſſim: Decretum autem irritans de more non obſtare, quia contra quaſcunque derogatorias clauſulas, contra quæcunque Decreta irritantia locum habent actus contrarii, qui ex natura ſua præſcriptionem inducunt: conſuetudinem contrariam pariter derogare legibus Eccleſiaſticis multo magis, ſi ſit immemorabilis. Denique Concordatum lex non eſt, ſed tranſactio, quæ debet acceptari ab utraque parte, priuſquam utramque partem liget. Adeoque ubi non fuiſſet acceptatum Concordatum vel in toto, vel in parte, potuit Concordato derogari vel in toto, vel in parte. Non exiſtente, aut non ſervato Concordato, obſervantur Jus commune, aut legitimæ conſuetudines, atque præſcriptiones cujuſque ſingularis Eccleſiæ. Hæc communis regula eſt.

n. 6.

An valeat exceptio contraria.

Jur. Can. *l. 3. t. 5. §. 4. n. 54.*

Quæritur ſecundo, an Beneficia vacantia in menſibus Papalibus poſſint ab Ordinariis in Germania conferri ſaltem Sede Papali vacante? De Beneficiis Curatis minor difficultas eſt, cum ad normam Conſtitutionis Bonifacii VIII. Sede Vacante libere conferantur alias, ne diuturna vacatio periculum animarum inducat. Uſus plura docebit, ubi etiam hæc Conſtitutio, cum præceſſerit Concordatum, non ſatis concludit. Major difficultas eſt in non Curatis: & quantum ſcio, uſus contrarius eſt, ita ut Ordinarii locorum non audeant conferre etiam non curata Beneficia in men-

Qeid Sede Papali vacante?

c. 35. de præbend. in 6.

Digitized by Google

menſibus Papalibus, quantumvis Sede Papali vacante vacaverint. Concordata hunc caſum neque exprimunt, neque diſtinguunt. Unde eum neque nos diſtinguere præſumimus, cum & in hoc puncto non expreſſa noceant. Cœterum videretur recurrendum eſſe ad Jus commune, vigore cujus omnes reliquarum nationum Ordinarii conferunt Sede vacante Beneficia illa, quæ Sede plena ſpectarent ad Papam. Huic Juri communi non derogarent reſervationes, vel quia non ſunt in uſu, vel quia ad regulas Cancellariæ deberent reduci. Regulæ autem Cancellariæ ceſſant Sede vacante: adeoque reſervationes ipſæ ceſſarent. Hoc ipſum diſcrimen contra nos facit, quia Concordata non ceſſant; neque de novo publicari debent ſub novo Pontifice, quemadmodum de novo publicari debent reſervationes ſub novo Pontifice. Quidquid in Jure adduci poſſit, uſus plura docebit. Illa vero ratio eſſe poteſt, quare nulla Beneficia in Curia vacare crederem Sede vacante, quia ubi Papa, ibi Curia. Sede vero vacante nec Papa, nec Curia. Inter alia puncta, quæ propoſui homini Romano, hoc fuit, an Beneficia Germaniæ vacantia in menſibus Papalibus poſſint ab Ordinariis conferri ſaltem Sede Papali vacante? Reſponſum fuit ad reliqua puncta: ſed ad præſens dubium, nihil fuit reſponſum.

Discrimen inter Concordata, et Regulas Cancellariæ.

Quæritur tandem, quæ ſit differentia inter Concordata, & Regulas Cancellariæ? Prima eſt, quod vigore Regulæ Cancellariæ, Eccleſiæ Cathedrales, & Monaſteria ſimpliciter ſint reſervata Summo Pontifici: vigore Concordati, Epiſcopatus, & Monaſteria extra Curiam vacantia habeant electionem Canonicam, niſi defunctus fuerit Cardinalis, aut Curialis. Cœterum in quantum ſenſus literalis ſonat, moriente Epiſcopo in Curia, vel Beneficiato quocunque Papa providebit. Imo in aliquo caſu prætenderet Papa, poſſe Canonicas Epiſcoporum electiones prævenire. Quid conſiderandum ſit ad ſingula dubia, ſatis expoſui. Altera differentia eſt, quod ex Regulis Cancellariæ Beneficia vacantia, etiam in menſibus alias reſervatis, perpetuo maneant affecta. Secus in Concordatis, quæ tunc habent liberam diſpoſitionem. Tertia differentia eſt, quod in Concordatis contra Jus commune, & quaſcunque alias reſervationes, devolutio introducta ſit de ſuperiori ad inferiorem, quoties infra trimeſtre a die vacantiæ vel veræ, vel notæ non apparuerit proviſio Apoſtolica in loco Beneficii: quamvis Papa non credat per Concordatum derogari Juri præventionis, qui cum omnibus Ordinariis vult concurrere, & præferri debet ſupremam ob dignitatem. Quærenti mihi, an frequenter adhuc Papa utatur Jure præventionis extra Italiam? Reſponſum

An sit locus Præventionis?

ſum

Digitized by Google

ſum fuit ab homine Romano : *Juxta facti circumſtantias*. Nondum ſcio, hac præventione uſum fuiſſe Summum Pontificem, qui nec inſerta Concordatis clauſula de *digniori*, *& utiliori perſona* hactenus uti voluit. Notandum obiter, quod ipſa Synodus Baſileenſis an. 1431., abrogatis expectativis ſalvum, & intactum reliquerit Jus præventionis, quidquid Galli, & Germani pro abolitione tentaſſent. Nihil innovandum in Synodo Tridentina an. 1545. fuit. Papa non ſolet amplius uti ſaltem extra Italiam. Illudquoque notandum, quod Jus præventionis locum facile non habeat in Patronatu Laico, ne Laici exacerbati a piis fundationibus, & ſubſidiis Eccleſiaſticis abſtineant. Quarta differentia eſt, quod Regulæ Cancellariæ extinguantur morte Pontificis : Concordata perpetua ſint, quæ Sede Papali vacante non expirant. Unde aliquando commodum, aliquando incommodum experimur, ut obſervavimus ſupra in quæſtione ſecunda, an Beneficia vacantia in menſibus Papalibus poſſint ab Ordinariis in Germania conferri, ſaltem Sede Papali vacante. Tunc enim deterior noſtra conditio evadit conditione illa cœterarum Nationum, quæ Sede vacante, Jure communi utuntur, & libere provident. Quare æquiſſimum foret, ut Sede vacante non amplius citata Conſtitutio Gregorii XIII. an. 1576., ſed ſola Conſtitutio Nicolai V. an. 1448. obſervaretur ; quod idem eſt, ac dicere : Ordinarius provideat *infra tres menſes a die veræ vacationis*, cum non appareat proviſio Apoſtolica, quæcunque demum cauſa ſit, quare non appareat in loco Beneficii iſta proviſio Apoſtolica. Si Sede vacante per mortem Pontificis nunquam expirant Concordata noſtra, quare ſuſpenditur damno diuturnæ vacantiæ devolutio Concordatis inſerta, quorum non ultima pars eſt? Verum ne contra Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in minimo egiſſe videar, non volo, ut meo Judicio acquieſcatur : ſed ut ſpecialis Bulla a vivente Pontifice impetretur propter bonum Eccleſiarum, cunctis valitura temporibus. Unum eſt. Hæc tranſactio, in qua conſiſtit noſtrum Concordatum, æquum eſt, ut conſideretur, tamquam Contractus bonæ fidei : in quo partes ſibi invicem amicabiliter cedant, non ſtricti Juris, ubi infinitæ interpretationes, & contentiones ſine numero, quæ ſine ſcandalo promoveri vix poſſunt. Agamus obedientes liberi cum optimo parente. Optimus parens ſolatium ſentiat, ubi liberos ſuos foveat, & ipſis in Domino gaudium donet.

SALTEM NULLIBI SUBLATA FUIT.

EXIMITUR PATRONATUS LAICUS.

PROPOSITIO SEDE VACANTE.

CONCORDATUM TAMQUAM BONÆ FIDEI CONTRACTUS.

Digitized by Google

DE REGULIS CANCELLARIÆ

TITULUS VIII.

Origo.

A Frequentiſſimis reſervationibus deſcenderunt Regulæ Cancellariæ: quæ, cum ab initio meræ informationes pro officialibus fuiſſent ad expediendas Literas Apoſtolicas, hodie Conſtitutiones ſunt, quas ſinguli Pontifices in ingreſſu ſui Regiminis circa beneficiales, & judiciales cauſas facere ſolent, vel a Prædeceſſoribus factas renovare, augere, aut minuere. Joannem XXII. multi autorem tenent, quem ſequentes Romani Pontifices probe ſequuti ſunt. Sic Clemens XII. in craſtinum ſuæ aſſumptionis, nempe die 13. Julii 1730., Reſervationes, Conſtitutiones, & Regulas ſuo tempore duraturas num. LXXII. publicavit more Prædeceſſorum ſuorum: Quarum ego magis neceſſarias, atque opportunas hic indicabo.

Autor.

Regulæ LXXII. modernæ.

Salvo Jure Tertii.

Priores VIII. Regulæ ſunt meræ conſuetæ Reſervationes, ſine præjudicio tamen Concordatorum, aut Regiæ nominationis, aut Juris patronatus Laici, aut aliorum Privilegiorum, atque Indultorum Sedis Apoſtolicæ legitime poſſeſſorum, nec non præſcriptionis contrariæ: quæ omnia ſalva, atque intacta manebunt.

Reservationes octo mensium.

Regula IX. digna magis notatu eſt, auctore Clemente VIII., qui ſibi reſervaverat menſes VIII., Januarium, Februarium, Aprilem, Majum, Julium, Auguſtum, Octobrem, Novembrem, in quibus menſibus quæcunque Beneficia etiam extra Curiam vacantia vult conferre, exceptis reſignationibus. In gratiam vero Ordinariorum reſidentium placuit Papæ alternare eo ordine, quo in Concordatis Germaniæ proceditur. Inſuper dies ipſius veræ vacationis attenditur ad dignoſcendum, cui competat reſpectiva collatio: quia parum refert, quo die fiat talis collatio, quamvis cadat alterius menſe. In dubio, quis fuerit menſis effectivæ vacationis, præſumptio ſtat pro Ordinario, cui favet Jus commune, quin Papæ fiat novum præjudicium, ſi voluerit recurrere ad viam præventionis, & concurſus.

Favor Residentiæ.

In dubio quis conferat?

Facultates revocatæ.

Regula XIV. revocat facultates quibuſcunque conceſſas de diſpenſando ſuper Matrimonio contracto, vel contrahendo in gradu prohibito: item in vitio natalium, & defectibus ætatis: item in Beneficiis incompatibilibus inſimul retinendis: item in creandis Notariis: item de diſponendo quomodolibet de quibuſcunque Beneficiis Eccleſiaſticis. Cardina-

dinales cum non ſint ſpecialiter nominati, non ſunt comprehenſi juxta Regulam LXX.

Regula XV. revocat facultates quibuſcunque conceſſas (exceptis Cardinalibus) conferendi Beneficia reſervata. Senſus eſt de temporalibus, aut perſonalibus, non autem de perpetuis Indultis, integro Capitulo, aut Communitati univerſæ conceſſis, vel etiam uni perſonæ, ſeu annexæ dignitati cum intentione perpetuandæ gratiæ conceſſis: quia per hanc derogationem generalem non tollitur privilegium ſingulare aliquando a pluribus Summis Pontificibus confirmatum, longiſſimoque uſu præſcriptum. Contingit interdum in Curia Romana duos impetrantes inveniri. Ideo Regula XVII. de Concurrentibus in Data diſponit, ut proviſus *motu proprio* præferatur proviſo ſub quibuſcunque aliis clauſulis: alias *graduatus* præcedit: inter graduatos *magis graduatus*. Colorato ſaltem Titulo *poſſeſſores* præferuntur non poſſeſſoribus: inter præſentes vero *non Beneficiati* Beneficiatis: cœteris paribus *oriundus* non oriundo, *Diæceſanus* non Diæceſano, *prior* in præſentando Literas Beneficiales exequutoribus ſegniori. Favor & in Curia multum operatur. Extra Curiam, Jura vigilantibus. Alias Jus quæſitum nemini tollendum, Regula XVIII. eſt.

Exceptis Cardinalibus, et Indultis aliis perpetuis.

De Concurrentibus in Data.

Jus quæſitum nemini tollitur.

Regula de viginti.

Celebris eſt XIX., quæ inſcribitur Regula de viginti. In vim hujus Regulæ prætendunt Romani Curiales, quod reſignans, ſive ſanus interim, ſive æger fuerit, non moriatur intra XX. dies a die præſtiti ad reſignationem conſenſus. Alias Beneficium non dicitur vacare per reſignationem, ſed *per obitum*: & erit liberæ collationis, prout de jure, vel de conſuetudine. Prætendunt hanc regulam currere tam in Curia, quam extra Curiam: hoc eſt tam in reſignationibus factis coram Papa, quam in aliis factis coram Ordinario. Quærenti mihi ab homine Romano, an Regula de viginti habeat locum in Germania, & quidem in omnibus promiſcue reſignationibus ad favorem, reſponſum fuit: *Quando petitur in reſignationibus derogatio regulæ de viginti, conceditur ultra montes indifferenter abſque difficultate*.

Regula XX. de Idiomate ſtatuit, nulliter eſſe ei collatum Beneficium curatum, qui nec intelligit, nec intelligitur a Parochianis ſuis. Hoc impedimentum reduci poteſt ad defectum neceſſariæ ſcientiæ. Epiſcopus interdum non comprehenditur ſub hac reſtrictione, quia non tenetur cum ſingulis per ſe loqui, & a ſingulis intelligi. Habet operarios inferiores. Suprema cura Epiſcopo demandata eſt, quæ minimis non ſemper attendere poteſt.

De Idiomate.

Excuſatio Epiſcopi.

Digitized by Google

Beneficium per obitum viventis impetrari nequit.

Ad ſedandum ambitum Regula XXI. vetat impetrari poſſe quocunque modo Beneficium viventis ſub falſa expreſſione *per obitum*. Puto tamen, niſi aliquis dolo petierit, gratiæ locum eſſe impoſterum, medio novæ ſupplicationis. Non enim peccavit hic, ut puniatur. Ignorantis perſæpe nullum crimen eſt.

Forma Expeditionis attenditur.

De verisimili notitia.

Ideo fortaſſis Regula XXVII. mandavit de non judicando juxta formam ſupplicationum, ſed juxta formam expeditarum literarum: ubi tamen Regula XXX. veriſimilem requirit notitiam, ita ut poſt obitum, & ante datam Gratiarum hujuſmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipſæ de locis, in quibus perſonæ prædictæ deceſſerint, ad notitiam ejuſdem SS. D. N. veriſimiliter potuerint perveniſſe: neque valeant juxta regulam XXXI. Commiſſiones cauſarum, niſi literis expeditis.

Nulla Commissio non expeditis Literis.

De Annali Possessore.

Regula XXXV. agit de annali Poſſeſſore pacifico, quem impetrans in Curia evocat, tamquam injuſtum poſſeſſorem. Debet ille infra ſex menſes evocari. Debet impetrans cauſam ex tunc deſuper infra annum uſque ad ſententiam diffinitivam incluſive proſequi. Alioquin impetratio nullius erit firmitatis. Calumniator vero bonificabit Poſſeſſori de damnis, & intereſſe: Cameræ quoque Apoſtolicæ quinquaginta florenos auri mulctam pendet. Quam cautelam in quacunque impetratione ſub quibuſcunque clauſulis admittit laudatiſſima Regula, Eugenio IV. autore.

De Triennali.

Qui sint exclusi?

Ad Reg. Triẽnal. *qu.* 31.

Regula XXXVI. in Concilio Baſileenſi fundatur; & in Gallia recepta eſt, non tamquam Regula Cancellariæ, non tamquam Decretum Baſileenſe, ſed tamquam conditio inſerta Concordato Bononienſi. Hadrianus VI. ſuas fecit adjectiones, ſive declarationes. Senſus eſt, quod Poſſeſſio Triennalis quieta, pacifica, continua, completa, conſummata habetur pro juſto titulo, in quo amplius turbari nequeat: neque in Petitorio, neque in Poſſeſſorio nova actio inſtitui valeat. Excluduntur ab hoc Beneficio ſimoniaci, atque intruſi contra reſervationes Apoſtolicas in corpore Juris clauſas. Antiquus Gloſſator teſte Gomeſio dicit, quod, licet per viginti tres annos legendo, & practicando revolverit Jus Canonicum, nihilominus non repererit, niſi unicam reſervationem, quæ eſt illa, de qua in *c. 2. de Præbend. in 6.*; vigore cujus Clemens IV. medio Seculo Decimotertio reſervat ſibi quæcunque Beneficia in Curia, & potiſſimum, quia Procuratores Epiſcoporum inſtructi, & deputati illico conferebant Beneficia ſub oculis Papæ: atque ita contra ejus honorem, & reverentiam præveniebant Datariam. Extravagantes EXECRABILIS &c. Joannis XXII. anno 1318., & AD REGIMEN &c. Benedicti XII.

ĉi XII. anno 1334. extra Decretum, & Decretales vagantur : imo conditæ tantum ſunt pro Pontificatus unius tempore. Hodie quaſi perpetuæ dici poſſunt, quatenus intra Regulas Cancellariæ infallibiliter a Succeſſore ponantur. Cum autem ipſæmet regulæ extinguantur morte Pontificis, videntur & illæ Extravagantes ſuſpendi, donec ſub novo Pontifice reviviſcant. Effectum hujus Regulæ extendunt nonnulli, ut non ſolum contra Triennalem Poſſeſſionem non detur impetratio : ſed neque privatio illa, quæ alias a legitimo Superiore fit. Alias fruſtraremur alia via. Quid enim juvat impetrationem non metuere, qui ſuſtinemus miſerabiliorem, atque ignominioſam privationem ? Eſto, quod Beneficium Eccleſiaſticum non obtineatur abſque inſtitutione Canonica, ideſt communiter. Hic autem ſupplere debet Triennalis Poſſeſſio, ne perpetuentur lites, quæ dirimi debent. Cum vero Regula Triennalis duos tantum caſus ſimoniæ, & intruſionis contra reſervationes Pontificias in corpore Juris clauſas excipiat, nullos alios admitti debere judico : ita ut, dummodo criminoſus, aut omnino incapax non ſit, & dolus ab initio non intervenerit, contra Triennalem Poſſeſſorem nulla facile audiatur exceptio.

Regula L. diſpenſat ſuper defectu Natalium cum clauſula, quod non præjudicetur illis, ad quos ſucceſſio Bonorum ab inteſtato pertinere debeat. Jus tertii nunquam lædi debet. Propter ſimilem rationem Regula LII. jubet, ne cui ſuffragetur diſpenſatio, niſi literis confectis, hoc eſt quoad effectus extrinſecos. *Dispensatio super defectu Natalium.* *Quando curat Dispensatio?*

Regula LV. ſub pœna nullitatis mandat exprimi verum valorem utriuſque Beneficii ab eo, qui novum petit. Præterquamquod illud ſæpe difficile accideret petenti vel ex eo, quod apud Cardinalem de Luca legerim, Beneficiatum vix hunc calculum inire poſſe ante decennalem ſui Beneficii poſſeſſionem : quantum ſcio, taxa ubique ordinata eſt juxta valorem expreſſum in libris Cameræ Apoſtolicæ. Regula LVII. qualitatem Beneficii impetrandi petit ſcire. *De exprimendo vero valore.* *De qualitate.*

Regula LVIII. reſervat Papæ omnia Beneficia, alias Sedi Apoſtolicæ plena ſede reſervata : quæ vacarunt Sede vacante ; nec interim per Ordinarios de iis diſpoſitum ; ſeu minus valide diſpoſitum fuerit. Regula LXX. Cardinales non comprehendit ſub Regulis, & Conſtitutionibus quibuſcunque, in quibus non ſint ſpecialiter nominati. Utique ob eminentem dignitatem. Regula LXXI. Regulas Cancellariæ non comprehendit ſub quibuſcunquæ ſpecialibus derogationibus. De his ſatis ad rem noſtram. *De vacantibus Sede vacante.* *Immunitas Cardinalium.* *Regularum Cancellariæ Exemptio.*

DE

DE JUREPATRONATUS

TITULUS IX.

Duplex genus Collatorum.

Definitio Jurispatronatus.

INter Collatores Beneficiorum, qui ſunt aut Ordinarii, aut Privilegiati, præſentant ex Privilegiatis alii, alii nominant. Præſentant inferiores Patroni, nominant ſupremi Principes. Unde Jus Patronatus hodie Jus eſt, & poteſtas nominandi, vel præſentandi Clericum examinatum, & probatum ab Epiſcopo in Beneficio inſtituendum. Quod Jus, ubi fit proviſio, non collatio audit, ſed inſtitutio. Regiæ Epiſcoporum Nominationes a ſolo Papa acceptantur hodie, confirmanturque.

Origo.

Origo Juriſpatronatus in Oratoriis fundatur, quæ potentes, & divites in ſuis prædiis in uſum domeſticum ſub privato Presbytero olim extruxere. Interim diebus ſolemnioribus, ut alibi monueramus, poſſeſſores horum Oratoriorum una adhuc intereſſe tenebantur cum familia Parochialibus Eccleſiis, quas tandem prorſus neglexerunt: indeque factum eſt, ut hæc Oratoria in uſum familiæ extructa quaſi Parochialium Eccleſiarum indolem acceperint. Interim palam eſt, Oratoria hæc fuiſſe in Magnatum dominio, & proprietate: indeque Patronos dictos fuiſſe; qua appellatione olim Domini denotabantur: denique Clericos ſuos de hac Eccleſia, & bonis eidem aſſignatis inveſtiviſſe, ut tamen eos Epiſcopo ſiſterent tum ad Examen, tum ad Ordinationem. Aliquando Patronis iſtis Epiſcopus unum, vel plures Clericos ſubmiſit, qui Sacrum facerent, quive a Dominis expeterentur, ne quos alere tenerentur, qui iis diſplicerent. Poſtea cum eſſent Epiſcopi, qui hunc morem contemnerent, & Domini eſſent, qui jure ſuo abuterentur, & Eccleſiam in ſervitutem redigere tentarent, Canonum auxilio opus fuit. Longa res foret cum Thomaſſino liberalitates Patronorum, honores, officia, onera, advocatias, & defenſiones pro Eccleſiis ſuſceptas per multa Secula deducere. Noſtris moribus propius accedentes, varias hujus Juriſpatronatus ſpecies diſtinguimus in *Eccleſiaſticum*, quod competit Eccleſiaſticæ communitati, aut perſonæ ratione dignitatis, & officii: in *Laicum*, quod competit Laicæ communitati, aut perſonæ ratione patrimonii, licet per accidens perſona facta ſit Eccleſiaſtica: in *Mixtum*, quod competit pluribus ſub diverſo titulo, puta ratione dignitatis Eccleſiaſticæ, & patrimonii.

Fleury Inſtit. Canoniq. *Seconde Partie chap.* 16. *n.* 2.

p. 2. *l.* 1. *c.* 29. *& ſeqq.*

Variæ classes.

Fundationis Titulus antiquissimus.

can. 10.

Antiquiſſimus Juriſpatronatus acquirendi titulus reputatur fundatio Eccleſiæ. Synodus Arauſicana an. 441. agnovit hunc titulum pro Epiſcopis

copis

Digitized by Google

copis Eccleſiam in alienæ Civitatis territorio fundantibus. Juſtiniano imperante, Monaſteriorum, Xenodochiorum, & Eccleſiarum fundatoribus competiiſſe Jus deſignandi Adminiſtratores, Præfectos, & Presbyteros manifeſtum eſt, ſed dignos ex Epiſcopi Diæceſani judicio, & examine probandos, *ut non profanent Sancta Dei, (hoc videlicet, quod ſacris ſancitur eloquiis) ſed intacta hæc, & ineffabilia, tremendaque conſtituta ſancte, & Deo amabiliter, & venerande tractari* debeant. Quod privilegium ad Hæredes extenſum fuit. Clemens III. Seculo Duodecimo exeunte reſcribit diſertis verbis, quod, ſi quis Eccleſiam cum aſſenſu Diæceſani conſtruxit, ex eo Juſpatronatus acquirat. Unde non videtur, quod ſufficiat aſſignare merum fundum, vel exiguam dotem, cum hoc non ſit conſtituere: & talis habendus eſt non Patronus, ſed Benefactor. Conſenſus Ordinarii neceſſarius eſt, ſine quo omnes actus nullitatem incurrunt manifeſtam. Sufficit autem tacitus conſenſus illius, qui ſciat, nec contradicat.

Novell. LVII. *c.* 2.

Novell. CXXIII. *c.* 28.
c. 25. *de Jurepatron.*

NON OMNIS FUNDATIO SUFFICIT.

Doctrina Tridentinæ Synodi hæc eſt: *Nemo etiam cujuſvis dignitatis Eccleſiaſticæ, vel Secularis quacunque ratione, niſi Eccleſiam, Beneficium, aut Capellam de novo fundaverit, & conſtruxerit: ſeu jam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis, & patrimonialibus bonis competenter dotaverit, Jus Patronatus impetrare, aut obtinere poſſit, aut debeat. In cauſa autem fundationis, aut dotationis, hujuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſervetur.* Quod adeo verum eſt, ut *non liceat præterea Patrono, cujuſvis privilegii prætextu, aliquem ad Beneficia ſui Jurispatronatus, niſi Epiſcopo Loci Ordinario, ad quem proviſio, ſeu inſtitutio ipſius Beneficii, ceſſante privilegio, jure pertineret, quoquomodo præſentare. Alias præſentatio, ac inſtitutio forſan ſecutæ nullæ ſint, & eſſe intelligantur.* Hoc caput de examine prævio, & de approbatione intelligitur, quemadmodum alio in loco cautum fuit, ut *nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quominus examen ſubire teneatur; Præſentatis tamen, Electis, ſeu Nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis Generalium Studiorum exceptis:* qui examini non ſubjacent, quia nempe idonei ſupponuntur, poſtquam in lectiſſimo Senatu probati ſunt. Hæc ipſa ſanctio ſine præjudicio legitimæ præſcriptionis, cui eadem Sancta Synodus non intendit derogare, intelligenda tunc, quando inſtitutio per alium fit, quam per Ordinarium, ut non raro obſervavi.

MODERNA DISCIPLINA.
Seſſ. XIV. 1551.
c. 12. *de Reformat.*

INSTITUTIO AD EPISCOPUM SPECTAT.
ibid. c. 13.

Seſſ. VII. 1547.
c. 13. *de Reformat.*

PRÆSENTATI AB UNIVERSITATIBUS NON EXAMINANTUR.

INSTITUTIO ALIQUANDO FIT PER ALIUM.

Ad docendum præſentandi Jus decernit Sancta Synodus, *ut titulus Juris Patronatus ſit ex fundatione, vel dotatione, qui ex authentico documento, & aliis*

TITULUS PROBARI DEBET.
Seſſ. XXV. 1563.
c. 9. *de Reformat.*

Digitized by Google

& aliis jure requiſitis oſtendatur, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliaſve ſecundum Juris diſpoſitiones. Curſum temporis definit quinquaginta annorum ſpatio, ubi uſurpationes præſumerentur. Communiter duæ, vel tres præſentationes ſufficere videntur, dummodo inter unam, vel aliam præſentationem interceſſerit notabile temporis ſpatium. Reliquis Patronatibus, cujuſcunque ſpeciei ſint eorum privilegia, in eodem Decreto fuit derogatum. Excipiuntur privilegia dotationis, aut fundationis. Excipiuntur Patronata ſuper Cathedralibus Eccleſiis competentia; & alia, *quæ ad Imperatorem, & Reges, ſeu Regna poſſidentes, alioſque ſublimes, ac ſupremos Principes, Jura Imperii in Dominiis ſuis habentes pertinent; & quæ in favorem Studiorum Generalium conceſſa ſunt.* Hinc reſultat Juſpatronatus poſt Concilium non poſſe amplius acquiri per ſpeciale privilegium, niſi derogetur citato capiti, a quo talia Sedis Apoſtolicæ privilegia ſublata ſunt.

PRIVILEGIA REVOCATA, ET ALIA CONFIRMATA.

JUSTA ANIMADVERSIO.

VENDI NEQUIT JUSPATRONATUS.

Nec dictum Juſpatronatus, venditionis, aut alio quocunque titulo in alios contra Canonicas ſanctiones transferre præſumant. Si ſecus fecerint, excommunicationis, & interdicti pœnis ſubjiciantur, & dicto jurepatronatus, ipſo jure privati exiſtant. Sunt tamen ſui legitimi Juriſpatronatus transferendi modi: quia tranſit ad Hæredes, & quoſcunque Succeſſores jure hæreditario tamquam Prædiis affixum. Unde ſi Prædium ſit Eccleſiaſticum, Patronatus Eccleſiaſticus eſt: ſi Prædium ſit profanum, Patronatus Laicus eſt, licet fortuito Clericus poſſideat Prædium Laicum, tamquam patrimonii ſui partem. Sequitur alienationem Prædii, cujus acceſſorium eſt, niſi Juſpatronatus fuerit ſingulari exceptione reſervatum. Separatim tamen vendi nequit, quippe Jus ſpirituale. Et ideo indiviſibile eſt, neque inter plures hæredes ſpargendum: ſed hæredes aut conjunctim, aut alternatim nominant: *ut, ſi forte in plures partes, fundatorum ſe vota diviſerint, ille præficiatur Eccleſiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur aſſenſu. Si autem hoc ſine ſcandalo eſſe nequiverit, ordinet Antiſtes Eccleſiam, ſicut melius eam ſecundum Deum viderit ordinandam. Et idipſum etiam faciat, ſi de Jurepatronatus quæſtio emerſerit inter aliquos, &, cui competat, intra quatuor menſes non fuerit diffinitum.* Cœterum in Jurepatronatu hæreditario ſuffragia per ſtirpes feruntur, non per capita. Exercitium præſentandi communiter ille habet, qui Prædium poſſidet, licet Dominium utile ſub lite ſit. Per donationem quoque transfertur Juſpatronatus in donatarium abſque injuria Eccleſiæ, ſive

TRANSFERRI POTEST. Fagnan. c. 3. *de Jurepatronat.*

COMMUNITER TRANSIT CUM PRÆDIO, CUI AFFIXUM. *idem. c. 7. eod. c. 6. & 16. eod.* QUOMODO FIAT NOMINATIO A PLURIBUS? *c. 3. eod.*

FIT PER STIRPES INTER HÆREDES. *c. 7. & 19. eod.*

TRANSFERTUR PER DONATION.

Digitized by Google

ſive donatio ſit inter vivos, ſive cauſa mortis, dummodo conſenſus Ordinarii accedat. *Hoc procedit in particulari donatione. Secus autem eſt in donatione univerſali omnium Bonorum, & Jurium, in qua conſenſus Ordinarii minime requiritur. Eidem ſententiæ adſcribi poſſunt authores omnes, qui in fortioribus terminis voluerunt, ut, ſi quis dicat: vendo tibi omnia bona mea, nulla facta mentione jurium, & actionum, nihilominus veniat Juſpatronatus*, inter quos Abbas, Felinus, & Decius. *Et hanc ſecundam opinionem*, ait Fagnanus, *ego puto veriorem, & in practica amplectendam*. Donatio vero Juriſpatronatus Laici facta loco Eccleſiaſtico, vel Religioſo (ſalvis reliquis Juribus Epiſcopalibus) etiam ſine novo Epiſcopi conſenſu tenet, quia redit ad naturam ſuam, cum evadat manus Laicorum.

Fagn. c. 7. eod. n. 45.

QUANDO REQUIRATUR CONSENSUS ORDINARII?

n. 46.

c. un. de Jurepatr. in 6.

Hinc colligunt authores plura: nempe *Fundatoribus Eccleſiarum Juſpatronatus acquiri, non ex mero jure, ſed ex gratia, & permiſſione quadam, & tolerantia Eccleſiæ... Laici de jure antiquo in Eccleſiis etiam per eos ædificatis, vel dotatis nullum jus habebant: ſed ſtatim Eccleſiæ ipſæ cum dotibus ſuis ad ordinationem pertinebant Epiſcoporum... Verum tempore ſuccedente conſtituit Eccleſia, ut ipſi Patroni haberent in Eccleſiis certa jura, videlicet jus defenſionis... Item honorem proceſſionis... item jus alimentationis... item jus præſentandi... Et hæc Laicis conceſſit Eccleſia, ut ad fundandas, & dotandas Eccleſias inducerentur... Quamobrem quidquid Juris habent Patroni in Eccleſia, totum ex gratia procedit, & de ſpeciali gratia toleratur*, ſcilicet propter merita fundationis, aut dotationis. *Ratio eſt, quia cum Juſpatronatus ſit ſpirituale, vel ſpirituali annexum... de cujus rigore, & circumſcripta diſpenſatione, & privilegio Eccleſiæ, Laicus ejuſmodi juris capax non eſt... Cum igitur Juſpatronatus, quod Laici in Eccleſiis habent, gratioſum ſit, eoſque Eccleſia in tali poteſtate ex gratia ſuſtineat, ut hic dicitur, hinc inferunt Hoſtienſis, Joannes Andreas, & Abbas, ut, ſi Papa velit, poſſit libere conferre Beneficia Juriſpatronatus Laicorum, etiam invitis Patronis*. Quidquid ſit de plenitudine poteſtatis, contra æquitatem foret hac uti. Rationem addit Fagnanus: *non tamen expedit, ut Papa libere diſponat de Eccleſiis Juriſpatronatus, ne Laici a fundationibus retrahantur... Unde ſit, ut, quamvis poſſit, non tamen cenſeatur velle Patronatui Laicorum derogare, niſi hoc exprimat*. Concluditur *habendo reſpectum ad jura antiquiſſima... Conceſſionem Juriſpatronatus fuiſſe gratioſam; ſed hodie, cum per jura nova fuerit redacta in corpore juris, amodo non dici gratiam, ſed juſtitiam, ſeu jus commune*.

Fagnan. n. 4. &c.

SUCCESSIO PRIMÆVA.

PATRONORUM JURA.

AN PAPA CONFERRE POSSIT INVITIS PATRONIS?

Juſpatronatus in Emphyteuſim, vel Feudum acceſſorie traditur, ſi ſci-

Tradi potest in Emphyteuſin Juspatronatus.

licet Villa, Caſtrum, vel Prædium in Emphyteuſin, vel Feudum concedatur, cui ſit annexum, quemadmodum directe vendi nequit, & tantum tranſit vendito prædio, cui foret annexum. Illud ſupra obſervavimus.

Nominari debet Dignus.

Nominatus debet eſſe idoneus, quem Epiſcopus probare tenetur, an ſit talis. Olim Patroni non prætendebant tam abſolutum jus, ſicut hodie, cum Epiſcopi aliquando rejicerent præſentatos non ob aliam cauſam, quam quod præſentati illis grati non eſſent. Hinc exceſſus utriuſque partis, ut ſupra indicavimus, tot Canones cauſaverunt.

Tempus Præsentandi. *c. un. de Jurepatr. in 6.* Fagnan. *ad cit. c. 27. de Jurepatron.*

Præſentandi tempus definitum eſt. Patrono Laico indulgentur quatuor menſes, Eccleſiaſtico menſes ſex. Hic variare nequit, in quo præſumitur accurata Canonum peritia. Sed in illo adeo excuſatur, ut, ſi præſentaverit indignum, alium, & fortaſſis plures præſentare poſſit, donec Ordinarius dignum inveniat: aut de digno provideat, quando vix ſperare auſit, dignum a Patrono præſentatum iri. Notabilis caſus eſt in Patronatu mixto, & tunc dignior trahit ad ſe minus dignum, Eccleſiaſticus Laicum. Communicantur privilegia, & favores. Tempus erit ſemeſtre: variare licebit, quæ inconſtantia debiliori, & rudiori adſcribitur. Alias Eccleſiaſticus Patronus cenſetur quaſi eligens, ſi ſit ſolus. Indignum eligens, & indignum præſentans illa vice cadit jure ſuo, & amittit electionem, vel præſentationem. Laicus monetur de novo præſentando. Quomodocunque autem Patroni Eccleſiæ vacantis intra tempus a jure conceſſum non præſentaverint, Epiſcopus ordinabit Eccleſias. Hæc ſine præjudicio majorum Patronorum intelliguntur, & privatarum conſuetudinum. In Hungaria Rex vix infra annum nominat. Inferiores Patroni ſolent ibi infra duos menſes nominare ad Parochias, propter curam animarum multam, & non exiguam Paſtorum inopiam. Præventio in Jurepatronatus, præſertim Laico non ſolet habere locum; neque Ordinarius invito Patrono perſonam præſentatam permutare poteſt, ſi digna ſit. Concordatum in Gallia conforme eſt. Germani, & Hungari de præventionibus iſtis nihil ſciunt.

c. 12. eod.

Privatæ Consuetudines.

An sit locus Præventioni?

c. 19. eod.

Favor Possidentis.

Præterea Gregorius IX. varias in Decretalibus quæſtiones definit. Inſtitutus ad præſentationem ejus, qui in poſſeſſione quidem præſentandi erat, ſed poſtea convictus fuerat, nullum ſibi jus competere, non debet amplius ab Eccleſia removeri. Secus ſi nondum poſſediſſet tempore præſentationis, quia res adhuc integra foret. Nemo tamen extra ſuam poſſeſſionem ejiciendus venit ante ſententiam Convictionis. Canonica pari-

Digitized by Google

pariter idonei viri inſtitutio ſupplevit defectum juris ignoratum a præſentante, & præſentato. Ab Officio, & Beneficio removetur, qui monitus non dimittit Eccleſiam ſine conſenſu Epiſcopi ſibi conceſſam. Proceditur tamquam in violenter intruſos. Illas autem Eccleſias, de quarum Patronatu controverſia fuerit, ſi infra ſex menſes, poſtquam vacaverint, non fuerit controverſia terminata, jure devolutionis Epiſcopus providet. Hic loquitur Alexander III. de controverſia inter Laicos: quæ ſi ſit inter Eccleſiaſticas perſonas, retrahitur ab Innocentio III. tempus ad quatuor menſes. Patronus nihil alienare, nihil exigere valet, niſi in fundationibus aliquid ipſi reſervatum fuiſſet. Quod ſi ad inopiam vergat, ab Eccleſia modeſte ipſi ſuccurritur, habita conſideratione ad facultates Eccleſiæ, & conditionem perſonæ. Hic favor extenditur ad deſcendentes Fundatoris, quibus competit juſtum auxilium non propter prærogativas præſentandi, ſed propter merita fundationis. Æquum enim eſt, ut quibus bona divites donavimus, ipſi reſtituant grati egentibus alimenta. Se ipſum præſentare nemo poteſt, ſicuti ſeipſum eligere nemo poteſt. Suæ præſentationi conſentire poteſt, non ſecus ac ſuæ electioni. Qui vero Jurepatronatus paſſivo gaudet ſimul, & activo, ille non dicitur ſe ipſum præſentare, ſed jam præſentatus exiſtit in ipſa fundatione. Filium Patronus præſentare poteſt, quia in odioſis, aut ſtrictis interpretationibus pater, & filius non cenſentur eadem perſona: & licet motus ſanguinis aliquid operetur, ambitus non eſt; quia non inſtituit idem, qui præſentat. Patroni enim eſt ſuum præſentatum dignum credere, Epiſcopi ſcire, & probare.

c. 21. eod.

NECESSITAS CONSENSUS ORDINARII.

c. 22. eod.

DEVOLUTIO AD ORDINARIUM SPECIALIS.

c. 27. eod.

c. 23. eod.

PATRONI FAVOR.

c. 25. eod.

Cauſ. XVI. *qu.* 7. *can.* 30. & 31.

c. 26. de Jurepatr.

AN QUIS SE IPSUM PRÆSENTARE VALEAT?

Patronatus dicitur *honorificus*, *utilis*, & *oneroſus*. Imprimis *honorificus*, quia Patrono debetur juſtus honos propter ſingularia merita erga Eccleſiam. Olim non erat definitus. Imo forte Gelaſius I. Seculo Quinto exeunte negat quidquam competere Fundatori præ reliquis Chriſtianis. Antiquiſſimis temporibus invenio nomina, aut elogia Fundatorum Eccleſiis inſcripta. Imo vero Fundatores Eccleſiis fundatis titulum elargiebantur. Sic Romæ manent Baſilica Conſtantiniana, Liberiana, Titulus Damaſi, Equitii, Paſtoris, Veſtinæ, Eudoxiæ, Lucinæ, & Faſciolæ. Clemens III. Seculo Duodecimo exeunte Fundatori honorem *Proceſſionis* vult ſervari. Puto ſenſus eſt præceſſionis, ſive præcedentiæ, quæ Patrono cœteris paribus relinquebatur: quam quidem præcedentiam a nobilibus, aut inſignioribus viris nec ipſe prætendiſſet. Honor Patrono exhibendus hodie diffinitus non eſt. Varius uſus habita conſideratione

COMMODA PATRONI.

Cauſ. XVI. *qu.* 7. *can.* 26. & 27.

cit. can. 25. *de Jurepatron.*

Honoris signa. ad conditionem perſonæ, meritorum, & loci. Præcipua honoris ſigna erunt, Patronum proceſſionaliter excipere: incenſum, & aquam benedictam ante alios ei tradere; Euchariſtiam ſtatim poſt celebrantem ſumi ab ipſo: ſedes in Choro, honor ſepulturæ, precum publicarum, & luctus Eccleſiaſtici. Fluxere alia ex Feudorum moribus. Uſui ſtandum quidem: verum exceſſus moderandus, conſulto Epiſcopo, ne quid præter dignitatem fiat. Quid, ſi lacero, & pauperi præſtares aliqua honoris ſigna, quæ Principibus, pluraque his dare nequires? Pane, & veſtitu indiget inops, non thure, & ſtratis. *Utilis* eſt Patronatus, quo interdum ſuccurritur egentibus, uxori, & liberis. *Oneroſus*, quia tenetur Patronus defendere jura Eccleſiæ, & fundationem omnem ſartam tectam conſervare. Alias ſi Patronata Eccleſia ruat, vel indotata maneat; & Patronus neglexerit reædificare, & redotare, alter vero reædificaverit, vel redotaverit, iſte erit Patronus, non ille. Præter translationes adductas Juſpatronatus amittitur per non uſum. Longiſſimum tempus faciunt anni quadraginta, dummodo concurrant actus poſitivi contrarii, facti ab Epiſcopo cum ſcientia, & voluntate inducendi contrariam præſcriptionem. Amittitur ob gravia Patroni delicta, ſi hæreticus, vel fautor hæreticorum evaderet, aut excommunicatus. Sed hæc quidem excommunicatio exercitium ſuſpendit in Patrono Laico, quod ipſe, vel ejus hæredes recuperant, ſimul ac in gratiam redeunt cum Eccleſia Catholica, quæ non ſinit ſupereſſe pœnam tantam deleta culpa.

Quomodo amittatur Juspatronatus?

DE PRIMIS PRECIBUS

TITULUS X.

Quid tribuant?

PRimæ preces ſpectant ad ſublime magis genus Juriſpatronatus, tribuuntque novo Imperatori jus in qualibet Romano-Germanici Imperii Eccleſia, ſemel idoneam perſonam nominandi, quam ordinarius collator ad Beneficium vacans omnino admittere tenetur. Sic Rex Galliæ habet jus auſpicati ingreſſus in Regnum, & in ingreſſu ſuo, ſemel, in qualibet Eccleſia, unam perſonam nominat ad Beneficium; atque intra Monaſterium tam virorum, quam mulierum, mandat recipi vel Monachum, vel Monialem. Hoc privilegium primarum precum aliunde, quam ex immemorabili conſuetudine propter primarias fundationes, & advocatias derivaſſe, id ignoro. Extat Epiſtola Rudolphi Habsburgici ad quemdam Abbatem, quam ex Continuatore Abbatis Urſpergenſis pro anti-

Jus auspicati ingressus apud Gallos.

Origo precum.

Digitized by Google

antiquiſſima formula refert Chokier in Proemio Scholiorum ad Primarias Preces. Verba ſunt hæc: *Cum ex antiqua, & approbata, ac a Divis Imperatoribus, & Regibus inclytæ recordationis noſtris anteceſſoribus uſque ad nos producta conſuetudine, quælibet Eccleſia in noſtro Romanorum Imperio conſtituta, ad quem Beneficiorum Eccleſiaſticorum pertinet collatio, ſuper unius collatione Beneficii, precum noſtrarum primarias admittere teneatur: Devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de Eccleſiaſtico Beneficio, quod ad tuam collationem ſpectat, ob reverentiam Sacri Imperii, & noſtram, ſi quod vacat ad præſens, vel quamprimum vacaverit, ſtudeas liberaliter providere, taliter faciens, quod devotionem tuam noſtra ſerenitas debeat merito commendare, & ad tua juſta deſideria facilis inveniri.* Extant apud Goldaſtum conformes literæ Caroli IV., VVenceſlai, Ruperti Palatini, qui novam vim addentes, hoc ſibi privilegium competere volebant *tam de Jure, quam ab antiqua conſuetudine*. Quod quidem jus VVenceſlaus ad omnes effudit Eccleſias Cathedrales, Collegiales, Abbatiales, Seculares, Regulares, ad omnes denique Prælatos, Patronoſque Eccleſiaſticos. Firmiſſimam primariarum precum auctoritatem agnovit Æneas Sylvius olim noſter Tridentinus Canonicus, poſtea Card. Senenſis, tandem in Pontificatu dictus Pius II., ubi ad Bartholomæum Medicum ſcribit: *Nos non decet contra primarias preces Imperatoris attentare, quia illas impetravimus, & ſæpe defendimus, & Imperatoriæ Majeſtatis honorem tueri debemus, qui ab illa promoti, & magnificati ſumus.* Uſi ſunt & alii forte Principes his primariis precibus, quæ tandem multas controverſias pepererunt, quando rejectæ fuerunt. Recenſuit Thomaſſinus.

Conſtit. Imperial. *Tom.* I.

EXTENSIO MULTA.

epiſt. CCCLXXII.

PRIMIS PRECIBUS ALII PRINCIPES USI SUNT. *p.* 2. *l.* 1. *c.* 54.

Quanti vero Sedes Apoſtolica hoc Jus Imperatorum fecerit, ex eo maxime liquet, quod Fagnanus infert, ubi evincit in Concilio Tridentino ſublata eſſe quæcunque mandata de providendo, vel gratias expectativas, vel reſervationes mentales, vel alias quaſcunque gratias ad vacatura, & Indulta ad alienas Eccleſias, vel Monaſteria alicui, etiam ex S. R. E. Cardinalibus conceſſa. *Stante hoc decreto*, ait Fagnanus, *Philippus de Monte impetravit ab Imperatore preces primarias ad Archiepiſcopum Cameracenſem, quæ dantur pro Beneficiis vacaturis, cum tale ſit jus earum precum. Quibus legitime intimatis Archiepiſcopo, vacavit Eccleſiæ B. M. V. Cameracenſis Theſauraria, de qua licet vigore dictarum precum providendus fuiſſet aſſertus Philippus, qui infra tempus debitum eam acceptavit: nihilominus Archiepiſcopus Cameracenſis illam contulit cuidam Gibeito Leonino, ſub prætextu, quod Decretum Concilii cap.* 19. *Seſſ. XXIV. tollit quaſcunque conceſſiones ad vaca-*

ad c. 2. *de Conceſſ. Præbend. & Eccleſ. non vacant. n.* 8. 9. 10. Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 19. *de Reformat.*

AN SINT REVOCATÆ IN CONCILIO TRIDENTINO?

Digitized by Google

vacatura. Et quia in dicto cap. 19. nulla habetur mentio de Imperatoribus, ſupplicavit declarari per Congregationem Concilii, an dictum cap. 19. afficiat huiuſmodi conceſſiones, & Indulta ad vacatura, ſic antea conceſſa per Romanum Pontificem Imperatori, & demum per Pium IV. confirmata. Sacra Congregatio cenſuit, haſce primarias preces non comprehendi dicto cap. 19., quia non nominatur Imperator, qui eſt ſpeciali nota dignus, nominantur Cardinales, qui ſunt & ipſi ſpeciali nota digni. Unde ſi *Concilium voluiſſet comprehendere Imperatorem, expreſſiſſet, vel ſaltem poſt Cardinales dixiſſet, & quibuſcunque aliis. Quo caſu dictio aliis intelligeretur de iis, qui & ipſi ſpeciali nota digni fuiſſent. Præterea exprimitur de expectativis conceſſis Univerſitatibus, Senatibus, & aliis ſingularibus Perſonis. Ergo Concilium expreſſiſſet etiam Imperatores, ſi voluiſſet. Referendum tamen SS. D. N. Gregorio XIII., qui probavit ſententiam Congregationis, & juſſit fieri declaratoriam per literas Congregationis: & ultra rationes ponderatas a Congregatione, addidit Sanctitas ſua, quod meminit tempore Concilii, quando formabatur dictum cap. 19., aliquos voluiſſe addi, & primarias preces Imperatori conceſſas; ſed communior ſententia Patrum fuit, ut tolleretur earum mentio: ſicque non comprehenduntur dicto cap. 19.* Unde non injuria affirmabitur, privilegio etiam Apoſtolico niti Jus iſtud Imperatorium, cum a Pio IV., Gregorio XIII., & aliis novum illi pondus authoritatis acceſſerit, quidquid Philippus Vitriarius ſcribat: *Videtur potius hoc jus eſſe ejus generis, quale illud, quod vi Coronationis Imperator fiat Aquiſgrani quidem Canonicus Collegii S. Mariæ, & Eccleſiæ Majoris Colonienſis, Romæ vero Collegii D. Petri. Quæ itidem Papis haud debentur, ſed potius tenues ſunt reliquiæ antiqui Juris Cæſarei circa collationem Epiſcopatuum, Abbatiarum, aliorumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum.* Idem ſenſit Conringius in notis ad Bullam Innoc. X. Conſentit tamen Vitriarius, *ut ita, licet Imperatores hoc jus hodie, ut Beneficium a Pontifice agnoſcant, ad jura Majeſtatis ſit referendum.*

QUARE DICANTUR NITI PRIVILEGIO APOSTOLICO?

Jur. Publ. *l. 3, t. 2. n. 9.*

ibid. n. 10.

AN IMPERATOR HOC JUS VALEAT EXERCERE IN TERRIS PROTESTANTIUM?

Teſtatur hic autor, quomodo ante Inſtrumentum Pacis diſputaretur, an poſt Receſſum Imperii de anno 1555. Imperator hoc jus exercere poſſet in terris Proteſtantium, aliis affirmantibus, aliis negantibus. *Et ne per jus primariarum precum Auguſtanæ Religioni, & Capitulis Reformatis, (admiſſis in ſocietatem Pontificiis) aliquid damni immineret, perſona præſentata jurare tenebatur de non turbanda Religione; Exemplo Erneſti Elect. Colon. a Rudolpho II., vigore prædictarum precum, Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Magdeburgenſis Præpoſiti, qui jurare compellebatur: primo ſe contra Capituli ſtatum, & exercitium Auguſtanæ Religionis nihil moliturum, nec ullum mu-*

Digitized by Google

mutandæ Religionis jus ſibi arrogaturum. Secundo ſe a Pontifice, vel Imperatore non petiturum relaxationem juramenti præſtiti de non turbanda Religione. Hæc controverſia hodie in Inſtrumento Pacis eſt ſopita, inque eo diſpoſitum, ubi Sacra Cæſarea Majeſtas jus primariarum precum exercuit, exerceat etiam impoſterum, dummodo decedente Auguſtanæ Confeſſioni addicto, in ejus Religionis Epiſcopatibus, Auguſtanæ Confeſſioni addictus, ad normam ſtatutorum, & obſervantiæ idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque Religione, ſeu Epiſcopatibus, ſeu aliis locis immediatis, precibus primariis præſentatus non gaudeat, niſi Beneficium vacans Religionis conſors poſſederit. art. V. §. 8.

Non obſtat, hoc privilegium non competere Imperatori, qui non ſit coronatus: quia privilegia iſta ſæpe data ſunt non tantum coronatis, verum etiam Imperatoribus electis tantum. Deinde antiquiſſima conſuetudo, quæ maximum fundamentum eſt, militat pro omnibus ſive coronatis, ſive electis tantum. Dubitat nemo. COMPETIT HOC JUS ETIAM NON CORONATO IMPERATORI.

Primæ preces Imperatoris, poſtquam a Summo Pontifice privilegium conceſſum eſt, ſe extendunt ad omnia Beneficia, etiamſi vacaverint in menſibus Papæ, dummodo non ſint reſervata in Extrav. AD REGIMEN &c., & EXECRABILIS &c. Quæſo tamen. Conſuetudo multo antiquior fuit reſervationibus. Quomodo per has reſervationes conſuetudini antiquiori derogatum fuit? Huic autem Concordata Germaniæ non derogarunt, cum non ſit veriſimile, quod Fridericus III. in ſui, & Succeſſorum ſuorum præjudicium conſenſerit abolendæ conſuetudini. Primæ Preces extenduntur ad omnes Imperii Eccleſias, quæ ſint in terris Imperii ſitæ; ſemel tantum; poſt effectum verificatum; & ibi tantum, ubi collator ſaltem quatuor Beneficia conferre valeat. Si tantum tria, non tenetur admittere preces. Eximuntur a primis precibus Epiſcopatus, & primæ dignitates in Eccleſiis poſt Pontificalem: item Prælaturæ in Monaſteriis, & Collegiatis; non autem inferiores dignitates, officia, & canonicatus in Cathedralibus. Excipiuntur Juſpatronatus Laicorum, quibus Summus Pontifex nunquam intendit derogare, niſi exprimat. Pro exequutione Imperator deputat Eccleſiaſticas Perſonas, quæ authenticas Cæſareas literas, ſive preces Ordinariis Collatoribus dirigunt, ad quos ſpectat, ut preciſtam inducant in legitimam, & actualem, & corporalem poſſeſſionem. Unus pluribus commendari valet. Inveſtitus ab uno reliquos liberat pro illa vice. Chokier docet, Beneficium per preces interpoſitas affectum reddi, quamvis Ordinarius Collator, nondum gnarus pre- QUÆ BENEFICIA SUBJACEANT PRIMIS PRECIBUS? EXEQUUTIO. AN AFFICIANT BENEFICIUM PRIMÆ PRECES?

Digitized by Google

precum, alteri Beneficium contulerit. Unde collatio foret nulla. Vix credam. Preciſta intra menſem a die vacationis notæ, ſuis precibus uſus, Beneficium vacans acceptare debet vel per ſe, vel per procuratorem. Negligens caret effectu pro illa vice. Vacante novo Beneficio liberum ei ſit, ſuis precibus uti. Citatus Chokier negat minorenni currere menſem. Ego ſæpe affirmarem, quia favor minoris non debet cauſare diuturnam vacantiam. Re tamen integra, etiam poſt menſem ſupereſſe locum precibus non dubitarem: quia ſibi imputet Ordinarius Collator, qui neglexit providere, & expectavit preces Imperatoris: cui difficile eſt repulſam dare, imo periculoſum non aſſentiri. Præter VVagnerek, & Engel, inter recentiores de primariis precibus ſcripſerunt pro Papa alieno nomine larvatus Corradinus, hodie Cardinalis, pro Imperatore defunctus Bodeus, e Conſilio Imperiali Aulico unus.

MENSIS AD DELIBERANDUM.

DE FORMA PROVISIONUM

TITULUS XI.

FORMA PROVISIONIS.

Viſis Collatoribus, Formam Proviſionis vocamus literas Collatoris, quibus collatio, vel præſentatio Beneficii intimatur. Stylus varius eſt pro varietate Collatoris, & Collationis, quæ non uni ſemper dirigitur. Hunc Titulum in gratiam Proviſionis Apoſtolicæ ſubnectimus, cum reliquæ Proviſiones addiſcendæ ſint ex uſu locorum. In Dataria variis modis, & clauſulis expediri ſolent literæ Beneficiales.

LITERÆ BENEFICIALES IN DATARIA.

VARIA RESCRIPTA.

Reſcripta Juſtitiæ expediuntur *in forma Pauperum*, ſeu in *forma Communi*, quia juſtum eſt Clerico pauperi ſubvenire. *Reſcripta Gratiæ* expediuntur *in forma dignum* prævio Examine: vel *in forma gratioſa*, quando dignus ſupponitur, quin proviſus amplius ſubjaceat Examini.

CAUTELA IN BENEFICIO LITIGIOSO.

In Beneficio litigioſo inter duos Proviſos additur Clauſula: SI ALTERI &c., ideſt *Collitiganti non ſit jus quæſitum in Beneficio*. Aliquando tertius impetrat cum hac Clauſula: SI NEUTRI &c., ideſt *ex illis ſit jus quæſitum in illo*.

NOVA PROVISIO.

Nova Proviſio ſupplet defectus anterioris Proviſionis qui tamen in ſupplicatione nominari debent, ſi *Prima* fuit Papæ. Si autem fuit Ordinarii, opponit Dataria Clauſulam: *Cum ex certis cauſis de prima Proviſionis viribus hæſitetur &c.* Nova Proviſio operatur a Data ipſius ſecundæ Expeditionis. Hinc Papa hanc Clauſulam ponit: *Dummodo tempore datæ præſentium non ſit in eo* Beneficio *alicui ſpecialiter jus quæſitum*.

Perin-

Digitized by Google

Perinde valere datur, quando prima, & ſecunda Proviſio fuit Papæ, quaſi nova Proviſio perinde valeat, ac ſi Proviſio prima ab initio valida fuiſſet. In reliquo idem operatur, quod nova Proviſio operatur, cujus prima fuit Ordinarii, ſecunda Papæ, qui hac vice ſupplere debuit Ordinarii defectus. PERINDE VALERE.

Rationi congruit. Forma eſt, quæ adhibetur in expediendis litteris Prædeceſſorum Pontificum: ideſt, quas ſignavit quidem Prædeceſſor, ſed nondum expeditæ fuerunt propter ingruentem Sedem vacantem. Ordinarii liberas collationes ſuas *motu proprio* expediunt, nulla petitionis mentione facta, ac ſi nullus humanus affectus, ſed ſola hominis probitas moviſſet animum concedentis. In præſentationibus, & nominationibus prævio examine mentio fit ejus, qui præſentat, aut nominat. Papa ſæpe *motu proprio* providet, in quo omnium rerum plenam notitiam habuiſſe præſumitur. In Gallia, & in Germania non ſolet comparere talis *motus proprius*. Expeditio communis in uſu eſt vel *in forma dignum*, vel *in forma gratioſa*. RATIONI CONGRUIT. QUARE ORDINARII PROVIDEANT *motu proprio*? MOTUS PROPRIUS PAPÆ.

Ubi Papa ſimpliciter providet per *Fiat*, *ut petitur*, aut per *Conceſſum*, *ut petitur*, obreptiones, & ſubreptiones locum habent, niſi vera ſint expoſita, & niſi conceſſio per omnia cum petitione concordet. Hoc vitium ſubreptionis, aut obreptionis incurritur propter non expreſſa exprimenda omnia. Propter hanc conſiderationem ſignatura *ſub motu proprio* latam ſuſcipit interpretationem, cum ſupponatur plena concedentis ſcientia. Quæ vero ſignatura ſi ſit ad petitionem alterius, ſtrictiſſimam ſuſcipit interpretationem, cum metuatur non levis ambitio ſupplicantis. Sed nullæ Literæ Apoſtolicæ proviſo tribuunt effectum, antequam plumbum ſit appoſitum: nec alias, quam juxta ſenſum expeditionis venit judicandum. QUANDO SIT LOCUS SUBREPTIONI? QUANDO VALEAT EXPEDITIO?

Exequutor Literarum Beneficialium vel eſt *merus*, vel eſt *mixtus*. Merus non aſſumit ſtrictas Judicis partes, vel quia literæ expeditæ ſunt *motu proprio*, & *in forma gratioſa*: vel quia delegatur Exequutor ab habente poteſtatem conferendi quidem Beneficia, ſed non judicandi, ut a Capitulo communiter: vel quia committens & plene, & prius cognovit de juribus partium, etiam quoad exequutionem. Exequutor mixtus aſſumit judicis partes, vel quia literæ expeditæ ſunt *in forma dignum*, prævio examine, quod dignus ſit inventus: vel quod ex præſentibus, atque incidentibus circumſtantiis res aliter expediri nequeat. Communiter admittitur, Exequutorem utrumque poſſe ſuam delegationem alteri ſubdelegare, quia induſtria perſonæ non videtur inferre tantam neceſſitatem: DUPLEX EXEQUUTOR. SUBDELEGARE POTEST.

Digitized by Google

& conſueta Clauſula *ſuper quo conſcientiam tuam oneramus* non impedit, quin conſcientioſo, & idoneo viro partes ſuas in non tam difficili negotio committere valeat. Cœterum in praxi ſervatur Conſtitutio Pii IV. anni 1562., quæ incipit IN ELIGENDIS &c. Hinc gratiæ omnes, & ſupplicationes ab anteceſſore Pontifice etiam in Beneficialibus ſignatæ, eo mortuo, Sacro Collegio traduntur a Prodatario, ſub ſigillo clauſæ, futuro Pontifici reſervandæ, & expediendæ: ut ita ſervetur Jus Oratori quæſitum per illam priorem ſupplicationem, & intercedat convenientia inter Succeſſorem, & Prædeceſſorem Pontificem. Multa a Curialibus, & Officialibus Papæ habes, quæ continuo diſcas pro introducenda, promovendaque quacunque ſupplicatione. Hæc illorum ars, hic labor.

CONSUETUDO SEDE VACANTE.

DE ADIPISCENDA BENEFICIORUM POSSESSIONE

TITULUS XII.

INSTITUTIO SPECTAT AD EPISCOPUM. *c.4.de offic.Archid.* Seſſ. XIV. 1551. *c. 13. de Reformat.*

FOrmam Proviſionis comprobatam ſequitur Inſtitutio; quæ de Jure communi, & de Concilio Tridentino ſpectat ad Epiſcopum Diæceſanum. Hic enim in ſua Diæceſi ſupremus Cuſtos, & Paſtor eſt. Vices ſuas inſtituendi aliquando commiſit Archidiacono, qui, cum longo tempore exercuiſſet actus immittendi proviſos in poſſeſſionem, tandem habitus fuit quaſi pro vero Inſtitutore. Sic plura munia, & jura conniventibus Epiſcopis ſuis acquiſivere Archidiaconi, quorum faſtus ingens debuit comprimi. Evenit poſtea, ut aliis inferioribus Collatoribus vel ex præſcriptione, vel ex privilegio jus inſtituendi competeret: quod tamen Tridentina Synodus ſaltem propter examen Epiſcopis reſtituere voluit. Conſuetudo præſertim in Beneficiis non curatis interdum contraria eſt; & paſſim in Germania Beneficiati, & Canonici inſtituuntur a Capitulo ſine prævio Ordinarii examine. Hic mos Tridenti eſt, ubi Capitulum in collatione Canonicatuum alternat cum Pontifice, atque inſtituit ſuum Proviſum, Epiſcopo interea nihil agente.

Seſſ. VII. 1547. *c. 13. de Reformat.* Seſſ. XXIV. 1563. *c. 18. de Reformat.* Seſſ. XXV. 1563. *c. 9. de Reformat.*

INSTITUTIO DIFFERRI NON DEBET. *c. 2. de Præbend.*

Licet tempus Inſtitutionis hodie definitum non ſit, (cum Decretum Lateranenſe anno 1179. quoad ſex menſes amplius non ſit in uſu) illa nullo interveniente legitimo impedimento differri non poteſt abſque injuſtitia. Gravatus poterit proteſtari de gravamine ſine præjudicio Juris ſui, atque emolumentorum, cum in ipſo non ſit vitium, & per ipſum

non

Digitized by Google

non ſtet, quin in veram, & realem poſſeſſionem inducatur, recurrendo prævia appellatione ad Superiorem legitimum, ad quem jure, & conſuetudine ſuus recurſus datur. Superior diſcuſſa cauſa definit. Quod ad ipſam poſſeſſionem pertinet, donec Beneficium non diſtingueretur ab Ordine, Ordinatione peracta nihil deerat amplius. Quamprimum Beneficium ab Ordine fuit diſtinctum, ſingularis actus Poſſeſſionis fuit introductus, quaſi more Feudorum. Ritus hodie non eſt ubique idem. Conſuetæ tamen Locorum ſolemnitates propter metum nullitatis ſervari debent, ſive præcedant, ſive concomitentur, ſive ſubſequantur.

Actus Possessionis.

Poſſeſſio Canonicatus mei cum Præbenda in Eccleſia Cathedrali Tridentina ſic ſonat. Anno 1725. die 20. Decemb. in Civitate Tridenti, & in Sacrario Eccleſiæ Cathedralis, tamquam in ſolito loco Capitularis Congregationis, nulliſque aliis tunc exiſtentibus, qui huic actui commode intereſſe potuerint, ſed præſentibus Dominis Capitularibus, & ipſis totum, & integrum Capitulum facientibus, & repræſentantibus comparui, & præſentavi Bullas Pontificias, datas Romæ pridie Nonas Octobris A. D. MDCCXXV., continentes collationem Canonicatus, & Præbendæ vacantium per obitum Joannis Benedicti Gentilotti, Epiſcopi Tridentini electi, & Principis electi, ultimi & immediati Poſſeſſoris; qui die 20. Septembris præterlapſi obiit in Curia, non confirmatus, non inſtallatus. Præſentavi Literas quoque patentes, ſive Proceſſum peractum deſuper ab Exequutore Apoſtolico, inſtando pro executione plenaria, atque offerendo ſolitum præſtare juramentum, aliaque ſolita ſervare de jure, & de conſuetudine ſervanda, exburſandoque fabricæ Eccleſiæ vigintiquinque aureos Ducatos pro ingreſſu, & primariis fructibus, prouti moris eſt. Viſis, & approbatis productis omnibus decretum fuit, me in Canonicum, & Confratrem omni meliori modo fore, & eſſe recipiendum, nec non in actualem, realem, & corporalem Poſſeſſionem dictorum Canonicatus, & Præbendæ immittendum. In cujus conformitate, facta prius a me genibus flexis Fidei Catholicæ Profeſſione, præſtitoque ſolito juramento, prout tactis manu dextera Sacris Scripturis Evangelicis, in manibus Decani, nomine totius Capituli illud exigentis juravi ad Sancta Dei Evangelia ſervare, & manutenere Statuta, Ordinationes, & laudabiles Conſuetudines hujus Eccleſiæ Cathedralis, & Capituli, aliaque omnia, & ſingula ſervare, & facere, ac adimplere, ad quæ quilibet dictæ Eccleſiæ Canonicus tenetur: ac ſignanter Bullas Pontificias illa, quæ eſt Pauli III., comprehenſas, nec non Compactationes inter Sereniſſimos

Ritus Possessionis Tridentini Canonicatus.

Digitized by Google

Tyrolis Comites ex una, & Eccleſiam Tridentinam ex alia parte initas, quas Epiſcopus pro tempore exiſtens, & Capitulum ipſum jurare conſueverunt. Et tunc me ſtipulantem, & acceptantem in Canonicum hujus Eccleſiæ Cathedralis, & Confratrem receperunt, & admiſerunt per Bireti Capiti meo impoſitionem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Quo facto junior Canonicus (prouti moris eſt) ex mandato Capitulari me in realem, actualem, & corporalem Poſſeſſionem Canonicatus, & Præbendæ, annexorumque jurium, & pertinentiarum poſuit; & induxit medium; & cornua Altaris Majoris in dicta Eccleſia Cathedrali amplectendo, cruces faciendo, & oſculando, funem Campanæ in meis manibus tradendo, eamque ſonando, in ſtallo Chori me ſedere faciendo, librum aperiendo, atque claudendo, in ſignum veræ, actualis, & realis Poſſeſſionis traditæ, & adeptæ, faciendo mihi de omnibus fructibus, reditibus, atque proventibus univerſis integre reſponderi, amoto exinde quolibet detentore; deinde ad locum, & ſeſſionem Capitularem reverſis, & adhuc Capitularibus Dominis capitulantibus, locum eodem in Capitulo cum plenitudine juris Canonici mihi aſſignarunt. Quibus peractis proteſtatus ſum me prædictos actus non ſolum corpore, ſed animo feciſſe, dictumque Canonicatum cum Præbenda poſſidere velle: & petii, ut ſuper his omnibus publicum Inſtrumentum conficeretur, prouti ex mandato Capituli a Cancellario Capitulari confectum eſt. Cum quo Inſtrumento ferme ad literam concordat præſens deductio.

Ordo Poſſeſſionis.

Ex quibus obſervabis 1. Bullas præſentandas eſſe cum proceſſu ab Exequutore Apoſtolico deſuper confecto vel per ſe, vel per ſubdelegatum: 2. præſentandas eſſe a Proviſo vel in perſona, vel per legitimum Procuratorem, niſi ſtatutum, aut conſuetudo excluderet Procuratorem, & requireret ipſam principalis perſonam: 3. in loco Capitularibus Conventibus deſignato: 4. præſentibus teſtibus ad illum actum ſpecialiter rogatis: 5. Capitulo legitime congregato: 6. fieri Decretum Capitulare ſuper exequutione literarum: 7. Profeſſionem fidei (alias proviſus non faceret fructus ſuos) emittendam eſſe, vel ſtatim, vel infra duos menſes a capta Poſſeſſione juxta Decretum Tridentinum; cujus formula Poſſeſſionis a Pio IV. in Bulla an. 1564., quæ incipit INJUNCTUM &c., extenſa fuit: & licet Concilium ſolos Canonicos Cathedralium Eccleſiarum nominet, illud in praxi extendi ſolet etiam ad alios Canonicos Collegiatarum Eccleſiarum: 8. privatas Eccleſiarum conſuetudines obſervare, & jurare oportere: 9. ſigna Poſſeſſionis externa per Bireti impoſitionem:

Seſſ. XXIV. 1563. c. 12. *de Reformat.*

10.

10. deputari Exequutorem Capitularem, qui medio ſignorum externorum veram poſſeſſionem ex ſuo mandato tribuit: 11. proteſtationem emitti, hæc animo plus, quam corpore facta eſſe, & fieri: 12. inſtrumentum authenticum deſuper confici debere.

Dolent aliqui, quod interdum novi Canonici adigantur jurare obſervationem ſtatutorum, etiam penitus ignari, quid contineant, & in quibus nonnunquam illicita aliqua forte comprehenduntur, cum ipſa Synodus Tridentina evidenter ſupponat, nonnunquam inter tales Conſtitutiones Capitulorum, etiam a Sede Apoſtolica confirmatas, (non tamen quoad illicita confirmatas) reperiri nonnulla, quæ ſimoniam, & avaritiam ſapiant. Epiſcoporum erit cuncta examinare, & quaſcunque ſordes de medio tollere. Præſumptio vero ſtat pro ſtatutis, quæ non habentur illicita, niſi vel evidenter illicita appareant, vel judicialiter illicita probentur. Et jam non ligant, non ſolum quia juramentum non ſe extendit ad illicita: ſed quia bona fide juravimus laudabiles ſervare ſtatutiones, & conſuetudines, non alias, quæ non ſint tales, aut quæ ideo ſub juramento cadere nequeant. Latet etiam clauſula conſcientioſo, & ſano ſenſu intelligenda: nempe *quantum ſunt in uſu*; *ſalvo honore*, & *obedientia legitimis Superioribus debita*; *ſalvo*, ut ita dicam, *meliori bono*. Quod autem non affectu proprio, ſed Eccleſiæ, ideſt legitimi Superioris ſententia, nomine Eccleſiæ definiri debet. Hinc non obſtante juramento ſtatuta per legitimam authoritatem mutari poſſe, dubium non eſt: imo penitus caſſari, addendo, minuendo, abſque periculo perjurii; quia omne juramentum debuit eſſe neceſſarium, verum, grave, & prudens, ut objectum ſcilicet veritati, gravitati, atque conſilio innitatur, & certo modo ſit de meliori bono, ſicuti votum de meliori bono factum fuiſſe creditur, & fieri debere.

Abusus in Juramento Novitiorum.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 14. *de Reformat.*

Statuta mutari possunt.

Interdum non diffiteor pravam conſuetudinem in aliquibus locis fuiſſe introductam, ut Prælati, Archidiaconi, Cantores, Canonici pro Inſtallatione jura ſibi certa ſolvi prætendant, ſicuti Dominus directus Relivia propter Feudum exigit. Alexander III. minatur lepram Giezi iis, qui pro perſonis Eccleſiaſticis deducendis ad ſedem, vel Sacerdotibus inſtituendis factum Giezi imitantur, turpis muneris exactione. Innocentius III. mandat, ut Epiſcopus Cantuarienſis pravam conſuetudinem ſtudeat abolere, *per quam pro inveſtitura Archidiaconi marcham argenti, minores vero Decani vaccam albam ſibi dari poſtulant*, vel certam pecuniæ quantitatem. Synodus Tridentina loco citato prohibet quaſcunque conditio-

Officium Episcopi.

c. 9. *de ſimonia.*

c. 36. *eod.*

Digitized by Google

ditiones, deductiones ex fructibus quibuſcunque, ſolutiones, promiſſiones, compenſationesve illicitas, ſeu Turnorum lucra. S. Pius V. in Bulla DURUM NIMIS &c. an. 1570. dulciora multa, & Banqueta immoderata rejicit in admiſſionibus Beneficiatorum: neque pro debitis antiquis Eccleſiæ novum Canonicum aliquid ſolvere debere declarat. Cæterum quæ nec indecentem quæſtum, nec turpe lucrum ferunt, non ſunt damnanda munera moderata. Arbitrium Epiſcopi ſupereſt, quamvis non facile negotium ſit in medendis inveteratis malis.

DE USU, ET ONERIBUS BENEFICIORUM, NEC NON DE JURE SPOLII

TITULUS XIII.

Quare hic Titulus?

CUm noſtræ Inſtitutiones ſibi propoſuerint probos Eccleſiaſticorum mores, opportunus erit hic Titulus, qui procliviores coerceat, timidos animet, ne plus juſto fidant illi, metuant iſti in uſu redituum ſuorum.

Quo ſensu Ecclesiæ Patrimonium venit?

Bona Eccleſiæ, inſpecta ejus communione, dici debent Eccleſiæ patrimonium, quod jure veræ proprietatis ſpectat ad Eccleſiaſticam Univerſitatem. Quid enim ſunt Eccleſiæ, quam Univerſitates, Communitates, Collegia, Corpora, quæ communiter eodem modo poſſident, quo poſſident reliquæ Communitates. Bona igitur Beneficii, habita ſingulari Beneficiati ratione, in ejus proprietate non ſunt, cum ſint pars Univerſitatis.

Usufructuarii Possessores Beneficiorum.

Itaque uſufructuarii ſunt Beneficiorum Poſſeſſores, qui propter ſervitia fideliter præſtita pleno jure ſuos faciunt fructus, quaſi mercedem, ſalarium, & ſtipendium, cum integra libertate diſponendi de *illis*, tamquam de re ſua. Hæc opinio communis hodie facta eſt, quæ contextu hujus ſermonis magis dilucidabitur.

Patrimonium pauperum quo sensu?

Res Eccleſiæ ab initio patrimonium pauperum dictæ ſunt, quia hoc fine donabantur, ut pauperes ex eleemoſynis alerentur. Hinc intentio donantis ſuum effectum ſortiri debuit, & ſortita fuit. Pro pauperibus reputati ſunt Clerici in communione viventes, quibus victus, & veſtitus moderatus a Fundatore deſtinabatur. Epiſcopus fuit primus, & ſupremus adminiſtrator, qui poſtea altioribus vix ſufficiens negotiis, ad præſtandam temporariam oeconomiam, inferiores ſubſtituit Miniſtros, Diaconos, Hypodiaconos, Oeconomos, Adminiſtratores, Præfectos, Maſſarios, & alios. Hoc ſenſu Clerici non Domini, ſed meri diſpenſato-

ſato-

Digitized by Google

ſatores Bonorum Eccleſiæ ſunt. Poſtquam in immenſum creverant Eccleſiarum Bona, ex quibus abunde proviſum fuerat neceſſitatibus pauperum, fabricæ, & reliquorum piorum ſumptuum, tanta rerum copia novos adminiſtrandi modos poſtulabat. Hinc exciſa fuit portio fundorum, & agrorum, quæ uni ſingulari Clerico in uſumfructum, & adminiſtrationem concredita fuit: quo defuncto portio illa non amplius diſſolvebatur, verum alteri Clerico cedebat in parem uſufructum, atque in prædictam adminiſtrationem. Hæc illa Beneficiorum origo, hic antiquus uſufructuarius Titulus, quin amplius dubitaretur, an Beneficiatus hoc novo ordine ſuos fructus faceret? Sane hic Titulus juſtus eſt, quia legitima Eccleſiæ auctoritas illum introduxit. Fundatorum mens impleta fuit, quia pauperibus abunde proviſis, nemo Epiſcopis, vel Eccleſiæ manus ligavit diſponendi de ſuis rebus, prouti in Domino judicaverint. Cœterum diverſi generis pauperes habent hodie, quas olim non habuerunt, ampliſſimas domos, & ſingulares pias fundationes. Unde videtur quaſi excerpta eſſe eorum pars, cœteris proventibus ad miniſterium, & miniſtros Eccleſiæ deſtinatis. Bona legata poſt inſtitutionem Beneficiorum non ſcio hanc novam Beneficiorum naturam improbaſſe. Imo vel Teſtatores multi pro hac, & illa cauſa expreſſas conditiones figebant; vel ubi Epiſcopo, & Eccleſiæ legabant, Epiſcopo, & Eccleſiæ debitam libertatem concedebant diſponendi de Legatis, prouti in Domino judicaverint. Si autem Epiſcopus, vel Eccleſia inſtituit hoc ordine Beneficia, quare uſufructuarius ſuos non facit fructus? Quid, ubi Teſtatores prædia, & domos legaverint in Beneficium perpetuum cum onere aliquot Miſſas celebrandi, aut Litanias decantandi? Nil ibi de pauperibus, nil de prima eleemoſynarum origine. Hic non communitati, ſed uni ſingulari perſonæ proſpicitur propter hoc, vel illud pium officium, & opus. Verum enim vero Eccleſia non ſolis eleemoſynis crevit. Acquiſivit illa ſtatus ingentes titulo oneroſo, vel quia emit pagos, oppida, & ditiones: vel quia dono habuit, quod Principibus, atque Reipublicæ & pace, & bello ſervivit, pecunias, milites, & ipſos Duces profundens. Huic veritati non exiguum lumen attuli ſuperioribus in paginis.

Origo Beneficiorum.

Quomodo Beneficiati ſuos faciant fructus?

Nova ratio.

Hac ratione fundata ſunt celeberrima Monaſteria, Abbatiæ, Epiſcopatus, Capitula, quæ ſuis meritis erga Rempublicam, & ſuos Principes adſcribunt tantam liberalitatem. Fama eſt Theodoſium Jun. Vallem Lagarinam, Carolum M. Rivam cum tota Judicaria donaviſſe Tridentinæ Eccleſiæ. Narrat Innocentius de Prato. Extat antiqua Stenicenſis Arcis

Hiſt. Trident. *Epitom. l. 3.* MSS.

Digitized by Google

Arcis Inſcriptio, quæ docet a Carolo M. Eccleſiæ Tridentinæ donatam fuiſſe Dynaſtiam Judicarienſem una cum oppido Ripa, & Juriſdictione Thenni, atque Leudri. Saltem in dubium ea revocari nequeunt, quæ ſequuntur. Extat in noſtro Archivio Capitulari authenticum Inſtrumentum cum Sigillo Chunradi Imperatoris (qui fuit Conradus II. Salicus a Joanne XIX. coronatus) datum Brixiæ prid. Kal. A. D. MXXVII. ad Udalricum Epiſcopum: in qua charta donat, dat, & appropriat Comitatum Tridenti Eccleſiæ Tridentinæ. Extat Tranſumptum authenticum per Notarium publicum accurate exaratum, continens donationem Chunradi Imp. Epiſcopatui Tridentino factam de Comitatibus Venoſtenſi, & Bolzanenſi, quos alii ſcribunt Vernoſtenſem, & Bulſanenſem, datum in Monte Ritena Kal. Jun. A. D. MXXVIII. ad eundem Udalricum. Tranſumptum vero ſonat ad inſtantiam Henrici Epiſcopi peractum Tridenti die 8. Auguſti an. 1280., qui ſtrenue ſibi creditam Eccleſiam gubernavit, pulſo a Tridentinis muris Maynardo Tyrolis Comite. Obiit Romæ an. 1289., quo ſe recepit quaſi in aſylum adverſus novas Maynardi inſidias. Utrumque prædictum Comitatum Sereniſſimus Comes Tyrolis poſſidet ab anno 1531., facta permutatione cum Dynaſtia Perzeniana in Epiſcopos noſtros tranſlata. *Dynaſtia Pergini antiquitus Eccleſiæ fuit, dein uni, alteri-ve oppignorata, ac inde in Comites Tyrolis per Dominos pignoratitios tranſlata, tranſlata tandem ad Eccleſiam totaliter rediit permutatione juriſdictionis Urbis Bulſani.* Refert Manuſcriptum infra citandum producto permutationis Diplomate. Henricus IV. an. 1082. prædicto Henrico Epiſcopo Caſtellarum prope Mantuam donavit. Refert Diploma Gentilottus in notis ad Ughellum. Nicolaus Epiſcopus an. 1328. inveſtivit Gonzaghianam Familiam de hoc Marchionatu Caſtellari: quæ Dynaſtia exauctorato Carolo poſtremo Duce Mantuano devoluta eſt ad Epiſcopum tamquam Dominum directum, tunc quando Dux ſpoliatus fuit a Joſepho Imperatore Ducatu, ac reliquis omnibus Feudis Romani Imperii ob defectionem ad partes Gallorum, atque Hiſpanorum patratam mortuo Carolo II. Hiſp. Rege Auſtriaco. Præterea extat authenticum Inſtrumentum cum Sigillo Imperatoris Friderici Ænobarbi ad Albertum, ſive Adalpertum, ſive Adalpretum Epiſcopum, (qui prope Roboretum ab Azzone Caſtrobarco lancea fuit transfixus, cum bona Eccleſiæ ſuæ juſto exercitu recuperatum iſſet) in quo ſcripto Fridericus anno 1161. approbat, & confirmat donationem Henrici Imp. factam Eccleſiæ Tridentinæ de Comitatu Tridentino. Extat Tranſumptum authenticum

Jura Eccleſiæ Tridentinæ.

Italia Sacra.

Digitized by Google

ticum donationis factæ per eundem Fridericum Imp. de Caſtro, & Dominio Gardæ, datum apud Burgum Panigal in Territorio Bononienſi IV. Id. Febr. A. D. MCLXVII. ad Principem; & Epiſcopum Albertum. Idem Imperator Salomoni Epiſcopo Succeſſori, qui Concilio Generali Lateranenſi an. 1179. interfuit, Dominium omnium Epiſcopalium Terrarum confirmavit VVimphinæ V. Id. Febr. A. D. MCXXXII. Albertus Epiſcopus Succeſſor Caſtellum Stenicum ædificavit. Extat Tranſumptum donationis Friderici II. Imp. factæ Eccleſiæ Tridentinæ de omnibus mineriis ſituatis in Epiſcopatu hoc, exceptis mineriis Comitum Tyrolis, & Eppiani. Privilegium autem datum fuit A. D. MCLXXXIX. ad Conradum Epiſcopum. Extat Inſtrumentum authenticum Auguſtæ Idib. Jan. A. D. MCCVIII. datum ad Fridericum Epiſcopum, ideſt ſententia Ottonis IV. Imp., quod nemo jura ſua Feudalia vendere, & alienare poſſit abſque ſcitu Domini Feudi. Hactenus pacatiſſima tempora. Paullo poſt ſedente Epiſcopo Ulrico de Campo, qui anno 1235. electus fuerat a Capitulo, tam graves, & periculoſi tumultus adverſus Eccleſiam Tridentinam exorti ſunt, ut anno 1238. Lazarus de Luca pro Imperatore Tridenti rem ageret. Sic enim Imperator tamquam ſupremus, ac directus Dominus adminiſtrationi Tridentinæ Civitatis providit adverſus extraneos invaſores, ne jura Imperialis Feudi, ac Vaſſalli ſui Epiſcopi miſerum in modum perirent: quemadmodum anno 1571. Maximilianus Imp. fecit per annos octo, donec compoſitæ fuiſſent controverſiæ inter Ferdinandum Comitem Tyrolis, & Cardinalem Ludovicum Madrutium Epiſcopum. Egnomus Ulrici Succeſſor ad annum 1250. vir ingentis animi fuit, tametſi propulſandis hoſtium incurſionibus longe impar viribus. Veronenſes, Maynardusque Dux Carinthiæ diuturna populatione in Tridentinum agrum incurrerunt. Sed tandem Rudolpho Imperatore procurante aliqua pax coivit inter Ducem, & Epiſcopum. Ab Ulrico præcitato inveſtitus fuit de Advocatia Tridentinæ Eccleſiæ circa annum 1240. Albertus ex Bavarica Gente Comes Tyrolis: quem Egnomus inveſtivit an. 1253. de Feudis ad Eccleſiam devolutis per mortem Udalrici de Ulten. Quod ſi aliquis hic objiciat Decretum per Imperatorem Fridericum II. in Campo Martio Tridentino latum coram Principibus Imperii, præſente etiam Comite Alberto Tyrolis, & Ezelino de Romano ſub 12. Auguſti anno 1237., quo inhibuit Epiſcopo Aldrico ibi præſenti alienationes quaſcunque rerum, & jurium ad Eccleſiam Tridentinam ſpectantium, declarans in futurum hujuſmodi alienationes nullas,

Qqq & caſ-

Digitized by Google

& caſſas haberi: animadvertendum eſt, quod vel jam fuerat ſequuta Inveſtitura in favorem Alberti, vel quod ſequuta fuerit paullo poſt ex diſpenſatione nova Imperatoris in favorem Alberti, præſtito per Comitem juramento fidelitatis intra manus Epiſcopi Domini ſui directi. Hic non pigebit ſcire, quod jam olim Tridentini Principatus ampliſſimum territorium ſe ſe protenderet a limitibus Veronenſibus, ac Brixianis uſque ad

cit. MSS. Lib. I. Tit. VII. pag. 32. Arcem Tyrolis, & Civitatem Merani. *Quippe tunc Comes Tyrolis a ditione illius Arcis denominationem trahens, Epiſcopo Tridentino inter alios Vaſſallos ejuſdem Curiæ concomitando inſerviebat: nec ab Epiſcopo, ubi ab hoc tribunal Parium Curiæ indicebatur pro felici ſtatu ſui Principatus conſulendo, vel feudalibus cauſis decidendis, aliter reſpiciebatur, quam quivis alius Vaſſallus Eccleſiæ, velut Comites Caſtrobarci, Arcenſes, de Ulten, Domini de Beſeno, de Perſino, de Lizzana, de Egno, ac alii plurimi Vaſſalli ſimul, & ſubditi, (prout ſucceſſive demonſtrabitur) quorum vota ab Epiſcopo conſultiva requirebantur, & deinde ipſe Epiſcopus legem, & ſententiam ferebat. Hujuſmodi enim documenta authentica in Archivio extant quamplurima uſque ad annum* 1240. *Imo antedictus Comes Tyrolis ſe fidejuſſorem pro illis de Beſeno, & pro Civibus Tridentinis ratione fidelitatis, & ſubjectionis ſervandæ erga Dominum Epiſcopum conſtituit, prout documenta Archivii demonſtrant.* Sed poſtquam Comitatus Tyrolis tranſivit ad familias potentes, crevit in diem potentia Comitum Tyrolis. Auxit Comitum potentiam continua Epiſcoporum liberalitas, & certa futuræ defenſionis fiducia: qui plus tranſtulerunt in alios ſuos Vaſſallos, quam quod ipſi reſervarunt ſibi. Solus enim Comes Tyrolis *ab Eccleſia recognoſcit totam Regionem Atheſinam, ſcilicet Dynaſtias Altenburg, Eppan, Caldarium, Eniam, Salurnum, Kinigsbergam, & medium Teutonicum; nec non* (extra Atheſinam Regionem) *Comitatum Spauer, & Caſtelfund, ultra plurimas decimas ubique, & integros manſus, ſive prædia, de quibus in Inveſtitura Feudali, cui additur Civitas Roboreti cum Territorio*, ut infra. Olim Egnomus prænominatus tamquam Epiſcopus, Dux, Comes, & Marchio Inveſtituram prædictæ Advocatiæ, & aliorum inſignium Feudorum conceſſit anno 1256. Comiti Tyrolis Maynardo I. Duci Goritienſi, ejuſque uxori Adelhaidæ præfati Alberti Comitis Filiæ: quam Inveſtituram an. 1259. confirmavit filio Maynardo II., cum quo aliqui Epiſcopi graves contentiones tractare debuerunt, præterquamquod ab Advocato Eccleſiæ ſuæ expectaſſent. Bartholomæus tamen Epiſcopus, tamquam Dux, Comes, & Marchio eandem Advocatiæ, atque aliorum inſignium Feudorum Inveſti-

Digitized by Google

veſtituram Comitibus Tyrolis Ottoni, & Maynardo Maynardi II. filiis renovavit anno 1307. Extat authenticum documentum Bozani 8. Jun. anno 1314. ſcriptum, in quo Heinricus Rex Bohemiæ, Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, & Goritiæ libere reſtituit Epiſcopo Heinrico, & Eccleſiæ Tridentinæ Vallem Flemmarum: quæ quidem Vallis Patri ſuo Duci Maynardo CL. Marchis argenti oppignorata fuerat. Reſtituit, inquam, titulo oneroſo, & compenſativo ad expiandam animam Patris ſui Maynardi ob delicta in Eccleſiam commiſſa, prouti in Diplomate Reſtitutionis expreſſis verbis ipſemet Heinricus fatetur. Sic Joannes Dux Carinthiæ, & Comes Tyrolis Nicolao Epiſcopo reſtituit 25. Febr. an. 1339. Juriſdictionem Medii Lombardi. Succeſſit an. 1342. in Comitatu Ludovicus ab aliis Bavarus, ab aliis Brandenburgicus nuncupatus: *ubi Margaretha Tyrolis Comitiſſa Henrici filia repudiato Joanne Duce Moraviæ forſan connubio impari, hunc Ludovicum in maritum ſibi adſcivit; qui nulla alia de cauſa, quam imperandi ferocitate, & aviditate armis Epiſcopatum invaſit, & violenter ſeptemdecim annos tenuit, velut maritus præfatæ Comitiſſæ Margarethæ.* MSS. *citat.* Extat in Archivio Diploma Caroli IV. Imp. an. 1347. ad Epiſcopum Tridentinum Nicolaum de Bruna, in quo reſtitutio in integrum continetur ampliſſima omnium jurium adverſus violentas quaſcunque occupationes: quæ vero jura, prouti loquitur Imperator, vel uſurpata fuerunt, vel jam devolvuntur ad Sacrum Romanum Imperium, eo quia ſtirps Maynardi deficit in ſemine maſculo, vel quia, ſi quod jus competeret fœminis, Margaretha Henrici ultimi Comitis unica ſuperſtes filia privatur ſucceſſione hac propter illicitam converſationem cum prædicto Ludovico Ludovici Bavari Imp. filio, prouti credidit Imperator Margarethæ infenſiſſimus, quæ repudiaverat Joannem Henricum Joannis Lucemburgici Bohemiæ Regis filium, poſtquam per annos decem, aut quatuordecim in ejus matrimonio vixerat. Roo Hiſt. Auſtr. *l.* 3. *pag.* 113. Mortuo Ludovico in itinere, cum peractis anno 1361. Comitiis Meranenſibus in Bavariam rediret, Margaretha biennio poſt (quo anno obiit filius, quem ipſa pepererat Ludovico marito) ex provincialium ordinum decreto proximis ſuis cognatis Rudolpho, Alberto, & Leopoldo fratribus Auſtriacis omnem ſuam ditionem pleno jure tradidit. Eodem an. 1363. Rudolphus eandem Advocatiæ, aliorumque Feudorum Inveſtituram accepit ab Epiſcopo Alberto, præſtito conſueto fidelitatis juramento de Eccleſia Tridentina defendenda. Rudolphus reſtituit Alberto poſſeſſionem Epiſcopatus, quos inter ſingularis Tranſactio fuit erecta an. 1363., & 1365.

Digitized by Google

Rudolpho ſucceſſit Fridericus, Alberto Georgius. Quanta mala Eccleſiam Tridentinam illa tempeſtate oppreſſerint, cuncta ſilentio obducimus. Multæ quoque controverſiæ inter Auſtriacos Fridericum, & Sigiſmundum, nec non inter Alexandrum Epiſcopum. Tandem ad nova fœdera deventum eſt. Præcipuæ autem cum Archiducibus Auſtriæ pactiones fuerunt Epiſcoporum Georgii Hakii an. 1454., & Joannis Hinderbachii an. 1468.: *Quæ poſtmodum in hæc uſque tempora, continuata ſerie renovatæ perdurant, majori forſan Succeſſorum in ipſum Joannem indignatione, & animi amaritudine, quam memoriæ felicitate.* Quod autem ſupra om■ſum fuerat ad confirmandum ſupremum Imperatoris jus, tamquam Domini directi in Epiſcopum Tridentinum S.R.I. Vaſallum, extat Confirmatio Regis VVenceslai Ægræ die 3. Maii 1389. ad Albertum Epiſcopum ſuper donatione ab Imperatore Friderico Eccleſiæ Tridentinæ facta de argenti fodinis. Extat Ruperti Regis exemplar Tridenti datum an. 1401., in quo concedit Georgio Epiſcopo licentiam erigendi unam mutam in Civitate Tridenti, quæ muta Bolletarum appellatur. Extat Edictum Friderici IV. Imp. Auſtriaci an. 1484., ne Subditi, & Vaſalli Epiſcopatus Tridentini præſumant contra Dominum Epiſcopum, ejuſque Officiales alio recurrere, vel appellare, niſi ad Imperatorem, aut ad ejus ſuprema Tribunalia. Extat Reverſale Ferdinandi Comitis Tyrolis anno 1533., *ubi Epiſcopum Tridentinum, ut talem, Principem Imperii, & ejus Epiſcopatum liberum Imperii Statum, & Feudum principale fatetur, & determinat.* Extant authentica documenta, quomodo Imperatores noſtris Epiſcopis conſueta Imperii Regalia more aliorum Principum continuo elargiti fuerint, prouti in hanc diem elargiuntur. Extant Ferdinandi Regis authenticæ Diplomaticæ Literæ, in quibus plurima citata primi ordinis documenta extra omne dubium agnoſcit, & acceptat. Quid plura? Fuerunt multi Tridentini Epiſcopi Cæſaribus chariſſimi, quibus utiliſſimam multi navarunt operam. Hos inter Fridericus VVanga Othonis IV. circa annum 1209. in Italia Vicarius fuit. Adalpretus a Ravenſtain Friderici II. in Italia Vicarius fuit. Nicolaus Bruna Caroli IV. ſupremus Cancellarius fuit. Joannes Hinderbachius pro Friderico IV. ad Paulum II. legationem obiit. Georgius Neydekius pro Maximiliano I. Veronæ Præturam geſſit. Multi cum Auſtriacis perpetua fœdera aut inierunt, aut confirmarunt. Quis ignorat, quanti facerent Auſtriaci Bernardum Cleſium, & quatuor Madrutios? *Bernardus Epiſcopus de conſenſu Capituli Ferdinando Regi, & Comiti Tyrolis Urbem, & Dynaſtiam*

MSS. *citat.*

Robo-

Roboretanam ceſſit, titulo tamen Feudi ab Eccleſia Tridentina recognoſcendam: prouti cantat moderna Inveſtitura, quam Comes Tyrolis a quocumque novo Epiſcopo recipit, & Tranſactio antiquior an. 1532. Fuiſſet Epiſcopus multo Eccleſiæ emolumento Sigiſmundus Auſtriacus, nunquam confirmatus, qui mortuo Ferdinando fratre unico filiam Comitis Sulzbaccenſis die 5. anni 1665. duxit, & die 25. cum vita reliquit. Joannes Michael Comes Spauer Epiſcopus ob continuos militum tranſitus, ob Gallorum, & Bavarorum invaſiones, ob exceptum hoſpitio Carolum VI. ex Hiſp. reducem, & iterum Auguſtiſſimam Conjugem, ingentes ſumptus fecit. Modernus Epiſcopus Antonius Dominicus Comes a Thunn pari zelo Cæſareas fovit partes in moderno triennali Italico Bello, quo jam pridem finito Pax his diebus tantum publicata fuit.

Ex quibus illud inferre volo, quod & hic nihil de pauperibus, nihil de primæva eleemoſynarum origine diſponatur: quidquid non utiles tantum, verum etiam neceſſarias exiſtimemus eleemoſynas, quas ipſe Chriſtus tantopere commendavit. Præmiis, atque honoribus afficiuntur continuis noſtri Epiſcopi, ut fruantur juſte ſuis Terris, tamquam Domini, non ut ſint meri adminiſtratorii Pauperum diſpenſatores, pro quibus tamen ipſi Epiſcopi aut Xenodochia, aut largas Eleemoſynas fundaverunt, ita ut pauperum, qui ſemper adſunt, obliviſcantur nunquam. Poſſidemus ergo juſtiſſimis Titulis, nec Fundatorum mentes violamus, dum noſtros fructus faciamus, (prouti Synodus Tridentina de Beneficiatis ſæpius pronunciaſſe viſa eſt) quos non omnes, non ſolis pauperibus diſtribuimus, Apoſtolorum exempla tenentes Evangelici Conſilii loco, non Dominici Præcepti: quidquid non raro eleemoſyna in Sacris Literis præcepta ſit ſaltem aut in genere, aut in certis ſpecialibus caſibus, prouti Theologi nulli dubitant. In hanc ſententiam cadit Commentator Inſtitutionum Fleuryanarum. Ait enim: *Quia vero Beneficia Eccleſiaſtica inſtar Feudorum conferuntur, & loco ſalarii ſunt, quod determinationem in ſe nullam habet, ſed a lege, vel homine eam accipit, non video, qua ratione conſcientia ejus turbari poſſit, qui fructus officio aſſignatos percipit. Aut ergo aſſignatio hæc, ſi modum excedit, mutanda, aut vero dicendum, ſalva conſcientia ſemel aſſignatos percipi poſſe.* Atque hæc aſſignatio non mutatur, imo tam in Eccleſiaſtico, quam in Seculari foro Beneficiati pro veris uſufructuariis habentur, quorum contractus, etiam in ultimis voluntatibus, plerumque inſtar aliorum contrahentium pro legitimis, & indubitatis contractibus ſervantur. Quomodo ergo Eccleſia, & Principes, Canones, & Le-

ILLATIO JUSTA.

In Notis p. 2. c. 23. n. 1.

Digitized by Google

& Leges recentioribus moribus permitterent illicitas eorum negotiationes, quorum ſubſtantia aut integra, aut aliqua merum, & ſtrictum Eccleſiæ, ideſt ſingulare Pauperum foret patrimonium? Sed neque in Lege Veteri Levitis, & Sacerdotibus controverſia mota eſt, an decimæ, & oblationes Iſraelitarum ipſis cederent in proprietatem? Quis cum tanto animi angore vellet proventuum Beneficialium particeps fieri? Nec Pontifices, nec Cardinales, nec Epiſcopi, nec Canonici, nec Præbendati alii dubitaverunt hactenus facere fructus ſuos, quidquid doceat unus, vel alter, qui minus poſſidet, cum tamen illi deſit nihil. Pleni aliquando ventris vacuum effatum.

ABUSUS DAMNANTUR.

Verum enim vero Deus avertat; ut hic abuſus intolerabiles excuſemus. Omnia probamus, & ſingula ſalutaria conſilia, quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſtatuimus, ne luxui, comeſſationibus, voluptatibus, nec non Secularibus negotiis incumbant, ſupra quam quod recentioribus moribus probe deceat. Epiſcopi *imprimis vero ita mores ſuos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Quapropter exemplo Patrum noſtrorum in Concilio Carthaginenſi non ſolum jubet* Sancta Tridentina Synodus, *ut Epiſcopi modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint; verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum; quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ ſe ferat. Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiareſve ſuos augere ſtudeant: cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent. Sed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent illorum cauſa.* Hæc autem Sancta Synodus ab omnibus Eccleſiaſticis Perſonis, etiam S. R. E. Cardinalibus, & a ſingulis *pro gradus ſui conditione* vult obſervari. Unde exceſſus reprobantur, non moderni mores, opulentiores quidem, ſed non improbi, non ſcandaloſi. Paupertas Evangelii conſilium eſt, non præceptum.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 1. *de Reformat.*

COLLATIO VETERIS, ET MODERNI CLERI.

Non ſumus certe inceſſu, non habitu, quales fuerunt antiquiſſimi Epiſcopi, & Clerici. Nec ſunt Laici geſtu, nec cultu, quales fuerunt primi Chriſtiani. Illuc revertere forte non amplius datur. Eundem tamen Deum colimus, eandem fidem ſectamur. Exterior gradus perſæpe non judicat interiorem animum. Quod ſi debeamus nos vetuſtiſſimis moribus quaſi nova ſuperſtitione conformare, Epiſcopus relictis omnibus, domo, ſervis,

vis, prædiis, ſolus manebit cum pauciſſimis Clericis. Qualem hodie reciperet honorem talis Epiſcopus? qualem profectum in Republica faceret? Tales decent mores ſolitarium virum. Epiſcopus induit honores non propter ſe, ſed propter Chriſtum, hoc eſt propter Eccleſiam ſuam, & Fidei incrementum. Ipſe Sanctus Bernardus ad Eugenium III. ægre quidem fert Romani Pontificis faſtum, qui magis convenit Succeſſori Conſtantini, quam Succeſſori Petri. Non tamen condemnat, quæ toleranda pro tempore, non affectanda pro debito conſuluit. Ejus verba ſunt: *ne, cujus ſedem tenes, te neges hæredem. Petrus hic eſt, qui neſcitur proceſſiſſe aliquando vel gemmis ornatus, vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus Miniſtris: In his ſucceſſiſti non Petro, ſed Conſtantino. Conſule toleranda pro tempore, non affectanda pro debito.* Illud quoque conſiderari licet, quod olim placuerit Chriſto Eccleſiam ſuam pauperi Piſcatori tradere, ut humilitate confundantur ſuperbi, & fortes: hodie magno Principi, ut confirmentur majeſtate humiles, & debiles. Quod in Summo Pontifice tolerat æquo animo Bernardus, hoc nos in reliquis Beneficiariis Clericis, & ſingulis *pro gradus ſui conditione* toleremus, oportet: & quamvis aliqua non facere non poſſumus pro tempore, in quo vivimus, & propter illos, cum quibus habitamus, (ne de non laudanda fortaſſis ſingularitate notemur) omnem tamen luxum, mollitiem, ſuperbiam, & immoderatas divitias execramus: non immemores, quod decenti victu, veſtitu, domo, famulitioque contenti, de Altari vivere, non luxuriare debeamus, reliquoſque præcipue ſuperfluos Eccleſiaſticos proventus piis uſibus maxime dicare. Nunquam in Clero probi deſunt viri, quos imitemur, qui juxta conſcientiam pro tempore, & pro gradus ſui conditione ſuos reditus diſtribuunt, nec paupertatem, nec divitias ultra modum cum ſcandalo ſectantes. Si non eſſent, aut exeundum de medio eorum, aut exemplo pereundum malorum. Hæc eodem ſano ſenſu intelligenda, quo prolata ſunt, ſublatis quibuſcunque erroribus.

Onera Beneficii diverſa conſtituunt, ut Beneficiatus juxta Fundationem præſcriptam, vel legitimam conſuetudinem variis ſæpe modis Eccleſiæ ſuæ inſerviat: Bona Eccleſiæ ſuæ contra quoſcunque injuſtos impetitores tueatur, & ab iniquis detentoribus recuperet: decimas interdum, & alias de more quaſi contributiones, etiam extra ordinem, legitima tamen auctoritate interveniente perſolvat. Viſitationem legitimi Superioris ſuſtineat, niſi alias ab illo ſit exemptus: reparationes domo- ONERA BENEFICII.

rum,

Digitized by Google

rum, & alias ſartas tectas manuteneat vel ſolus, vel in concurſu aliorum, qui de jure, aut de conſuetudine ſupplere tenentur: ſpolium de jure, aut de conſuetudine introductum, cui competeret, vel pendat, vel redimat ad effectum teſtandi, ubi locus redemptioni detur. Orare pro benefactoribus, & juſtas pauperibus eleemoſynas erogare præſertim Succeſſoribus Fundatorum, continuum, & indelebile ſingulorum Beneficiatorum onus eſt, omni juſtitia, atque æquitate illud ſuadente: quamvis in Fundatione nihil fuiſſet ſingulariter expreſſum, quod de novo exprimi non debuit, cum hæc ſit conſtans, & perpetua cujuſcunque Beneficii indoles. Quid tribuant hæc ſingula onera, ex privatis locorum uſibus quærere oportet.

ORIGO SPOLII. Fleury Inſtit. Canoniq. *Partie Seconde chap. 24. n. 5.*

De jure ſpolii addi poteſt, quod illud forte in Monaſteriis ortum habuerit, ubi Priorum, & aliorum Clauſtralium peculia, quæ tolerabantur, ab eorum obitu revertebantur ad Abbatem. Idem Jus ſibi arrogarunt Epiſcopi in peculiis Presbyterorum, & Clericorum: quod crederent poſtea, mobilia Clericorum eſſe comparata ex reditibus Eccleſiaſticis, qui ad Eccleſiam redire, non vero ad Hæredes eorum tranſire debebant ex præcepto Canonum. Eccleſiam repræſentabat Epiſcopus, vel ſaltem ad effectum ſucceſſionis ſe Eccleſiam repræſentare prætendebat. Quod negat Alexander III., qui nomine Eccleſiæ communem & hic Congregationem intelligit, ut fiat juxta conſuetudinem juſta bonorum repartitio vel inter pauperes, vel inter conſanguineos, vel inter ſervos Defuncti. Nihilominus Epiſcopus non raro ſine nova Inquiſitione mobilia ſibi tribuebat; quod revera ſpolii ſpeciem ſapiebat. Jure fundationis, atque advocatiæ Principes in Bonis Prælatorum ſpolium frequenter exercuerunt. Quibus excluſis ſucceſſerunt Summi Pontifices, niſi Prælati per Indultum impetraſſent jus condendi Teſtamentum. Conſule Julium Cæſarem Lutium de Gallio, qui autores jura ſpolii explicantes collegit, & conjunctim edidit.

c. 12. de Teſtam.

MODERNUS USUS ITALIÆ, ET HISPANIÆ. GALLIÆ.

Interea jure ſpolii utitur Summus Pontifex in Italia, atque in Hiſpania, quantum audio. In Gallia obſervatur, ut legitimi cujuſque Epiſcopi, vel Beneficiarii hæredes ab inteſtato ſuccedant, nullo diſcrimine facto inter Bona patrimonialia, & Beneficiorum proventus. In Hungaria Rex habet ſpolium in ſingulis Beneficiis Cameralibus Regiis, & in Epiſcopatibus, qui omnes ad nominationem Regis ſunt. In aliis Beneficiis libere diſponere poſſunt Beneficiati; & ab inteſtato ſuccedunt partim conſanguinei, partim piæ cauſæ, partim Capitulum. Prælati etiam,

HUNGARIÆ.

Corp. Jur. Hung. *p. 1. t. 11.*

& omnes

Digitized by Google

& omnes Beneficiati Regii liberam teſtandi facultatem habent, ubi conſenſus Regius acceſſerit: vel juxta conventionem Koloniſianam, ubi una pars cedit Fiſco, altera Conſanguineis, aut Hæredibus aliis, tertia piis cauſis. Quam diſtributionem pari ordine ſervare ſolet Fiſcus in ſucceſſionibus eorum ab inteſtato. In Germania Capitula vel habuere, vel habent Epiſcoporum ſuorum ſpolia, vel æquivalentem compenſationem. Nonnullis in locis Epiſcopi Parochorum ſpolia incaſſant, vel quid æquivalens loco ſpolii. Tridentini Canonici non amplius ſpolium Epiſcopi defuncti habent. Suſtulit Joſeph Victorius de Albertis, impetratis a Pontifice, & Cæſare literis, poſt ejus obitum primum recitatis. Epiſcopi Capitulo æquivalens donum ſinguli ſperandum relinquunt. Primus hoc Beneficio fuit uſus Joannes Michael Comes Spauer, quod compenſavit incorporato ad Menſam Capitularem Prioratu certo vulgo Sanctæ Mariæ de Campejo nuncupato. Alter Dominicus Antonius Comes VVolkenſtain meditabatur ſpolium Parochorum, qui ſe componere debebant cum officio Epiſcopali, Menſæ Capitulari cedere. Petunt enim, & obtinent interdum Parochi noſtri veniam condendi teſtamentum, concedente Epiſcopo Principe ſuo. Tertius Benedictus Gentilottus obiit ante Confirmationem. Quartus eſt Modernus, de cujus liberalitate nihil exiguum expectatur. Juſtum fuit illud, hoc æquum erit. Non enim ſingulis hodie ſufficere ſoli proventus decenter queunt, niſi aliud ſupplementum accedat. Quantum decreverit ex antiquis bonis, & ex eo liquet, quod Georgius Epiſcopus ex Baronibus Auſtriacis de Lieclenſtain, qui mala immenſa propter ſuam Eccleſiam immerito perpeſſus eſt, Canonicos ſuos, qui fuerunt olim XXVII. numero, ad numerum hodiernum XVIII. juxta Bullam Bonifacii IX. an. 1396. reducere debuerit.

art. 16. 1715.

GERMANIÆ.

CAPITULI TRIDENTINI.

DE PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS
TITULUS XIV.

INter onera Beneficii ſpeciale nomen merentur Penſiones, quæ jus tribuunt percipiendi fructus ex alieno Beneficio abſque alio ſervitio. Rem ab ovo deducimus, qualis fuerit priorum Seculorum cauſa, qualis hodierna ſit diſciplina. Sermo non cadit de penſionibus illis, quas ſæpe ſportulas vocavimus, ſingulis ſeptimanis, aut menſibus diſtributas, ad manus Clericorum pro victu, & veſtitu eorum, ſive pro communibus alimentis. De illis cadit ſermo, quæ poſt erecta vera Beneficia jus tri-

QUID PENSIO?

Digitized by Google

buerunt percipiendi fructus ex alieno Epiſcopatu, vel quocunque alio Beneficio. Antiquiſſimum, & ſingulare exemplum præbet Maximus Antiochenus Epiſcopus, qui a Synodo Chalcedonenſi an. 451. pro Domno Anteceſſore ſuo exauctorato impetravit certos ſumptus de ſuis proventibus, ut contentus alimoniis quieſcat impoſterum. Sumptus quidem definiri debuerunt arbitrio Maximi, qui tamen de Domni honorificentia forent. In eodem Concilio contendentibus propter Eccleſiam Epheſinam Stephano, & Baſſiano aſſignantur quotannis ducenti ſolidi aurei, excluſo utroque. In eodem Concilio Eccleſia Perrhenorum ſervatis ſervandis adjudicata fuit Anaſtaſio, ita ut Sabinianus interea *dignitatem Epiſcopatus habeat, & paſcatur, ſicut Maximus Epiſcopus Antiochenorum ſecundum facultatem Perrhenorum Sanctiſſimæ Eccleſiæ diſpoſuerit*. Unde exauctorato Domno proviſum fuit commiſerationis intuitu, reliquis pro ſervanda Eccleſiæ pace conſtitutis. Utraque digna ratio, quam hodie libenter amplectimur. Mitto plura penſionum exempla, quas Gregorius M. Epiſcopis vel ſenio confectis, vel alia infirmitate proſtratis, vel incurſione Barbarorum dejectis, & Clericis ipſis ad agendam pœnitentiam Monaſterio commendatis procuravit. Quis invidet aut præmium laboris, aut ſolatium afflictionis? Non deſunt illo ævo tam apud Gallos, quam apud Hiſpanos teſtimonia ſimilium Penſionum. Profert Thomaſſinus multa. Sub Imperio Caroli M., & ejus Regiæ Familiæ tales Penſiones vel a Papa, vel a Principe, vel ab Epiſcopis, vel a Conciliis ſtatutæ, & confirmatæ ſunt. Patet ex Aimonio in Hiſtoria Concilii Tricaſſini an. 878. *Vim facientibus quibuſdam Epiſcopis, & conſentiente Rege* Carolo Calvo, *dixit* Joannes VIII. *Papa, ut Hedenulphus ſua auctoritate* Laudunenſis *Epiſcopus ordinatus ſedem ſuam teneret, & Epiſcopale Miniſterium ageret; & Hincmarus coecus, ſi vellet, Miſſam cantaret, &* per modum Penſionis *partem de rebus Epiſcopi Laudunenſis haberet*. Patet ex alio Hincmaro Rhemenſi, qui de Rothado Sueſſionenſi ad Nicolaum I. ſic ſcripſerat ante caſum Laudunenſis: *Poſt depoſitionem autem illius* Rothadi *obtinui, ut unam Abbatiam valde bonam ei Domnus Rex* (Ludov. II. Imp. is fuit) *conferret; & Epiſcopi conſentirent, & omnes nos illi, tamquam Patri de noſtris impendiis ſerviremus: quatenus qui in deliciis vitam ſemper perduxerat, non frangeretur: tantum ut ſeditioſus, & moleſtus Eccleſiæ, cui præfuerat, eſſe non decertaret*. Non prætereunda lex *de non dividendis rebus Eccleſiaſticis*, quam promulgaverat Carolus M. a Leone III. monitus, perpetuis duraturam temporibus. Senſus eſt, ne Laicis pendantur ſolutiones, ac penſiones

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 28. *n.* 25.
Actione X.
EXEMPLA SECULI QUINTI. *ibidem n.* 26.
Actione XI. & XII.
ibid. n. 28.
Actione XIV.
EXEMPLA SECULI SEXTI, ET SEPTIMI. Joan. Diac. *in Vita*.
p. 3. *l.* 2. *c.* 29. *n.* 17.
EXEMPLA SUB CAROLOVINGICIS.
De Geſt. Franc. *l.* 5. *c.* 37.
Tom. II. *pag.* 249.
LEX CAROLI M.

ex

ex Terris Eccleſiarum, quæ aliquando Laicis ipſis diviſæ fuerunt, tamquam Feuda. Cujus facti adeo puduit, & pœnituit Principes aliquos autores, ut hi reſtitutis Eccleſiarum prædiis, poſtea tantum rogarent Epiſcopos, quatenus in gratiam Laicorum has ipſimet facerent diviſiones. Cœterum in Capitularibus Regum Francorum paſſim legitur: *Laici non præſumant res Eccleſiæ poſſidere abſque charta*, ideſt abſque Inveſtitura. *Nihil accipiant ex prædiis Epiſcoporum*. Item *de Eccleſiæ facultatibus*, *vel negotiis diſponere nequeunt*. In Oriente Leo Philoſophus poſt annum 886. exauctorato Sabareno Epiſcopo ex nova Eccleſia ſubſidium aliquod procuravit. Sic poſt annum milleſimum Michael Paphlago Theſſalonicenſem Epiſcopatum, conſentientibus Comprovincialibus, Promethco commiſit, demandavitque, ut Theophani depoſito alimenta diſtribuantur, quibus vivat, contentus ſua privata ſorte. *Sed a ſimilitudine veri non omnino recedit, in utroque Orientis, & Occidentis Imperio, cum Laici tamdiu potiti eſſent Monaſteriis, & modica portione Monachis attributa, reſiduos reditus in domos ſuas convertiſſent; ubi poſtea redigi ſe in ordinem aſſenſi ſunt, eos tum, veluti Monachos, Laicos evaſiſſe, penſione ſibi annua ad tolerandam vitam a Monachis aſsignata.* Usus Orientis. Cedren.

Poſt annum milleſimum novi irrepſerunt abuſus, quos reprobavit Synodus Lateranenſis an. 1179.; quos & ipſe Innocentius III. reprobat, quia *non licuit ex pactione, vel conventione quacunque concedere nudum officium, & ejus tibi* (alloquitur Archiepiſcopum Mediolanenſem) *retinere proventus; cum in Lateranenſi Concilio prohibitum ſit, ne quis conferendo Eccleſiaſticum Beneficium*, (vel reſignando, prout idem infert) *partem Proventuum*, etiam Titulo penſionis, *ſuis uſibus retinere præſumat*. Sic Clemens III. in Concilio Rotomagenſi anno 1189. anathema inflixit illis, qui Beneficiarios legitimos litibus vexaverant injuſtis, ut ab eis illicitas extorqueant penſiones. Juſta quidem imponendæ penſionis cauſa nunquam improbata fuit, imo commendata. Sic anno 1164. Alexander III. commendaverat Abbati Pontiniacenſi Beatum Thomam Cantuarienſem *non educandum ſplendide, ſed ſimpliciter, ut decet exulem, & Chriſti athletam*. Exulavit apud Ludovicum VII. Galliæ Regem, donec rebus compoſitis cum Henrico II. Rege ſuo in Angliam rediit, ubi tandem *ob defenſionem juſtitiæ, & Eccleſiaſticæ immunitatis, impiorum hominum factione in Baſilica ſua gladio percuſſus migravit ad Chriſtum*.

Abusus post annum millesimum. *c. un. ut Eccleſiaſt. Benef. ſine diminut. conferant.* Justa causa Pensionum. Baron. *n. 61.* Martyr. Rom.

Verum Schiſma Avenionenſe Seculo Decimoquarto turbavit omnia, in quo ſpolia, annatæ, penſiones non credendum in modum ſuſcitatæ ſue- Avenionensis Schismatis mala.

Digitized by Google

fuerunt. Cardinales quippe multi quaſi propter egeſtatem duplicis Curiæ, Romanæ, atque Avenionenſis, vix non omnia Beneficia ad ſe traxerunt. Quidni? *Abbatias, Prioratus Conventuales, & alios, Orphanotrophia, ſeu Hoſpitalia Domus Dei, in Abbatiis etiam, & Prioratibus Officia Clauſtralia, & alia, ac dignitates majores in Cathedralibus, & Collegiatis Eccleſiis acceptant, & obtinent.* Hæc anno 1385. Galliarum Regis Caroli VI. gravamina. Tunc quoque ſiqua pinguiora Beneficia aliqui Cardinales aut nollent, aut pudore obruti non auderent retinere, ea tamen graviſſimis penſionum exactionibus exugebant, ita ut Beneficiatus non tam talis, ſed merus Conductor, aut Colonus foret. Non raro penſiones aſſignabantur hominibus aliunde locupletibus, qui nec ſerviebant, nec ſerviverant unquam, nec ſerviturì erant. Utinam Laicis ipſis largiſſimæ penſiones non ceſſiſſent aliquando. Quod S. Pius V. Romæ V. Idus Septemb. anno 1568. tandem declaravit, quod Laici, & qui Cælibatum Sacris Ordinibus annexum non colunt, Beneficiorum Penſionibus frui nequeant, niſi ſingularis diſpenſatio interceſſerit.

Preuves des Libertès de l'Egliſe Gallicane c. 22. n. 8.

LAICI INCAPACES PENSIONUM.

QUERELÆ GERMANORUM.

Carolus V. Imp. anno 1522. ſcripſerat ad Hadrianum VI. pro Statibus Germaniæ: *Præterea cuperent* Status, *noſtraque interceſſione a Sanctitate veſtra obtinere poſſe ſperant imprimis, ut Penſiones*, & ipſæ Annatæ, *quæ ex Sacerdotiis Germanicis Curiæ Sanctitatis veſtræ, & Romanæ Urbis hominibus perſolvuntur, poſthac in Germania detineantur:* & pro ſua defenſione adverſus Turcas probe impendantur. Quid ultra de Penſionum natura & recto uſu ſentiendum ſit, illud nos docet pium, ac ſaluberrimum optimorum Virorum conſilium ſub Paulo III. delectorum, cujus meminit Joannes Coclæus de actis, & ſcriptis Lutheri ad annum 1539. Senſus eſt, qui ſequitur: *Alius abuſus, cum Beneficia conferuntur, ſeu cum ceduntur aliis, irrepſit in conſtituendis, ſuper eorum fructibus, penſionibus; imo quandoque cedens Beneficio omnes ſibi fructus reſervat. Qua in re illud eſt animadvertendum nulla alia de cauſa, nulloque alio jure penſiones conſtitui poſſe, niſi ut quaſdam eleemoſynas, quæ in pios uſus, & indigentibus concedi debent. Nam reditus ſunt annexi beneficio, ut corpus animo. Ideo ſua natura pertinent ad eum, qui Beneficium habet, ut poſſit ex eis vivere honeſte pro ſuo ordine, ſimulque queat ſuſtinere impenſas pro divino cultu, & Templi, Sacrarumque ædium reparatione, & quod reliquum eſt, impendat in pios uſus. Hæc eſt enim natura redituum. Verum ſicuti in rerum naturæ adminiſtratione nonnulla fiunt a natura univerſali præter inclinationem univerſalis naturæ: ſic in Pontifice, qui eſt univerſalis diſpenſator Bonorum Ec-*

OPINIO AD PAULUM III.

cle-

Digitized by Google

cleſiæ, ſi viderit eam fructuum portionem, quæ in pios uſus expendi debet, aut ejus partem, in pium quempiam alium uſum ut expendatur, magis expedire, poteſt procul dubio id facere. Ideo jure merito penſionem ponere poteſt, ut ſubveniat egeno, præſertim Clerico, ut honeſte queat vitam ducere pro ejuſdem ordine. Ideo omnes fructus reſervari, adimique id omne, quod divino cultui, ſuſtentationique habentis Beneficium tribui debet, magnus eſt abuſus. Itemque Penſiones dari Clericis divitibus, qui commode, & honeſte vivere queunt ex reditibus, quos habent, magnus certe abuſus. Tollendus uterque.

Ex his patet, quod nemo unquam conqueſtus fuerit contra moderatum Penſionis uſum. At cum labentibus Seculis, prætextu legitimæ Penſionis cepiſſent proventus Eccleſiaſtici veris ſuis Titularibus, & Miniſtris Eccleſiarum ſubtrahi, & aliis non indigentibus indiſcriminatim, & ſine ulla moderatione reſervari, cum ſumma proventuum Eccleſiaſticorum inverſione, & dilapidatione, tunc primum, & continuo conqueſtum fuit. Narrat in hanc rem Paulus Sarpius, non æquus perſæpe ſcriptor, clamores immoderatos Epiſcopi Bitontini in Concilio Trident. 5. Mart. an. 1546., quod tunc recte citaretur coram Auditore Cameræ, ob angarias Penſionum nondum perſolutas. Reliqui pauperes Epiſcopi communem facile cauſam iniverunt, & præter multa, quæ omittuntur, Penſiones iniquas damnarunt. Æquitati, & antiquitati cohærere, ut a ditioribus Eccleſiis pauperes ſublevarentur, non vi, ſed commiſerationis intuitu, quin ſibi quiſpiam neceſſaria propter alios plerumque non indigentes ſurripere coactus non fuiſſet. Hæc Pauli Apoſtoli firma mens. Quod autem egentiſſimi Præſules ſubſtantiam ſuam, qua carere nequeunt, opulentioribus profundere, cenſuris omnibus adigantur, hoc non ferendum, imo tollendum maxime, veteri, laudabili, & chriſtiana diſciplina revocata. Legati vero Bitontinum bono animo eſſe jubent, cunctis promptum remedium promittunt, eo quod vigeſimus quintus Reformationis articulus nomine Caroli IX. Galliarum Regis anno 1562. Concilio expoſitus contineret Penſionum abolitionem. Huic abolitioni non conſenſit Pius IV., cujus nomine reſpondit Gallicis Oratoribus S. Carolus Borromæus Cardinalis Nepos, Penſiones eſſe eleemoſynas, quarum diſtributio ad Sanctam Sedem ſpectat. Remedium Concilii Tridentini fuit, ut *impoſterum omnes hæ Cathedrales Eccleſiæ, quarum reditus ſummam Ducatorum mille, & Parochiales, quæ ſummam Ducatorum centum ſecundum verum annuum valorem non excedunt, nullis penſionibus, aut reſervationibus fructuum graventur*. Quidquid ſit, Patrum Doctrina eadem fuiſſe vide-

CAUSA QUERELARUM.

Iſtor. del Concil. *l.* 2. *pag.* 158.

CLAMORES EPISCOPORUM IN CONC. TRIDENT.

GALLORUM IRRITI CONATUS. Memoires pour le Concile de Trente *pag.* 174. *edit. Pariſ. an.* 1654.

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 13. *de Reformat.* REMEDIUM ALIQUOD.

FINIS CONCILII.

Digitized by Google

videtur, quæ fuit delectorum virorum ſub Paulo III., ideſt juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem, ut conferantur Penſiones, tamquam eleemoſynæ ex neceſſitate alimentorum, & propter longa merita, ex charitate, & propter bonum pacis. Illud autem certum eſt, quod adhuc pinguiſſimæ penſiones, & frequentiſſimæ ſint. Juſtam cauſam præſuminus, non ultra inveſtigamus.

Cujus sit pensionem imponere?

Inquirendum, quis poſſit imponere Penſionem? Licet Papa ex plenitudine poteſtatis ſuæ ubique poſſit, non ſolet tamen imponere penſionem, niſi ubi ſit in uſu, veluti in Italia. In Germania, Hungaria, & Polonia nihil ſcitur. Juri communi potiſſimum Galli inhærent; niſi quod ſaltem ex non uſu Epiſcopi non audeant amplius conferre penſiones, quas ſine autoritate Apoſtolica non admittit Curia Regia. Ex juſta cauſa poteſt etiam Epiſcopus imponere penſionem, *dummodo tamen imponatur durante tantum vita gravati, non autem etiam Succeſſoris in Beneficio, niſi quando pro bono Pacis fuiſſet reſervata: puta, quia Beneficium eſſet litigioſum... In praxi vero ſervatur, Epiſcopum mere nominare penſionem, & illum, ad cujus favorem reſervat; & deinde pro expeditione Bullarum, & Literarum recurrere ad Sedem Apoſtolicam, & a Pontifice obtinere collationem deſtinatæ penſionis.* Ita recenſuit poſt alios Gaſparrus. Hodie non videtur amplius, quod Nuncii Apoſtolici, vel Legati a Latere valeant imponere penſionem, niſi habeant ſpeciale mandatum. Magnus Magiſter Ordinis Hieroſolymitani juxta ſtatutum dictæ Religionis poteſt reſervare penſiones ſuper commendis ad favorem Equitum Profeſſorum. Idem jus ſibi arrogant reliqui militarium Magiſtri Ordinum. Principes Seculares, tamquam Advocati Eccleſiarum, forte pluribus in locis in uſu ſunt nominandi ad penſiones, prouti a multis audivi paſſim fieri in Gallia, & in utraque Sicilia. Uſus cuncta docebit.

An Episcopi? Inſtit. Canon. p. 1.

An Legati? An Magistrorum Ord. Militar. cap. 7. de Comend. An Secularium Principum?

Quis sit capax, et quæ onera? Bullar. Tom. II. p. 269. ibid. p. 658.

Capax Beneficii erit capax penſionis, quæ loco Beneficii eſt. Penſionarius juxta Conſtitutionem S. Pii V. anno 1571. tenetur quotidie orare Officium B. M. V.; juxta Conſtitutionem Sixti V. anno 1589. tenetur Tonſura, & veſte Clericali incedere; dummodo penſio excedat ſexaginta Ducatos auri de Camera. Tam circa officium, quam circa veſtes diſpenſatur aliquando. Equites S. Stephani penſionem, quæ non excedat quadringentos Ducatos auri de Camera, retinent etiam conjugati, & bigami juxta Conſtitutionem Pauli V. anno 1608. Eodem privilegio juxta Conſtitutionem Clementis VIII. an. 1603. gaudent Equites SS. Mauritii, & Lazari. Quærit Fagnanus, quæ ætas requiratur ad penſiones obti-

Tom. III. p. 235. ibid. p. 144. ad c. 7. de elect. a n. 89. uſque ad n. 107.

Digitized by Google

obtinendas? Et putat, quod minor ſeptennio hodie ſit incapax penſionis, niſi ſuppleverit Apoſtolica Diſpenſatio: ita tamen, *ut Concilium Tridentinum c. 6. Seſſ. XXIII., dum ſtatuit, ut nullus ante XIV. annum Beneficium poſſit obtinere, non habeat locum in Penſionibus, ut declaravit Sacra Congregatio ejuſdem Concilii interpres... præſertim vero, quia ex ſtylo Concilii, appellatione Beneficii non venit penſio, ut patet in c. 2. Seſſ. XXI., & in c. 18. Seſſ. XXIII., & in c. 15. Seſſ. XXV.* QUÆ SIT ÆTAS LEGITIMA?

Extinguitur penſio variis modis, vel per mortem penſionarii, vel per impetrationem ejuſdem Beneficii, ſuper quo ſituata fuit penſio, quemadmodum ceſſat uſusfructus acquiſita proprietate per uſufructuarium. Sed ubi Beneficium tale invalide fuiſſet, ac nulliter impetratum, ſuſpenſa, non extincta manſiſſet talis penſio. Quod enim nihil fuit, nullum potuit producere effectum. Penſio tamen non extinguitur per anticipatas ſolutiones, niſi acceſſerit auctoritas Papæ. Gratis tamen remitti, & condonari poteſt in totum, vel in parte, ſimpliciter, vel ad tempus. Extinguitur per Profeſſionem in Religione probata emiſſam, quæ morti civili æquiparatur. Extinguitur per contractum legitimum Matrimonium, etiam ratum tantum. Secus, ubi penſio illa loco remunerationis, mercedis, & ſervitii temporalis venerit. Tunc enim exuit naturam Beneficii. In qua ſingulari cauſa Indultum ſpeciale intercedat, oportet. QUOMODO EXTINGUATUR PENSIO? Fagnan. *ad c.* 31. *de elect. n.* 83.

Præter citatam Tridentinæ Synodi Seſſionem, Papa non ſolet reſervare penſiones ultra tertiam, vel dimidiam partem fructuum. Super ſimplicibus autem, quæ non excedunt vigintiquatuor Ducatos de Camera, & ſuper Canonicatibus, vel Dignitatibus, quæ non excedunt centum Ducatos de Camera, nulla penſio imponi ſolet: quia inſpecto jure communi oportet, ut detracta penſione ſuperſint proventus, qui ſufficiant ad honeſtam Rectoris ſuſtentationem. Ducati autem intelligendi ſunt juxta morem cujuſque Regionis, quemadmodum ſenſit Sacra Congregatio 30. Martii an. 1594. Ad imponendam penſionem requiritur conſenſus Beneficiarii, vel illa imponatur ab Epiſcopo, vel a Papa. Patronus ex honeſtate moneri debet, cui alias nullum infertur præjudicium.. In expeditione Literarum ſolet utique mentio fieri de qualitate Beneficii, & an ſit gravatum alia Penſione anteriori? Cum autem Penſio ſit onus reale, illa tranſit ad Succeſſorem in Beneficio. Ideo vacante Beneficio ſolvit oeconomus, ſequeſtrato Beneficio ſolvit ſequeſtrum. Talis eſt natura oneris realis. Notandum eſt tamen, quod Succeſſor in Beneficio non teneatur ad ſolvendos terminos ab Anteceſſore nondum perſolutos, niſi Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 13. *de Reformat.* QUOTA PENSIO? Fagnan. *ad c.* 21. *de Præb. n.* 26. 27. *idem ad c.* 30. *de Præbend. n.* 19. AN REQUIRATUR CONSENSUS BENEFICIARII, ET PATRONI? QUALITAS BENEFICII INDICANDA. AN TRANSEAT ONUS AD SUCCESSOREM?

pro

Digitized by Google

pro rata fructuum a ſe jam perceptorum. Non enim poterat Beneficium gravari debitis ultra vitam prioris poſſeſſoris. Actio datur contra hæredes, qui Beneficio legis non obligantur ultra vires hæreditatis, quemadmodum & in reliquis ſucceſſionibus obſervatur. Actor autem non executivam, ſed meram ordinariam viam hic habet. Beneficii annexa onera ut ſolvat Beneficiatus pro rata, & ſolvat Penſionarius pro rata, omnis æquitas ſuadet. Olim conquerente S. Carolo Borromeo contra Penſiones, & Penſionarios, *fuit in Sacra Congregatione dubitatum, an eſſet adhibendum remedium, ut Penſionarii omnes cogerentur ad ratam contribuere, non obſtantibus quibuſcunque clauſulis, & Ordinarius eos ad id compellere valeret. Et Patres cenſuerunt non conſtituendam legem generalem hac de re: ſed caſus particulares conſiderandos, poſtea illis providendum, prout æquum videbitur inſpecta qualitate perſonarum, & locorum. Et ita Sanctiſſimus quoque probavit*. Translatio Penſionum magnam Beneficiorum arguit ſervitutem; quæ tamen Romæ Cardinalibus, & Familiaribus Pontificis, & Cardinalium plerumque permittitur Translatio in medietate juxta Conſtitutionem Innocentii XI.

ACTIO CONTRA HÆREDES.

AN PENSIONARIUS CONCURRAT AD ONERA BENEFICII?

Fagnan. *ſupra* n. 20.

AN PENSIO VALEAT TRANSFERRI?

DE RESIDENTIA

TITULUS XV.

INter onera Beneficiorum maximum fuit ſemper perſonalis, & laborioſa Reſidentia, de cujus vera obligatione etiam juxta hodiernos mores multa docuimus Libro Primo. Quæ ſequuntur, majus lumen afferent diei noſtræ. De hac lege, atque neceſſitate Reſidendi nulli unquam Canones, nulli Patres dubitaverunt. Sic Nicæna Synodus an. 325. inculcat hoc præceptum Presbyteris, Diaconis, aliiſque inferioribus Clericis, ut in Eccleſia ſua quiſque reſideat. De Epiſcopis nullam facit mentionem, quaſi nemo dubitare poſſit, num non eadem divina auctoritate Reſidentia fuerit ordinata, quæ divina auctoritas inſtituit Epiſcopatum. Sic Sardicenſis Synodus an. 347. vetat, ne Epiſcopi ad comitatum accedant, niſi forte hi, qui religioſi Imperatoris literis vel invitati, vel evocati fuerint. Si Epiſcopus debuiſſet diſcedere, veniam Metropolitani, vel Papæ cognita cauſa impetrabat. Et quemadmodum juxta Synod. Eliberitanam an. 305. Laici communione privati erant, qui Sacris Myſteriis abſfuiſſent per tres continuas Dominicas: multo magis juxta Synodum Sardicenſem an. 347. nec licet, nec decet Epiſcopum, (ſi nulla ſit tam gra-

ONUS RESIDENDI.

VETUS DISCIPLINA.

can. 16.

can. 7.

EXCUSATIONES.

can. 8. 9. 10. 11. 12.

CAUTELA DISCEDENTIUM. *can.* 21.

RIGOR DISCIPLINÆ. *can.* 15.

Digitized by Google

gravis neceſſitas, quæ detineat) ut amplius a ſupraſcripto tempore abſens ſit ab Eccleſia ſua. Hoc ſpatium conceditur Epiſcopo ad colligendos ruri fructus. Concordat Synodus Carthaginenſis anno 397., *ut Epiſcopi ſine Formata Primatis non navigent*. Clerici vero extra Civitatem ſuæ Reſidentiæ morari nequibant cauſa non probata vel per Epiſcopum, vel ſaltem per Presbyteros. Concordat alia Synodus Carthaginenſis an. 398., cui *placuit, ut nemini ſit facultas, relicta principali Cathedra, ad aliquam Eccleſiam in Diœceſi conſtitutam ſe conferre, vel in re propria diutius, quam oportet, conſtitutam curam, vel frequentiam propriæ Cathedræ negligere*. Agnoverunt hanc neceſſariam reſidendi ſervitutem Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Athanaſius, & alii plurimi, qui nunquam diſceſſerunt a ſuis Eccleſiis, niſi neceſſitas, aut charitas eos impuliſſet. Agnovit Divus Gregorius M., qui ſtrenue, & continuo incubuit, ut Legibus, & Canonibus obtemperaretur de Reſidentia Epiſcoporum, & Parochorum. Agnovit Juſtinianus Imp., qui ſalutares Conſtitutiones poſuit de Epiſcopis, & Clericis, ſive de eorum Reſidentia. Neque alia de ratione magis Epiſcopi, & Clerici propriæ Civitatis præferebantur alienis hominibus; neque ultra tres menſes differri debuerant novæ Ordinationes Epiſcoporum, quam ut ſublata Sede vacante omnes facilius reſiderent in locis, in quibus jam pridem habitare conſueverant. In Capitularibus Caroli M. forte idem diſciplinæ rigor, eadem reſidendi neceſſitas. Unde Leo IV. in Conc. Rom. an. 853. Anaſtaſium Presbyterum Cardinalem ad Titulum Beati Marcelli ordinatum depoſuit, quod quinquennio ſuam Eccleſiam deſerens, in Diœceſi Aquilejenſi degens, quarta vice monitus, bis excommunicatus, a tribus Epiſcopis citatus, contumax, incorrigibilis nondum comparuerit. In Oriente octava Oecumenica Synodus anno 869. vetat, ne Metropolitani præſumant amplius ſubjectos ad ſe adducere Epiſcopos, quibus committant Eccleſiæ Metropolitanæ divina Officia, & Litanias, quando ipſi vacant, Secularibus curis præter Eccleſiaſticas leges nimium intenti. Sed ipſimet inſerviant ſub pœna depoſitionis. Ex illa Metropolitanorum Orientis negligentia venit jam non contemnendus domeſticorum Suffraganeorum uſus, quos Epiſcopi in Occidente paſſim hodie alunt: quamvis moderni Suffraganei noſtri nullam habeant propriam Eccleſiam, quam tamen habuerunt ii, de quibus octava Synodus agebat. Ævo noſtro ſegnities nulla eſt Ordinariorum, qui tales Suffraganeos retinent, ſed zelus, ne oriatur defectus, ubi ſoli vix ſufficiunt.

[Margin notes: *can.* 28. — *can.* 37. — *can.* 5. — UBI RESIDENDUM? — CONSENSUS PATRUM. Thomaſſinus *p.* 2. *l.* 3. *c.* 30. — SOLICITUDO GREGORII. *ſupra c.* 31. — ZELUS JUSTINIANI. *ſupra c.* 35. — CURA ÆVO CAROLOVINGICO. *ſupra c.* 32. Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 44. *n.* 15. — VINDICTA VIOLATÆ RESIDENTIÆ. — *can.* 24. — USUS ORIENTIS. — ORIGO MODERNORUM SUFFRAGANEORUM.]

Poſt annum milleſimum, præſertim in Occidente, continuo monentur

[Margin note: CONTINUA LEX RESIDENTIÆ.]

Thomaſſ. *ſupra c.* 33. 34.

tur Epiſcopi, Abbates, Parochi, Canonici, & alii inferiores Beneficiarii de perſonali, & laborioſa reſidentia, quam vel divina, vel humana, vel lex utraque præcipit. Digniſſima animadverſio Thomaſſini eſt de reſidentia aliorum Beneficiariorum infra Epiſcopos, & Abbates. Ait enim: *Tota hac lucubratione noſtra patefecimus, omnibus Eccleſiæ ætatibus, Seculiſque præteritis, Ordinatione ipſa Ordinibus etiam Minoribus, Clericatu denique ipſo addictos fuiſſe Clericos omnes & Epiſcopo, & Eccleſiæ ſuæ. 2. Cum non attenderentur Clerici, niſi collato uno minori quopiam Ordine, hujus Ordinis functiones in Eccleſia illis, cuique ſua, obeundæ erant. 3. Ordinatio, & Clericatus ipſe Titulum depoſcebant. Titulus autem ipſemet Eccleſia quædam erat, cui Clericus dedicabatur. 4. Pluralitas Beneficiorum eo maxime nomine vetita eſt, quod nemo poſſet in duabus ſimul Eccleſiis reſidere. 5. Proventus Beneficiorum per mille amplius annos in ſolis fere diſtributionibus fuere, quibus vix abſentes, ac ne vix quidem frui poſſunt. 6. Mille ducentis amplius annis nulla veſtigia, ac nec umbra quidem ejus diſtinctionis, qua alia dicuntur compatibilia, alia incompatibilia eſſe Beneficia; & rurſus alia ſtrictæ, alia liberæ eſſe Reſidentiæ. 7. Clericos Epiſcopus injuſſu ſuo Diœceſi exeuntes Beneficiis ſpoliare poterat. 8. Nec alieni uſquam admitti poterant Clerici ſine literis, & licentia proprii Epiſcopi. 9. Ita diſpenſabant Epiſcopi, uti & etiam nunc diſpenſant de reſidentia cum ſimplicibus Beneficiariis.* Ex his patet olim Beneficiarios omnes reſidere debuiſſe.

Quare tantus rigor ceſſaverit? Ordinationes vagæ? Comitatus frequens.

Atque ita donec prioribus Seculis Clerici omnes Titulis ſuis inhæſerint, quos deſerere abſque Formatis Diæceſani ſummum fuit nefas, leges reſidendi ſatis firmæ permanſerunt. Poſtquam vero Clerici multi ceperunt ſine Titulis ordinari, nullam amplius certam Eccleſiam, nullum habuerunt Epiſcopum. Epiſcoporum Reſidentiam imprimis inverterunt Francorum Reges, qui ſine ingenti Prælatorum turba raro, aut nunquam inceſſerunt. Ipſe Carolus M. modo cis, modo trans Rhenum diſcurrebat, modo in Italia, modo in Saxonia, hodie Romæ, poſt tres menſes Aquiſgrani, multa Epiſcoporum frequentia ſæpe ſtipatus. Succeſſores ſine Epiſcopis nunquam. Pluralitas Beneficiorum novam exemptionis cauſam fecit. Quomodo enim poterat homo in pluribus locis uno tempore eſſe? Seculo Duodecimo Petrus Bleſenſis arguit Epiſcopos, & Clericos jam pluribus ornatos Beneficiis, qui procul ab Eccleſia omne ævum in Aulis Principum, vel aliis in locis, aut negotiis ſuis, plus quam par eſt, aut voluptatibus ſuis immerſi traherent. Laudat, ſi Regum conſiliis recte interſint. Damnat immoderatos Beneficiorum Poſſeſſores, qui

Fleury Diſcours Preliminaire ſur l'Hiſt. Eccleſ. *Tom.* XIII. *n.* 9.

Pluralitas Beneficiorum.

Epiſt. LXXXIV.

Idem Petr. Bleſen. *in l.* Job. *pag.* 486.

adjun-

Digitized by Google

adjungunt Eccleſiam Eccleſiæ, Præbendam Præbendæ, Domum Domui, Agrum Agro. Occaſionæ novæ Cruciatæ multis abſentibus Clericis integri Beneficiorum fructus conceſſi ſunt. Multi quoque vel ratione Studiorum, vel propter Beneficia impetranda detinebantur in Curia. Schiſma Avenionenſe hoc damnoſæ abſentiæ malum quantum non auxit ſuo peſſimo exemplo? Quot non novæ miſeriæ ex longa Paſtoris deſertione? Jam populus ſine doctrina, reliquus Clerus ſine diſciplina, cultus publicus neglectus, Eccleſiæ ſine ornamentis, ædificia non reſtaurata, pauperes, viduæ, pupilli, orphani, ſenes, infirmi omnes afflicti, deſtituti, derelicti, cuncta tandem deſolata.

NOVÆ CRUCIATÆ. STUDIA, ET LITES. CURIA ROMANA.

MALA ABSENTIÆ.

Fuerunt quidem, & ſunt multæ, quas colligit Thomaſſinus, abſentiæ legitimæ excuſationes, nempe Legationes, Officium in Aula, juſſio ſui Principis, aut Summi Pontificis, Peregrinationes, imprimis Romanæ vel cauſa voti, vel mandato Papæ, vel ad Synodum Romanam, acceſſus ad aliam quamcunque legitimam Synodum Comprovincialem, Nationalem, atque Oecumenicam, Comitia Cleri, Comitia Regni; paucis, publicum bonum, charitas erga proximum, neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ, & Reipublicæ utilitas, infirmitas, exilium, & gravis, atque injuſta perſequutio, conſulente Chriſto Magiſtro: *cum autem perſequentur vos in Civitate iſta, fugite in aliam.*

ſupra c. 36. & ſeqq. CAUSÆ DISCEDENDI.

Matth. X. 23.

Quæritur, an iſta fuga præcipiatur, an vero permittatur tantum? Videtur tamen, Epiſcopum non poſſe ſe ſubducere, aut fugere, niſi cum illum ſolum perſequutores petant, exemplo Cypriani, & Athanaſii, qui ſe modicum ſubduxerunt reverſuri. Cum autem in omnes ſæviat perſequutio, non decet ſane, ut Epiſcopus fugiat exemplo Syneſii Cynenenſis Epiſcopi; qui vaſtata a Barbaris regione, Civitatique ſuæ extremo impendente exitio adeo non fugit, ut imo in Eccleſia ſua mori conſtituerit, & ſanguine ſub ſanguinem immaculati Agni toties a ſe immolati venerari. Sic ſenſit Auguſtinus, quia *tunc de locis, in quibus ſumus, premente perſecutione fugiendum Chriſti Miniſtris, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit, cui miniſtretur: aut etiam fuerit, & poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium; quibus non eſt eadem cauſa fugiendi.* Quæritur, an tempore peſtis liceat Epiſcopo, & Miniſtris ſecedere? At nullo tempore aut majorem neceſſitatem, aut majorem charitatem eſſe, illud docuerunt graſſante lue Cyprianus Carthaginenſis, Gregorius Neocæſarienſis, Dionyſius Alexandrinus, Gregorius M., Salvius Albigenſis, Theodorus Maſſilienſis, Hadrianus VI., Carolus Borromæus, & aliorum Sanctiſſimo-

AN TEMPORE PERSECUTIONIS EPISCOPUS DISCEDERE POSSIT? *ſupra c. 66.*

AN TEMPORE PESTIS? *ſupra c. 67. & ſeqq.*

rum Prælatorum, & Eccleſiaſticorum Virorum charitas, & fortitudo.

AN INIMICITIÆ ET INFIRMITATES PRIVATÆ? Fagnan. *ad c. 9. de Cleric. non reſident.*

Cœterum inimicitiæ capitales potius præbent legitimam cedendi Beneficio cauſam, quam juſtam diſcedendi excuſationem, niſi abſentia ſit brevis. Sic ſentiendum eſt de aeris inclementia, quæ reſpectu unius perſonæ vel ſit tranſitoria, vel perpetua. Qui extraneo climati aſueſcere nequeat, reſignet. Qui ſola temporanea infirmitate detinetur, abire poteſt ad quærendam opem Cœli, & peritorum, quam domi non invenit. Quod ſi injuſtæ ſint inimicitiæ, aut præter noſtram culpam in continuos morbos inciderimus, reſignare non tenemur, ne addatur afflictio afflictis.

DEFINITUM NON EST, QUOD RESIDENTIA EPISCOPORUM SIT DE JURE DIVINO, Fagnanus *ad c. 8. eod.*

Seſſ. VI. 1547. *c. 1. de Reformat.*

Totum de Reſidentia negotium reaſſumimus juxta novam Concilii Tridentini formam, quamvis Patres recta via noluiſſent decidere quæſtionem, utrum obligatio reſidendi ſit apud Epiſcopos de jure Divino, utrum illa ex jure Canonico tantum deſcendat, cum neque antiquiores Synodi directam definitionem tuliſſent. Senſus autem Concilii Tridentini fuit talis: *Placuit Sacroſanctæ Synodo antiquos Canones, qui temporum, atque hominum incuria pene in deſuetudinem abierunt, adverſus non reſidentes, promulgatos innovare, quemadmodum virtute præſentis Decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorundem Reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur, modum ſtatuere, atque ſancire. Si quis*

POENÆ CONTRA ABSENTES EPISCOPOS.

a Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia ſibi quocunque titulo, cauſa, nomine, ſeu jure commiſſa, (quacunque ille dignitate, gradu, & præeminentia præfulgeat) legitimo impedimento, ſeu juſtis, & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis extra ſuam Diœceſim morando abfuerit: Quartæ partis fructuum unius anni (Fabricæ Eccleſiæ, aut Pauperibus Loci per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum) pœnam ipſo jure incurrat. Quod ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam quartem partem fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente vero contumacia, ut ſeveriori Sacrorum Canonum cenſuræ ſubjiciatur, Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum vero abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, pœna interdicti ingreſſus Eccleſiæ, eo ipſo incurrenda, infra tres menſes per literas, ſeu Nuncium Romano

CONTUMACES DENUNCIANTUR R. P.

Pontifici denunciare teneatur: qui in ipſos abſentes (prout cujuſque major, aut minor contumacia exegerit) ſuæ ſupremæ ſedis auctoritate animadvertere, & Eccleſiis ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire. Præterea Sancta Synodus de medio tollit privilegia perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis.

REVOCANTUR PRIVIL. PERPET. DE NON RESID. *ibid. c. 2.*

Digitized by Google

dis. Sermo ibi eſt, vel de iis, quæ concederentur ab Ordinariis, vel quæ jam fuerint conceſſa ab ipſa Sede Apoſtolica: Non autem de iis, quæ forte conceſſerit Apoſtolica Sedes in futurum. Ipſe vidi, & ſcio diſpenſationes perpetuas, quin tamen exprimatur, in quo Beneficio homo reſidere debeat, inſerta clauſula conſueta, dummodo Eccleſia debitis non defraudetur obſequiis, & ſupportentur onera annexa. Sequitur citatum caput: *Indulgentiis vero, & diſpenſationibus temporalibus, ex veris, & rationabilibus de cauſis, tantum conceſſis, & coram Ordinario legitime probandis in ſuo robore permanſuris*. SALVIS LEGITIMIS ALIIS DISPENSATIONIBUS. Sermo eſt de cura animarum; quia in fine committit Epiſcopo deputare Vicarium idoneum, congrua de fructibus portione aſſignata, ut *cura animarum nullatenus negligatur*.

Declaravit Pius IV. anno 1564. in Cancellaria Apoſtolica, quod diſpenſationes de non reſidendo, & de percipiendis in abſentia fructibus, DISPENSATIONES RATIONE STUDIORUM. quæ a Sede Apoſtolica dantur ratione ſtudiorum, non juvant, niſi accedente Ordinariorum conſenſu. Imo non facile conceduntur in Eccleſiis, in quibus ſit anguſtus Clerus, & pauci ſervitores. Poſt annum milleſimum ſoluti ſunt ad certum tempus, & ad promovendas bonas artes a lege Reſidentiæ tam Magiſtri, quam Studioſi Beneficiati. De his Synodus Lateranenſis III. an. 1179., & Lateranenſis IV. an. 1215. De his *can.* 18. *can.* 11. & 29. plurimum ſoliciti fuerunt multi Summi Pontifices, Alexander III., Innocentius III., Honorius III., Clemens V., Joannes XXII., Clemens VI., & alii. Synodus Tridentina decrevit: *Docentes vero ipſam Sacram Scripturam, dum publice in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & Beneficiorum ſuorum in abſentia a Jure communi conceſſis, plene gaudeant, & fruantur*. Seſſ. V. 1546. *c.* 1. *de Reformat.* Theologia, & Sacri Canones eadem immunitate gaudent. Non ubique in uſu eſt hoc Decretum; & uſui ſtandum erit.

Unde non negat Sancta Synodus dari juſtas abſentiæ cauſas, quæ ſunt Seſſ. XXIII. 1563. *c.* 1. *de Reformat.* imprimis *Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas*. CAUSÆ LEGITIMÆ NON RESIDENDI. TERMINUS. Puto enim. Tamdiu abſentia erit legitima, quamdiu durabit legitima cauſa. Cœterum quoad Epiſcopos quotannis ſpatium abſentiæ continuum, vel diſcontinuum nullo pacto deberet duos, aut tres menſes excedere, ita tamen, ut inde Grex nullum damnum ſentiat, probata cauſa. Solemnioribus feriis præſentia ſummopere commendatur. Cardinales præcedant exemplo, qui non ſunt immunes, ubi ſcandalum gravius orirctur. Idem ferme de inferioribus Curatis præſcribitur, vix bimeſtri abſentia conceſſa, cauſa prius cognita, & probata

Digitized by Google

bata per Epiſcopum, Vicario idoneo ſubſtituto. Pœnæ graviſſimæ uſque ad privationem ſtatuuntur adverſus contumaces. Canonicis autem Cathedralis, aut Collegiatæ Eccleſiæ *non liceat vigore cujuslibet ſtatuti, aut conſuetudinis ultra tres menſes ab eiſdem Eccleſiis quolibet anno abeſſe: ſalvis nihilominus earum Eccleſiarum conſtitutionibus, quæ longius ſervitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unuſquiſque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos. Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privetur omnibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Creſcente vero contumacia, contra eos juxta Sacrorum Canonum conſtitutiones procedatur.* Redeundum ad illas noſtras paginas Primi Libri, in quibus docuimus, quare apud Canonicos longior abſentia non ſit damnanda, præſertim apud Germanos, exemplo aliquo Italiæ, & Romæ. Jam ab antiquo Alexander III., & Honorius III. exemit Canonicos a Reſidentia, qui in ſervitio Sedis Apoſtolicæ, aut ſuæ Eccleſiæ detinerentur, ſalvis certis fructibus. Sæpe etiam Principis ſervitium excuſat, quia cauſa publica ſubeſt. In Parochis propter curam animarum, in qua exigitur induſtria perſonæ, major diſpenſandi difficultas: cum quibus Epiſcopus diſpenſare nequit, ut abeant ad ſtudia; ſed intercedat Apoſtolica auctoritas, oportet. Cœterum caſus, in quibus per alium deſervire licet, definiti ſunt a lege: atque hi reſpiciunt vel neceſſitatem, vel utilitatem congruam Eccleſiæ, aut Reipublicæ, aut Perſonæ. Tunc quidem ſervatis ſervandis legitime abſens facit fructus ſuos, ac ſi ſemper præſens fuiſſet: qui & ideo non reputatur abſens, cum utilior Reipublicæ tunc fuerit alibi, quam domi. Cauſa debet a legitimo Superiore probari, quæ, niſi ſit juſta, nec concedens, nec impetrans in ſua conſcientia tuti ſunt. Veniam autem non reſidendi concedit, qui reſidendi neceſſitatem imponit, vel Summus Pontifex, vel proprius Epiſcopus. Diſcrimen eſt, quod Papa poſſit concedere perpetuas non reſidendi diſpenſationes, Ordinarius temporales tantum. Unum eſt, quod adhuc diſpenſantur a reſidentia Epiſcopi ſatis frequenter, Canonici ſatis frequenter, Curati rarius. In Canonicis, quibus nulla animarum cura, minor difficultas, quia minus periculum; & cum maxima eorum obligatio plerumque ſit in pſallendis horis Canonicis, & Miſſis Conventualibus, hæc munia per alium æque bene fiunt aliquando. Præſumptio conſtanter militat pro legitima diſpenſatione tam reſpectu impetrantis, quam reſpectu diſpenſantis, donec contrarium evincatur.

Occaſione reſidentiæ Canonicalis, verbum fieri debet de quotidianis diſ-

Seſſ. XXIV. 1563. c. 12. de Reformat.

Fagnanus *ad c. 7. & 15. eod.*

NOVA EXCUSATIO RESIDENDI.

IN CURATIS DIFFICILIS DISPENSATIO.

VARIÆ REGULÆ PRO NON RESIDENTIBUS.

FREQUENS DISPENSATIO.

ORIGO DISTRIBUTIONUM.

Digitized by Google

diſtributionibus. Putant aliqui illas inſtitutas fuiſſe, & introductas, ut Canonici hoc præmio invitarentur ad frequentanda quaſi alacriori animo divina. Forte Ivo Carnotenſis Seculo Undecimo tentavit hoc remedium, pane, & vino præſentibus diſtributo. Parum profuit. Finito pane apud multos diligentia tepuit, imo ceſſavit. Puto ego reliquias eſſe ex antiqua vita Canonicorum, qui præter communem Domum, victum, & veſtitum his quotidianis ſportulis donabantur propter aliquos ſuos leviores uſus. Alii alebant aves, alii flores colebant, alii minuta opificia agebant, alii libros colligebant deſcribendos, alii alia curabant, ut fallerent otia, quæ precibus, & ſtudiis ſuis ſupererant. Uſibus iſtis forte deſtinabantur hæc exigua dona. Hodie diſtributiones quotidianæ plurimis in locis præſtantur ex communibus Bonis, & requirunt corporalem aſſiſtentiam, nulla ferme admiſſa abſentiæ alias rationabilis excuſatione. Ubique tamen nondum ſunt introductæ, quamvis Synodus Tridentina illas ubique erigendas eſſe mandaverit ex tertia parte certorum fructuum. Sed nondum ubique fieri potuit. Unde fit, ut privatæ laudabiles conſuetudines obſerventur.

c. un. de Cler. non reſident. in 6.

Seſſ. XXII. 1562. *c. 3. de Reformat.*

DE PLURALITATE BENEFICIORUM

TITULUS XVI.

DOnec Beneficium non ſepararetur ab Ordine, donec ordinaretur nemo, qui tantum certæ Eccleſiæ non adſcriberetur, pluralitas Beneficiorum prorſus inaudita res erat. Ordinatus illico incardinabatur ſuæ Eccleſiæ, a qua vero diſcedere nemo facile poterat. In Synodo Chalcedonenſi anno 451. cautum eſt, ne quis in duarum Civitatum Eccleſiis eodem tempore in Catalogum adſcribatur. Transfuga priori reſtituatur Eccleſiæ: delinquens poſt Synodum celebratam proprio gradu excidat. Hic autem damnantur Translationes *ob inanis gloriæ cupiditatem*, & proprio inſtinctu factæ, non quæ juxta leges Eccleſiaſticas fuiſſent, veluti eorum, *qui proprias amittentes patrias ex neceſſitate ad aliam Eccleſiam tranſierunt*. Sed in duabus Eccleſiis nemo *Matriculæ* inſeri, nemo *Titulum* capere poterat. Concordant ferme omnia Concilia, concordat jus Decretalium. Huc venit juſta pii, atque cordati viri meditatio, prout ſequitur: *Non potuit ergo ſerpere in Eccleſias pluralitas Beneficiorum, niſi ubi exoleſcere ceperunt primigeniæ leges, uſuſque ſanctiſſimi priorum Seculorum; 1. Poſtquam Clericis minoribus relaxata eſt obedientiæ regula; 2. Poſtquam ordi-*

Olim ignota Beneficiorum pluralitas.

can. 10.

can. 20.

Thomaſſinus *p. 2. l. 3. c. 1. n. 7.*

Quomodo sit introducta?

Digitized by Google

ordinari, vel attonderi cepere Clerici ſine ullo minorum Ordinum, atque adeo ſine ulla, quam in Eccleſia obirent functione; 3. Poſtquam collati ſunt ordines illis etiam, qui nulli Eccleſiæ aſtringerentur; 4. Poſtquam Beneficiariis non diſtributiones tantum, ſed & agri, & prædia cepere diſtribui, ſecto in portiones Eccleſiæ patrimonio; 5. Poſtquam non in commune tantum, ſed privatim cepere poſſideri bona Eccleſiæ; 6. Poſtquam non amplius ſpectata eſt Eccleſia, ut pauperum omnium procuratrix, altrixque, quos tamen ſingaliter, & modice aleret, quo ſupereſſet, quod in egenorum alimenta refunderetur. Hæc omnia novata ſunt pedetentim in temporali, & ſpirituali adminiſtratione Eccleſiæ, unde emerſit illa portentoſa in Cleri diſciplina fœditas, de qua dolent, gemuntque mirum in modum pii, & cordati omnes, alios rebus neceſſariis deſtitui, dum alii ſacras opes, & patrimonia pauperum, otio & luxu diſfluentes dilapidant. Abundat zelus. Quid ſenſerim, & qua ratione Bona Eccleſiaſtica dici poſſint patrimonia pauperum, aliis in locis explicavi. Quod alii deſtituantur forte neceſſariis, alii ſacras opes dilapident, rite dolemus. Væ tamen his, qui luxuriant. Utinam indigentibus miniſtris plene ſuccurrere valeremus. Saltem hodierna diſciplina pravos mores nunquam probavit. Sed quos tollere in toto nequit, tolerare cogitur interdum.

NOVA RATIO PLURALITATIS.

Præterea Beneficiorum diſtributione ordinata, poſt novam proventuum partitionem, alia Beneficia aliquando inventa ſunt non ſufficere alendo Clerico, alia continuum non flagitare ſervitium, alia ob penuriam miniſtrorum derelicta. Juſtum erat tunc perſonis, aut potius Eccleſiis providere, eo magis, ubi unus poterat ſupplere in altera Eccleſia, quin defectus foret in ſua. Sic multis in locis Parochus tenetur miniſtrare non ſolum in propria, & principali Eccleſia, verum etiam in filiabus valde diſſitis Eccleſiis, & remotis pagis. Legitur in Concilio Epheſino an. 431., quoniam *vetus mos viget in Provinciis Europæ, quod ſinguli Epiſcopi duos, vel tres ſub ſe habent Epiſcopatus. Unde Heracleæ Epiſcopus ſub ſe habet Heracleam, & Panion. Epiſcopus autem Byzes ſub ſe Byzen, & Arcadiopolin. Cælenſis vero ſimiliter habet Cælen, & Galliopolin: porro Epiſcopus Sabſadiæ ſub ſe habet Sabſadiam, & Aphrodiſiaden... Unde & Sanctis Canonibus, & externis legibus, quæ veterem conſuetudinem jubent vim legis habere, nihil innovandum in Europæ Civitatibus, ſed juxta veterem conſuetudinem gubernentur ab Epiſcopis, a quibus & olim.* Quidquid hæc mutila, & depravata videantur, jam ſive dicatur duos Epiſcopatus, ſive duas, aut plures Civitates ſub eodem Epiſcopatu uni concredi-

Act. VII. *& ult.*

VESTIGIA VETERA.

credi-

Digitized by Google

creditas fuiſſe, ſive duos Epiſcopatus ob legitimas rationes fuiſſe canonice unitos, illud manifeſtum eſt, quod non ambitus, non avaritia moverit Epiſcopos, ſed zelus, & religio, metuentes, ne Fritilas Heracleenſis Epiſcopus, factus Neſtorianus, derelicto Concilio, ob ſuam privatam vindictam ordinet per illas Civitates ſuos Neſtorianos Epiſcopos. Non illi quæſiverunt, ſed ultro impoſitum fuit Catholicis Epiſcopis jugum hocce, quod illis non in commodum, ſed in novum onus ceſſit, non otii, ſed laboris cauſa, propter charitatem, non propter voluptatem, communi fidelium neceſſitate, & magna utilitate ſuadente.

FINIS ECCLESIÆ. Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 25. *n.* 48.

His permotus rationibus Gregorius M. univit aliquando, vel commendavit duas Eccleſias, vel Epiſcopales, vel Abbatiales, vel Epiſcopalem cum Abbatiali. Beneficiorum pluralitati, quæ ex commendis non raro orta fuit, anſam perſæpe præbuerunt Translationes tam apud Græcos, quam apud Latinos, qui novas conferebant Eccleſias Epiſcopis ſuis, quin amitterent veteres, bonis interdum reclamantibus viris, quando juxta leges Eccleſiaſticas hæc non fierent. Sic Hugo Drogonis filius, Pipini ſenioris nepos, ex Monacho Gemmeticenſi factus eſt Archiepiſcopus Rotomagenſis, Epiſcopus Bajocenſis, Procurator Urbis Pariſiacæ, ideſt Commendatarius, Abbas Gemmeticenſis, & Fontanellenſis. Vir pius, & ſtrenuus Eccleſiarum ſuarum defenſor, liberaliſſimus Patronus, in quem tot coaluere Eccleſiæ, *factione Caroli* Martelli *Principis patrui ſui, extra Decreta tamen Canonum*. Sic Hincmarus Rhemenſis Ardardum Turonenſem ſimul, & Nannetenſem Epiſcopum duriſſimis excepit verbis, *præſertim cum alias Poſſeſſiones, & Abbatias largitione Domini Regis habeat, unde ſumptus habere valet, quibus ad Deo ſerviendum, & miniſterium ſuum exequendum in plebe ſibi commiſſa ſufficere poſſit*. Ecce probam rationem, quæ excuſat aliquomodo pluralitatem Beneficiorum cedentem in privatum hominis tantum commodum, nempe quod unicum non ſufficeret ad honeſtam ſuſtentationem. Contra non meruit laudari, qui ſufficiente unico petiit ſecundum, excuſandus aliquomodo, cui non petenti ſecundum juxta leges Eccleſiaſticas collatum fuit.

Thomaſſ. *ſupra c.* 2. *n.* 13. COMMENDÆ, ET TRANSLATIONES PLURALITATEM PROMOVERUNT.

Aut. Chron. Gemmeticen. *poſt annum* 723. *Tom.* II. *pag.* 760. *n.* 17.

Epocha Caroli M. pluralitatem Beneficiorum valde promovit, quamvis non omnes, non ſemper, non ubique probarent. Ipſe Carolus M., qui alias *nulli Epiſcoporum Abbatiam, vel Eccleſiam ad jus Regium pertinentes, niſi ex certiſſimis cauſis, unquam permiſit*, Affinem ſuum Udalricum Beneficiis cumulavit plurimis, utpote *Fratri Magnæ Hildigardæ, Genitricis Regum, & Imperatorum*. Quæ cuncta poſt obitum Auguſtæ Sororis

Thomaſſ. *ſupra c.* 3. SUB CAROLOVINGICIS FREQUENS EXEMPLUM. Du Cheſne *Tom.* II. *pag.* 112.

Digitized by Google

roris abſtulit Udalrico, & ablata reſtituit, aut veteri vinculo, aut nova

Aimon. *l.* 5. *c.* 24. commiſeratione motus. Ita pariter Carolomannus, Caroli Calvi filius, Monachus ab initio Sangallenſis poſtea *plurimorum Monaſteriorum Abbas reputatus, quia inſidias erga Patrem ſuum infideliter moliretur, Abbatiis privatus, Sylvanectis eſt cuſtodiæ mancipatus*. Ita pariter ſolus Hatto Moguntinus Archiepiſcopus, *quem cor Regis nominabant*, a Carolo Craſſo Abbatias duodecim obtinuiſſe fertur. Poſthac abuſus multi, remedia multa præſertim contra pluralitatem Parochiarum, ubi de cura animarum ſtrictiſſima ſemper obſervatio fieri debuit. Cum ſit ſatis felix, qui unicam rite adminiſtraverit Eccleſiam, quomodo in pluribus etiam Parochiis tantum unicus homo ſufficiet? Idem de Canonicis Parochias adminiſtrantibus dictum fuerat, impoſſibile eſſe, unum in duobus locis ſupplere poſſe, revertendumque ad priſtinum officium juxta antiquas regulas, atque renovandas eſſe laudabiles conſuetudines, ſi defecerint: ubi ergo juſta cauſa interceſſerit, ibi tolerandam eſſe pluralitatem, quæ juxta antiquum uſum toleratur adhuc, ſublata omnis ambitionis, & avaritiæ ſuſpicione.

Du Cheſne *Tom.* III. *pag.* 485.

Orientis Disciplina.

Eandem Orientis diſciplinam tunc fuiſſe, Nicæna Synodus altera, quæ fuit ſeptima Oecumenica Synodus, docuit anno 787. his verbis:

can. 15.

Clericus ab inſtanti tempore non connumeretur in duabus Eccleſiis. Negotiationis enim eſt hoc, & turpis commodi proprium, & ab Eccleſiaſtica conſuetudine alienum. Unuſquiſque ſecundum Apoſtolicam vocem, in quo vocatus eſt, in hoc debet manere, & in una locari Eccleſia. Quæ enim per turpe lucrum in Eccleſiaſticis rebus perficiuntur, aliena conſiſtunt a Deo. Hinc ſupplere debuit labor manualis, niſi ſufficeret Beneficium, aut conſuetus annuus cenſus. Ait enim Apoſtolus: *Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtraverunt manus iſtæ*. Si tamen ruri ſint pauci Operarii, conſentit Sancta Synodus, ut uni plures committantur Eccleſiæ in pagis: quæ neceſſitas in Civitatibus non præſumitur. Quod autem plura Monaſteria ab uno Abbate ſæpe regerentur, cauſa eſt, quod efficerent unum corpus, in quo diſciplinæ puritas, & charitatis vinculum ſervaretur magis. Poſtquam vaſtaſſent Barbari multas Eccleſias, fuit pluſquam neceſſaria mediæ ætatis conſuetudo, transferendi Epiſcopum ab Eccleſia diruta, & expilata ad novam vacantem Eccleſiam, utraque retenta. Sic deſolata Eccleſia penitus non deſerebatur, & Epiſcopo ejecto, atque inopi ſuccurrebatur. Nec Epiſcopis ſolis, ſed Abbatibus etiam, atque Oeconomis Cænobiorum, Monachis, Officialibus Eccleſiæ Conſtantinopo-

Quid in penuria Miniſtrorum?

Epiſcoporum in partibus Origo.

Digitized by Google

nopolitanæ, & Beneficiariis aliarum quaſi omnium Eccleſiarum commendabantur depopulatæ Diæceſes: qui vero ſæpe ſæpius retentis prioribus Beneficiis ſuis propter ſuſtentandum & victum, & honorem novum, eligebantur ad Epiſcopatus afflictos, accedente in has periculoſas Electiones conſenſu eorum, & Conſecratione. Concordat Seculo Undecimo Alexius Comnenus, quia pauci inventi ſunt, qui relictis commodis, & proventibus antiquis novum & egeſtate, & periculis plenum acceptarent jugum. Neſcitur tamen, quare non ſit paſſus, Clericos majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ eligi ad hos Epiſcopatus in partibus: niſi ratio fuerit, ne quis abeſſet, cum tamen ab initio talis ſæpius abeſſe cogeretur, ferendæ occultæ ſaltem opi his, qui ſub miſera ſervitute gemebant.

Leunclav. Jur. Orient. *Tom.* I. *pag.* 131.

CUR CLERICI ECCLESIÆ M. CP. NON ELIGI DEBUISSENT AD EPISCOPATUS DESOLATOS?

Poſt Seculum X. relaxatæ habenæ, frequentiora exempla, non omnia probanda, non omnia rejicienda. Hæc inter Divus Leo IX. ex Tullenſi Epiſcopo an. 1049., Alexand. II. ex Lucenſi Epiſc. an. 1061., recens Bened. XIII. ex Beneventano Archiepiſcopo an. 1724., ſinguli ad Summum Pontificatus apicem evecti, priores ſuas Eccleſias retinuerunt, non inſana opum libidine, quas non affectarunt, ſed caſtiſſimo primæ ſponſæ amore, quam deſerere noluerunt. Quis audet ſanctos viros damnare? qui tamen plures admiratores, quam imitatores habebunt. Multo plura extant exempla retentæ Abbatiæ cum Epiſcopatu, & duarum Abbatiarum. Poſſederunt alii plures Epiſcopatus, non ſemper, non ubique, non omnes laudandi. Illæ vero ſemper, & ubique juſtiſſimæ cauſæ habitæ ſunt, ubi illud propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiarum fieret. Neque enim Nicolaus II. Petrum Damianum Epiſcopum Oſtienſem duabus Abbatiis, neque Gregorius VII. Archiepiſcopum Viennenſem Abbatia Burdigalenſi, neque Urbanus II. Auſonenſem Epiſcopum Tarraconenſi Sede, neque Paſchalis II. Archiepiſcopum Toletanum Segovienſi Sede, neque alii alios novis donaverunt Eccleſiis, niſi quia illud propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiarum fieret, ita ut hæc juſta Beneficiorum pluralitas reluctantibus non raro, & quaſi invitis, ad laborem, non ad luxuriam cederet.

QUI IN PONTIFICATU SUAS PRIORES ECCLESIAS RETINUERUNT?

PLURALITAS POST ANNUM M. COMMUNIS.

Thomaſſ. *ſupra* c. 5.

Venit Alexander III., qui Beneficiorum pluralitatem damnat ex non bono fine ortam, quia *illud eſt omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una, vel diverſis Eccleſiis, plures dignitates, vel perſonatus obtineat; cum ſingula Officia in Eccleſiis aſſiduitatem exigant perſonarum*. Sed exceſſus tollere nequivit. Scribit enim ad Genuenſem Archiepiſcopum: *Mirabile*

EXCESSUS.

c. 13. *de Præbend. & Dignitat.*

c. 14. *eod.*

bile gerimus, & indignum, quod uni perſonæ locum in pluribus Eccleſiis velis concedere, vel in Epiſcopatu tuo inducere conſuetudinem Eccleſiæ Gallicanæ: quæ, cum unum ad plura recipiat Beneficia, contra Sanctorum Canonum inſtituta, non approbatur a nobis, licet non poſſit præ multitudine delinquentium emendari. Nec is tamen juſtam reprobavit cauſam, qui ſecedente in perpetuum clauſtrum Eskylo ſanctiſſimo viro, Abſalonem Roſchildenſem Epiſcopum juſſit omnium votis, interveniente Pontificio Legato, Lundenſem quoque totius Daniæ Metropolim aſſociare, quantumvis invitum, & reluctantem. Addit Baronius: *Quod ſemel ex cauſa præſumptum, male apud quoſdam tranſit in exemplum.* Econtra Innocentius III. caſſavit electionem poſſidentis plures præbendas, & dignitates, quamvis contra Statuta Concilii Lateranenſis III. an. 1179. *adhuc multa per patientiam tolerentur, quæ, ſi deducta fuerint in judicium, exigente juſtitia non debeant tolerari.* Unde in Concilio Generali Lateranenſi IV. anno 1215., (quo tempore damnoſa pluralitas ſe ſe ad ipſas curas extendit) declaravit idem Innocentius III., quod nempe habens perſonatum, vel curam, & ſecundum, vel ſecundam impetrans amittat primum, vel primam, quia ipſo jure vacat. Renuens privatur utroque, vel utraque. Rebus ſic ſtantibus, niſi collator infra ſex menſes providerit, devolvitur collatio ad Superiorem. *Circa ſublimes tamen, & literatas perſonas, quæ majoribus Beneficiis ſunt honorandæ, cum ratio poſtulaverit, per Sedem Apoſtolicam poterit diſpenſari.*

ad an. 1177. n. 92.

c. 18. eod.

capit. 13. & 14.

REMEDIUM SOLEMNE.

c. 28. eod.

QUI MEREANTUR DISPENSATIONEM APOSTOLICAM?

QUANDO CARDINALES CEPERINT EPISCOPI FIERI PER ORBEM?

Cum autem inter ſublimes perſonas optimo jure numerari debeant S. R. E. Cardinales, locus hic eſt indagandi, quando ceperint Romani Cardinales in variis Orbis Chriſtiani Provinciis obtinere Epiſcopatus extraneos? Conſtans uſque ad Urbanum VI. circa annum 1378. Diſciplina Eccleſiæ fuit, ut præter ſex, vel ſeptem Epiſcopatus Titulis Cardinalium annexos, nullus alius Cardinalis Epiſcopus facile unquam inveniri potuiſſet: & ſi quis Epiſcopus evaſiſſet Cardinalis, Epiſcopatum ſuum dimittere cogebatur, vel ad aliquem ex illis ſex, vel ſeptem Epiſcopatibus transferebatur. Quæ multa ratio fuit, ut pauci ex Epiſcopis reperti fuiſſent, qui relicta propria Eccleſia Cardinalatum oneroſum acceptaſſent, multi, qui renuiſſent. Vix cum VVilhelmo Rhemenſi Archiepiſcopo, & Epiſcopo S. Sabinæ Cardinale, Ludovici VII., & Philippi Auguſti Regum Cognato diſpenſavit Alexander III. ad retinendam utramque Eccleſiam. Hinc poſtea durante Avenionenſi ſchiſmate Pontifices utriuſque partis coacti ſunt ab antiquo diſciplinæ rigore recedere.

DISPENSATIO FORTE PRIMA.

PLURALITAS IN SCHISMATE AVENION.

Secus

Digitized by Google

Secus quis acceptaſſet inanem honorem, deſtitutus neceſſariis opibus, ſine quibus omnis dignitas jacet? Legatur Hiſtoria ſchiſmatis ſcripta a Theodorico de Niem, qui annos triginta Romæ ſub Urbano VI., & ejus Succeſſoribus traduxit. Narrat is quoque, quomodo Epiſcopum Vormacienſem Gregorius XII. fecit Cardinalem. Sed noluit acceptare, timens forte, quod ſi illum acceptaret honorem, alius ſibi ſubrogaretur Antiſtes in Eccleſia Vormacienſi. Poſthac uſus invaluit frequens, & continuus conferendi, & retinendi Epiſcopatus cum ipſo Cardinalatu. Et quidquid reclamaſſent in ſua oratione ad Paulum III. Patres delecti anno 1539., quando vix triginta unus numero Cardinales fuerunt, aut incertus adhuc vagaretur numerus: Synodus Tridentina non reclamavit, longa præſcriptio confirmavit, frequens uſus roboravit. Nec mirum, quod priſca regula ceſſaverit, poſtquam ejuſdem ratio ceſſavit. Olim enim cum viginti tantum numero Cardinales eſſent, vix latum unguem a Pontifice, cui conſulere debebant, diſcedere poterant. Hodie cum hi poſt ſupremam Sixti V. inſtitutionem anno 1585. jam ſeptuaginta numero ſint, ſatis multi Romæ ſuperſunt ad regimen univerſalis Eccleſiæ ſuſtentandum, reliquis per Europam ſparſis, qui fidei, & diſciplinæ puritatem, nec non debitam Romani Pontificis majeſtatem, & obedientiam tueantur, atque concilient.

l. 3. c. 39.

POSTHAC QUOTIDIANA CONSUETUDO.

Præterea ſuperior Innocentii III. Clauſula de ſublimibus, & litteratis Perſonis in dies tam late patuit, ut diſpenſationes jus commune totum invertiſſent ferme: donec Gregorius X. in Concilio Lugdunenſi anno 1274. mandaſſet Ordinariis locorum ad effectum inquirendi de validitate talium, & tantarum diſpenſationum. Bonifacius VIII. nec ipſe videtur pluralitatem Beneficiorum ſatis probaſſe. Aliquando non potuit non diſpenſare. Clemens V. revocat ſaltem Proviſiones ſub Titulo Commendæ factas de Eccleſiis, & Monaſteriis ad petitionem Regum, & quorumcunque Magnatum. Vix difficillimo tempore remedium aliquod apparuit. Altius clamavit ad annum 1316. Joannes XXII., quam quod juverit multum. Damnat ille quidem execrabilem, atque inſatiabilem ambitionem, nec non importunam petendarum diſpenſationum improbitatem ſuper retinendis pluribus Beneficiis, præſertim Curatis, etiam remotiſſimis, quæ alias de jure communi recipere non liceret. Commemorat ærumnas ortas, atque orituras; propter quas vero avertendas, frequentiſſimam diſpenſationem ſuper retinendis duobus Beneficiis Curatis modernam eſſe duxit, Cardinalibus tamen S. R. E., qui univer-

PLURALITAS MODERANDA.

c. 3. de Offic. Ordin. in 6.

c. 19. 21. 23. 30. 32. de Præbend. in 6. c. 2. Extrav. de Præbend.

c. 4. eod.

ſali

EXCIPIUNTUR CARDINALES, ET REGUM FILII. ſili Eccleſiæ inſervientes apud Summum Pontificem, ſingularum Eccleſiarum commoditatibus ſe impendunt, ac Regum filiis, qui propter ſublimitatem eorum, ac generis claritatem ſunt potioris prærogativa gratiæ attollendi, dumtaxat exceptis. Statuit tandem diſpenſationem imposterum cadere poſſe ſuper duobus tantum Beneficiis, quorum alterum cum cura ſit, alterum ſine cura. Statuit deficiente hac diſpenſatione, unicum tantum Beneficium retineri poſſe, data optione dimittendi reliqua, infra menſem notæ hujus Conſtitutionis, coram ſuis Ordinariis ſub pœna omnium Beneficiorum amittendorum, ubi acceſſerit contumacia.

PLURALITAS PROPAGATA. Quid inde? Sub Avenionenſi ſchiſmate & hoc pluralitatis malum propagatum fuit apud reliquos Beneficiarios, quorum animos, vel patronos eorum ſæpius captivare oportuit. Impoſterum quoque tanta Beneficiorum pluralitas honeſto pallio ſe ſe cooperuit, diſpenſationibus ſcilicet Apoſtolicis, Unionibus, & Commendis: adeo ut delecti viri reformandæ Eccleſiæ congregati an. 1539. retulerint ſciſcitanti Paulo III. in

OPINIO VIRORUM DELECTORUM. hunc modum: *Abuſus alius eadem calliditate inventus. Nam quædam Beneficia incompatibilia jure ſunt, & appellantur: quæ ex ipſa vi nominis majores noſtri admonere nos voluerunt, non debere ea uni conferri. Nunc in his diſpenſatur non tantum duobus, ſed pluribus, & quod pejus eſt, in Epiſcopatibus. Hunc morem, qui ob avaritiam tantum invaluit, tollendum ducimus præſertim in Epiſcopatibus.*

MODERNA DISCIPLINA. Hæreamus more noſtro in Synodo Tridentina, quæ nobis magiſtra ſemper fuit, & hodiernæ diſciplinæ norma ab omni errore immunis; quidquid viri aliqui zelantes nimis contrarium docere videntur, qui vix non de fide tenent, quod proviſus de uno ſufficienti Beneficio, alterum in conſcientia retinere nequeat, quantumvis a Sede Apoſtolica diſpen-

Seſſ. VII. 1547. *c. 2. de Reformat.* ſatus exiſtat. Prohibet autem Apoſtolica Tridentina Synodus, ne quis duas, aut plures Eccleſias *in Titulum, ſeu Commendam, aut alio quovis nomine contra Sacrorum Canonum inſtituta recipere, & ſimul retinere præſumat: cum valde felix ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene, ac fructuoſe & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit.* Idem rigor in

c. 4. eod. omnibus Eccleſiaſticis Beneficiis quomodocunque incompatibilibus. Alias incompatibilia Beneficia ipſo jure vacant. Diſpenſationes legitimas nun-

c. 5. eod. quam improbavit Sancta Synodus, quas vero diſpenſati Ordinariis Locorum juxta Lugdunenſe Concilium an. 1274. exhibere tenentur. Idonei Vicarii ab ipſis Ordinariis deputandi, aſſignata eiſdem Vicariis congrua portione, & animarum cura nullatenus negligatur, & ipſa Beneficia de-

bitis

Digitized by Google

bitis obſequiis minime defraudentur. Ubi autem legitimæ aut juris, aut hominis diſpenſationes non intervenerint, Sancta Synodus etiam pro Cardinalibus *ſtatuit, ut imposterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur; quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Optat autem Sancta Synodus, ut reſignantium neceſſitatibus commoda aliqua ratione, prout Summo Pontifici videbitur, provideatur.* Totum hoc caput Juri communi ſatis conforme eſt. Quæ tamen altera proviſio ſperanda præter largam diſpenſationem, aut congruam penſionem? Seſſ. XXIV. 1563. *c. 17. de Reformat.*

Tota difficultas jacet, quæ ſit portio ſufficiens? quis explicabit modum? Legitima Superioris authoritas, inculpatus Seculi uſus, habita tamen juſta conſideratione ad currentem ætatem, ad qualitatem muneris, & perſonæ, ad circumſtantias Loci, ad exemplum præſens Bonorum, quantum fieri poteſt. Decet enim, ut nobilis vir juxta genus ſuum ſervos, & equos moderate alat, quibus plebejus plurimum caret. Decet, ut literatus multo ſumptu libros colligat, quos rudis non curat. Singuli hoſpitalitatem ferme exercent. Hoſpites tamen pares non ſunt, ſumptus cauſant diverſos. Pluribus eget, qui in magna Civitate vivit, quam qui in Provincia latet. Multi pauperes ſunt, quibus ſuccurrunt divites. Quis ſuccurrat, ubi nullus dives? Væ alias ſanctiſſimo Præſuli, Carolo Mediolanenſi Card. Borromæo, Pii IV. Nepoti chariſſimo, qui fertur Eccleſias non minus duodecim in variis Regionibus tenuiſſe, Abbatis, & Commendatarii nomine præter ampliſſimas Penſiones. Verum quidem eſt, quod tandem unicam Eccleſiam Mediolanenſem, & nonnullas Penſiones in gratiam miſerabilium perſonarum ſibi reſervaverit. Ergo ſumma conſiſtit in recto uſu Eccleſiaſticorum proventuum, non in ipſis limitatis proventibus. QUOMODO SIT DETERMINANDA PORTIO SUFFICIENS? SUMMA CONSISTIT IN RECTO USU.

Abſit, ut diſſipatores Eccleſiaſticarum rerum laudem, qui nec ſecularem reliquorum hominum luxum probare ſoleo. Omnibus loquor. Audaces fræno, timidi ſtimulis utantur. Vel enim pluralitas Beneficiorum vetita eſt jure divino, vel jure naturali, vel jure humano: ſi primum, aut ſecundum, ſtat, quod, licet Summus Pontifex in lege divina, & naturali immediate, & directe diſpenſare nequeat, poſſit tamen interpretari, ubi lex divina, vel naturalis dubia eſt; quia in hac neceſſaria, & inevitabili interpretatione potiſſimum conſiſtit Vicaria poteſtas, quando ipſe Legislator amplius interrogari nequit. Alias manifeſto erroris periculo FUNDAMENTUM LEGITIMÆ DISPENSATIONIS.

riculo

Digitized by Google

riculo obnoxii, tamquam cæci, lapidem offendimus, quem in via ſcimus, evitandi tamen certi ſatis nunquam ſumus, oculos non habentes, nec ducem, nec rectorem. Si hæc ita ſe habeant, quam dura conditio

Matth. XI. 30. noſtra? Quæ lex difficilis, de qua tamen docuit Chriſtus: *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*. Cum autem Beneficiorum pluralitas jure tantum humano vetita exiſtat, quæ invidia, ut juxta non præmeditatam oeconomiæ externæ providentiam legitimus Superior, Summus Romanus Pontifex juri humano vel a ſe ipſo, vel ab alio non habente majorem poteſtatem introducto, ſervatis ſervandis, & ex cauſa juſta derogare poſſit? Ex eo etiam, quod ſæpiſſime derogaverit, quis poteſt non præſumere vel de poteſtate legitima, vel de juſta cauſa? Rurſus hæc

Redit idem argumentum. diſpenſatio ſuper Beneficiorum pluralitate reduci debet vel ad dogma, vel ad diſciplinam. Si reducatur ad immutabile dogma, (quod hactenus a nemine audivi) quare audet Papa diſpenſare? Si reducatur ad variam diſciplinam, (quod omnes tenent, quantum ſcio) quare aut non poteſt, aut non debet aliquando diſpenſare? Diſpenſatus itidem per hanc legitimam poteſtatem, quomodo non erit tutus coram Deo, & hominibus? Aut ſaltem non diſpenſetur amplius, aut declaretur novum

Hiſt. Polon. an. 1054. l. 3. p. 242. iſtud dogma. Næ aliquando, obſervat Longinus Polonus *facile inventi ſunt pauperes Clerici, & Doctores, qui pluralitatem Beneficiorum, & pompam Eccleſiaſticam reprehenderunt, donec offerret ſe occaſio participandi: qua*

Diſpenſatio Autoris. *accepta graviter avaritia excæcat eos*. Hæc ego ſerio indagare debueram, cum ſim in hac navi, diſpenſatus ab Apoſtolica Sede ſuper retentione perpetua Canonicatus Tridentini, & Jaurinenſis, cui poſtremo incorporata exiſtit Præpoſitura S. Adalberti per modum ſimplicis Beneficii: diſpenſatus, inquam, non ex alio expoſito capite, quam quod *dignum ar-*

Bulla an. 1729. *bitratum fuit, ut illis ſe reddat Sedes Apoſtolica gratioſam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter ſuffragantur*. Non deſunt plures aliæ rationes, quæ me tutum, ac tranquillum reddunt, quamvis de me nihil unquam præſumere velim.

DE COMMENDIS

TITULUS XVII.

Definitio. Commendare idem ſonat, ac in cuſtodiam tradere, Commendatarius Cuſtos, Commenda Beneficium in cuſtodia, vel ſub admi-

Origo. niſtratione. Origo multa commendarum fuit incurſus Barbarorum Occiden-

Digitized by Google

dentem, atque Orientem miſere evertentium, atque devaſtantium, quemadmodum aliis in locis indicamus. Sic Longobardi Italiam Seculo Sexto invadentes Epiſcopos ſuis Sedibus ejecerunt. Tunc Gregorius M. deſtitutam Eccleſiam viciniori Epiſcopo, nondum eliminato commendabat, ut meliorem, quantum adverſis temporibus fieri poterat, cuſtodiam adhiberet, donec ſerenior aura reſtituat viduæ ſponſum. Interdum diuturnior vacantia prævidebatur propter quodcunque aliud impedimentum. Vacans autem Eccleſia commendabatur vicino Epiſcopo uſque ad electionem Canonicam legitimi Succeſſoris. Hac de cauſa non Epiſcopatus tantum, ſed etiam Abbatias commendavit Gregorius ſolis ferme Epiſcopis, quibus Monachi nondum exempti, penitus ſubjecti fuerunt, obedientes filii amantiſſimis ſuis parentibus. Aliquando etiam ob ſimiles rationes Gregorius Abbati Monachorum minores alicujus Presbyteri Eccleſias commendavit, ſeu delegavit. Origo inculpata iniquam turpis avaritiæ cauſam quibuſdam Clericis dedit, qui Monachorum Bona ſub pretextu commendæ ad ſe trahere tentaverunt. Iraſcitur Gregorius, quod hi Clerici occaſione quaſi regiminis ea Monaſteria in partibus Ravennæ, quod dici grave eſt, veluti in proprietate poſſideant. Unde regimine privati ſunt, adituque ipſo Cænobiorum, niſi ad orandum, interdicti ſunt. Nec aliter in Sicilia, atque aliis in locis actum fuit, quam Ravennæ. Animadverſione ſingulari dignum cenſeo, quod talis commenda propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiarum ordinata fuerat, non propter avaritiam, & privati hominis luxum. Talis enim Viſitator, vel Commendatarius ex proventibus commendatæ Eccleſiæ vel nihil, vel parum deſumebat olim, reliquis fructibus Eccleſiæ fideliter reſervatis.

Thomaſſinus p. 2. l. 3. c. 10.

COMMENDÆ ÆVO D. GREGORII.

CLERICI RAPIUNT BONA MONACHORUM.

FINIS ECCLESIÆ.

Seculo Sexto, Septimo, Octavo irreligioſus invaluit uſus, ut interdum Abbatiæ, atque aliæ Eccleſiæ militibus ad dies vitæ commendarentur, qui Regnum, & Eccleſias tueantur contra hoſtes Regni, & Eccleſiarum infenſiſſimos, Normannos, Saxones, Friſones, & Saracenos. Mortuis his emeritis Ducibus, Exercituumque Præfectis, Princeps alium ſæpius vel Laicum, vel Clericum Commendatarium ſubſtituit. Unde & ipſi aulici Proceres de re publica benemeriti pinguiſſimis commendis non raro ad dies vitæ honorati ſunt. Hinc cum Laici grati Principibus ſuis præſtitiſſent Dona, Comitatus, Milites, & Equos, Clerici olim cum iiſdem oneribus debuerunt ſuas recipere Eccleſias, ſervato plerumque ipſo jure Regiæ Nominationis. Quis jam non videt, quod ex commendis his (quarum ſub tota Carolovingica ſtirpe Epiſcopi, & Clerici perſæpe facti

ſupra c. 11. 12.

ECCLESIÆ LAICIS COMMENDATÆ.

CLERICIS RESTITUTÆ CUM ONERE.

ſupra c. 13.

Digitized by Google

Hinc quoque orta pluralitas Beneficiorum.

ſunt participes) nova Beneficiorum pluralitas ſcateret, promoveretur-que mirum in modum ? Hujus mali ingens, atque innocens autor fuit Carolus Calvus, dum graviori ſatageret mederi. Laicis Eccleſias adimebat, quas commendabat Clericis, & Epiſcopis, addito nomine Abbatis. Parum ſoliciti erant Clerici, quidquid eorum prædia Monachis commendarentur ; parum ſoliciti erant Monachi, quidquid eorum prædia Clericis commendarentur, ſatis contenti, quod res Eccleſiæ evaſiſſent ex reliquorum Laicorum manibus. En cur debuit tolerari damnoſa frequenter Beneficiorum pluralitas, quæ ex his commendis quadam utilitate proceſſerat. Inſolentiſſimum vero illud erat commendarum genus, ubi homines ſceleſtiſſimi Regum aures fatigabant, impetrabantque Abbatias nedum vacantes. Ex quo fiebat, ut cautiores quandoque Abbates, Canonici, & Regulares Regio ſe Diplomate quopiam muniri cuperent, quo deſponderetur, quamdiu ſuperſtitiſſent, loco ſe ſuo, & gradu non amovendos. Id Lupo Ferrarienſi Carolus Calvus conceſſiſſe fertur, quando perſuaſum erat pluribus, quod arbitrariæ eſſent Commendæ, & ad nutum Principis revocabiles.

Peſſimum Commendarum genus.

Usus Germaniæ, *ſupra c. 15.*

In Germania quoque dabantur illa tempeſtate, qui inſimul Epiſcopi, atque Abbates forent : iique potiſſimum, qui ex Abbatibus fuerant electi Epiſcopi, Abbatias cum Epiſcopatibus retinebant ſatis frequenter. Non defuerunt piiſſimi Epiſcopi, qui ſuas Abbatias Religioſis Superioribus regendas cederent, Epiſcopali Eccleſia contenti. Sic Beatus VVolfgangus Ratiſponenſis, Beatus Udalricus Auguſtanus Seculo Decimo ceſſerunt Cænobia Monachis, quos regerent impoſterum ſui ſingulares Abbates. Admiratores multi, imitatores pauci. Otto I. in Francofordienſi Epiſcoporum, Comitumque Conventu Commendas ſuſtulit ; Electiones, vel Regias Nominationes reſtituit in Cænobiis, quæ Canonicis Electionibus caruiſſent. Cœterum in Italia, & univerſo Occidente plures commendæ de Monaſteriis Clericorum, vel Monachorum, vel Puellarum, quæ continuo ſive Clericis, ſive Laicis ipſis, jure Beneficii tradebantur, pro injuria temporum tolerari debuerunt, dummodo viri idonei, pro bono Communitatis præficerentur. Ab his Abbatibus Commendatariis tum Clericis, tum Laicis Præpoſiti Regulares juxta Synodum Moguntinam anno 888., imperante Arnulpho Rege deſignabantur, qui clauſtrali diſciplinæ præeſſent, & de ea ad Epiſcopum rationes ſuas referrent. Sed imprimis Joannes VIII. alias probavit, alias reprobavit commendas. In Oriente eadem cauſa, eadem neceſſitas, idem judicium. De commendis enim ubi-

Commendæ ſublatæ.

Diſciplina Occidentis circa annum M.

Orientis eadem.

que,

Digitized by Google

que, & ſemper dicendum venit, quod de diſpenſationibus dicimus. Laudandæ, quæ ex cauſa juſta per legitimam auctoritatem fiunt. Secus damnandæ.

DISCIPLINA POST ANNUM M.

Poſt annum milleſimum Epiſcopi, & Clerici vel proprio arbitrio, vel Summi Pontificis juſſu, & conniventia plurimas commendas poſſederunt non tantum, quod Gregorius VII., & Paſchalis II. valde liberales fuerint: quantum quod præſertim Seculo Duodecimo, amiſſa Terra Sancta, exulibus Aſiaticis Epiſcopis in Europa juxta æquitatem Sacrorum Canonum provideri debuerit propter honeſtam ſuſtentationem. Venit ſcandaloſa ætas, quando deſerta vita communi Monachi, & Canonici alii Bona diſſipare, & luxui ſe tradere cœperunt, quos malo exemplo præceſſerunt Abbates, & Præpoſiti. Aliqui petierunt fidenter ſibi commendari Monaſteria corrigenda, atque reſtauranda. Cenſores iſti perſæpe pari cenſura notandi erant, qui zelo tepente, proventus, non emendationem in corde ferentes, quæ ſua ſunt, non quæ Chriſti ſunt, quærebant. Hos inter Commendatarii facti ſunt plurimi Cardinales. Hi vix ante Sanctiſſimum Pontificem Gregorium VII. commendas impetrarunt.

QUANDO CŒPERINT CARDINALES DONARI COMMENDIS?

In reliquis Commendatariis ſeceſſus Avenionenſis frequentiam auxit. Deceptus fuit lugubrem in modum Clemens V. ineunte Seculo Decimoquarto, prodigus commendarum omnis ordinis diſpenſator, qui more majorum, gratus, facilis, liberalis fieri voluit erga Reges, & Principes, erga magnates, & amicos, in quorum terris habitabat.

ſupra c. 20.

POENITET CLEMENTEM V. SUÆ LIBERALITATIS.

Tandem morti proximus agnovit errorem ſuum, quem ſanatus emendavit anno 1307. ſolemni Conſtitutione. *Super his*, ait, *an tales videlicet, tantaſque gratias per nos fieri decuiſſet, variorum arduorum negotiorum multiplicitate diſtracti, uſque ad tempus, quo infirmitate ſatis periculoſa nos his diebus viſitavit Omnipotens, nequivimus cogitare plenarie. Verum in debilitate ipſius ægritudinis conſtituti, a negotiorum utcunque diſcuſſione ſemoti, ad hoc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque proſpeximus evidenter, quod Eccleſiarum, & Monaſteriorum eorundem cura negligitur, bona, & jura diſſipantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis, & populis ſpiritualiter plurimum, & temporaliter derogatur, eiſque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum, ac nec dum ipſis, ſed etiam Romanæ Matri Eccleſiæ (quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur, & magiſtra) graviora inde futura timentur pericula. Nolentes igitur his tot, & tantis diſpendiis ulterius cauſam relinquere, ſed volentes potius opportunum, & debitum in hac parte remedium adhibere, omnes, & ſingulas proviſiones hujuſmodi per*

c. 2. Extrav. de Præbend.

REVOCAT COMMENDAS.

nos (ut præmittitur) factas quibuſcunque cujuſcunque ordinis, dignitatis, & ſtatus, ſed etiam Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, quocunque modo, vel tempore noſcantur, auctoritate Apoſtolica ex nunc ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere aliquam roboris firmitatem. Pulchræ Ordinationi levis, aut nulla obedientia fuit

QUERELÆ INUTILES. præſtita. Mox in Concilio Viennenſi an. 1311. conqueſtus fuit Durandus Mimatenſis Epiſcopus, quod adhuc *Eccleſias etiam Cathedrales, & ultramarinas ſub diverſis coloribus ſibi faciunt commendari* Domini Cardinales; *imo Prioratus Conventuales, & alia Beneficia Eccleſiaſtica, conſueta regi per Monachos, & alios Regulares Domini Cardinales, ac ſi Beneficia ſecularia nequaquam ſufficiant, ſibi, & ſuis faciunt aſſignari, quamquam non efficiantur Monachi*. Joannes XXII. Avenionenſem Epiſcopatum Nepoti pariter commendavit. Quomodo recuſaret aliis commendas? Benedi-

Rainaldus *an.* 1336. *n.* 67. ctus XII. *revocavit omnes commendas factas per Predeceſſores ſuos de Eccleſiis Cathedralibus, & Abbatiis, quibuſcunque Perſonis, Cardinalibus,

idem an. 1353. *n.* 31. & Patriarchis dumtaxat exceptis*. Et hoc Innocentius VI. ſtatuit. Durante ſchiſmate, ab Urbano VI. uſque ad Martinum V. commendæ maximum incrementum fecerunt ob lucrandos amicos. Synodus Piſana anno 1409., Conſtantienſis anno 1414., Baſileenſis anno 1431. cogitaverunt ſatis, rem ad jus commune reducere, nihil tamen magni momenti definiverunt. Extincto ſchiſmate malum hoc non fuit extinctum. Memoravit enim piiſſimus Cardinalis Portuenſis, Joannes Carvajalis in Conciſtorio coram Pio II., ſe jam vereri, ne omnia Gallicana Cœnobia com-

idem an. 1464. *n.* 68. mendentur, periculo tumultus. *Approbavit judicium Pontifex*; *adjecit*

JUDICIUM PII II. *credere ſe a Pontificatu Calliſti in eam diem amplius quam quingenta Monaſteria eſſe jam commendata, atque ita in metu ſibi eſſe, ut corruptela hæc maturius opinione in ſcandalum grave erumperet*. Calliſtus III. is fuit Prædeceſſor, atque intra paucos annos tantus exceſſus.

RECTUS USUS. Non defuerunt per idem tempus probi viri, qui ab eodem commendarum torrente abrepti fuerunt. Sed quibus alii opibus laute, atque propudioſe abutuntur, hi ad ſublevandos pauperes ſanctiſſima charitate utuntur. Talis fuit probus Cardinalis Papienſis, qui præter Epiſcopatum, aliam Papiæ, aliam Florentiæ Abbatiam poſſedit. Miſerrimum fuit illud

Marianus *l.* 24. *c.* 16. exemplum, vincente Summi Pontificis Sixti IV. conſtantiam importu-

CASUS SINGULARIS. nitate Joannis II. Regis Arragonenſis, quando Cardinalis Valentinus Cæſarauguſtanam Metropolim Sexenni Regio notho commendare de-

Seſſ. IX. buit. Leo X. in Conc. Later. an. 1514., poſtquam continua mala hæc

fieri

Digitized by Google

fieri indicaſſet *non abſque dignitatis Apoſtolicæ Sedis diminutione, a qua commendæ hujuſmodi proficiſcuntur*, vetat Monaſteria hactenus non commendata cuiquam impoſterum poſſe commendari. Limitat tamen ſalva auctoritate Apoſtolica hæc fieri debere, quæ Cardinalibus dumtaxat, ac aliis dignis, & benemeritis perſonis commendari poſſint. Exiguum remedium, niſi quod certas utiles conditiones ſuis Commendatariis poſuiſſent; nempe *ſi menſam habuerint ſeparatam, ac ſeorſim a menſa Conventuali, quartam ſuæ menſæ partem pro inſtauratione fabricæ, ſeu pro ornamentis, veſtibus, ac paramentis emendis, ſarciendiſque, aut pauperum alimonia, aut ſuſtentatione*, impertiri teneantur, & ultra, *ubi major exiget, aut ſuadebit neceſſitas. Si vero menſa fuerit communis, tertiam omnium fructuum dicti Monaſterii ſibi commendati partem pro ſupradictis oneribus ſupportandis, & ſuſtentatione Monachorum, omnibus aliis deductis oneribus, impertiri teneantur: ac literæ, quæ ſuper Monaſteriorum hujuſmodi commendis expedientur, cum clauſula hoc ipſum ſpecifice exprimente debeant expediri. Alioquin ſi aliter expedientur, nullius ſint roboris, vel momenti.* Concludit Fagnanus hoc ipſum ſervari continuo. In Italia frequens eſt hodie commendarum uſus. In Germania, & in Gallia ſervantur concordata. Hodierna diſciplina tota vertit juxta reformationem Concilii Lateranenſis.

Bulla *de Reformat. Curiæ.*
REMEDIUM LEONIS X.
ONUS COMMENDATARIORUM.
c. 37. de elect. n. 14. & c. 5. de Peculio Cleric. n. 28.

Ordinavit quidem Sancta Tridentina Synodus, ne quis plura incompatibilia Beneficia etiam per viam commendæ perpetuæ ſimul retinere præſumat: nullibi tamen derogavit Apoſtolicis diſpenſationibus, quas cunctis temporibus valituras pronunciare multis in locis debuit. Imo juxta eundem Fagnanum *hinc collige notabilem limitationem ad concluſionem proxime firmatam, qua dictum eſt, Concilium non prohibere, quin Beneficia Regularia Secularibus commendentur, ut non procedat quoad Monaſteria, quæ ſunt capita Ordinum ... Qua ratione forſitan factum eſt, ut Romani Pontifices, qui pleraque Monaſteria S. Benedicti, & Ciſtercienſis Ordinis dederunt in commendam ſecularibus Clericis: tamen non commendaverint Monaſterium Caſſinenſe, quod eſt caput illius Congregationis; nec Monaſterium Ciſtercii, quod eſt caput Ordinis Ciſtercienſis. Qua itidem ratione inter cæteras factum putamus, ut noſtris temporibus Sedes Apoſtolica abnuerit Cardinali a Richelieu ſupplicanti pro confirmatione electionis de ſe factæ in Abbatem Ciſtercii. Nam cum Abbas illius Monaſterii ſit etiam Generalis totius Ordinis Ciſtercienſis, ultra generalem diſpoſitionem juris communis, qua non Profeſſi prohibentur aſſumi ad Regimen Regularis Eccleſiæ, obſtat etiam ſpecialis prohibitio Concilii in d. c. 21., ne ſcilicet ſecularis Prælatus tot Regularibus præſit.* Viſita-

Seſſ. VII. 1547. *c. 2. & 4 de Reform.*
cit. cap. 37. n. 11.
CAPITA ORDINUM MONASTERIORUM NON COMMENDANTUR.
CAUSÆ.
Seſſ. XXV. 1563. *c. 21. de Regular.*

Digitized by Google

VISITARI DEBENT COMMENDÆ. Seſſ. XXI. 1562. c. 8. de Reformat.

ſitationi Diœceſanæ quaſcunque commendas etiam exemptas ſubjici alibi diximus, vel quia in illis non viget Regularis obſervantia, vel quia Epiſcopus illas viſitat, tamquam Apoſtolicæ Sedis delegatus. Saltem Commendatarii ſuis proventibus recte utantur exemplo S. Petri Damiani, & Cardinalis Papienſis, niſi exemplo noviſſimo S. Caroli Borromæi commendas omnes abdicare placuerit.

DE UNIONE, ET DISMEMBRATIONE BENEFICIORUM

TITULUS XVIII.

DEFINITIO.

UNio eſt duorum, vel plurium Beneficiorum, aut Eccleſiarum a legitimo Superiore facta incorporatio, ut non amplius duo, aut plura, ſed unum tantum conſtituatur Beneficium. Vel enim illa eſt temporalis intuitu perſonæ, vel perpetua intuitu utilitatis, vel neceſſitatis Eccleſiæ. Temporales uniones dicuntur ſpuriæ, perpetuæ dicuntur legitimæ. Unde diſcrimen habes, quod iſtæ ex juſtis rationibus fiant, illæ ex humano potius affectu.

CAUSÆ.

Juſtæ imprimis rationes ſunt neceſſitas, ſive utilitas evidens Eccleſiæ. Beneficia cum reliquis humanis rebus ceſſant, quæ niſi penitus intereant, deficiunt tamen. Muri ruunt, nec eſt, qui ædificet. Fructus vel injuria temporum, vel caſu fortuito pereunt. Hoſtes ferro, & igne devaſtant omnia. Civitas deſolata, pagi exhauſti, incolæ, atque coloni aut pauci, aut nulli. Quid de antiquis Barbaris meminiſſe opus? Nondum ſanavit recentiora vulnera, Turcis, & Hæreticis multis inviſa ſemper Hungarica Eccleſia. Spuriæ dicuntur uniones, quæ ſine juſtis rationibus fiunt. Moribus corruptis arriſit novum

ABUSUS.

hoc unionum genus, quas *gratioſas* ſui fautores vocarunt ad augendos aut Epiſcopis, aut Capitulis proventus. Vel etiam in gratiam Clericorum cum enormi Eccleſiæ detrimento ad hanc artem deventum fuit, ne plura Beneficia poſſidentes, plura poſſidere viderentur. Fraus interdum inſignis.

DAMNANTUR. Seſſ. VII. 1547. c. 4. de Reformat. Seſſ. XXIV. 1563. c. 17. de Reformat.

Spurias iſtas uniones ſemper damnavit Eccleſia. Damnat Synodus Tridentina: & quæ fuerint obtentæ vel per ſubreptionem, vel per obreptionem, illas irritas declaravit. Cauſæ legitimæ, & bonæ rationi congruæ verificari debent, vocatis coram Ordinariis omnibus, quorum intereſt.

Seſſ. XXI. 1562. c. 5. de Reformat.

Poſſunt etiam Epiſcopi tamquam Apoſtolicæ Sedis delegati *juxta formam*

Digitized by Google

mam juris, ſine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Eccleſiarum. Ratio eſt, *ut etiam Eccleſiarum ſtatus, ubi ſacra Deo officia miniſtrantur, ex dignitate conſervetur*. Beneficia autem unius Diæceſis nullo prætextu debent perpetuo uniri Beneficiis alterius Diæceſis, ne jura confundantur, & ſubjectio alteretur. In Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis inſignibus, ubi deficit decens ſuſtentatio, licet Epiſcopis cum conſenſu Capituli vel aliquot ſimplicia Beneficia (non tamen Regularia) iis unire, vel in ſubſidium cum conſenſu Patronorum Laicorum, Canonicos ad pauciorem numerum reducere, quemadmodum multis in locis propter iniqua tempora factum eſt, *ita tamen, ut tot ſuperſint, qui divino cultui celebrando, ac dignitati Eccleſiæ commode valeant reſpondere*. Regularia cum Secularibus non miſcentur Beneficia. Alibi ſcripſimus, quod propter erigendum Seminarium certa Beneficia uniri poſſint, quantum privatæ conſuetudines ſinunt. Jus Epiſcoporum in unionibus agnoverunt Decretales, ubi legitur: *Sicut unire Epiſcopatus, atque poteſtati ſubjicere alienæ ad Summum Pontificem pertinere dignoſcitur, ita Epiſcopi eſt Eccleſiarum ſuæ Diæceſis unio, & ſubjectio earundem*. Hodie reducuntur Epiſcopi ad diſpoſitionem Concilii Tridentini. Multo magis ſub poteſtate Summi Pontificis erit reliqua Beneficia unire, qui poteſt ipſos Epiſcopatus unire. Apud Synodos olim fuit hoc jus, quod hodie ſolus Papa exercet. Aſt *quoniam pleræque Cathedrales Eccleſiæ tam tenues reditus habent, & anguſtos, ut Epiſcopali dignitati nullo modo reſpondeant, neque Eccleſiarum neceſſitati ſufficiant, examinet Concilium Provinciale, vocatis iis, quorum intereſt, & diligenter expendat, quas propter anguſtias, tenuitatemque invicem unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmiſſis inſtrumenta ad Summum Romanum Pontificem mittat: quibus inſtructus Summus Pontifex ex prudentia ſua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua acceſſione ex fructibus augeat*. Hoc ipſum per relationem ad ſanctiſſimum fit abſque Concilio Provinciali, cum vix amplius Concilia convocentur.

Seſſ.XXIV.1563. c. 13. de Reformat.

LEGITIMÆ UNIONES.

Seſſ. XIV. 1551. c. 9. de Reformat.

Seſſ.XXIV.1563. c. 15. de Reformat.

Seſſ.XXIII.1563. c. 18. de Reformat.

JUS ANTIQUUM EPISCOPORUM.

SUPREMA R. P. POTESTAS.

Seſſ.XXIV.1563. c. 13. de Reformat.

Legatus de Latere minora Beneficia cum poſſit conferre, eadem cum cauſa unire poteſt: qui in ſua Legatione interdum ea omnia facit, quæ Epiſcopus facit in ſua Diæceſi. Uſus mihi videtur in multis contrarius in hac ipſa unionum cauſa: quia ſi Legatus unire non debet ſine præjudicio Epiſcopi, nunquam unire poterit, quin eo non conſentiente is ſibi non illatum præjudicium conqueratur. Concludit Fagnanus: *nec Legatus de Latere poteſt revocare uniones, quas fecit Papa de plenitudine poteſtatis*...

AN LEGATUS DE LATERE VALEAT UNIRE?

ad c. 1. ne Sede Vacante &c. n. 38.

quem-

Digitized by Google

quemadmodum nec poteſt Legatus revocare uniones Eccleſiarum exemptarum, quia nec poteſt illas unire... & generaliter uniones factas per Papam non poſſe

An inferiores alii unire valeant?

per inferiorem diſſolvi, *dixit Rota*. Sede vacante Capitulum unire poteſt, ſi adſit legitima cauſa, quia ſuccedit in juriſdictionem defuncti. Caveat tamen, ne quid attentet, quod Succeſſori diſplicere potuit. Alias revocabitur unio. Inferiores Prælati, etiamſi alias juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habeant, unire nequeunt, niſi ex ſpeciali privilegio, aut ex immemorabili præſcriptione. Tribus autem modis fieri poteſt Beneficiorum unio. Primo, ſi ex duobus fiat unum: quo caſu privilegia utriuſque Beneficii communicantur. Secundo, ſi alterutrum ſubjiciatur tantum: quo caſu deputatur inferioris Eccleſiæ Vicarius, & inferior Eccleſia adhærebit digniori, tamquam acceſſorium principali. Tertio, ſi utrumque maneat æque principaliter, ſingulis privilegiis in ſalvo manentibus, niſi quod unicus Rector, aut unicus Epiſcopus duas regat Eccleſias. Quoad revocationem unionis, ceſſante cauſa unionis ceſſare debet effectus. Unione autem revocata Beneficium utrumque induit priorem naturam, ac ſi nunquam unitum fuiſſet. Fallit Regula in jure patronatus, in quo ſi Patronus renunciaſſet juri ſuo, tempore unionis, nullam recuperat præſentationem, quia jus ſemel extinctum, nunquam reviviſcit. Cautius erit, ut apponatur conditio, quamdiu unio perdurabit, ſervato jure poſtliminio, ut ita dicam, quandocunque ceſſaverit unio. Interdum hoc fieri potuit. Legatur Rebuffus in ſua praxi Beneficiaria.

Fagnan. *ad c.* 8. *de exceſſ. Prælat.* *n.* 12.

Quot modis unio fiat?

De revocatione unionis.

De Unionib. cum gloſſ.

Quomodo fiat diſmembratio?

Stabilita unione ſuccedit contraria diſmembratio, quæ fit ſalva Beneficii unitate, quando pars bonorum, vel fructuum diſmembratur, & alteri applicatur uſui: puta, ſi ex pingui Parochia partem ſumat Epiſcopus pro fabrica Eccleſiæ, vel pro erectione Seminarii, vel pro ſubſidio pauperum Parochorum. Ex ſimili gravi cauſa poteſt Epiſcopus talem facere diſmembrationem cum conſenſu Capituli ſui, cujus conſilium tenetur expectare in re momentoſa, & cum conſenſu Beneficiarii, aut eorum, quorum intereſt, quibus invitis juſtum non eſt alienam cauſam ditare. Beneficio vacante curator, ſeu defenſor aſſignandus eſt ab Epiſcopo, qui partes Beneficii tueatur, & quaſi nomine Beneficii conſentiat. In diſmembratione Epiſcopatus requiritur conſenſus Epiſcopi poſſeſſoris, Capituli, & Patroni Eccleſiæ, ſi adſit: ſine quibus ſolemnitatibus non ſolet Apoſtolica Sedes ullam diſmembrationem confirmare. Recens in Hungaria exemplum, in quo Regno poſt aliquot annos diſmembrantur certi fructus per modum penſionis applicati Caſſæ Poſonienſi

Conditiones ad diſmembrandum Epiſcopatum.

Modernus Hungaricæ Eccleſiæ ſtatus.

pro

Digitized by Google

pro ſubſidio egentium Parochorum. Quæ diſmembratio ad certum tempus introducta fuit opportuno tempore, quo Epiſcopatus maxime vacarent. Defunctus Quinque-Eccleſienſis, modernus Veſprimienſis non conſenſerunt, allata excuſatione, quod ipſi indigeant in ſua Diæceſi. Unde domeſticis prius ſuccurrendum rebus, quam extraneis: ne domi ſuperſit eadem egeſtas, quam alibi expellere ſatagunt. Non conſenſit Capitulum Agrienſe, quamvis ſuus Epiſcopus ab initio conſenſerit. Nullibi talis vera diſmembratio aut bonorum, aut fructuum ſtabilita eſt. Primas ſponte obtulit cenſum aliquem annuum citatæ Caſſæ applicandum. Varii Epiſcopi ante acceptationem ſuæ Eccleſiæ diverſis modis, & ad certum tempus, interveniente Apoſtolica auctoritate, fuerunt taxati. Finis optimus, ſi cuncta ſemper reſponderint media ad conſequendum ſalutarem finem. Quomodocunque hactenus ſucceſſerit, illud certum eſt, quod non pauci diverſis modis conquerantur, quemadmodum & in ſimilibus rebus communiter fieri ſolet.

Alia diſmembratio valde odioſa eſt, quæ ſectio dicitur, ubi ex uno Beneficio fiunt duo. Saltem fieri nequit, niſi ex urgente neceſſitate, & de conſenſu Capituli fiat; *ac ſint tot utriuſque* Præbendæ *proventus, quot per utramque ſit utrique proviſum in Beneficio competenti*. Difficilis exitus, ubi interdum vetus ædificium deſtruitur, quin exurgat novum. Uno verbo omnis diſmembratio ſentit alienationem, quæ alias Clericis graviſſime interdicta eſt. Adeo non ſufficit, ut Epiſcopus, aut inferior Beneficiatus conſentiat ſolus in ſuam diſmembrationem: ſed neceſſe eſt plerumque, ut concurrat conſenſus Apoſtolicus, ubi res majoris momenti eſt. Quemadmodum vero nulla eſt talis alienatio ſine conſenſu Summi Pontificis, ita Summus Pontifex conſentire non ſolet non conſentiente Epiſcopo. Quotidie experimur. De minoribus Beneficiariis non quidem tantum momentum, ſed non minor ſæpe difficultas.

NOVA SECTIO, ET CONDITIONES. *c. 8. & 26. de Præbend.*

Huic argumento coronam addimus, verbum de erectionibus facientes. Erectiones in Cathedralem fieri non debent, niſi a ſolo Papa. Univerſitates non ſolus Papa, ſed etiam Imperator erigit. Erigunt & alii Principes in ditionibus ſuis. Regularis Eccleſia in Secularem, Secularis in Regularem abſque auctoritate Sedis Apoſtolicæ non tranſeunt. Manifeſtum eſt, hæc omnia, ut rite fiant, in honeſta cauſa fundari, de qua cognoſcit idem, qui poteſtatem erigendi exercet. Sufficit plerumque auctoritas Epiſcopi, ut ſimplex Eccleſia erigatur in Curatam, vel propter Divini cultus augmentum, vel propter commodum Parochianorum. Conſiderata legitima ratione, poſt Epiſcopum ii conſentire debent, quorum

QUOMODO FIANT ERECTIONES? *c. 5. & 6. Extrav. de Præbend.*

Digitized by Google

intereſt, qui tamen ſine honeſta cauſa diſſentire non debent. Collegiatæ ipſæ a Papa eriguntur, aut confirmantur. Solius enim Epiſcopi confirmatio hodie non videtur ſufficere. Sed ideo non ſunt pertimeſcendæ lites. Nemo non libenter confirmationem Papæ petit, qui juſta petenti nihil facile recuſat. Vix hac tempeſtate novæ Cathedralium, & Collegiatarum erectiones ſperari poſſunt. Utinam conſerventur veteres Eccleſiæ, & quæ non augeri poſſunt, ſaltem non minuantur.

DE RESIGNATIONE BENEFICIORUM

TITULUS XIX.

RENUNCIATIO TACITA.

De renunciatione tacita, quæ abſque alia verborum expreſſione in facto ipſo conſiſtit, quæſtio nulla hic erit. Sic videris reſignare primum Beneficium per acquiſitionem alterius incompatibilis, vel per matrimonium ratum, vel per dimiſſionem culpoſam continuam veſtis Clericalis, quia hæc mutatio ſtatus implicat cum fruitione Beneficii.

ALIA PROPTER DELICTUM.

Nulla hic erit quæſtio de renunciatione quaſi coacta, non tam conſultiva, quam præceptiva, quæ æquivalet privationi propter delictum notorium ſingulis, vel evidens Superiori. Quæſtio erit de reſignatione expreſſa libera, & conditionali, prouti in uſu ſunt. Tacita non tam facile præ-

ALIA EXPRESSA.

ſumitur, quia ſtricti juris eſt. Reſignatio expreſſa eſt dimiſſio ſpontanea, & libera, nullaque ratione coacta, Beneficii obtenti facta propter juſtas

CAUSÆ.

cauſas, Superiore hanc ipſam dimiſſionem acceptante. Cauſæ multæ ſunt, ægritudo mentis, aut corporis, indomitæ plebis malitia, ſcandalum publicum, inimicitiæ graves, pœnitentia nova, peregrinatio diuturna, ingreſſus Religionis, & aliæ hujuſmodi. Solus humanus affectus non videtur penitus excuſare reſignantem, qui Nepoti non ſatis digno ſuccurrat

RESIGNATIONIS EXPRESSÆ DIVISIO.

propter vinculum carnis. Reſignatio expreſſa duplex eſt, alia pura, alia conditionata. Pura, & ſimplex regulis Eccleſiæ conformior eſt: Conditionata, & imperfecta diu latuit in Eccleſia. Multi optant, ut ſemper latuiſſet. Olim nec cedere, nec diſcedere poterant Clerici, niſi ex aſſenſu ſui Epiſcopi. Poterat eos Epiſcopus alio transferre propter neceſſitatem, atque utilitatem Eccleſiæ. Non tamen invitos transferre ſolitus erat, quamvis nemo facile declinaret Epiſcopi voluntatem. Obedientia pro victima. Tanta morum conformitas erat. De renunciatione Epiſcopi, & Romani Pontificis egimus Libro Primo. Agimus impræſentiarum de inferioribus Beneficiariis.

Obi-

Digitized by Google

Obiter repetimus, quod ceſſiones, & reſignationes Epiſcoporum olim apud Synodos Provinciales, vel apud Metropolitanos fierent, tandem apud Sedem Apoſtolicam. Cauſa ceſſionis ſemper debuit eſſe juſta, quam inter reliquos conteſtatus eſt Martyrius Antiochenus, antequam diſceſſiſſet: *Clero immorigero, & populo rebelli, & Eccleſiæ contaminatæ renuncio, ſervata interim mihi Sacerdotii dignitate*. Sic Meletius Sebaſtenus, cum difficiles ſui gregis mores ferre amplius nequiret, alio ſe tranſtulit ad vitam quietam, & tranquillam traducendam. Sic Nazianzenus Epiſcopatu Saſimorum ceſſit, quem niſi cæde frequenti, & continua pugna tueri potuiſſet, præterquamquod tanta fuerit inopia loci, penuria rerum, inclementia cœli, ut nec panis ſufficeret. Optima fuit & illa trecentorum Epiſcoporum Africæ ratio, qui ſe obtulerunt, ſuas Eccleſias Epiſcopis Donatiſtis cedere, dummodo hi ad unitatem Eccleſiæ Catholicæ redire velint. Quandocunque conſcientia contaminata inducat juſtam reſignationem, hanc non inducit formido imminentis procellæ, quoniam ſi periculoſum eſt, navim inter fluctus non regere, quanto periculoſius eſt eam undis intumeſcentibus fluctuantem in tempeſtate relinquere? CESSIONES VETERES. Thomaſſinus p. 2. l. 2. c. 50.

Nondum certæ leges cedendi Epiſcopatus poſitæ fuerunt. *Crimen, ægritudo deſperata, gregis intractabilis pertinacia, ejuſmodi erant cauſæ, quibus Canonica ceſſio condonaretur. Sed immoderatior ſeceſſus pii, & contemplationis amor viros quandoque ſanctiſſimos inceſſabat, & præter Canonum normam tranſverſos agebat. Ad Papam aliquando, non ſemper, ad Imperatorem, ad Patriarchas confugiebant, & ad Metropolitanos. Nulla certa, & quæ ubique retineretur forma. Ac ſi dicas, diſciplinam Eccleſiæ in iſtiuſmodi rebus in dies ſingulos magis, magiſque elimatam fuiſſe, ne dum ad unguem perpolitam*. Poſt Seculum Nonum Papa ſæpius interpellatus fuit pro concedenda venia abeundi, quæ aliquando fuit conceſſa, aliquando negata. Hedenulphus Laudunenſis *dicens ſe eſſe infirmum* veniam intrandi Monaſterii a Joanne VIII. obtinere non potuit. Beatus Adalbertus Pragenſis ter fugit indomitam plebem, ter ad ſuam Eccleſiam remiſſus fuit monente Romano Pontifice. Tandem ad Prutenos an. 996. profectus Martyrium obiit. Poſt annum milleſimum frequentiſſimus uſus invaluit recurrendi ad Sedem Apoſtolicam, ut jam ævo Alexandri III. nullus forte amplius injuſſu Romani Pontificis cederet Epiſcopatu. Præſertim vero negat Alexander III., ſenem Epiſcopum cedere poſſe, qui adhuc neceſſarius, & utilis ſit Eccleſiæ ſuæ: & in quo *vigor Devotionis, & Fidei etiam corpore ſeneſcente non deficit*. Innocentius III. ponit ſex cauſas alibi cita- Thomaſſ. *ſupra c. 52. n. fin.* SOLITUDINIS AMOR. VARII RECURSUS. ARBITRIUM FREQUENS PAPÆ. *c. 1. de Renunciat.* DISCIPLINA SECULI XII. *c. 10. eod.*

Digitized by Google

citatas, ex quibus Epiſcopi, ſi petant, obtinere ſolent conſenſum Apoſtolicum. Hæ ſunt debilitas corporis, defectus neceſſariæ ſcientiæ, malitia plebis invincibilis, ſcandalum irreparabile, irregularitas notoria, conſcientia graviſſimi criminis. Impedimento ceſſante, & poſt longam pœnitentiam nulla ratio eſt, quare is, qui vitam Monachalem elegit, rurſum licite non poſſit ad Epiſcopatum aſſumi reparato ſcandalo diſcedentis, qui novis auctus virtutibus, quaſi novus homo rediret. Evenit autem, ut quidam cedendi licentiam cum inſtantia poſtularent, ea obtenta cedere prætermitterent. Hos ad cedendum compellendos eſſe decrevit Synodus Lateranenſis an. 1215. Sane cum majores cauſæ Romano Pontifici reſerventur, & inter cauſas majores renunciatio Epiſcopatus indubie numeretur, conſtans eſt nullam reſignationem Epiſcopatus abſque conſenſu Apoſtolicæ Sedis fieri poſſe. His, nihil eſt, quod addamus præter amariſſimas Cardinalis Bellarmini querelas ad Clementem VIII., ne amplius renoventur noſtris temporibus funeſtæ querelarum cauſæ. Conqueſtus tunc fuit vir probus his verbis: *Alii retentis fructibus Eccleſiam reſignant, ac ſi quis uxorem repudiet, & dotem retineat. Alii divites ex reditibus Eccleſiæ effecti, renunciant Epiſcopatui, ut ad majora ſibi viam aperiant. Alii Nepotibus ſedem renunciant, ut ſpecie renunciationis poſſideant ſanctuarium Dei. Alii malunt in Romana Curia Referendarii eſſe, vel Clerici, quam extra Curiam Sacerdotes magni. Denique alii cauſantur aeris inſalubritatem, alii proventus exiguos, alii populi proterviam. Sed Deus novit, an iſtæ ſint juſtæ cauſæ reſignationis, & utrum hujuſmodi Epiſcopi quærant, quæ ſua ſunt, an quæ Jeſu Chriſti.* Reſpondit ſapientiſſimus Pontifex, quod continuo fit: *Nos reſignationes difficillime admittimus, nonniſi examinatis cauſis in Congregatione rerum Conſiſtorialium, & aliquando admittimus ob ineptitudinem reſignantium.* Totum ferme hoc facit ad reſignationem Epiſcoporum. Ad inferiorum vero Beneficiariorum reſignationem facit, quod nullus Beneficiatus abſque conſenſu Prælati ſui renunciare poſſit: neque illud repetere Beneficium, cui legitime renunciavit. Concordat Clemens III., quod amplius audiri non mereatur, qui ſponte electioni a ſe factæ renunciaverit. Quomodo enim juſte diſplicebit, quod ſemel placuit? Renunciatio autem Beneficii facta in manus Laici, qui poteſtatem acceptandi non habet, nullo modo valida eſt. Tandem Abbas exemptus ſine licentia Papæ renunciare nequit, quem unicum pro Superiore agnoſcit. Gregorius IX. hoc ultimum declaravit.

c. 11. eod. — *c. 12. eod.* — COMPELLENDI, QUI NOLUNT ABIRE, POSTQUAM CESSERUNT. CONSENSUS APOSTOLICUS IN CEDENDO EPISCOPATU. — EXCESSUS. — MENS CLEMENTIS VIII. — DE INFERIORIBUS BENEFICIARIIS. *c. 4. eod. c. 3. eod. c. 6. eod.* — *c. 8. eod.* — *c. fin. eod.*

Thomaſſinus *p. 2. l. 1. c. 50.*

Reſignatio altera conditionalis, quæ in favorem perſonæ diſponit, ante

Digitized by Google

ante annum milleſimum nondum communis, aut frequens fuit. Duobus ſequentibus Seculis frequentiores factæ ſunt reſignationes, & permutationes omnes, poſtquam incontinentia, ſimonia, & incompatibilium Beneficiorum pluralitas quaſi contagione quadam infelici permagnam Cleri partem corrupiſſent. Unde & eo neceſſitatis ventum eſt, ut vix poſſent, niſi privatione, aut reſignatione fere omnium Beneficiorum ſanari tot inflicta regulis Canonicis vulnera. Dubium nullum remanet, quin reſignationes in favorem quandoque factæ ſint in manus Epiſcopi, ſine pacto, ſine pretio, ſine crimine. Verum enim vero non ſemper omnium manus fuerunt mundæ, non omne cor rectum. Sæpe fraudes malæ, conditiones iniquæ, præmia injuſta cum enormi ſcandalo intervenerunt. Circa tempora Concilii Tridentini in hunc modum deploravit Rebuffus: *Sed hodie fere omnes carnis ſequuntur affectum, ut ſanguinis ratio tantum habeatur, & in favorem illorum reſignationes fiant: quod Moyſes amicus Dei reprobavit. Is potuit utique filios ſuos ſucceſſores Principatus facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem. Quod tamen exhorruit: ſed extraneum de alia Tribu Joſuam videlicet elegit. c. Moyſes. 8. q. 1., ubi etiam ſic ſcribitur. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficio facere, ut non quærant eos in Eccleſia Columnas erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit: &, ut deteriora taceam, qui, ut Clerici fierent, muneribus impetrarunt.* Utinam æquus cenſor in noſtros mores inſurgere nequeat.

Quomodo fuerit introducta reſignatio in favorem?

Supra c. 19. & ſeqq.

Prax. Benef. de reſignatione expreſſa. *n. 9.*

Stat ergo hodiernis moribus, quod alia ſit reſignatio pura, alia conditionata. Pura eſt, cum quis ſimpliciter Beneficium reſignat in manibus legitimi Superioris, ut illud libere valeat conferre, cui in Domino judicaverit. Debet autem legitime, & pacifice poſſidere is, qui reſignat. Ubi juſtus titulus, & bona fides deeſt, ubi beneficium litigioſum eſt, is pacifice neutiquam poſſidet. Neque valet, neque admitti poteſt reſignatio, niſi conſtito, quod reſignans aliunde commode vivere poſſit. Dignitas Cleri non ſinit eos, *qui divino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere.* Utinam neutrum accideret unquam.

Reſignatio pura hodie.

Seſſ. XXI. 1562. *c. 2. de Reformat.*

Conditionata reſignatio fit tribus modis, Primo in favorem certæ perſonæ, Secundo ſervata annua penſione, Tertio cum regreſſu, ſi reſignatarius reſignanti præmoriatur; aut cum ingreſſu, ſi quis Beneficium ſibi collatum reſignet, antequam capiat ejus poſſeſſionem cum expreſſa conditione, ut mortuo reſignatario poſſit reſignans propria authoritate ap-

Quot modis fiat conditionata reſignatio?

pre-

Digitized by Google

prehendere poſſeſſionem illius. Iſte ultimus modus olim latuit. Obſervare eſt poſt Flaminium Pariſium, & Ruſæum in Tractatu de Regalia, quod nimirum in corpore Juris Canonici nullum ſubſit veſtigium ſatis expreſſum harum in favorem reſignationum. Conſuetæ Clauſulæ *non alias*, *non aliter*, *non alio modo*, paullo ante annum 1500. cœperunt irrepere in procuratione reſignantium, vitio fortaſſis Notariorum magis, quam voluntate reſignantium: neque earum clauſularum rationem habuit Pontifex, ſed pari modo admiſit, ut prius, has omnes reſignationes, quarum etiam nonnullæ ab ejus beneplacito totæ pendebant. Carolus IX. Galliæ Rex ſuos ad Synodum Tridentinam Oratores tum aliis inſtruxit monitis, tum hoc mandato imprimis, ut poſtularent aboleri reſignationes in favorem, tamquam Canonibus adverſarias, quibus prohibetur, ne Beneficiarii ſuos ſibi deligant Succeſſores. Cœterum illæ potiſſimum introductæ ſunt, etiam ad compeſcendas lites inter partes: cui bono pacis non potuit non acquieſcere ipſa Apoſtolica Sedes, quæ ſemper mutuo fratrum amori ſtuduit.

Justa animadversio.

Resignatio pura fit in manus Superioris.

Diſcrimen aliquod adducunt Canonici Juriſperiti inter puram, & conditionatam reſignationem. Illud eſt, quod reſignatio pura fiat in manu cujuſcunque legitimi Superioris. Communiter illius eſt recipere reſignationem Beneficii, cujus eſt inſtituere in Beneficium. Ideo Patronus non recipit reſignationem Beneficii, quia non inſtituit, ſed nominat. Reſignatio tamen pura nullo modo præjudicat Patrono, qui ad vacuum Beneficium nominabit Succeſſorem. Proinde reſignatio intimanda Patrono, ut infra tempus præſcriptum nominet. Cum autem Ordinarius communiter inſtituat, in manu Ordinarii communiter & hodie reſignationes fiunt. Scripſi communiter, quia non raro Capitula, aut alii inferiores Prælati ſive privilegio, ſive præſcriptione arrogant ſibi Canonicam inſtitutionem. Quo caſu Capitula, & inferiores Prælati habent jus recipiendi reſignationes.

Hæc non præjudicat Patrono.

Conditionata in favorem solet in manibus R. P. fieri.

Conditionata reſignatio, quæ dicitur in favorem, nonniſi intra manus Summi Pontificis communiter fit. In Italia hoc certum eſt. Extra Italiam non ita, niſi quod alieni mutuentur colores. Res explicari debet. Conſtans quidem ſententia eſt, quod ſcilicet reſignatio conditionata (quæ fit in favorem certæ perſonæ, ut illi, & non alteri conferatur renunciatum Beneficium) coram Epiſcopo fieri nequeat, cum debeat conſentire Romanus Pontifex. Verum Ordinarii Locorum acceptant talem reſignationem, tamquam puram quaſi rejecta conditione, & conferunt

Ordinariorum aliquorum effugium.

Digitized by Google

ferunt beneficium reſignatario, ac ſi hæc prima collatio fuiſſet. Vidi ego in Hungaria caſum aliquem in Canonicatu Eccleſiæ Cathedralis, ubi reſignatio in favorem ante paucos annos admiſſa bis fuit, quamvis in expeditione utraque mentio facta fuiſſet de reſignatione pura tantum, propter quam libera ſequatur collatio. Stylus Curiæ ſimilis eſt, quæ ita ſperat omne evitare periculum, ne reſignationes, & collationes Beneficiorum acquirant ſpeciem ſucceſſionis hæreditariæ, cum affectus carnis impellere ſoleat ad reſignandum amicis, & conſanguineis. Hæc Tridentinæ Synodi querela fuit: *Cum in Beneficiis Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, Sacris Conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum Decretis contraria, nemini impoſterum acceſſus, aut regreſſus, etiam de conſenſu ad Beneficium Eccleſiaſticum cujuſcunque qualitatis concedatur: nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur, aut transferantur. Hoc in quibuſcunque perſonis etiam Cardinalatus honore fulgentibus locum habeat.* Aliud diſcrimen eſt, quod reſignatio conditionata non adimat a reſignante jus, & poſſeſſionem, niſi purificata conditione, & negotio completo. Negotium dicitur completum, quando expeditæ ſunt literæ, ut infra. Reſignatio autem pura adimit jus, & poſſeſſionem. Hoc ipſum patet, quia reſignatio pura amittit per acceptationem legitimi Superioris jus in re, & ad rem: conditionata amittit per acceptationem legitimi Superioris jus in re, non tamen jus ad rem, niſi uſque ad complementum, in quo jure ad rem fundatur regreſſus: quamquam & hic pœnitentiæ locus amplius non ſit poſt præſentatam ſupplicationem, ſive poſt præſtitum conſenſum in Dataria. Tam odioſa, & periculoſa perſæpe viſa eſt hæc reſignatio in favorem, ut ſub initium Seculi Decimiſexti in Galliis mota fuiſſet controverſia, utrum reſignatio in favorem certæ perſonæ valeret, utrum cenſeretur ſimoniaca? Alii aliter. Hodie contrarium perſuaſum eſt. Illud ſatis conſtat, quod ab annis Gregorii XIII. poſt annum 1572. non amplius in fronte ſupplicationis ſcribantur hæc verba *Reſignatio in favorem*, cum in toto literarum contextu legatur *Reſignatio ſimplex*, quæ tamen vera eſt reſignatio in favorem, quia *nec alias, nec aliter*. Quare id? quia clauſula illa non neceſſaria, ſed ſuſpecta ſonat. Cum vero de ſtylo Curiæ in eadem ſupplica, in qua aliquis renunciat coram Papa, alter ſupplicat pro collatione, non præſumitur collatio ſubſequuta ad mentem reſignantis, ſed ad preces reſignatarii: quem medium terminum Ordinarii locorum aliquando imitantur, ubi reſignationes in favorem per Ordinarios tam licite, quam valide admittuntur.

STYLUS DATARIÆ.

Seſſ. XXV. 1563. c. 7. de Reformat.

ACCESSUS, ET REGRESSUS PROHIBITI.

VARIUS EFFECTUS RESIGNATIONUM.

ODIUM.

Jam

Digitized by Google

Quod Beneficium reſignare valeat?

Jam vero ad legitimam peragendam reſignationem neceſſe eſt, ut Beneficium reſignandum legitime, & pacifice poſſideatur. Beneficium litigioſum, quod non poſſidetur pacifice, reſignari nequit, niſi collitiganti per deſertionem cauſæ, aut quocunque alio modo quodcunque jus noſtrum cedere velimus. Et hoc ſpeciale eſt, quod puerilis ætas completa, & minoritas præſens non obſtet reſignationi, quæ alias legitima fuit. Autor mihi eſt Bonifacius VIII., ubi ait: *Si annum quartumdecimum tuæ peregiſti ætatis, in Beneficialibus, & aliis cauſis ſpiritualibus, nec non & dependentibus ab eiſdem, ac ſi major vigintiquinque annis exiſteres ad agendum, & defendendum per te, vel per Procuratorem (quem ad hoc conſtituendum decreveris) admitti debebis.* Sed nec reſtitui poteſt, quia pro majori conſideratur, & non competit majori reſtitutio in integrum. Infertur, quod aliquis reſignare poſſit per ſe, vel per Procuratorem habentem ſpeciale Mandatum, & alias libere, ac legitime conſtitutum, quia vix admitterentur privatæ literæ. Procurator autem certus, & nominatus eſſe debet, ſive ſit Regularis, ſive ſit Secularis Clericus, ſive ſit ſimplex Laicus, cujus Mandatum quantumvis ſpeciale non extendit ſe ultra annum in Gallia, & poſt annum renovari debet. Cauti ſimus ubique, oportet propter fraudes, & poſt longum anni tempus vix non hominis voluntas mutata præſumitur. Re non integra nullum ſera revocatio producit effectum, quia per reſignantem jam non amplius ſtat reſilire.

An minor reſignare valeat?

c. 3. de Judiciis in 6.

Reſignatio valet per Procuratorem.

Regula de viginti.

In reſignatione ſummopere attendi debet, quod reſignans (vel ſanus interim, vel æger fuerit, parum refert) non moriatur intra viginti dies a die conſenſus reſignationi præſtiti. Alias Beneficium non vacabit per reſignationem, ſed per obitum, & erit liberæ collationis. Hæc Regula decimanona eſt in Cancellaria ſub moderno Rom. Pont. Clemente XII.; & quantum ſcire potui, ubique recepta eſt. Imo tanta diligentia obſervari ſolet, ut nec ultimus inceptus dies habeatur pro completo. Verba Regulæ ſunt: *Item voluit, quod ſi quis in infirmitate conſtitutus reſignaverit, ſive in Romana Curia, ſive extra illam, aliquod Beneficium, ſive ſimpliciter, ſive ex cauſa permutationis, vel alias dimiſerit, aut illius commendæ ceſſerit, ſeu ipſius Beneficii unionis diſſolutioni conſenſerit etiam vigore ſupplicationis, dum eſſet ſanus, ſignatæ, & poſtea infra XX. dies a die per ipſum reſignantem præſtandi conſenſus computandos, de ipſa infirmitate deceſſerit, & ipſum Beneficium quavis auctoritate conferatur per reſignationem ſic factam, collatio hujuſmodi ſit nulla, ipſumque Beneficium nihilominus per obitum cenſeatur vacare.* Inviti ſubſcribunt Doctores tam ſtrictam interpreta-

Digitized by Google

pretationem, cum tamen juxta verum legis finem hæc regula de infirmis reſignantibus, non de ſanis diſponat. Alias quilibet infirmus reſignaret, & daretur ſucceſſio hæreditaria in Beneficiis, quæ contra illorum naturam eſt. De ſanis non idem vitium. Sed litera occidit, & hodie juxta literam procedi ſolet, quæ ſanos non eximit a regula, quando ſuperveniente infirmitate, & caſu aliquo deceſſerit reſignans.

Reſignatio coram legitimo Superiore fieri debet, qualis cenſetur Papa, Legatus, Ordinarius, & interdum Capitulum. Non omnis reſignatio fit coram ſingulis. Stat ſuus ordo, habet ſuos fines quæcunque humana poteſtas. Papa de more recipit omnes majores reſignationes, item primarum poſt Pontificalem dignitatum, & quorumcunque Beneficiorum reſervatorum, item reſignationes in favorem. Has vero reſignationes Papa recipit *privative*, reliquas omnes ſuprema pro ſua adminiſtratione, ita ut nulla omnino reſignatio ſit, quam recipere nequeat ex quacunque legitima cauſa. Legatus, & Ordinarius reſignationes illorum tantum Beneficiorum recipiunt, quæ alter in ſua Legatione, alter in ſua Diæceſi conferunt. Hoc de pura reſignatione intelligendum venit, non de conditionata in favorem, non de aliis exemptis. Capitulum, cum ſuccedat in juriſdictionem defuncti, recipit illas reſignationes, quas Ordinarius cœteroquin recipere poteſt. Fundamentum recipiendæ reſignationis, quæ non ſit exempta, omnino collatio eſt, ita ut illius ſit recipere Beneficium, cujus fuit conferre, ſicuti illius communiter eſt ſolvere, cujus fuit ligare. Ita pariter nullus dubito, quin vivente Epiſcopo poſſit Capitulum recipere reſignationes illorum Beneficiorum, quæ vivente Epiſcopo conferre poteſt. Ultimo requiritur, quod reſignationes quorumcunque Beneficiorum, factæ a quibuſcunque perſonis cujuſcunque ſtatus, & conditionis, publicentur per ipſos reſignatarios, ſi ſit Beneficium Parochiale in Eccleſia Beneficii Parochialis, & in Cathedrali: ſi autem tale non ſit, in Eccleſia Parochiali, intra cujus limites Beneficium exiſtit, & in Cathedrali, & quidem diebus feſtivis inter Miſſarum ſolemnia, vel juxta alias privatas locorum conſuetudines. Hæc ſapienter ordinata fuerunt, ne reſignans occulta adhuc reſignatione poſſit denuo ſe intrudere in poſſeſſionem Beneficii reſignati. In Beneficiis Conciſtorialibus præſente Summo Pontifice ceſſat omnis ſuſpicio fraudis, quorum ideo reſignationes ulteriori non indigent publicatione. Alia autem Beneficia non Conciſtorialia ſi reſignata fuerint in Curia, & intra Montes reſpectu Italiæ, debent publicari reſignationes intra ſex menſes computandos a die

Coram quibus fiant Resignationes?

Publicari debent resignationes.

Tempus Publicationis.

Digitized by Google

ſupplicationis datæ, & reſignatæ, non vero a die præſtiti primi conſenſus. Si vero Beneficia extent ultra Montes, & in noſtris partibus extra Italiam, intra novem menſes. Conſulenda venit Bulla Gregorii XIII. num. LXXXV., quæ incipit: HUMANO VIX JUDICIO. Sin autem Beneficia fuerint reſignata extra Curiam coram quocunque Prælato inferiore, etiamſi ſit Legatus a Latere, debent ab illo reſignationes admitti, vel rejici intra menſem: & a proviſis publicari intra tres menſes, & intra eoſdem debent ipſi capere poſſeſſionem Beneficiorum. Quod ſi hoc non præſtiterint, vacat ipſo jure Beneficium. Imo ſi intra menſem Ordinarius neque admiſerit, neque rejecerit reſignationem, privatur pro ea vice, jure Beneficium conferendi, ejuſque collatio devolvitur ad Sedem Apoſtolicam. Publicatio ipſa facienda eſt ante obitum reſignantis. Recenſet Gaſparrus Romanæ Curiæ peritiſſimus.

POENÆ PROPTER NON PERACTAM PUBLICATIONEM.

Inſtit. Canon. *p. 1. t. 1.*

DE PERMUTATIONE BENEFICIORUM

TITULUS XX.

SUpereſt ultima reſignationis conditionatæ ſpecies, quæ dicitur permutatio, mutua ſcilicet duorum ſibi legitimum Beneficium reſignantium renunciatio cum regreſſu toties, quoties permutatio non perficeretur. Permutationes etiam jure Decretalium vetitæ fuerunt. Prohibet Alexander III., ne diviſiones præbendarum, aut dignitatum permutationes fiant. Confirmat hanc Ordinationem Urbanus III., addita ſequenti limitatione: *Si autem Epiſcopus cauſam inſpexerit neceſſariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre perſonas, ut, quæ uni loco minus ſunt utiles, alibi ſe valeant utilius exercere.* Satis conformis eſt juris communis diſpoſitio, ubi non reſpicitur ad privatum perſonarum commodum, ſed vix non unice ad publicam Eccleſiarum utilitatem. *Sunt enim quidam*, prouti ibi obſervatur, *qui præbendæ ſuæ cedunt, ut majorem præbendam obtineant, vel ex hoc* (quod graviſſimum foret) *certam ſummam pecuniæ conſequantur: quod quidem honeſtati eſt contrarium, & ſimoniacam procul dubio continet pravitatem.* Tantum ne ſuccedat malum, legitima auctoritas Superioris intervenire debet, quem præcedenti Titulo deſignavimus, tritum axioma in memoriam revocantes, quod illius quoque ſit permutationes acceptare, cujus fuit conferre Beneficium: eo magis, quod fiat nova collatio; neque enim permutationes dici debent vera, & propria, ſed lata, & ſimilitudinaria reſignatio in favorem. Ideo Papa non impedit, quo-

PERMUTATIONES VETITÆ. *c. 8. de Præbend.* *c. 5. de rer. permut.*

INTERDUM LICITÆ.

CAUSA JUSTA.

REMEDIUM CONTRA SIMONIAM.

Digitized by Google

quominus permutationes fiant coram Ordinariis, & quibuſcunque de jure, vel de conſuetudine competeret, cum tamen reſignationes in favorem certæ perſonæ ſtrictiſſimo ſenſu ſibi reſervaverit. Econtra Innocentius III. amiſſionem Beneficiorum minabatur iis, qui propria auctoritate permutationes facerent. Tantus rigor forte ceſſat hodie, & res manet integra, quia, quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum. Cæterum in permutationibus ſervantur ferme ea, quæ in puris reſignationibus ſervantur. Paucis. Beneficia, quæ permutantur, debent eſſe non litigioſa, non affecta, non reſervata; ſed libera, & pacifice poſſeſſa permutari debent tantum ex juſta cauſa, coram legitimo Superiore, non vi, & metu, ſed libere, & ſpontanee, abſque alio pacto, & pretio, ubi nihil refert, an unum ſit pinguius, aliud macilentius. Non enim venditio eſt; & in legitimis permutationibus non perſonarum, ſed Eccleſiarum utilitas reſpicitur. Vocandi ſunt, quorum intereſt, qui ſi diſſentiant abſque ſufficienti ratione, legitimus Superior poterit hoc non obſtante permutationem probare, quæ ſit neceſſaria, aut utilis Eccleſiæ. Admittuntur in permutationibus ii Procuratores, qui admittuntur in aliis reſignationibus. Denique permutationes eo modo publicandæ ſunt, quo aliæ collationes. Quomodocunque autem res ad finem ſuum non deducatur, manet uterque cum ſuo Beneficio priori, quia non reſignavit ſimpliciter, ſed conditionate. Non purificata conditione negotium hæret in ſtatu antiquo. Hæc ſumma eſt. De his in præſenti Libro tractandum eſſe, opportunum duxi, quem non minori fiducia, quam præteritos Libros firmiſſimo Sedis Apoſtolicæ judicio lubens ſubjicio, atque devoveo.

POENA PERMUTANTIUM PROPRIA AUTORIT. c. 7. eod.

COMPENDIUM MODERNÆ PERMUTAT.

LIBRI QUARTI FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM
JURIS PONTIFICII
LIBER QUINTUS
DE
JURISDICTIONE
ECCLESIÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORIGINUM JURIS PONTIFICII

LIBER QUINTUS

DE JUDICIO ECCLESIÆ

TITULUS I.

QUintus, & Poſtremus Originum Juris Pontificii Liber proponit Juriſdictionem Eccleſiæ. Hæc vel ſpiritualis, & interna, vel ſecularis, & externa eſt. Illa primario reſpicit Animas, hæc Corpora, & Bona. Quæ agit in corpus, continet actionem criminalem: quæ agit in bona, continet actionem civilem. Unde autem ſpiritualis illa juriſdictio deſcendit in Eccleſiam, niſi a ſuo Divino Sponſo? Hanc Chriſtus dedit Apoſtolis ſuis, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in Terra. Hæc tribuit Eccleſiæ virtutem, ut, quorum remiſerit peccata, remittantur ei, & quorum retinuerit, retenta ſint. In hoc verbo fundatur ipſa ſecularis juriſdictio Eccleſiæ. Ipſe enim Dei Filius formam Judicii externi conſtituiſſe videtur, quando ait, ut Eccleſiæ dicatur de fratre, qui, cum peccaverit in fratrem, nec læſum, nec arbitros audiverit. Hanc juriſdictionem confirmat addito Decreto: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper Terram, erunt ligata & in Cælo: & quæcunque ſolveritis ſuper Terram, erunt ſoluta & in Cælo.* Formam itaque Judicii non aliam proponit Chriſtus, non aliam proponunt Apoſtoli, niſi quæ potius arbitrium foret charitatis, quam rigor juſtitiæ. Agnovit Paulus apud Corinthios, ſive Judices, ſive Arbitros de iis, qui intus ſunt, ſive de Fidelibus. De Infidelibus, qui foris ſunt, nec Paulus, nec Eccleſia judicant, nam eos Deus judicabit. Pauli ſermo propior ſonat de ſpirituali Eccleſiæ juriſdictione, quamvis pone ſequatur de ſeculari Eccleſiæ juriſdictione. Duriſſimis enim vocibus increpat Corinthios illos, qui Eccleſiæ arbitrio ſtare nolunt, & ad Ethnicorum judicium convolant. *Audet aliquis veſtrum*, inquit, *habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?* Iniquos vocat Gentiles, ſanctos vocat Chriſtianos. Actio vel fuerit Civilis, vel Criminalis, indignatur Paulus, quod Chriſtiani recurrant ad Ethnicos, quando adſunt fratres; ac ſi non fuiſſet ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem ſuum. Patet ex univerſo Capite ſexto cauſam illam fuiſſe ſecula-

rem:

DUPLEX ECCLESIÆ JURISDICTIO.

UNDE?

Matth. XXVIII. 18.

Joan. XX. 23.

Matth. XVIII. 15.

FORMA JUDICII ECCLESIÆ PRIMÆVÆ.

Matth. VI. 1.

Digitized by Google

rem : & quamvis illicitum omnino non fuerit, fuit tamen non expediens, non dignum, ut Chriſtiani litigent in foro Idololatrarum; patet, Chriſtianos arbitrium potius, quam judicium in cauſis etiam Civilibus expertos fuiſſe apud Eccleſiam; patet, ſapientes illos, arbitros potius fuiſſe, quam judices, plus charitatem Religionis obtinuiſſe, quam metum poteſtatis.

ARBITRIUM EPISCOPI.

Quis ſapiens, niſi Epiſcopus, donec optimus fuerit electus a Clero, & Populo? Ecce quo facili negotio tales Epiſcopi facti ſint arbitri in ſua docili plebe. Conjiciamus oculos in Auguſtinum, qui Poſſidio teſte cauſas audiebat diligenter, ac pie. Aliquando uſque ad horam refectionis, aliquando autem tota die jejunans, ſemper tamen noſcebat, & dirimebat. *Dominum Jeſum*, (teſtatur ipſe Auguſtinus) *in cujus nomine ſecurus hæc dico, teſtem invoco ſuper animam meam, quoniam, quantum attinet ad meum commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis (quantum in bene moderatis Monaſteriis conſtitutum eſt) aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legendum, & orandum, aut aliquid de divinis literis agendum liberas, quam tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus, vel judicando dirimendis, vel interveniendo præcidendis.* Interdum reſpirare vix potuit præ multitudine fidelium, quos audiebat, ut Pater, & forte melius, quam Pater ipſorum. Hæc Auguſtini, hæc Ambroſii, hæc aliorum Sanctorum Epiſcoporum ingens ſollicitudo fuit. Hoc judicium, ſive arbitrium, quod ab officio jam dividi nequibat, auctoritate, & probitate, doctrina, & charitate ſuffultum erat. Reddita Eccleſiæ pace, hæc Plebis, hæc Principum vota, quibus Epiſcoporum integritas nota, dignitas honorata ſemper fuit. Præivit exemplo Conſtantinus M., qui indignum ferens a Laicis Clericos judicari, *illis, qui erant in judicium vocati, dedit poteſtatem, ſi modo animum inducerent Magiſtratus Civiles rejicere, ad Epiſcoporum judicium provocandi: atque eorum ſententiam ratam eſſe, & aliorum Judicum ſententiis plus habere authoritatis, tamquam ab ipſo Imperatore prolatam, ſtatuit. Quin etiam juſſit, ut Magiſtratus res indicatas re ipſa exequerentur, militeſque eorum voluntati inſervirent. Præterea ut Conciliorum deciſiones firmæ, & immutabiles exiſterent.* Extat Filiorum Conſtantii, & Conſtantis Lex, quæ prohibet in judiciis Epiſcopos accuſari, ab aliis tantum Epiſcopis audiendos. Imo mandantibus Honorio, & Theodoſio, nec Clericos, nonniſi apud Epiſcopos, accuſari convenit. Theodoſius A., & Valentinianus Cæſ. confirmarunt, quidquid a Divis Principibus conſtitutum eſt,

De Opere Monaſtico c. 37.

CONSTANTINI, ET FILIORUM PIETAS.

Sozom. l. 1. c. 9.

l. 12. Cod. Theod. *de Epiſc. Eccleſiis, & Cleric.*

l. 41. eod.

EXEMPTIO FORI CLERICORUM.

l. fin. eod.

Digitized by Google

eſt, & quæ ſinguli quique Antiſtites pro cauſis Eccleſiaſticis impetrarant. Clericos etiam, quos indiſcretim ad Sæculares Judices debere deduci infauſtus præſumptor edixerat, Epiſcopali Audientiæ reſervarunt. Fas enim non eſt, ut divini muneris miniſtri temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio. Hæc noviſſima ſanctio, quæ eximit Clericos a Tribunali Laico, judicium quaſi ex arbitrio fieri demonſtrat. Hanc vero ſanctionem non ſtatim in uſum fuiſſe deductam, aut ab hoc uſu non ſemel volente Imperatore receſſum fuiſſe, explicat pone ſequens Marciani Edictum. Concedit quidem, Clericum ſive de Eccleſiaſticis, ſive de propriis, & ad ipſum ſolum pertinentibus cauſis coram Epiſcopo conveniri poſſe. Præcipit autem, ut tantum *volentibus tamen actoribus pateat Epiſcopale judicium, ac nullus, qui hujuſcemodi intendit in Sacroſanctas Eccleſias, vel in prædictos Clericos actienem, ad religioſiſſimum Antiſtitem ducatur invitus*. Unde non leve argumentum ſumunt alii, quod nondum vetitum fuiſſet, Clericos in Civilibus Cauſis apud Laicos Judices convenire; & quod Principes frequenter ſe immiſcuiſſent Eccleſiaſticis cauſis.

LÆSA INTERDUM.

l. 13. Cod. de Epiſc. Audient.

Juſtinianus Seculo Sexto de Foro Clericorum, atque Epiſcoporum latius agit hoc ordine. Clericus, in quem ſive alius Clericus, ſive Laicus inſurgat, in prima inſtantia accuſari debet coram Epiſcopo ſuæ Civitatis: in ſecunda coram Metropolitano: & in tertia coram Synodo Provinciali. Ultimo adiri poterat Patriarchá, a quo non admittebatur nova appellatio. Epiſcopus accuſabatur coram Metropolitano, appellabat ad Synodum, & ad Patriarcham. Præterea quum plerique Epiſcoporum ſumma charitate, & probitate lucerent, Imperatores voluerunt, eos publico bono plurima negotia civilia peragere, veluti in Curatoribus furioſo dandis: in reditibus Civitatum, & Metatorum exactione: in viſitandis carceribus: in tuendis mancipiis, infantibus expoſitis, aliiſque perſonis miſerabilibus: in reprimendis aleatoribus: & ſcenicis mulieribus: ita tamen ut in his omnibus rem ad Chriſtianæ pietatis, & morum diſciplinam reducerent; juriſdictionem autem coactivam nullam ab initio exercerent. Colligunt hinc alii etymologiam Epiſcopalis audientiæ, quæ in nuda quadam notione citra omne Imperium conſiſtebat. Cum autem juriſdictio vera concipi nequeat ſine Imperio, tandem pœnæ etiam in Epiſcopalia Judicia ingreſſæ ſunt. Sed idem piiſſimus Imperator Juſtinianus Petro Sacrorum Officiorum Magiſtro enunciat, quod *nulli vero Judicum licebit Deo amabiles Epiſcopos cogere ad Judicium venire pro exhibendo teſtimonio: ſed Judex mittat ad eos, quoſdam ex perſonis miniſtrantium*

ÆVUM JUSTINIANI FAVET. *l. 29. eod.*

l. 27. eod.
l. 26. eod.
l. 22. & 23. eod.
l. 24. eod.
l. 25. & 33. eod.

AB INITIO JURISDICTIO FUIT COACTIVA.

Novell. CXXIII. c. 7.

tium ſibi, ut propoſitis Sanctis Evangeliis, ſecundum quod decet Sacerdotes, dicant, quod noverint. Prohibet, ne Epiſcopus propter quamlibet cauſam ad Secularem Judicem trahatur: & paullo poſt declarat quidem, ut Clerici, Oeconomi, atque Adminiſtratores coram proprio Epiſcopo conveniantur, non ſecus ac Epiſcopi apud proprium Metropolitanum; excipit tamen, ut Epiſcopus, vel Clericus Conſtantinopoli degens apud Præfectum Orientis Prætoriorum, aut apud alios Judices per Imperatorem delegandos conveniri poſſit, lite nondum inchoata in Provincia. Actio Civilis fuit, propter quam & hodie Clerici non raro Judici Seculari reſpondere tenentur. Cœterum ordinaverat Imperator alio in loco, ut Monachi quoque, & Sacræ Virgines Epiſcopum ſuum habeant judicem, quem Laici tamquam arbitrum lubentes acceptabant. Charitas alliciebat ſingulos, ubi juſtitia, & pax ſumma affulgebat. Illud vero ſingulare eſt, quod Ariani Reges in Italia (quos inter Theodoricus Oſtrogothorum Rex admirando præivit exemplo) hanc Epiſcoporum juriſdictionem in Eccleſiaſticas Perſonas turbare facile non ſint auſi. Tribuendum ſacro metui, & honori, quem conciliat & apud hoſtes magna probitas. His gradibus aſcendit multa Epiſcoporum, & Romanorum Pontificum auctoritas, qui jam tutiores redditi jus certum dixerunt.

ibid. c. 8. — *c. 32. & 23.* — *c. 22.* — *c. 24.*

Actio Civilis viget contra Clericos in foro Seculari. *Novell.* LXXIX. & LXXXVI.

Arianorum Religio Regum.

Si procedamus ad Carolovingicam ſtirpem, videbimus maximam ubique poteſtatem Prælatorum. Hoc certum eſt, quod Capitularibus Regum Francorum inſerta ſit, & probata celebris lex, (ſive illa ſit Conſtantini, ſive Theodoſii) quæ non ſolum Eccleſiaſticas Perſonas, verum etiam Laicas Perſonas Epiſcopali judicio ſubdit, non tantum ex utriuſque partis litigantis conſenſu, ſed etiam altera tantum parte ſuffragante. In quo non ſimplex amplius arbitrium, ſed derogatorium fuit Epiſcopi Forum pro Laicis ipſis, dummodo alterutra pars conſentiret, & aliam partem, quantumvis invitam, in jus vocaret. Quamvis multi docti viri hanc legem non putent eſſe genuinam, (quidquid Ivo Carnotenſis, Gratianus, Innocentius III. contrarium ſenſerint) illud certum eſt, in Capitularibus hanc Legem adoptatam fuiſſe. Atque ita reputati ſunt pacificatores Populi in Judiciis, qui & in reliquis Officiis communes ſe ſe oſtenderunt Parentes, æquiſſimi Prælati.

Immunitas Fori ævo Caroli M. *l. 6. c. 366.*

Ivo *p. 16. c. 312.* *Cauſ.* XI. *q. 1. c. 35. & 36. c. 13. de Judiciis.*

Duæ manifeſtæ ſunt Leges Caroli M., *ut, ſi Clerici inter ſe negotium aliquod habuerint, a ſuo Epiſcopo dijudicentur, non a Secularibus.* Ubi *ſi Eccleſiaſtici viri ad Palatium venerint de eorum cauſis reclamare, niſi ſuper eorum ſeniore, vapulent, niſi ſenior ſuus eos pro cauſa ſua tranſmiſerit.* Unde

Capitular. *l. 1. c. 28. & 38.* Item *l. 5. c. 15. 16. 17.*

Digitized by Google

Unde *nullus ex ordine Clericorum inconſulto proprio Epiſcopo ad Judicem ſecularem pergat, neque apud eum ſuo Epiſcopo non permittente quenquam pulſare, aut cuiquam ante eum reſpondere, aut quidquam proponere præſumat, neque criminale negotium in Judicio ſeculari proponere audeat.* Item *ut Clerici Eccleſiaſtici Ordinis ſi culpam incurrerint, apud Eccleſiaſticos judicentur, non apud ſeculares.* Item *ut nullus Judicum neque Presbyteros, neque Diaconos, neque reliquos Clericos, vel Juniores Eccleſiæ ſine licentia proprii Epiſcopi diſtringere, aut condemnare præſumat. Quod ſi fecerit, tamdiu communione privetur, quamdiu reatum ſuum agnoſcat, & per ſatisfactionem emendet Eccleſiæ, quod commiſit.* Item *placuit, ut Clericus ſi relicto officio ſuo propter diſtrictionem ad ſecularem fortaſſe confugerit, & ſolatium ei defenſionis impenderit, cum eodem ab Eccleſiæ communione pellatur.* Atque ita proviſum fuit tam pro Civilibus, quam pro Criminalibus cauſis inter Clericos inferiores. Epiſcoporum lites in Conciliis Provincialibus dirimebantur. Patebat quoque via ad Sedem Apoſtolicam, præſertim ubi Epiſcopus adverſus ſuum Metropolitanum ageret, quem metuiſſet in Synodo Provinciali prævalere. Videtur tamen, quod talis Epiſcopus licentiam a ſuo Principe petere teneretur, adeundi Romanum Pontificem. Quod antiqui Canones non negaverunt. *Placuit, ut, ſi a quibuſcunque Judicibus Eccleſiaſticis ad alios Judices Eccleſiaſticos, ubi eſt major auctoritas, fuerit provocatum, non eis denegetur, qui provocaverint.* Item *placuit, ut, ſi Epiſcopus accuſatus appellaverit Romanum Pontificem, id ſtatuendum, quod ipſe cenſuerit.* Totam illius ævi diſciplinam accurato calamo recenſet Thomaſſinus, prouti ſequitur: *Declinare ergo Clerici non poterant forum Civile, ubi ex cauſa Civili a Laicis conveniebantur, nec poterat Epiſcopus non id permittere: cum poſſet quidem Laicus Epiſcopale forum Laico anteponere, non tamen cogeretur: 2. non poterat Clericus Laicum in Cauſa criminis ad Judicem ſeculi trahere, tum ne ut in laqueos excommunicationis ſe induceret, tum quod agere Clerici non poſſent in reos, niſi ut eos ad pœnitentiam provocarent. 3. Clericus Laicum coram Laico Judice non poterat convenire, niſi Epiſcopus annuiſſet. Cum enim vel Laici ipſi ab Apoſtolo invitati ſint omnes, ut ne niſi coram Epiſcopo litigarent, haud æquum eſt, Clericos tam diverſa ſectari placita, & committere, ut pluris facere videantur Secularia, quam Eccleſiaſtica Tribunalia.* Propter contentiones Laicorum cum Clericis mixtum Tribunal ſub Carolo Calvo incepiſſe videtur, *in quo Epiſcopus, & Comes ſimul conveniant, & unanimiter inter eos cauſam definiant ſecundum rectitudinem.* Idem de Monachis, & Sanctimonialibus ſtatutum fuit in

l. 6. c. 157. — *l. 5. c. 15. 16. 17.* — *l. 6. c. 156.* — *l. 6. c. 145.* — *l. 7. c. 350.* — *l. 6. c. 300.* — *l. 7. c. 315.* — SYNOPSIS ILLIUS DISCIPLINÆ. p. 2. l. 3. c. 108. n. 4. — FORUM MIXTUM.

Digitized by Google

can. 12. *&* 13. in Concilio Moguntino an. 813., quibus Privilegia Clericalia communicata fuerant.

DISCIPLINA ORIENTIS. *ſupra n. fin.*

Tradit Photius in Nomocanone Leges Orientis, ubi Clerici conveniebantur coram Epiſcopo, qui ſi fuiſſet ſuſpectus, coram Metropolitano comparebant, antequam Patriarcha adiretur. Cauſas pecuniarias Clericorum, quas Epiſcopus terminare nequibat, Judex Civilis definiebat, ſalvo cœteroquin privilegio Clericali. Quod cauſas criminales concerneret, ſi crimen foret Civile, intra duos menſes cognoſcere debebat Judex publicus, cui reſtituebat Epiſcopus reum convictum, atque degradatum. Si Eccleſiaſticum foret crimen, ſolus Epiſcopus cognoſcebat. Monachi, & Sanctimoniales ſolius Epiſcopi ſui judicium experiri poterant.

POENÆ INFAMIÆ.

Præterea in Occidente potiſſimum notam infamiæ offendebat *ille*, qui non probaret crimen ejus, quem accuſaverat. Sic in Capitularibus ſtatutum legitur: *Omnis, qui falſa aliis intulerit, puniatur, & pro falſitate ferat infamiam.* Item *qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipſe patiatur.* Denique in additionibus Capitularium ſcriptum eſt: *Nullus Epiſcopus niſi Canonice vocatus, & in legitima Synodo ſuo tempore Apoſtolica auctoritate convocata (cui juſſione Domini, & meritis B. Petri Apoſtoli ſingularis Congregandorum Conciliorum auctoritas, & Sanctorum Canonum, & venerandorum Patrum Decretis multipliciter tradita eſt poteſtas) ſuper quibuslibet criminibus judicetur, audiatur, & impetatur.* Vel ut ordine ſuo ſcribamus, *impetatur, audiatur, & judicetur*, qui citari, audiri, & convinci debet. Præſto eſt ſeverum exemplum Ludovici P., qui Italiæ Regem *Bernardum judicio Francorum capitali ſententia condemnatum, luminibus tantum juſſit orbari: Epiſcopos Synodali Decreto depoſitos Monaſteriis mancipari.* Erant hi Anſelmus Mediolanenſis, Vuldolphus Cremonenſis, & Theodolphus Aurelianenſis, crimine læſæ Majeſtatis rei, quod in piiſſimum Imperatorem cum Bernardo conjuraſſent. Indigne tulerat is, quod Imperator Lotharium filium aſſociaſſet in Imperium, ſe Nepote derelicto. Triduo poſtquam oculis privatus fuiſſet, vita ipſa caruit, cujus tres fratres natu minores Drogo, Hugo, & Theodoricus tonſi in Monaſterium detruſi ſunt. Memorandum Epiſcopalis auctoritatis exemplum ipſe Ludovicus fuit anno 833., Indictione XII., menſe Octobri, in Eccleſia Sueſſionenſi B. Virginis. Innocentiſſimus Imperator, non alterius criminis compos, niſi magni erga ingratos liberos amoris, & ingentium ergo iniquos Epiſcopos meritorum, poſtquam Argentoratum

l. 7. *c.* 340.
l. 7. *c.* 365.
Addit. 4. *c.* 24.
EPISCOPUS IN SYNODO AUDIEATUR.
Eginhard. *an.* 818. *in Vita* Caroli M. *c.* 79.
EXEMPLUM.
Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 47. *n.* 39.
LUDOVICUS P. POENITENTIÆ PUBLICÆ ADDICTUS.

inter,

Digitized by Google

inter, & Baſileam a tribus indignis filiis victus, & captus fuiſſet, per nefarios Prælatos publicæ pœnitentiæ addictus fuit. Erant ii Ebbo Rhemenſis, Agobardus Lugdunenſis, Bernardus Viennenſis, Bartholomæus Narbonenſis, Jeſſeus Ambianenſis, Elias Trecenſis, Heribaldus Altiſſiodorenſis; malo Toletani Archiepiſcopi facinore uſi, qui anno 680. VVambam Regem ægrotum habitu monaſtico veſtivit, ne convaleſcens Regni habenas reaſſumeret. Uſus ferebat hominem pœnitentiæ publicæ ſemel addictum nec imperare, nec bellare, imo nihil, niſi pœnitere amplius poſſe. Orta erat opinio hæc ex Canone Nicæno, & Siriciana Decretali, ubi tamen verus ſenſus non fuit alius, præterquamquod interdiceretur uſus armorum durante tantum pœnitentia, qua finita liberum erat redire ad caſtra. Anno 834., qui fuit primus ab infando caſu, Ludovicus priſtinæ libertati, & Imperatoriæ dignitati reſtitutus fuit a duobus filiis Ludovico, & Pipino, qui in ſe reverſi contra Lotharium pro Patre ſecundum bellum geſſerunt. Noluit tamen Imperator Enſem cingere, niſi quem Epiſcopi lateri ſuo reddidiſſent avulſum. *Accuſatus Ebbo ab ipſo Auguſto in Generali Synodo, habita in Palatio, Theodonis Villa, inducias petiit, & ſecundum Canonicam Inſtitutionem elegit ſibi per conſenſum Synodi Epiſcopos Judices peccatorum ſuorum, quos Canones Electos appellant... & ſic ab omnibus Epiſcopis accepit ſententiam*. Finem hunc narrat Hincmarus ad annum 835., ex quo illud præciſe confirmamus, Epiſcopos non potuiſſe abſque Synodo condemnari, Imperatorem ipſum non niſi partes accuſatoris aſſumpſiſſe, nunquam amplius Judicis arbitrium. Hanc vero ſub Carolo Calvo, & Ludovico III. legimus conſuetudinem.

Idem l. 40. n. 29.

ABUSUS, ET ORIGO.

can. 12. an. 325. art. 5. Epiſt. ad Himer. Tarraconenſem.

De Prædeſtin. *Tom. I. pag. 324. apud* Cramoiſyos *an. 1645.*

Circa Epocham Caroli M. cadit inauditus abuſus opinantium, qui Clericis ipſis licitum eſſe delirabant, ſe purgari judicio divino, quod erat probatio per ignem, & aquam ſive ebullientem, ſive frigidam: atque etiam ſe accuſatos omni ſuſpicione criminis purgari, invento homine, qui cauſam eorum in ſingulari certamine contra peſſimum accuſatorem tueatur. Talis abuſus fuit proſcriptus in Concilio Vormacienſi an. 829. Extant formulæ Precum Eccleſiaſticarum ad iſtam ſuperſtitionem accomodatæ, ex quibus colligi poteſt ſumma Religio, quam ineſſe credebant ſimplices, aut rudes. Contemporaneum Manuſcriptum (cui quanta ſit adhibenda fides, totus ignoro) autorem facit Eugenium II. tamquam minori malo aſſentientem, metu ne ſuper Reliquias juramenta ſacrilega cadant, neve profana manus polluat Altare Domini. Ritus fuit celebrandi Miſſam, ſub qua accuſati communicabant, qui bibebant benedictam

DE JUDICIO DIVINO ABUSUS ANTIQUISSIMI.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 47. n. 30.*

AUTOR INCERTUS.

dictam aquam. Deinceps mergebantur in aquas interpellato Chriſto, ne ſubmergantur rei, qui ſuper aquas natare debebant, ſi rei fuiſſent. Innocentes non debebant natare, ſed ſubmergi. Ne tamen ſubmergantur, funis alligata medio corpori ſuſtinebat merſuros. Non deſunt hodie, qui

VESTIGIA RECENTIA.

forte in Hungaria tale judicium inane, & temerarium experimentum inſtituant in Magos, aut Sagas, aut alias magiæ ſuſpectas mulieres, quas vulgus ſtriges vocat; quin hæc mala peſtis potuiſſet penitus extirpari, quidquid ipſa praxis Criminalis Regni doceat continuo: *Inquiſitio per*

art. 40. §. 4.

VARII VETERES MODI.

aquam frigidam, tamquam rem incertam, & fallaciæ obnoxiam abhibenda non eſt. Olim autem alii ferrum candens tractabant manibus: alii vomerem ardentem calcabant nudis pedibus, ſua freti innocentia. Multos fefellit ſtulta opinio. Interdum miracula, perſæpe fraudes, communiter ſuperſtitiones pernicioſæ elucefcebant. Contra duellum ad detegenda crimina introductum, & in Burgundia tunc valde commune ſcripſit Agobardus circa annum 813., & Atto Vercellenſis circa annum 945., quod jam *iſtud judicium quorundam Laicorum ſolummodo eſt, quod nec ipſis etiam omnino probatur. Nam ſæpe innocentes victi, nocentes vero victores in judicio eſſe videntur*. Contra probationem per aquam, & ignem, ſcripſerunt alii, illam non minus fallacem eſſe, nec licere, ut Deus tentetur.

SORTES ILLICITÆ.

Sortes hæ ſunt illicitæ, & prohibitæ, niſi Deus illas ſingulari providentia probet, atque inſpiret: quæ alias incertæ, fallaces, & mendaces frequenter, atque injuſtæ ſunt, ſuperſtitioſæ, fraudulentæ, illuſoriæ, cum ſæpe purgent ſontem, atque inſontem perdant. *Ejuſmodi judicia, ac purgationes*, ait Carolus du Freſne in Gloſſario, *damnarunt non ſemel Concilia, & SS. Patres generatim, in primis Leo IV. PP. in Epiſt. ad Epiſcopos Britanniæ c. 4., Alexander II. apud Ivonem part. 10. c. 15., & alii, quos in dictis vocibus paſſim laudamus. In iis porro vulgaribus purgationibus ritum cujuslibet benedictionis, aut conſecrationis impendere vetantur Sacerdotes in Concilio Budenſi an. 1279. c. 9. Admiſſa tamen interdum ab ipſis Summis Pontificibus, ut a Calixto II. in Concilio Rhemenſi an. 1119. in ſtatuto de Trevia Dei ſub finem &c.* Admiſſa ſcilicet ea judicia Dei, ſive purgationes Canonicæ, quæ per ſacramentum, & juramentum fierent rite, non aliæ purgationes vulgares, quæ per duellum, ignem, aut aquam temere fierent. Lege de ſimili Divino Judicio Le Brun accu-

Hiſt. Critiq. des Pratiq. ſuperſtit. *liv.* 5. & 6.

ratiſſimum autorem, qui rem ab ovo diligentiſſime tractavit. Sufficit negotium leviter attigiſſe, quantum cohæret cum Judicio Eccleſiæ, cum ſe tanto errori vel bona fide, vel mala ſuperſtitione plurimi Clerici immiſcuiſſent.

In

Digitized by Google

In Oriente nondum videtur ante annum milleſimum immutatus ille mos, ut Clerici etiam in criminalibus (niſi delictum fuiſſet Eccleſiaſticum, ſoli Eccleſiaſtico Judici competens) ad Judicem Laicum modo citato traherentur : eo magis, quod venerabilis Clerus, ſupra quam quod decuiſſet, forum Seculare frequentaſſet, & majorem Laico, quam Epiſcopo fiduciam præſtitiſſet. Quamobrem extat apud Leunclavium Conſtitutio Alexis Patriarchæ data menſe Jan., Ind. XI., an. VI. MDXXXVI., quæ cavet, ne Clerici Laicos Judices Eccleſiaſticis anteponant. Cauſa erat hominum malitia, & privatus ſenſus, unde ſibi interdum favores conciliarent apud Judices iniquos, neglecto Eccleſiaſtico foro, ubi ſola dominaretur pax, & charitas, æternorum amor, & terrenorum contemptus, evulſis cupiditatum inanium fibris, ex quibus novæ in dies ſingulos repullulant lites. Dolet Seculo Duodecimo Balſamon convulſam jacere Eccleſiaſticam Juriſdictionem, & labefactam Cleri immunitatem. Tunc enim non a Laicis tantum, ſed etiam a Clericis Clerici raptabantur ad Tribunalia Secularia, nec non Monachi ; atque adeo Epiſcopi aliqui ſine ullo ſpeciali Imperatorum reſcripto comparebant impune. Vocatus ad cauſam in Concilio dicendam Melecius Monachus reſcripto Imperatorio ſe munierat, ut coram Seculari Judice ageret. Contumelioſum Clero illud facinus Patriarcha Lucas querelis ſuis retractari poſſe ſperabat. At reſponſum eſt a Magiſtratibus, nullo claudi limite Imperatoriam poteſtatem : potuiſſe a Principibus jam inde ab exordio Clericorum cauſas Judici Laico demandari, poſſe & in decurſu temporum eaſdem ab Eccleſiæ Judice ad Secularem transferri. Ita præclaros Patriarchæ conatus ait Balſamon pro nihilo reputatos fuiſſe vincente vi. Vis enim illa erat, ubi reſcripto Imperatorio Epiſcopi ſubjiciebantur Laico Judici. Ad ſummum puto, id locum habere potuiſſe in privatis, & patrimonialibus Epiſcoporum cauſis, non in perſonalibus, atque aliis Eccleſiaſticis cauſis, de quibus nefas fuiſſet Laicos cognitores admittere. *Jam vero*, ait Balſamon, *magna quoque eſt ejus differentia, qui ſua ſponte Eccleſiaſticum Judicium recuſat, & ejus, qui juſſu Imperatoris invitus tractus eſt ad Seculare Judicium... Petere autem Conjudicem Civilem per Mandatum Imperiale non eſt, ut mihi videtur, prohibitum, & maxime quando eſt cauſa pecuniaria, quæ eſt Synodaliter dicenda*. Tradit porro idem Balſamon exauthoratos Clericos poteſtati Seculari committendos, exauthoratos Epiſcopos nunquam. Confirmat tandem nullo Imperatorum reſcripto juvari poſſe Clericum, ut non deponatur, ſi Eccleſiaſtico Tribunali renun-

Thomaſſ. *ſupra c. 109. n. 8. 9.*

IMMUNITAS FORI VULNERATA IN ORIENTE.

Jus Orientale *Tom. I. pag. 250.*

Digitized by Google

renunciaverit. At ſi Laicus reſcriptum Imperatorium impetret, quo Clericum trahat ad forum Seculare, cogetur tantum ad Eccleſiæ judicem ſe ſe revocare, ſi ſit Eccleſiaſticum crimen, propterea quod Imperatoria Mandata ſecundum Leges, & Canones accipiantur. Et eo ſenſu donanda eſt lex illa in Baſilicis, qua fertur non poſſe ſine Imperatorio reſcripto Epiſcopum trahi ad forum Seculare pro cauſa pecuniaria, vel criminali. Hæ leges Orientis, donec & iſtæ ſub jugo Turcico fuerint conculcatæ victo Conſtantino Paleologo ultimo Orientis Imperatore, quem Mahometes anno 1453. Imperio avito ſpoliavit.

OCCIDENTIS VICISSITUDINES.

In Occidente variæ ſuperſunt viciſſitudines. Donec Sacerdotium, & Imperium eundem juſtitiæ, atque æquitatis finem habuerint, non videtur, quomodo juriſdictio ipſa Eccleſiæ non augeri debuit in diem. Variæ tamen non potuerunt evitari diſſenſiones una vel alia parte plus æquo forſan petentibus, quando aut Imperio diſplicuit, multum conceſſiſſe, aut Sacerdotio diſplicuit, quid conceſſum non manutenere. Quantam induerit majeſtatem Eccleſiæ judicium, legislatoriæ Summorum Pontificum Decretales illud teſtantur. Duo hic animadvertiſſe ſufficiat poſt annum milleſimum. Unum eſt, quod jam Synodus Lateranenſis an. 1179.

POENA TRAHENTIS CLERICUM AD FORUM SECULARE.

ſub Alexandro III. Laicis ſub pœna excommunicationis prohibet, ne Clericum ad ſua Tribunalia pertraherent: cui privilegio juxta Innocentium III. nequit Clericus nec in Civilibus, (contrarius hodie obtinet uſus, alicubi ſaltem, ac præſertim in actionibus realibus) nec in Criminalibus cauſis renunciare: *cum non ſit Beneficium hoc perſonale, cui renunciare valeat, ſed potius toti Collegio Eccleſiaſtico ſit publice indultum; cui privatorum pactio derogare non poteſt. Nec juramentum licite ſervari potuit, quod contra Canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur*. Alterum eſt, quod illa tempeſtate ſenſim invaluerat, Eccleſiaſticos viros in plurimis cauſis Laicorum judices fieri, qui ſe Eccleſiaſticorum judices faciebant. Occaſio invertendæ non bonæ conſuetudinis fuit, vel quia Eccleſiaſticæ forent cauſæ, hæreſis nempe, publici ſcandali, juramenti, matrimonii, decimarum, dotis: vel quia ſine ſtrepitu, in ſilentio, abſque rubore, quem delicatior animus ferre nequit, abſque gravibus ſumptibus, abſque metu magnæ pœnæ, quaſi per modum tranſactionis ſine mora notabili ſuccederent res in Conciſtoriis Epiſcopalibus. Secus in foro Laicorum, ubi ſæpe multa temporis, bonorum, membrorum, & honoris jactura manebat ſontes. Eo devenit Alexander III., quia novem annis ante Lateranenſem Synodum occiſus fuit Sanctus Thomas Cantuarienſis,

c. 12. de foro competenti.

JAM LAICI FREQUENTER AD FORUM ECCLESIASTICUM TRAHUNTUR.

EXEMPTIO FORI IN ANGLIA.

immu-

Digitized by Google

immunitatis Eccleſiaſticæ Martyr inviɗiſſimus. Pœnituit Henricum II. Angliæ Regem facinoris atrociſſimi, qui ſe non quidem autorem, ſed non penitus expertem criminis coram Legatis Papæ Theoduino S. Vitalis, & Alberto S. Laurentii Cardinalibus, flexis genibus accuſavit; & impoſita ſalutari pœnitentia ante Portam Abrincenſis Eccleſiæ in Normannia abſolutus fuit. Stephanus Bleſenſis Rex, Henrici Prædeceſſor anno 1059. Bona Eccleſiæ invaſit. Tandem agnovit injuſtitiam ſuam, & quia ab omni Clero juſte proviſum, & diſcrete fuit dijudicatum, nulla ratione in Chriſtos Domini, manus poſſe immittere, Eccleſiaſtici rigoris duritiam ſubjectione humilitatis mollivit, habitumque Regalem exutus, gemenſque animo, & contritus ſpiritu, commiſſi ſententiam humiliter ſuſcepit. Narrant Scriptores Normanni. Nota eſt Normanniæ Clericos inter, & Barones concordia anno 1205.; ſcilicet *ſi capiatur Clericus quacunque ex cauſa, & Eccleſia requirat, reddi debet Eccleſiæ*. Convictus delicti enormis exilio mulctabitur, poſtquam degradatus fuerit. Poſt ſeriam pœnitentiam reſtitutus patriæ, & iterum delinquens pro Laico habebitur, & Dominus Rex faciat de illo juſtitiam, ſicut de Laico. Juſtum remedium. Poſtea nobiles irati petierunt ſub Henrico III. anno 1246., & 1247., ne Clerici judicarent, *niſi de cauſis matrimonialibus, & teſtamentariis, ſuper hæreſi, vel uſuris*. Innocentius IV. accenſos animos multis Beneficiis delinivit. Novæ ſub Eduardo I. an. 1281., & 1287. querelæ contra Laicos Judices, novæ ſub Eduardo II. an. 1321., novæ ſub Eduardo IV., qui tamen multa Cleri privilegia ſolenni Diplomate anno 1463. confirmavit. Cumulus omnium malorum Henricus VIII., qui ſtrenuus olim Eccleſiæ Catholicæ defenſor, piiſſimæ matris judicium conculcavit, & fidem antiquam propter novum ſchiſma ejuravit.

QUERELÆ LAICORUM.

RELIGIO CONCULCATA.

Ex Anglia tranſeamus in Galliam, ut videamus, quid poſt annum milleſimum Eccleſiaſticæ tributum ſit Juriſdictioni. Quanta fuerit, eruitur ex poſtulatis Epiſcoporum ad Ludovicum VIII. in Concilio Melodunenſi an. 1225., ut cauſæ mobilium rerum Laicorum ſint Fori Eccleſiaſtici, cum ab Eccleſiæ hominibus illuc traherentur. Non conſenſit Rex, qui Concilio interfuit, *cum cauſa mobilium non ratione Juramenti, vel Fidei, vel Teſtamenti, vel Maritagii petitorum, mera ſit Laicalis, nec ad Forum Eccleſiaſticum videatur aliquatenus pertinere*. Ab utraque parte certatum fuit ſatis, concluſum nihil. Manſit ſuſpenſa lis. Saltem Regis reſponſum non negat cauſas *Fidei*, *Juramenti*, *Teſtamenti*, *Matrimonii*

JURISDICTIO ECCLESIÆ GALLICANÆ. Thomaſſ. *ſupra* c. 110. n. 3.

ad forum Eccleſiæ pertinere. Sanctus Ludovicus filius multum favit Clero. Favit ipſe Philippus Pulcher poſt Concilium Viennenſe anno 1311. Libertates, & Immunitates Eccleſiaſticas confirmarunt Ludovicus Hutinus, & Philippus Longus. Late ſerpſit Clericorum vis, atque poteſtas, adeo ut Laici Judices alta voce clamaſſent, Jus Regis ab Eccleſia violatum iri, & vix non penitus extinctum jacere. Auditi ergo ſunt Vincennis anno 1329. coram Philippo Valeſio, pro Eccleſia Petrus Bertrandus Auguſtodunenſis Epiſcopus, pro Rege Petrus Cunerius advocatus, & a Regiis Conſiliis. Cunerius declamavit, juriſdictionem Eccleſiæ eſſe mere ſpiritualem, & ad cauſas ſeculares non extendendam propter abuſus intolerabiles. Contra Bertrandus, corrigendos abuſus, ſi qui ſunt: cœterum utramque juriſdictionem competere Eccleſiæ ex mutua connexione, ex Principum conceſſione expreſſa, vel tacita propter merita in Rempublicam, ex inveterato uſu, & præſcriptione, ex ipſa Regis fide, qui inter ipſa inaugurationis ſuæ initia juramento promiſit firmiſſimo, Eccleſiæ, & Clero Canonicum Privilegium, & debitam auctoritatem, nec non juſtitiam, & defenſionem ſervare: Privilegium Canonicum, & optimam conſuetudinem in eo verſari quoque, ut Epiſcopi de multis Laicorum cauſis judicent. *Tunc Rex, Jura, inquit, Eccleſiarum auxerim potius, quam imminuta velim. Gratias univerſi egere, Rex Catholici cognomen promeruit*. Nihil itaque innovatum fuiſſe confirmat Synodus Bituricenſis an. 1336., in qua Epiſcopi jura ſua adhuc mordicus retinuerunt. Verum motus inteſtini ſub ipſo Philippo Valeſio, & Joanne filio ſæpe anſam dedere malam violandæ Juriſdictionis Eccleſiaſticæ. Poſtea Carolus V. ſapiens, & felix in hoſtes, difficilis, & durus in Clerum ſuum, inhibuit anno 1371., ne Epiſcopi impoſterum de cauſis realibus, & actionibus cognoſcere præſumant: imo pendentes revocantur, videlicet de rei vindicatione, petitione hæreditatis, interdictis poſſeſſoriis acquirendi, & retinendi, ac reſtitutoriis, & de cauſis retractuum hæreditagiorum, nec non de reditibus annualibus, & aſſidatis, vel aſſiſis, ſeu debitis, & petitis ſuper hæreditagiis in præjudicium Regiæ Juriſdictionis temporalis. Hic dumtaxat actionum, & cauſarum realium cognitio Eccleſiaſticis adimitur. Nihil hactenus de mere perſonalibus. Tandem Franciſcus I. anno 1539. inhibuit, ne ſubditi ſui audeant in jus vocare Laicos coram Judice Eccleſiaſtico pro cauſis mere perſonalibus, ſub pœna cauſæ amittendæ, & arbitrariæ mulctæ. Sic Carolus reales, Franciſcus perſonales Laicorum cauſas Eccleſiæ ſuſtulit, ſalva juriſdictio-

Querelæ Laicorum.

Libell. Bertrandi Biblioth. PP.

Rainaldus *an.* 1329. *n.* 77.

Jurisdictio Ecclesiæ restricta. Choppin. *l.* 2. *de Sacra Politia Tit.* 1. *n.* 6.

Digitized by Google

dictione indiviſa in materia Sacramentorum, & aliis mere ſpiritualibus, atque Eccleſiaſticis cauſis. Decernit quidem Rex, proviſionem fieri temporalem, quæ tandem in abſolutam, & definitivam Ordinationem tranſivit ex uſu Curiæ, & Parlamentorum Arreſtis. Familiares ſunt & hodie appellationes, quas vocant ab abuſu, contra quas Clerus ſemper murmurabit. Fruſtra deſideravit, ut Synodus Tridentina declararet, an liceat Judicibus Laicis de Clericorum, & Eccleſiæ Prælatorum, eorumque Officialium, atque etiam Sedis Apoſtolicæ abuſibus cognoſcere, & qua poteſtate hæc ſigna faciant? Fruſtra in Conventibus Generalibus Clerus Gallicanus adivit Reges ſuos, ut ſaltem illas hujuſmodi provocationis ſpecies, & cauſas definirent. Quod autem liberum ſit ſecularibus, appellationem tamquam ab abuſu interponere, quoties Judex Eccleſiaſticus ſuæ poteſtatis fines egreſſus vel contra Canones, vel contra Leges Regni agere accuſatur abſque ulteriori probatione, quid aliud eſt, quam Laicorum opinioni, & voluntati vix non omnia judicia committere, atque ita veterem Eccleſiæ Gallicanæ authoritatem funditus evertere? Edictum anno 1639. longa conſuetudine Judices ſeculares ſibi confirmarunt, in quam Clerus nunquam conſenſit. Hic continuo de ablata priſtina Juriſdictione conqueritur, non amplius recuperanda.

Fevret *de abuſu l. 1. c. 4. n. 11.*

APPELLATIONES AB ABUSU.

In finitimo Flandriæ Comitatu extat ordinatio Maximiliani, & Philippi an. 1486. inhibitoria, ne quis in Belgio in actionibus perſonalibus, civilibus, & profanis (quorum cognitio ad temporalem ipſius Comitis Flandriæ juriſdictionem ſpectat) alibi, quam coram Tribunali Seculari Laicum citare præſumat, & quidquid in contrarium actum factum fuerit, caſſetur, & annulletur. Extat Edictum an. 1512. in Gallia, & an. 1521. in Flandria, ut nempe in Libello citationis apponatur cauſa, ex qua citatur Laicus coram Epiſcopo. Quare? ut Judex Laicus diſcernat, an ſit cauſa juſta, & competens, ob quam oporteat comparere. Secus citatio nulla reputatur.

STATUTA FLANDRIÆ. Edict. Flandr. *p. 1. l. 1. rubr. 4.*

Migremus in Hiſpaniam, & offendimus Ilerdenſe Concilium an. 1129. in quo conceditur capi poſſe a Judice Seculari Clericos deprehenſos *flagrante maleficio in furto, rapina, homicidio, vel raptu mulierum, vel cudendo falſam monetam: non ut vindictam in ipſum exerceat, ſed ut eundem reddat Eccleſiaſtico Judici.* In alio Ilerdenſi Concilio an. 1293. excommunicati fuerunt, quicunque Clericos in foro Seculari convenirent. In Concilio Dertoſenſi an. 1429. Alphonſus V. Arragonenſis Rex Immunitatem penitus ferme collapſam reſtituit, quæ & juxta Covarruviam

USUS HISPANIÆ. Thomaſſ. *ſupra c. 114. n. 5.*

Digitized by Google

Quæſt. Pract. Tom. II. c. 31. n. 3. ORIGO ECCLESIASTICÆ IMMUNITATIS.

viam maximam originem ducit *a divinis Veteris Teſtamenti Conſtitutionibus, a SS. PP. teſtimoniis, a publicis Impp. conceſſionibus; ut tandem totus Orbis Chriſtianus in hanc exemptionem propter utilitatem publicam conſenſerit*; Eaque exemptio propter Summorum Pontificum authoritatem hunc tacitum, & expreſſum quandoque bonorum Principum conſenſum habuerit. Cœterum Hiſpani Immunitatem Eccleſiarum Dei, atque Eccleſiaſticarum Perſonarum ſatis colunt. Laicos tamen in cauſis mere Civilibus ad forum Eccleſiaſticum trahi non ſinunt. Imo quemadmodum in Gallia Fevretius teſtatur, ſic in Hiſpania teſtatur Gonzales, Laicum in Judicem Eccleſiaſticum conſentire non poſſe, ſive ejus juriſdictionem prorogare non poſſe, quia jam in reos Laicos, nec non in cauſis mere profanis nulla Judicibus Eccleſiaſticis competit juriſdictio. Interdum obſervavi Laicos quaſi repreſaliis uſos fuiſſe contra Clericos; nimirum vetant Sacri Canones, Clericum in foro Seculari conveniri poſſe: vetant Seculares Leges, Laicum in Foro Eccleſiaſtico in cauſis civilibus conveniri poſſe; vetant Sacri Canones alienari Bona Eccleſiaſtica Laicis: vetant Seculares Leges alienari fundos Seculares Clericis. Multa invicem mutuaverunt Leges Eccleſiaſticæ, ac Profanæ. Ex una ad aliam Regionem tranſivit exemplum, & uſus. Libenter imitamur bonas conſuetudines, interdum malas. Non ſemper probam virtutem ſectamur. Utinam omnia ex mutua charitate facta ſint.

De abuſu l. 4. c. 6. n. 1. ad c. 18. de Foro Competenti n. 10.

JUSTA MEDITATIO.

NULLIBI MAJOR JURISDICTIO ECCLESIÆ, QUAM IN ITALIA.

Navigemus in Italiam, in qua Decretales Pontificiæ fuerunt conditæ. Urget ibi præſentia Turni. Regnant Summi Antiſtites, qui non poſſunt ſuas non tueri Leges. Vigilat formidandum Sacræ Inquiſitionis Tribunal. Populi, & Principes Italiæ Romanum Pontificem venerantur non ſolum tamquam communem Parentem, quem colunt omnes Catholici, verum etiam invocant Itali multi tamquam arbitrum in domeſticis rebus ſuis, & defenſorem adverſus exteros. Soli Itali jamdiu facti Pontifices ſupremi magnam regunt Petri Navim. Alius extraneus homo jam non facilis erit magnæ Navis rector, quamvis olim non raro fuerit. Jam ſic Deus pro bono Eccleſiæ ſuæ diſponit, qui olim diverſis modis diverſa pro bono ejuſdem Eccleſiæ ordinaverat. Unum eſt, quod nullibi Juriſdictio Eccleſiæ, & Immunitas Cleri altiorem apicem ſplendoris, & honoris attingat, nullibi majoribus privilegiis fruatur.

QUID MORIS PER GERMANIAM. *cap. 9. & ſeqq.*

Perluſtranda jam nobis Germania eſt. Mandat Synodus Colonienſis an. 1266., ne Laicus ad Laicum præſumat provocare Clericos. Pœna excommunicationis in actorem, qui ideo cauſa cadit ſua; & in Judicem

Secu-

Digitized by Google

Secularem, quem niſi infra quindecim dies pœniteat, locus interdicto ſubjacet. Synodus Salisburgenſis anno 1420. animadvertit fraudem allegantium, quod non Clericos, ſed contra ipſorum bona dumtaxat judicent, & procedant, non attendentes, quod Clerici, & Clericorum bona eodem gaudeant privilegio, & nulla ſit eis de rebus, & perſonis Eccleſiarum attributa judicandi facultas. Ideo minatur Interdictum Locale, quamdiu trahentes ad Seculare judicium, & judices non ſatisfecerint parti tractæ. Synodus Friſingenſis an. 1440. excommunicat judices, & partes, a quibus Clerici trahuntur ad forum Seculare, *quia Privilegium fori Eccleſiaſtici, eſt immediate a Jure Divino*. Sic ſenſerunt Patres Friſingenſes. Synodus Salisburgenſis an. 1559. confirmat citatam Synodum Colonienſem anno 1266., quoad amiſſionem Litis, & quoad excommunicationem. Hodie citantur Clerici frequenter per Germaniam ad Seculares Judices ſaltem in cauſis Civilibus. *cap. 16.* *c. 2. & 3.*

Supereſt Hungaria. Divus Stephanus filius Geyſæ, filii Toxis, primus Rex, & Apoſtolus Hungarorum commendat filio Duci Emerico Eccleſiam Dei, *ut potius capiat augmentum, quam detrimentum patiatur*. Commendat honorem, & amorem erga Epiſcopos. Si quis peccat, monet, ut ſervet ordinem Apoſtoli, & Eccleſiæ dicat. *Teſtimonium Laici adverſus Clericum nemo recipiat. Nemo etiam quemlibet Clericum in publico, niſi in Eccleſia examinare præſumat*. Delinquens in materia Religionis punitur ab Epiſcopo. Homicida, & perjurus Canonicis jejuniis ſubjiciuntur. Deſertor Matrimonii Epiſcopo non minus, quam maleficii, veneficii, & ſortilegii reus. Divus Ladislaus Juriſdictionem Epiſcopi in Presbyteros ſuos, & Synodi in Epiſcopos agnovit. Confirmat ſubjectionem Monaſteriorum, & Abbatum Regularium erga ſuos Epiſcopos. Probat judicium vel aqua, vel ferro factum, penſa Presbytero data. Rudi Seculo condonandum. De his Synodus Szabolchiana an. 1092. Colomanus Nepos Epiſcopus Varadienſis, & ex diſpenſatione Urbani II. Hungariæ Rex, poſt annum 1100. ſtatuit, ut actor ſequeretur forum rei. Judicium ferri, & aquæ in aliqua Eccleſia fieri interdicit, niſi in Sede Epiſcopi, & majoribus Præpoſituris, ut Poſonii, & Nitriæ. Nondum ceſſaverat antiqua ſuperſtitio. Ex Conſtitutione Sigiſmundi Imperatoris, & Regis, Eccleſiaſtici profanas, Laici Judices Eccleſiaſticas cauſas neque dijudicent, neque cognoſcant. Cauſas dubias Rex ſibi reſervat decernendas, cujus fori ſint. Matthias Corvinus Joannis Hunyadis Gubernatoris Regni filius ex Eliſabetha Michaelis Szilagy vidua, annos natus

CONTINUÆ LEGES HUNGARIÆ. Corp. Jur. Hung. *Tom. II. S. Steph. Decret. l. 1. c. 2. & 3. item l. 2. c. 1. & 2. item l. 2. c. 3.* *item c. 12. & ſeqq.* *item c. 28. & ſeqq.* S. Ladil. *Decret. l. 1. c. 4. & 21.* *item c. 28.* Colomani *Decret. l. 1. c. 6.* *item c. 22.* *art. 14. 1405.*

viginti

viginti tres, ex carcere Boemico apud Georgium Podebradium ſalutatus Hungariæ Rex anno 1458., declaravit cauſas forum ſpirituale concernentes, prouti ſequitur: cauſas ſcilicet Sacramentorum, Fidei, Hæreſis, Teſtamenti, Matrimonii, Dotis, Decimarum, Uſuræ, Viduarum, & miſerabilium Perſonarum defenſionis, violatæ Fidei, Perjurii, Excommunicationis, & in quibuſcunque aliis cauſis, quarum finis tendit ad correctionem pro peccato: nec non verberationis, & ſpoliationis. Romam omiſſo medio conqueſtum nemo vadat: ſed cauſam coram ſuo Diæceſano inchoet; quam tandem per viam appellationis ad Curiam Romanam deducere poterit. *Quibus contrafacientes, Beneficiati ſuo Beneficio priventur: non Beneficiati autem pœnam capitis luant.* Nondum ſcio hominem hactenus ob hanc rem plexum capite fuiſſe. Tunc quoque obſervare eſt, quod attractus in cauſam propter homicidium, innocentiam ſuam non juramento, ſed communi inquiſitione, aut duello purgare debebat. Convictus pœna mortis damnabatur. Actor autem ſuccumbens pœna capitis damnari poterat. Duellum non amplius in uſu eſt: nec pœna capitis in actorem non probantem facile viget. Romana in Curia nemo ratione decimarum, aut aliorum negotiorum cauſam movere præſumat. Rex autem cauſas decimarum, cum agitur de poſſeſſorio jure, diſcutiat. Verum *Seculares Perſonæ contra Eccleſiaſticas in judicio in majori onere non convincantur, quam Eccleſiaſticæ contra Seculares convincerentur.* Uladislaus Caſimiri IV. Poloniæ Regis filius ſanctionem Matthiæ Corvini confirmat, ne quis Clericus, aut Laicus quempiam in judicium vocare præſumat in Romanam Curiam, aut in præſentiam Legati, vel Nuncii Apoſtolici, ſuo Diæceſano neglecto: *tandemque dum aliqua partium juſtitiam ſibi vel denegatam, aut alias ſe indebite aggravari, & condemnari ſentiret, cauſam hujuſmodi in Curiam Romanam, vel præſentiam ipſius Legati per viam appellationis, & non aliter provocare, deducereque, & proſequi valeat, atque poſſit.* Repetitis cauſis ſpiritualibus ſtatutum eſt, ut Judices Seculares tranſmittant Judicibus Eccleſiaſticis cauſas forum ſpirituale concernentes. Econtra Judices Eccleſiaſtici traſmittant Judicibus Secularibus cauſas forum ſeculare concernentes. Pone ſequitur neminem in cauſis profanis ad forum ſpirituale citari, aut reſpondere debere. Privilegium autem Hungariæ, ne quis extra Regnum, niſi per viam appellationis ad Sedem Apoſtolicam extrahatur, in ipſo Concilio Conſtantienſi an. 1414. fundatur. Tandem in citationibus coram Judice Eccleſiaſtico mentio fieri debet de qualitate cauſæ: quæ, ſi ſit fori

ſecu-

art. 3. 1462. *art. 17. 1464.* *art. 19. 1471.* *art. 28. 1471.* *art. 45. 1486.* *art. 72. 1486.* *art. 45. 1492.* *art. 46. 1492.* *art. 60. 61. 1498.* *art. 63. 1498.* *art. 25. 1504.*

Digitized by Google

ſecularis, non proſequenda amplius foret, non ſecus ac in Gallia, & in Hiſpania obſervavimus. Sub Uladislao Rege propter frequentes vacantias in Curia Beneficiati in Urbem proficiſcentes tenebantur de Patrimonio ſuo in proventibus tantum Majeſtati Regiæ, & Sacræ Coronæ ſuæ obligare, & inſcribere, quantum proventus Beneficii ſui annuales valere dignoſcitur: aut literas aſſecuratorias a Summo Pontifice impetrare, ne mortuis ipſis Romæ Pontifex hæc Beneficia conferat. Quod amplius in uſu non eſſe & meo exemplo didici, quamvis vacantias in Curia admitti unquam a Regno non ſciam. Ferdinandus I. (cui Anna Uladiſlai II. filia, & ſoror Ludovici II. in clade Mohacſiana an. 1526. infeliciter cæſi nupſerat) judicia Eccleſiaſtica juxta Conſtitutiones Regni fieri mandat ſine intermiſſione, Eccleſiarum libertatibus, immunitatibus, & privilegiis in integrum reſtitutis. Confirmavit Maximilianus II. Ferdinandi I. filius, ut impoſterum *in foro etiam Spirituali, & Eccleſiaſtico, prout antea, ſuis modis, & temporibus Judicia eo pertinentia juxta Canones ſuos ſemper celebrentur*. Per illam tempeſtatem hæreſes tutiorem fixerunt pedem, quæ ab initio per Hungariam comparere tuto non poterant. Conditus enim fuit zeloſus in Campo Rakos articulus ſequens: *Lutherani etiam omnes de regno extirpentur, & ubicunque reperti fuerint, non ſolum per Eccleſiaſticas, verum etiam per Seculares perſonas libere capiantur, & comburantur*. Ceſſavit ſenſim primus fervor: tandemque ſub Matthia II. Rege Poſonii *deliberatum eſt per Status, & Ordines incluti Regni Hungariæ, ut Religionis exercitium tam Baronibus, Magnatibus, & Nobilibus, quam etiam liberis Civitatibus, ac univerſis Statibus & Ordinibus Regni, in ſuis, ac Fiſci bonis, item in Confiniis quoque Regni Hungariæ militibus Hungaris, ſua cujuſque Religio, & Confeſſio, nec non Oppidis, & Villis eam ſponte, ac libere acceptare volentibus, ubique liberum relinquatur, nec quiſquam omnium in libero ejuſdem uſu, ac exercitio a quoquam impediatur. Quin imo ad præcavenda inter Status, & Ordines aliqua odia, & diſſenſiones, ut quælibet Religio ſuæ Profeſſionis ſuperiores, ſeu ſuperintendentes habeat, ſtatutum eſt*. Sane venerabilis Clerus in vim ſui juramenti de promovenda Religione antiqua Catholica nec conſenſit, nec conſentire poterit in hoc liberum exercitium, quod tamen tolerare etiam impoſterum debebit, ne majora eveniant mala: inhærendo potius piiſſimæ Rudolphi II. declarationi, quod Sacroſanctam Catholicam Romanam Fidem, & Religionem *in Regnis, & Provinciis ſuis, ac præſertim in hoc ſuo Hungariæ Regno, ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, ex tot falſis opini-*

art. 65. 1514.
art. 9. 1557.
art. 40. 41. 1559.
art. 27. 1563.
art. 10. 1557.
art. 27. 1567.
art. 54. 1523.
art. 4. 1525.
art. 1. 1608.
LIBERUM RELIGIONIS EXERCITIUM.
CLERUS NUNQUAM CONSENSIT.
art. fin. 1604.

nioni-

Digitized by Google

nionibus, & ſectis erutam, ubique florere, & dilatare cupiat; ac ex debito regiminis ſui Officio, pro virili tueri, & defendere ſatagat. Adverſa procella turbavit ſerenos dies. Ferdinandus II. exercitium liberum Religionis confirmavit. Ferdinandus III. filius Evangelicis iſtis Templa nonaginta reſtituit, quæ ſibi avulſa fuiſſe a Catholicis anno 1638. conqueſti ſunt. Hoc anno cauſæ teſtamentariæ cum aliis plurimis ad forum ſeculare redeunt, ſalva dumtaxat reviſione ſolemnitatis teſtamenti penes forum ſpirituale remanente. Leopoldus I. liberum Religionis exercitium confirmavit, Helveticæ ſcilicet, & Auguſtanæ Confeſſionis hominibus, quibus loca certa pro ædificandis ſuis Templis aſſignata fuerunt. Renovantur hi duo articuli poſtremi poſt ſex annos in Diæta Poſonienſi, *Cleri, & aliorum Secularium Catholicorum contradictione non obſtante*. Fortunatum magis fuit Regnum Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, in quibus regionibus ſoli Catholici poſſeſſionis bonorum immobilium ſunt capaces. Ad modernum Imperatorem, & Regem Carolum VI. accedimus, quem Deus pace Occidentis reddita victorem reddat Orientis, cum rebus inter Chriſtianos compoſitis adverſus Mahumetanos tertio anno propter confæderatos Ruſſos bellare cogatur. Hic propter injurias temporum debuit Parentis pacta confirmare, ſalva prærogativa Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ. Idem Princeps Conventiculum Roſenbergenſe ſub nomine Synodali contra Ritus Catholicos nullum, & inane decernit. Imo non prætermittendum, quod reſtaurationem deſolatarum Eccleſiarum, tamquam illuſtris Patronus, & certi voti paterni memor in ſe aſſumpſerit religioſiſſimus Imperator. Hæc ſumma eſt Eccleſiaſticæ Juriſdictionis, & ſtatus Religionis juxta continuas Regni Conſtitutiones. Si vicinæ Poloniæ ſtatuta conſulas, Sacræ, & Secularis Juriſdictionis fines generalia Regni Comitia anno 1543. poſuere. Sacra certe juriſdictio latiſſimo excurrit campo, quantum non invidet melioribus Seculis, & cultioribus Provinciis.

[Margin: art. 22. 1625. art. 33. 1630. art. 29. 1635. art. 6. 1647. — art. 15. & 16. 1647. — art. 25. 1681. — art. 26. 1681. — art. 21. 1687. — art. 23. 1687. — art. 30. 1715. art. 125. 1715. — art. 31. 1715. — art. 60. 1715. — STATUTA POLONIÆ.]

CONCLUSIO. Concludimus cum Tridentino Concilio, quantum ad ſingulas Provincias applicari valet. *Cauſæ omnes ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi Beneficialia ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis Locorum dumtaxat cognoſcantur: atque omnino ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur.* Ex quo licebit ad Superiorem appellare. Summus Pontifex non ſemper huic legi vult ſtare: ſed ſibi liberum facit varias cauſas ad ſe pro lubitu avocare. Raro tamen, & non ubique ſupremam hanc ſuam poteſtatem exercet. Cauſas matrimoniales, & criminales

[Margin: Seſſ. XXIV. 1563. c. 20. de Reformat.]

(puro

Digitized by Google

(puto de criminibus Clericorum loquitur) ſolus Epiſcopus cognoſcere debet, excluſo etiam Legato de Latere, aut Nuncio Apoſtolico. Ad prolixum iſtum de Judicio Eccleſiæ Titulum apprime facit nota diſtinctio Juriſdictionis, quæ dicitur Eccleſiæ propria, & aliena. Illa eſt, quam a ſolo Deo habet: Hæc, quam à Principibus interdum habuit. A Deo eſt ſuprema poteſtas Clavium ligandi, atque ſolvendi. Sub poteſtate Clavium ſtat Jus definiendi circa Fidem, & circa mores. Fides reſpicit Dogma, Diſciplinam reſpiciunt mores. Fides una eſt: mutari nequit. Mores varii ſunt: mutantur ſæpe, cum adſit recta ratio. Alias Eccleſia nec fidelis, nec prudens foret in diſpenſando. A Principibus habet cœtera jura, quæ non veniunt immediate a Deo. Quæ ſint hæc Privilegia, ſatis apparuit toto Sermone noſtro. Fuerunt etenim eminentes iſtæ prærogativæ legitimo titulo acquiſitæ, expreſſo ſcilicet, vel tacito eorumdem Principum conſenſu. Potuit dari Epiſcopis immobile bonum: quare non potuit dari judicandi, atque puniendi facultas? Nec ſane leviorem quorumcunque jurium ſuorum conſervandorum curam diligens Eccleſia adhibere tenetur, quamvis non raro hæc ipſa Eccleſia olim Secularia Jura ſingulari modeſtia declinaverit. Jam Deo ter optimo ita placuit, ut fugientem honores ſumma poteſtas, & vis ſuam maneret Sanctiſſimam Eccleſiam.

QUÆ SIT ECCLESIÆ JURISDICTIO PROPRIA?

QUÆ SIT ALIENA?

DE CONCILIIS ECCLESIASTICIS

TITULUS II.

JUdicium Eccleſiæ nunquam honorandum magis fuit, quam in Conciliis ſuis. Ibi ſedet illa in Solio Excelſo: ad latus aſſiſtunt Veritas, & vita, Juſtitia, & miſericordia. Chriſtus hanc juriſdictionem Apoſtolis, Apoſtoli Epiſcopis, Epiſcopi ſucceſſoribus ſuis tradiderunt, alii aliis tradent in eadem virtute uſque ad finem ſæculi. Hæc legitima Miſſio, hæc ordinata ſucceſſio, ut tandem ad Legiſlatorem Jeſum tamquam per ſcalam Jacob ad Cœli beatam ſedem aſcendamus. Quæ alia Natio tam grandis? quis alius Salvator? quæſo, qualis ignotus Propheta ſimilem poterit legitimare miſſionem ſuam? Mahometes, Photius, Santabarenus, VVicleffus, Huſſius, Lutherus, Calvinus, Zvinglius, & alii? Eſto, bona ſit Doctrina unius. Mala tamen erit alterius, quæ contraria eſt. Cui credendum? Singuli volunt eſſe Doctores, ſinguli divinitus inſpirati. Ego credam Chriſto, Apoſtolis, & Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus.

JURISDICTIO ECCLESIÆ IN CONCILIIS.

MISSIO LEGITIMA.

bus. Hoc mihi judicium probatum eſt. Hanc ſequar Matrem, & Magiſtram Eccleſiam meam Catholicam Romanam. Et quia Chriſtus Petrum ovium ſuarum Ducem, & Paſtorem elegit, cui ſoli, non aliis primario commiſit, ut confirmaret fratres ſuos, additis promiſſis nunquam fore, ut deficiat neceſſaria, & pura fides: ideo pie credimus cum optimis Catholicis, Primatum Eccleſiæ apud ſucceſſores legitimos S. Petri ita ſtabilitum eſſe, ut Papæ jure divino competat Juriſdictio in omnes inferiores Epiſcopos, & per omnem Eccleſiam ſuam. Cœterum ſalva Epiſcoporum fraterna ſubjectione erga ſummum Romanum Pontificem (qui memor eſt Chriſti verborum ad Apoſtolos: *qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui Præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*) Omnis Juriſdictio Eccleſiaſtica proprie penes Epiſcopos eſt. Hi Presbyteros in adjutorium Regiminis electos fideliter conſulebant, Diaconi audiebant, & miniſtrabant. Partibus auditis, rebusque ponderatis ferebatur judicium. Interdum Cauſa ad ipſam Plebem delata fuit, ubi Judex Epiſcopus ſuadere potius, quam jubere maluit. Quæcunque lites in oſculo pacis terminabantur, nec dimittebantur partes, quin odio ſepoſito reconciliarentur.

Quanta sit Episcoporum authoritas?
Luc. XXII. 26.
Conſtit. Apoſt. *l.* 2. *c.* 36.
Norma Judicii Episcopalis.

Graviora negotia tractanda erant in Conciliis, ut ſcirent omnes de iis, quæ omnes tangerent. Prætereamus aliam Matthiæ, aliam ſeptem Diaconorum Electionem, quæ Concilii ſpecimen tulit: & ſupereſt nobis, ut ex Hieroſolymitano Apoſtolorum Conſeſſu, ſubſequentium Conciliorum imaginem, & normam hauriamus. Orta ſeditione Antiochiæ propter Judæos flagitantes, ut gentes converſæ circumcidantur, Paulus, & Barnabas, & alii quidam ex aliis mittuntur Hieroſolymam ad Apoſtolos, & Presbyteros, quos interrogarent, an oporteret circumcidi eos, præcipere quoque ſervare Legem Moyſi ab iis, qui converſi erant ex Gentibus. Convenerunt Apoſtoli, & ſeniores, magna Inquiſitio facta eſt, Petrus incœpit loqui, Jacob opinatur, opinantur alii, ut credibile eſt. Tunc placuit Apoſtolis, & ſenioribus cum omni Eccleſia, remittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba Judam, & Silam, primos in Fratribus, qui nunciarent his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus ſalutem, & Eccleſiæ judicium. Sententia hæc fuit. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione. Illi ergo dimiſſi deſcenderunt Antiochiam, & congregata multitudine tradiderunt Epiſtolam, quam cum legiſſent, gaviſi ſunt ſuper conſolatione.* Ex his colligimus cauſam

Graviora negotia in Conciliis tractabantur.
Act. Apoſt. I. & VI.
Act. XV.
Causa Concilii Hierosolymit.
Apostolorum Decretum.

fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe Religionis, & Concilium fuiſſe legitime initum. Petrus Apoſtolorum Princeps, Chriſti Jeſu Vicarius inchoat ſermonem, regit cœtum, diſponit finem. Plena fandi libertas Jacob, & reliquis, quemadmodum in Domino judicaverant. Sententia juxta Spiritus Sancti auram, in Ejus virtute, & in poteſtate a Deo tradita Eccleſiæ ſuæ, pronunciatur uno ore, ſubſcribitur, exequutioni mandatur, intimatur, & cum gaudio accipitur. Hic juſtus Conciliorum Ordo. JUSTA MEDITATIO.

Iſtud ſibi propoſuit exemplar Eccleſia, iſtud nomine Eccleſiæ ſibi propoſuerunt Epiſcopi. Poſthac ſanctiſſimi Præſules, quantum adverſa perſecutionum tempora ſinerent, nunquam omiſerunt, ubi fidelium neceſſitas, aut utilitas urgeret, non ſolum ſuæ Civitatis Clericos, ſed etiam cunctos ſuæ Diæceſis Miniſtros ruri diſperſos, & non raro abſconditos, in antris ipſis convocare, qui inſurgentibus malis gregis proſpicerent conſilio, atque oratione. Hæc Comitia nobis Diœceſanæ Synodi dicuntur. SYNODUS DIOECESANA.

Ordo ad Synodum in Pontificali expoſitus de Synodo Diœceſana agit. *Sacerdotes, & Clerici univerſi, qui ad Synodum de jure, vel conſuetudine venire tenentur, conveniunt in Civitate, vel alio loco, prout Pontifex ordinaverit*. Peraguntur diverſæ preces. Audiuntur querelæ. Archidiaconus legit Decreta Conciliaria, & Acta præcedentis Synodi. Emittitur profeſſio Fidei in manibus Epiſcopi ab iis, qui ad eam emittendam tenentur. Examinatores eliguntur prævio juramento. Eliguntur Judices cauſarum Synodalium. Leguntur Conſtitutiones Summi Pontificis, ſi quæ forent promulgandæ. Leguntur Conſtitutiones Synodales approbandæ. Fit ſcrutinium, in quo vel approbantur, vel reprobantur. Terminatis omnibus leguntur nomina omnium, qui Synodo intereſſe tenentur. Singuli auditis ſuis nominibus ſurgunt, & reſpondent: *Adſum*. Abſentes notantur, & puniuntur. Tandem alloquitur Epiſcopus fratres, ut memores ſint conditionis ſuæ. Fiunt preces. Commendat ſe orationibus Fidelium, quos benedicit. Negotia expediuntur. Singuli domum redeunt. ORDO AD SYNODUM.

Credibile eſt, Synodos Diœceſanas tepente recentiorum fervore perſæpe interruptas fuiſſe, quas Tridentini Patres revocando, quotannis celebrari volunt. Fieri poteſt, ut quotannis celebretur Synodus Diœceſana in exigua Diœceſi, quemadmodum in Italia conſtituti ſunt multi Epiſcopatus. Ibi Parochus mane accedens ad Synodum, peracta Seſſione, commode pernoctabit iterum in ſua domo Parochiali. QUOTANNIS SYNODUS DIOECESANA CELEBRATUR. Seſſ. XXIV. 1563. c. 2. *de Reformat.*

Extra Italiam non ubique tam facile compendium, ubi vaſta Diœceſis, longum iter, ſumptus multi, inopia Parochorum, atque alia hujuſmodi intercedunt impedimento ferme invincibili. EXCUSATIO JUSTA.

Digitized by Google

SYNODUS PROVINCIALIS.

Synodus Diœceſana tangit univerſam Diœceſin. Synodus Provincialis tangit univerſam Provinciam, in qua & Epiſcoporum Provincialium controverſiæ, & aliæ majores cauſæ convocatis convocandis coram Metropolitano mature diſcutiuntur. Ibi ſolus Epiſcopus, hic omnes Epiſcopi Præſide Metropolitano dijudicant. Hæc Concilia Provincialia antiquiſſima ſunt, & Seculo Secundo plura contra Montaniſtas, plura in controverſia Paſchatis, in Aſia fuerunt celebrata. Concilium Nicænum an. 325. Illa bis in anno olim celebrari vult, quod tamen ab initio vix potuit obſervari. In Occidente frequentiſſima fuerunt Provincialia Concilia ſub Carolovingicis, & Merovingicis. Bella civilia, & invaſiones Barbarorum majus obſtaculum tulerunt. Poſt annum milleſimum vix amplius Concilium Provinciale fuit convocatum, cui non interfuiſſet Legatus Pontificius. Metropolitanorum auctoritas ex hac nova diſciplina valde imminuta fuit, quam Romani Pontifices propter bonum univerſalis Eccleſiæ ad ſeipſos trahendam curaverunt. Concilium Lateranenſe an. 1215. renovat antiquam regulam, ut *ſicut olim a Sanctis Patribus noſcitur inſtitutum, Metropolitani ſingulis annis cum ſuis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare: in quibus de corrigendis exceſſibus, & moribus reformandis; præſertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum.* Concilium Baſileenſe an. 1431., & Tridentinum an. 1563. Triennio ſubſcripſerunt. Juxta laudandum Synodi Tridentinæ præſcriptum impedito Metropolitano Senior Epiſcopus convocat, & præeſt. Conveniunt, quibus de jure, vel de conſuetudine competit. *Itidem Epiſcopi, qui nulli Archiepiſcopo ſubjiciuntur, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligant, in cujus Synodo Provinciali cum aliis intereſſe debeant; & quæ ibi ordinata fuerint, obſervent, ac obſervari faciant. In reliquis omnibus eorum exemptio, & privilegia ſalva, atque integra maneant.* Verum nec triennium, nec majus ſpatium obſervatur, vel quia Eccleſiæ aliis legitimis viis utentes, hoc ſolenni non indigent remedio, vel quia hodierni non facile ſinunt mores. Hoc tamen negari nequit, quod olim Principes tamquam Patroni, Advocati, Defenſoreſque Eccleſiarum, interdum non leves ſibi partes arrogarunt. Ordo ſervatis ſervandis non videtur alius fuiſſe, quam ille, quem Pontificale Romanum præſcribit ad Synodum Diœceſanam. Idem enim fuit finis, Fidem Catholicam, Diſciplinam Eccleſiæ, & mutuam Chriſtianorum charitatem tuendi, atque promovendi.

BIS IN ANNO. *can.* 5.

CESSAT.

c. 28. *de Accuſat.*

JAM QUOTANNIS, JAM TRIENNIO.

CONVOCANS, ET CONVOCANDI.

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 2. *de Reformat.*

QUARE NULLA AMPLIUS SYNODUS PROVINCIALIS?

OLIM PRINCIPES SE IMMISCUERUNT.

ORDO, ET FINIS.

SYNODUS NATIONALIS.

Synodus Nationalis tangit univerſam Nationem, cujus Ordo ſervatis ſervandis ſatis conformis eſt reliquis Diœceſanæ, & Provincia-

lis

Digitized by Google

lis Synodi ritibus. Ex conſpicuis labentis Imperii Romani membris efformata ſunt potentiſſima Regna, exſciſſæ ſunt invictæ Nationes. Negotia fuerunt aliquando maximi momenti, quæ ad conveniendum impulerunt integra Regna, & univerſas Nationes. Præterea *res bene multæ*, obſervat Joſeph Binghamus, *initio uniuſcujuſque Epiſcopi arbitrio, ac prudentiæ in ſuæ Diœceſis gubernatione permittebantur, quæ poſtea Nationalium Conciliorum Decretis coerceri, reprimique cœperunt. Quod aſſertum ut uno tantum exemplo illuſtremus: quilibet Epiſcopus priſcis temporibus libertatem habebat, Liturgiam in ſuæ ipſius Eccleſiæ uſum faciendi: ſequentibus autem temporibus, orbe terrarum in diverſa regna diviſo, regulæ dabantur, ut omnes Eccleſiæ hujus, illiuſve Regni unam, eandemque haberent Liturgiam. Ita quum Hiſpania, & Gallia Narbonenſis diſtinctum Regnum evaſiſſet, decretum fiebat, ut, quemadmodum non niſi una fides ſit, ita non niſi una Liturgia, ſive unus divini cultus Ordo per univerſum Regnum obſervaretur... Licet enim per antiquiſſimas regulas quilibet Epiſcopus libertatem haberet præſcribendi, quæ Eccleſiæ ſuæ omnium maxime expedire crederet, nec ulla Eccleſia dictatoriam poteſtatem in aliam quamcunque iſtis in rebus ſibi arrogaret; tamen quum Eccleſiæ uni capiti politico ſubjici cœptæ, & Eccleſiæ Nationales ex hac diſtinctione ortæ eſſent; ab omnibus iſtiuſmodi nationis Epiſcopis judicabatur conducere, in ritibus, ac cæremoniis divini cultus æque, ac in ipſa fide eas arctius unire. Et ex hoc tempore etiam neceſſaria pars unionis Eccleſiarum nationalium evaſit; in quod quum omnes Epiſcopi voluntarie conſentirent, nullus ab hac unitate ſeceſſionem poterat facere, quin crimen incurreret temere violatæ iſtius unitatis, quæ tam congruens, & apta erat ad diverſa Eccleſiæ cujuſdam nationalis membra in communionem coagmentanda.* Hinc male infert citatus Autor, *nullam heic fuiſſe viſibilis capitis neceſſitudinem.* Contraria infertur neceſſitas, quum ſit de jure divino Primatus Romani Pontificis, a quo reliquæ omnes Eccleſiæ juxta Sacros Canones pendent. Si enim tanta unio inter unam Provinciam, & inter unam Nationem, quanta non erit inter Supremum Caput, & ejus Sanctiſſima Membra, ad omnes Eccleſiæ Catholicæ partes una communione conjungendas? Præterea Nationale Concilium convocat Primas, vel Patriarcha. Metropolitani, atque alii Epiſcopi Primatui, vel Patriarchatui ſubjecti comparere tenentur. Fuerunt & hæc Nationalia Concilia ratione univerſi Primatus, vel Patriarchatus dicta Univerſalia. Talia fuerunt Carthaginenſia, & Antiochena, talia ſub Gothis Toletana, talia ſub Merovingicis Aurelianenſia, & Aquilejenſia. Ceſſaverunt: neque Con-

Causa.

Antiquitat. Eccl. *l.* 16. *c.* 1. §. 13.

Illatio non justa.

Convocans, et convocandi.

Digitized by Google

Cessat Synodus Nationalis.

Conciliis Nationalibus ullam Tridentini Patres mentionem fecerunt, vel quia Eccleſiæ aliis legitimis viis uſæ, hoc ſolemniori non amplius indigent remedio, vel quia hodierni non facile ſinunt mores. Videtur enim neque ſine conſenſu Romani Pontificis, qui ſuos mitteret Legatos, neque ſine conſenſu Principis proprii, qui ſuos mitteret Legatos, poſſe Concilium Nationale indici, proſequi, terminari, & in exequutionem deduci. Nunquam probare poſſumus, quod ſcribit Vitriarius privato ſuæ Confeſſionis ſpiritu ductus, nempe: *Principibus igitur in ſuis Regnis, & Ditionibus Conciliorum Congregatio, & Indictio injuncta eſt.* Hoc tamen negari nequit, quod olim Principes tamquam Patroni, Advocati, Defenſoreſque Eccleſiarum, non leves interdum ſibi partes in Nationalibus non minus, quam in Provincialibus Synodis arrogaverint. Teſtis eſt poſt alios illuſtris Archiepiſcopus Pariſienſis Petrus de Marca, teſtis eſt eruditus Preſbyter Oratorii Gallicani Ludovicus Thomaſſinus. Dum invitatorias, circulares, ſynodicas, & tractatorias literas mitteret Primas Epiſcopis, ſupremus Princeps frequenter addebat ſuas quaſi convocatorias literas ad eoſdem Epiſcopos, quæ apud Imperatores ſolebant vocitari ſacræ, propter honorem ſacræ Perſonæ debitum.

Inſtit. Jur. Pub. *l.* 3. *t.* 2. *n.* 11.

Olim Principes se immiscuerunt.

Concordia Sacerdotii, & Imperii *l.* 6. *c.* 13. Diſcipl. Eccleſ. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 45.

DE CONCILIIS OECUMENICIS

TITULUS III.

Convocandæ Generalis Synodi causa gravis.

Synodus Oecumenica tangit univerſam Eccleſiam, ubi gravi malo imminente Hæreſis, Schiſmatis, aut magni inter Epiſcopos diſſidii, convocantur ferme totius Orbis Catholici Epiſcopi, quorum licet non compareant ſinguli, ſaltem omnes comparere poterant volentes. A Nicæno uſque ad Tridentinum, a primo ſcilicet uſque ad ultimum, in Oriente octo, in Occidente duodecim Concilia Generalia (aliis aliter numerantibus) celebrata fuerunt: quæ a Romano Pontifice indicuntur, approbantur, declarantur, explicantur: diſpenſatque multis in locis ſuprema Romani Pontificis poteſtas. Hæc vix negat ullus homo Catholicus. Celeberrima fuit ſemper quæſtio, an Papa ſit ſupra Concilium Generale, vel potius illi ſubſit? Quidquid alii aliter ſcripſerint, nos cum majori, & ſaniori parte pie affirmamus pro Papa, exceptis caſibus nonnullis pro Concilio militantibus. Competit hoc ſupremum Jus Romano Pontifici ratione Vicarii ſui muneris, & Primatus Apoſtolici. Competit, quia Prima Sedes a nemine judicatur, quemadmodum pulchre demon-

Numero XX. Generales Synodi.

An Papa sit supra Concilium?

Fundamentum affirmandi.

Digitized by Google

monſtrat Petrus de Marca. Competit, quia Generalis Tridentina Synodus exemplo aliarum petiit confirmationem a Pio IV., quæ petitur a Superiore. Competit, quia Papa mutat interdum aliqua capita, & in iis diſpenſat, quæ in Concilio Generali ſtatuta fuerunt; quod ſane inferior facere nequit. Hoc non præterita tantum, ſed etiam quotidiana docet Praxis. Caſus, in quibus, ut ita dicam, Concilium Generale debet eſſe ſupra Papam, ſunt: ſi Papa hæreticus evaderet, quia hæreticus aut deſinit eſſe membrum Eccleſiæ, aut putridum erit membrum. Quale foret iſtud caput, quod nec membri nomen mereretur? Rurſus ſi Papa ſchiſmaticus, aut dubius evaderet, quia talis inde nec verus, nec legitimus Paſtor dici poteſt, quem non noſcunt oves ſuæ. Præterea ſi Papa conderet leges injuſtas, aliena raperet, Eccleſiæ bona diſſiparet, ſcandalo publico viveret. Tunc licet ei reſiſtere propter juſtam defenſionem, licet eum ſalvo honore admonere. Sic Paulus Antiochiæ reſtitit Cephæ in faciem, quia reprehenſibilis erat, nec ad veritatem Evangelii ambulabat. Cogebat enim gentes judaizare, qui, cum Judæus eſſet, gentiliter vivebat, & non judaice. Proinde ſi Papa ſolus gravem Fidei cauſam definire præſumeret, ubi Concilium univerſale conſulere teneretur, temere ageret, & Deum tentaret. Non ſic ſolus præſumpſit Cyprianus in cauſa Hæreticorum Baptiſmi, qui imo ſcribit ad S. Stephanum P.: *Neceſſe habuimus, Frater Cariſſime, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium*. Denique ſi Papa intruſus fuerit, ſimoniacus, aut alias invalide electus, quia talis nec verus, nec legitimus Paſtor dici poteſt, ſed iniquus homo, qui conſpirat in necem Gregis. In his caſibus Concilium Generale debet eſſe ſupra Papam, ne Portæ Inferi contra promiſſiones Chriſti Jeſu prævaleant adverſus Eccleſiam ſuam.

Supra l. 1. c. 11.

EXCIPITUR.

Galat. II. 11.

l. 2. epiſt. 1.

Matth. XVI. 18.

Ne quid deſit, quod ſcire juvat, utile imprimis, & pergratum fore cogito, ſi brevem quidem, ſed non minus claram, & ſufficientem Conciliorum omnium Generalium Hiſtoriam legentibus dedero. Cum Eccleſiæ diſciplina, quam nunquam præ oculis non habemus, maximum profecto tenent illa nexum. Primum Oecumenicum Concilium reddita Eccleſiæ pace NICÆNUM fuit an. 325., quod ſuadentibus Epiſcopis indixit Conſtantinus M., qui tamquam teſtis, nunquam tamquam Judex intervenit. Patuit tunc, quando libellos contra accuſatos Epiſcopos combuſſit inapertos, & non perlectos, addita pulcherrima ſententia, quia Epiſcopi nonniſi ab aliis Epiſcopis judicari debent. Præter immanem Presbyterorum, Diaconorum, Acolythorum, Laicorumque inſpicientium

NOTITIA CONCILIORUM VALDE UTILIS.

NICÆNUM I. Euſeb. *in vita* Conſtantini *l. 3. c. 6.* Sozomen. *l. 1. c. 18.* Theodorit. *l. 1. c. 11.* PULCHRUM FACINUS CONSTANT.

fre-

Digitized by Google

NUMERUS EPISCOPORUM. *idem l. 2. c. 8.* PRÆSES PAPÆ LEGATUS. ARIANISMUS DAMNATUR. SYMBOLUM. DECRETUM DE PASCHATE. TOLLITUR SCHISMA MELETIANUM. DE CÆLIBATU. Hebr. XIII. 4.

ſrequentiam, interfuerunt Epiſcopi Catholici CCCXVIII., Ariani ferme XXII. In numero non concordant Scriptores. Præfuit cum Presbyteris Vito, & Vincentio Oſius Cordubenſis, S. Sylveſtri P. Legatus. Senio confectus tantum iter aggredi metuit vir Dei. Impia Arianorum hæreſis damnatur. Conſubſtantialitas Verbi Divini cum Patre, hoc eſt *non mere ſimilis ſubſtantiæ*, ſed *omnino ejuſdem ſubſtantiæ* ſtabilitur. Hæc fuit Euſebii Nicomedienſis, & Teognidis Nicæni mala fraus, qui ſcripſerunt ὁμοιούσιος, quæ vox ſonat *ſimilis in ſubſtantia:* & Patres Catholici ſcripſerunt ὁμοούσιος, quæ vox ſonat *ejuſdem ſubſtantiæ*. In hoc ultimo ſenſu accipimus vocem *conſubſtantialis*. Conditur Symbolum, quod in Sacræ Miſſæ Sacrificio hodie recitant Sacerdotes, paucis authoritate ejuſdem Eccleſiæ additis, ut infra. Sublata fuit tandem vetus controverſia de Paſchatis die, communique Decreto ſancitum, ubique non niſi Dominica Judæorum feſtum proxime ſequente Paſcha deinceps eſſe celebrandum contra Quartodecimanos. Tollitur ſchiſma Meletianum, ſervata ipſi Meletio Lycopolitano dignitate Epiſcopatus, ſed omni juriſdictione abrogata. Qui vero ab eo conſecrati fuiſſent homines, hi poſt ſanctiorem Ordinationem admitti poſſunt. Celebris eſt Canon III., ne Clerici in Domibus ſuis ſuſpectas mulieres, & ſuperinductas alant fœminas, quemadmodum Paulus Samoſatenus accuſabatur aluiſſe meretrices. Nonnulli petierant ita legem Cælibatus ſervandam eſſe, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ab uxorum concubitu abſtinerent, quas matrimonii jure ſibi ſociaverant, cum Laici adhuc fuiſſent. Traxit tamen Patres in ſuam mitiorem opinionem Paphnutius Epiſcopus Ægyptius, Confeſſor, & perpetuus virginitatis Cultor, grave ſcilicet hoc jugum Clericis ſaltem, & Sacerdotibus non eſſe imponendum; honorabiles quippe nuptias eſſe, & thorum immaculatum, caverentque, ne ex nimia ſeveritate damnum potius inferrent Eccleſiæ. Conſtantinus autem Epiſcopis, & Præſidibus Provinciarum exequutionem, & obſervantiam Concilii ſeria animadverſione commiſit. Finito Concilio, quod vix ultra duos menſes duravit, Imperator celebravit cum Epiſcopis Vicennalia, quos tandem non indonatos dimiſit. Volvantur Acta. Legatur Hiſtoria Concilii apud Claudium Fleury.

Hiſtoir Eccleſ. *liv.* 11.

CONSTANTINOPOLITANUM. Theodorit. *l.* 5. *c.* 8. Socrat. *l.* 5. *c.* 8. NUMERUS EPISCOPORUM.

Alterum Oecumenicum Concilium fuit CONSTANTINOPOLITANUM an. 381., quod ſuadentibus Epiſcopis indixit Theodoſius M., ut Nicænam Profeſſionem, & partam Divo Gregorio Nazianzeno dignitatem tueretur. Interfuerunt Epiſcopi Catholici CL., Macedoniani XXXVI.,

Digitized by Google

ni XXXVI., qui turpiter diſceſſerunt, ne fidem Nicænam de conſubſtantialitate Verbi Divini ſubſcribant. Unde Macedoniani Hæretici, qui docuerunt Spiritum Sanctum eſſe Creaturam, dicti fuerunt etiam Semi-Ariani. Negavit Arius Divinitatem Filii, Macedonius negavit Divinitatem Spiritus Sancti. Arianiſmus in Nicæna, Macedonianiſmus in Conſtantinopolitana Synodo damnantur. Utraque in Oriente, atque Occidente Oecumenica. Præfuit ab initio Sanctus Meletius Antiochenus. Occidentales nulli intervenerunt, nulli Sancti Damaſi P. Legati, quod ſciamus. Imo anno ſequenti Damaſus Romanam Synodum tenuit, invitatis Orientalibus, qui Legatos miſerunt, cum ipſi difficili tempore accedere nequiviſſent. Hi res anno ſuperiori geſtas, (duravit enim Synodus Conſtantinopolitana in ſecundum annum) atque Fidem Catholicam de Trinitate, & de Incarnatione luculenter exponunt. Acta vero Romanæ Synodi petierunt. Nullus dubitat, quin de Orientalibus motibus, & de probanda Synodo Conſtantinopolitana Romæ maximum fuerit negotium. Certum eſt Occidentales acceſſiſſe; & Romani Pontifices debuerunt ſanam Orientalium Doctrinam ratam habere. Hoc pacto Conſtantinopolitana Synodus evaſit Oecumenica, quæ alias tamquam Nationalis reputaretur. Primo anno Maximus Cynicus nec fuiſſe unquam, nec eſſe Epiſcopus Conſtantinopolitanus pronunciatur. Gregorius Nazianzenus hanc ſedem legitimo jure hactenus poſſedit, & in poſſeſſione ſua confirmatur. Meletio defuncto Gregorius Synodo præfuit, qui, cum cerneret Flavianum Meletio ſurrogari, conſtanter ſe oppoſuit eo, quod ex pacto, & pro bono pacis integram illam Diœceſin ſeneſcenti Paulino cedere oporteret. Ordinabantur enim unius Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopi duo, nec potuit extingui ſchiſma. Iratis Epiſcopis, & ignaræ plebi Gregorius ſatisfecit, abdicata propria Eccleſia. Suffectus fuit Nectarius, vir canus, nondum baptizatus, qui poſt ſuam electionem primo baptizatus, & conſecratus fuit. Præfuit olim S. Meletius Antiochenus, quo defuncto præfuit S. Gregorius Nazianzenus. Poſt hujus abdicationem præfuit Timotheus Alexandrinus, tandem Nectarius Conſtantinopolitanus forte poſt conditum Canonem III. Confirmatur Symbolum Nicænum, paucis additis, vel mutatis, vel potius explicatis, ut nomen Nicæni Symboli nunquam amiſerit, proſcriptis quibuſcunque contrariis perverſiſſimis erroribus. Si demas *ly Filioque* in Concilio Florentino ſolemniter, ac decretorie adjectum, Symbolum Miſſæ noſtræ totum Conſtantinopolitanum eſt. Durus fuit Canon III., in quem nunquam conſenſit Romana

Macedonianiſmus damnatur.

Præſes Meletius Antiochenus.

Theodorit. *l.* 5. *c.* 8. & 9.

Accedunt Occidentales.

Cauſa inter Gregorium, et Maximum.

Schisma Antiochenum. Sozom. *l.* 7. *c.* 8.

Abdicatio Gregorii, et electio Nectarii Laici.

Symbolum.

Prærogativa nova Sedis CP.

Digitized by Google

Sedes. Tribuerat vel iſte Canon, vel Theodoſiana Lex mox poſt conditum Canonem lata Conſtantinopolitanæ Civitatis Epiſcopo proximum poſt Romanum Epiſcopum, honoris, & dignitatis gradum, eo quod Conſtantinopolis nova Roma, & Imperii caput facta ſit: quidquid totus iraſcatur Janus Vincentius Gravina in Jacobum Gothofredum, quod hic falſo exæquaverit Urbem Conſtantinopolitanam cum Romana. Hinc forte tunc ceſſit ſtatim propter Imperatorem Nectario Timotheus. Romanus Epiſcopus non ab Urbe Roma, ſed a Chriſto Primatum tenet. Res non fuit ibi vani nominis. Juriſdictionem ingentem affectarunt Conſtantinopolitani Epiſcopi, quæ tandem inevitabile peperit ſchiſma. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

Lib. ſingular. de Rom. Imp. §. XLIX.

liv. 18.

EPHESINUM. Socrat. *l.* 7. *c.* 33. Evagr. *l.* 1. *c.* 2.

ERRORES NESTORII.

NUMERUS EPISCOPORUM.

Tertium Oecumenicum Concilium fuit EPHESINUM an. 431., quod indixit communibus votis Theodoſius II. Accuſavit Neſtorium Conſtantinopolitanum imprimis Divus Cyrillus Alexandrinus, quod duas in Chriſto Perſonas admitteret, Divinæque & Humanæ Naturæ Hypoſtaticam Unionem rejiceret, Virginem Mariam negaret Deiparam dici poſſe, ſed Hominis tantummodo Chriſti Matrem, ſcilicet χριστοτόκον, non autem θεοτόκον. Interfuerunt Epiſcopi porro ſupra CC.; atque ad ſopiendos tumultus miſſi ſunt ab Imperatore (qui de Cyrillo ſiniſtram valde opinionem conceperat) duo Comites Candidianus, & Iræneus Neſtoriana labe contacti. Præſuit huic Synodo Alexandrinus Divus Cyrillus, primus poſt Conſtantinopolitanum, qui, cum hæreticus fuerit, præſidere nequivit. Imo Divus Cœleſtinus P. commiſerat Cyrillo ſuas vices, quamvis paullo poſt comparuiſſent ejus Legati Arcadius, & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter. Inchoata Synodo nondum comparuerat Joannes Antiochenus cum ſuis Orientalibus Epiſcopis, quamvis nullam legitimo Concilio moram inferre propoſuiſſet, Apamenſi, & Hieraplenſi illud ejus nomine teſtantibus. Tandem Neſtorius ter citatus ad cauſam in Synodo dicendam, & non comparens, in contumaciam quoque, unanimi ducentorum, & ultra Epiſcoporum ſententia damnatus, excommunicatus, atque depoſitus fuit. Legati cum ſero veniſſent, latam ſententiam confirmarunt. Quinta die poſt publicatam Neſtorii juſtam depoſitionem adventavit Joannes Antiochenus cum ſuis, quos inter Theodoretus Cyri Epiſcopus multa doctrina fulgebat. Antiochenus jam totus mutatus, maloque ſpiritu ductus cum triginta tribus Epiſcopis (quorum alii Cœleſtii, alii Neſtorii hæreſi infecti erant) legitimam Synodum reſcindit, ac Cyrillum, & Memnonem Epheſinum damnat: Illum,

PRÆEST CYRILLUS CUM ALIIS LEGATIS.

JOANNES ANTIOCHENUS INITIO ABSENS.

DAMNATUR NESTORIUS.

ADVENTUS JOANNIS, ET INSOLENS FACTUM.

quod

Digitized by Google

quod Neſtorium primus accuſaſſet ſe non expectato; Hunc, quod nullam venienti ſibi Eccleſiam apertam reliquiſſet, quaſi ex intolerabili contemptu. Metuerat Memnon, ne occupata Eccleſia novos tumultus cauſaret. Reliqui fideles Epiſcopi tantos auſus ægre tulerunt. Joannes Antiochenus citatus, & non comparens cum ſuis aſſeclis in contumaciam a legitimo Concilio, præſentibus Legatis excommunicatur. Deceptus Imperator depoſitionem Cyrilli, & Memnonis, (quaſi malos erroris ſocios ſciret) æque ac aliam Neſtorii confirmat, quos Joannes novus Comes miſſus ad prohibendos motus arctæ cuſtodiæ tradit. Atque ubi Theodoſius (qui primo Neſtorii abdicationem minime approbavit, poſt tamen ejus blaſphemia explorate cognita eidem aſſenſus eſt) literas admodum pias ad Cyrillum, & Joannem Epiſcopos dederat, illi inter ipſos redeunt in gratiam, abdicationemque Neſtorii ratam faciunt. Quæ reconciliatio poſt biennium ſequuta eſt. Interea Neſtorii libri flammis addicuntur, edicto Imperatoris. Hæreſiarcha peſſimus an. 436. in exilio apud Oaſinos miſerrimam mortem ſubiiſſe traditur, *nimirum ejus linguam vermibus exeſam eſſe, ſicque eum ex hujus vitæ miſeriis ad graviora ſupplicia, juſto Dei judicio infligenda, eaque ſempiterna migraſſe*. Sic Arius latrinas ingreſſus de repente crepuit medius. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

DAMNATUR.

IMPERATORIS FACINUS.

Evagr. *l.* 1. *c.* 5.

RECONCILIATI CYRILLUS, ET JOANNES.

MISERA POENA NESTORII, ET ARII. *Supra c.* 8.

Theodorit. *l.* 1. *c.* 14.

liv. 25. *n.* 23.

Quartum Oecumenicum Concilium fuit CHALCEDONENSE anno 451. adverſus Eutychen Conſtantinopolitanum Archimandritam, qui in contrarium Neſtorii errorem incidit; aſſeruitque poſt unionem hypoſtaticam, non duas amplius naturas, ſed unicam naturam manſiſſe in Chriſto. Eutyches jam pridem ab Euſebio Doryleſi accuſatus fuit apud Divum Flavianum. Citatus Eutyches comparuit tandem ad præcedentem Synodum Conſtantinopolitanam an. 448., in qua convictus, depoſitus, atque excommunicatus fuit ab Epiſcopis triginta duobus, & Abbatibus viginti tribus. Anno ſequenti 449. nova Synodus Epheſi celebratur opera Cryſaphii Eunuchi, quæ *Latrocinium* fuit dicta. Erat Chryſaphius Eutychis Patronus, Dioſcori amicus, Flaviani inimicus. Ibi enim Præſes Dioſcorus Alexandrinus multo milite ſtipatus Euthychen abſolvit, Flavianum, atque Euſebium tamquam hæreticos ſua ſede deponit, reclamantibus plurimis Epiſcopis, donec Monachi, & Milites gladiis, & fuſtibus conſentire, & ſubſcribere mandaſſent. Quam vim inauditam, ſuoſque graviſſimos metus paullo poſt Epiſcopi iſti Patribus Chalcedonenſibus amaro fletu confitentur. Flavianus illico tradito libello, præſentibus Legatis

CHALCEDONENSE.

ERRORES EUTYCHIS.

DAMNATUR A S. FLAVIANO.

ABSOLVITUR IN EPHESINO LATROCINIO.

FLAVIANUS CUM EUSEBIO DEPOSITUS.

APPELLAT ROMAM.

Furor Dioscori.

gatis appellat ad Sedem Apoſtolicam. Dioſcorus conculcata appellatione Divum Leonem P. excommunicare veritus non eſt ſubſcribentibus Epiſcopis Ægyptiis decem. Flaviano, atque Euſebio in carcerem detruſis, ille *ab impia Dioſcori factione pugnis, & calcibus percuſſus, atque in exilium actus, ibidem poſt triduum vitam finivit.* Euſebius fugit Romam, unde Chalcedonem redivit anno 451. propter Synodum. Dolendum magis, quod Theodoſius piiſſimus quidem, ſed deceptus omnia probaſſet Edicto publico. Duravit infelix ſchiſma uſque ad Imperatoris mortem, Ægyptiis, Thracibus, Paleſtinis pro Dioſcoro, reliquis Ponti, & Aſiæ Epiſcopis pro Flaviano ſtantibus. Agnovit tandem Imperator fraudem Eunuchi Chryſaphii, & Eudoxiæ Conjugis, quæ erat illa Athenais Leontii Philoſophi filia. Auguſtam relegavit Theodoſius Hieroſolymam, Pulcheriam ſororem ultra biennium relegatam revocavit. Paullo poſt Theodoſius moritur ſuccedentibus Marciano, & Pulcheria, quæ ſceleſtiſſimum Eunuchum juſſit occidi. Ineunte Pulcheriæ, & Marciani Imperio celebratur Concilium Oecumenicum anno 451. in Urbe Chalcedonenſi ex Patribus DCXXX. congregatum, cui Paſchaſinus, Lucentius, & Bonifacius Presbyter tamquam Legati S. Leonis P. intervenerunt. Ipſe Marcianus Seſſioni VI. interfuit, ſæpius interfuere Magiſtratus. Legati, quia placuit Concilio, Euthychen, & Dioſcorum damnarunt, Flaviani memoria cum honore reſtituta. Dioſcorus exul Gangræ Paphlagoniæ obiit, omni dignitate Epiſcopali, & omni Sacerdotali miniſterio ſpoliatus. Seſſione penultima, quæ fuit XV., editi ſunt Canones XXX., Legatis abſentibus, abſente Magiſtratu, diminuto Epiſcoporum numero. Diſplicuit imprimis Canon XXVIII., qui non ſolum confirmaret Canonem III. Synodi Generalis Conſtantinopolitanæ, verum etiam ſuas Conſtantinopolitanæ Sedi Provincias aſſignaret ſubſcribentibus Epiſcopis CLXXXIV. Seſſione ultima mane conſenſit Magiſtratus, reclamantibus fruſtra Legatis. S. Leo fortiter reſtitit, ne Jus Alexandrini, & Antiocheni Epiſcopi inique, ac enormiter lædatur. Anatolio Conſtantinopolitano excommunicationem minatus, nunquam feriit. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

Martyrol. Rom. 18. *Feb.*

Deceptus Imperator.

Legitima Synodus. Numerus Episcoporum.

Legati damnant Eutychen, et Dioscorum, Flaviano restituto.

Contradicunt Canoni XXVIII.

liv. 28.

Quintum Oecumenicum Concilium fuit CONSTANTINOPOLITANUM II. an. 553. de tribus Capitulis, indictum præter voluntatem S. Vigilii P. a Juſtiniano Imperatore, concurrentibus pene CLXV. Epiſcopis, Præſide Divo Eutychio Conſtantinopolitano Patriarcha. Confirmantur præcedentia Oecumenica Concilia Quatuor. Damnatur Origenes cum ſuis

Constantinopolitanum II. Causa, et Episcoporum numerus.

Confirmantur Synodi IV. Generales.

Digitized by Google

ſuis ſcriptis. Damnantur tria Capitula, ſive *perſona*, *& ſcripta Theodori Mopſueſteni*, qui non erat immunis a labe Neſtoriana: item *ſcripta Theodoreti adverſus S. Cyrillum*, quæ Neſtorio faverent; non perſona, quæ ante finem Epheſinæ Synodi reconciliata, & Eccleſiæ ſuæ fuerat reſtituta, nulla amplius ſingulari mentione de ejus Libris adverſus Cyrillum facta: tandem *Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam*, in qua Cyrillum perinde, ac Neſtorium, & Rabulam Edeſſenum Prædeceſſorem ſuum arguit, Theodorum vero laudat; non perſona, quæ Neſtorio anathema dixit, cum ipſa Epiſtola Ibæ non genuina, ſed ſuppoſititia habeatur. Vigilius ſalvo honore Synodi Chalcedonenſis tria Capitula damnari non poſſe diu ratus, (in qua & Ibas cum Epiſtola ſua, atque cum Theodori commendatione probatus erat: & Theodoretus ſedi ſuæ reſtitutus) tandem aſſenſit, damnatis tribus Capitulis, ac fautoribus ſuis, revocatiſque quibuſcunque retroactis a ſe ipſo pro tuitione erronea trium horum Capitulorum. Sic vero hæc Conſtantinopolitana Synodus evaſit Oecumenica accedente S. Vigilio P., quamvis longum ſchiſma Occidentales multi duraſſent ob malam trium Capitulorum defenſionem. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

DAMNATUR ORIGENES CUM TRIBUS CAPITULIS.

VIGILIUS TANDEM ASSENSIT.

liv. 33. n. 43.

Sextum Oecumenicum Concilium fuit CONSTANTINOPOLITANUM III. an. 680. contra Monothelitas, qui unicam in Chriſto voluntatem adſtruebant, & unicam operationem. Ex quo ſequeretur juxta Eutychis damnatam ſententiam, unam tantum fuiſſe naturam. Monothelitarum auctores fuerunt circa annum 630. Cyrus Alexandrinus, & Sergius Conſtantinopolitanus. Celebratur in Trullo Concilium præſente Imperatore Pogonato Conſtantino, Præſidibus Agathonis P. Legatis Theodoro, & Georgio Presbyteris, nec non Joanne Diacono, qui poſtea dictus fuit Joannes V. In numero Epiſcoporum enormiter variant Scriptores. Confirmatis Quinque prioribus Conciliis Generalibus, decretum eſt, duas in Chriſto voluntates, ac totidem actiones eſſe, quot in eo ſunt naturæ: & qui ſecus docuerant, damnati ſunt Cyrus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, & Theodorus Pharanita, tamquam impii Monotheliſmi duces, & fautores. Anathematizatur quidem Honorius P., qui Heraclio Imperatore Monothelitarum iniquiſſimo defenſore ſederat. Verum hanc ab illo depellit calumniam Joannes IV., qui ſecundus poſt Honorium ſederat; ubi docet, Sergio de una in Chriſto voluntate ſubdole interroganti Honorium reſpondiſſe: duas non fuiſſe in Chriſto repugnantes, & contrarias voluntates, cujuſmodi experimur noſtram naturam, & vo-

CONSTANTINOPOLITANUM III. ERROR MONOTHELITARUM.

LEGATI ROMANI.

EPISCOPORUM INCERTUS NUMERUS.

CONFIRMANTUR SYNODI QUINQUE GENERALES.

DAMNANTUR MONOTHELITÆ.

DAMNATUR HONORIUS P.

PURGATUR.

Digitized by Google

Ration. Temp. *p.* 1. *l.* 8. *c.* 1. Hiſt. Monothelit. *edit. Pariſ.* 1678.

Explicatur ejus damnatio.

liv. 40. *n.* 11.

& voluntatem. Cœterum naturas in Illo duas, totidemque voluntates ab Honorio agnitas fuiſſe, recenſet Dionyſius Petavius. Bona mihi in primis videtur animadverſio Tamagnini Veneti, quia, licet Honorius erraſſet in fide, non fuit hæreticus, cum hanc ſuam doctrinam nulla pertinacia defenderit, quæ nondum fuerat in Synodo aut examinata, aut damnata. Hæretica evaſit opinio. Hæreticus nondum fuit opinans, donec judicium Eccleſiæ non damnaverit errorem. Erravit Honorius, ut Doctor privatus, non erravit, ut Caput Eccleſiæ, ſuam privatam ſcripſit opinionem, nihil definivit. Quæ cum ita ſint, videtur Synodus in animo habuiſſe, *ſcripta* potius, quam perſonam Honorii damnandi. His conditionibus, & in hoc ſenſu Leo II. Synodum Oecumenicam confirmavit mortuo Agathone. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

Nicænum II.

Iconoclastarum Origo.

Damnantur.

Damnantur nulliter Sacræ Imagines.

Infelix exitus Constantini Copronymi.

Pax Ecclesiæ.

Septimum Concilium Oecumenicum fuit NICÆNUM II. anno 787. contra Iconoclaſtas, qui Sacrarum Imaginum cultum damnabant, tamquam Idololatriam. Perſuaſit nefarium dogma Leoni Imper. Conſtantinus Epiſcopus Nacolienſis in Phrygia circa annum 726., fruſtra reſiſtente Patriarcha Conſtantinopolitano Divo Germano. Ceſſit hic loco ſuo, cum ſe nihil amplius proficere doleret. Per vim ſubſtituitur Anaſtaſius impius, ut par erat. Ferali Edicto Sacræ Imagines fuerant proſcriptæ. Defenſores multi, Martyres multi. Hanc novam Leonis inſaniam cum Romanus Pontifex Gregorius III. nullo pacto frænare quiviſſet, Imperatorem, & Iconoclaſtas in Concilio Romano an. 732. privavit Catholica communione, ac Romam, & reliquam Italiam ab Imperio Græcorum avulſit, quibus tributum pendere prohibuit, auxilio Francorum fretus. Mortuo hæretico patre ad annum 741., deterrima longe ſoboles Conſtantinus Copronymus ſucceſſit, qui Catholicos, præſertim Monachos diriſſimis affecit ſuppliciis, & Sacras Imagines in Pſeudo-Conſtantinopolitana Synodo anno 754. damnari juſſit. Imperavit annos triginta quatuor, atque infelix obiit anno 775., poſtquam jam jam moriturus *ſe ob dehoneſtatam Beatam Virginem Dei Genitricem*, *æterno damnatum incendio* clamaſſet, eique impoſterum deferendum veterem cultum nimis ſero præcepiſſet. Leo III. nec avo, nec patre melior poſt annos quinque anno 780. extinctus eſt, quia manus Domini tetigit etiam hunc redivivum Antiochum. Affulſit tandem nova lux, Conſtantinus Porphyrogenitus, & Irene mater tutrix. Fuit hæc Fæmina ſapientiſſima, quæ optimo Stauracii Patricii conſilio uſa, pietatem reſtituit antiquam, & violatum Sacrarum Imaginum cultum. Paulus Conſtantinopolitanus pœni-

Digitized by Google

pœnitentia ductus, quod Evangelium hactenus erubuiſſet, blanditiis, atque minis hæreticorum turbatus, abdicavit ſuam Eccleſiam. Irene Taraſium ſucceſſorem nominat, qui non potuit induci ad acceptandum adverſis rebus graviſſimum onus, antequam Conſtantinus, & Irene in cogendam legitimam Oecumenicam Synodum conſentirent. Conſenſerunt. Convenerunt Epiſcopi Conſtantinopolin an. 786., unde propter tumultus Iconoclaſtarum diſcedere oportuit re infecta. Convenerunt iterum anno ſequenti Nicæam Epiſcopi CCCLXXVII., præter Abbates, & Monachos, Præſidentibus Hadriani P. Legatis, Petro Archipresbytero Eccleſiæ Romanæ, alioque Petro Abbate Sancti Sabæ, aliiſque Patriarcharum Orientis Vicariis intervenientibus, cum propter hoſtiles incurſus ipſimet forte metuiſſent accedere. Reſcinditur falſum Conſtantinopolitanum Conciliabulum an. 754. Damnatur Iconoclaſtarum hæreſis. Reſtituitur vetus Sacrarum Imaginum cultus. Præcedentia quoque Generalia Sex Concilia confirmantur. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

Synodus legitima, translata Nicæam.

Numerus Epiſcoporum, et Legati Papæ.

Iconoclastæ damnantur. Confirmantur Synodi Sex Generales. *liv.* 44. *n.* 8.

Octavum Concilium Oecumenicum fuit CONSTANTINOPOLITANUM IV. an. 869. Cauſam exponit doctiſſimus Jeſuita Dionyſius Petavius. Sanctus Ignatius Michaelis Curopalatæ Imp. filius an. 847. fuit electus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & poſt annos undecim pulſus ſua ſede, quod Theodoram Auguſtam negaret tondere, & Bardam Cæſarem inceſtuoſum communione privaſſet. Bardas, qui Michale III. Imp. Nepote ſuo, regebat arbitrio ſuo Imperium, Eunuchum Laicum Photium Patriarcham dixit. Hic Photius contra Sacros Canones ordinatus fuit a Gregorio Syracuſano Epiſcopo, propter atrocia crimina ante quadriennium depoſito in Concilio. Photius an. 861. Ignatium contra Sacros Canones in Conciliabulo Conſtantinopolitano damnavit, duobus Pontificiis Legatis Zacharia, & Rodoaldo enormiter deceptis, & non in hunc finem miſſis, injuſtam ſententiam confirmantibus. Divus Nicolaus P. iniquam revocavit Ignatii damnationem, & ſtultam Legatorum confirmationem, qui miſſi fuerunt in cauſa Iconoclaſtarum, non in cauſa Ignatii: unde in Concilio Romano an. 863. depoſiti ſunt Photius, Gregorius ejus conſecrator, & Zacharias unus ex Legatis. Alterius Rodoaldi abſentis cauſa dilata fuit ad aliam Synodum. Ignatius reſtitutus fuit in integrum. Rodoaldus anno ſequenti depoſitus fuit. Photius propter ea quoque, quæ Nicolaus apud Bulgaros contra illum egit, Romanum Pontificem deponere, atque excommunicare veritus non fuit in Conciliabulo

Constantinopolitanum IV. Causa. *ſupra c.* 12.

Ignatius exul.

Sacrilega Photii Ordinatio.

Damnatur Ignatius deceptis Legatis.

Cuncta reſtituit Romanus Pontifex.

Photii dementia.

anni

anni 866., præſentibus Imperatoribus Michaele, & Baſilio, Legatiſque Primarum Orientalium Eccleſiarum, atque Epiſcopis Patriarchatui ſuo ſubjectis, nec non integro Senatu. Hæc duriſſimi Orientalium ſchiſmatis mala Origo, Photio autore. Occiſo autem Michaele Baſilius Macedo an. 867. Photium relegavit, Ignatium innocentem ab exilio revocavit. Imperator Conſtantinopolitanum IV. Concilium Generale anno 869. indixit, cui ſæpius intervenit ipſe Imperator cum Auguſtis Filiis, viginti Patritiis, tribuſque Ludovici II. Imp. Legatis. Præſederunt Hadriani II. Legati, Donatus, & Stephanus Epiſcopi, Marinus Diaconus, qui poſtea ad apicem Summi Pontificatus pervenit. Hi nomine Oecumenici Concilii Photio, Gregorio Syracuſano, Eulampioque Apamenſi anathema dixerunt, anathema Monothelitis, & ipſi Honorio, anathema Iconoclaſtis, Honorii inquam ſcriptis, non perſonæ. Confirmantur præcedentia Septem Generalia Concilia. Confirmatur Nicolai I., & Hadriani II. Decretum contra Photium ſchiſmaticum. Poſt Legatos, & Patriarchas ſubſcripſerunt Baſilius, Regiique Principes, ſubſcripſerunt Epiſcopi reliqui CII. legitimi, quia ſchiſmatici reliqui non ſunt admiſſi. Mortuo Ignatio octogenario Baſilius anno 879. exulem Photium ſedi ſuæ reſtituit, de Imperatore propter vanam generis ſui genealogiam recens benemeritum. Quid plura? Joannes VIII. Paulum Anconitanum, Eugenium Oſtienſem, & Presbyterum Cardinalem Petrum Legatos miſit ad Synodum Conſtantinopolitanam anno 879., qui Photium confirmarent, laudibus, & donis exornatum novis. Deſideraverat Papa imprimis, ne Photius ſuam Sedem inconſulto Romano Pontifice intraret: imo ut veniam peteret in pleno Concilio de præteritis malis in Eccleſia Dei patratis: tandem ne Sedis Apoſtolicæ juriſdictionem apud Bulgaros amplius turbaret. Cuncta autem hæc omiſſa, & oppreſſa ſunt. In eodem Concilio damnata fuit celebris additio *Filioque*, eo quia nec in Symbolo Nicæno, nec in Symbolo Conſtantinopolitano hujus additionis mentio facta fuerit. Hæc Synodus forte nondum impreſſa, ſervatur manuſcripta in Bibliotheca Vaticana, quam poſthac Græci Schiſmatici non dubitarunt pro Octava Oecumenica Synodo citare, rejecta vera Octava Oecumenica Synodo an. 869. Ad calcem Manuſcripti Vaticani legitur ſuſpecta Joannis VIII. epiſtola, quæ non probat quidem additionem *Filioque*, cum ſit noviſſima: ſed dicit ita tolerandam eſſe, ut nemo cogatur ad deponendam ipſam hanc opinionem inveteratam. Si tamen hæc epiſtola ſit genuina, ſane Joannes VIII. nimium indulſit Baſilio, & Photio. Credidit

Photio relegato Ignatius redit. Legitima Synodus.

Legati.

Damnantur Schismatici, et Hæretici.

Confirmantur Septem Generales Synodi. Ordo subscriptionum.

Quare sit restitutus Photius mortuo Ignatio?

Damnatur iniqua *ly Filioque*.

Digitized by Google

didit quidem Spiritum Sanctum æque a Patre, & Filio procedere, quæ proceſſio voluntatis eſt, & voluntas eadem: diſſimulavit autem rem aperto calamo declarare, forte ne ſibi diſſentientem Imperatorem agat infenſum, quem contra Saracenos Italiam devaſtantes invocaverat: forte ne Photium ipſum diſſentientem magis irritet, quem ſatis metuebat, ne quid contra Bulgaros innovaret, quos Sedes Apoſtolica ſibi ſoli ſubjectos jam redderet. Quod vero Joannes VIII. non recte inceſſiſſet, confirmant ejus ſucceſſores duo, qui redamnato Photio reſciderunt, quidquid Joannes pro ipſo contra Eccleſiaſticas regulas attentaſſet. Fuerunt hi Marinus, vel Martinus II., & Hadrianus III. Inciderat forte Photius in priſtinum errorem, quem adverſus Latinos in Epiſtola Dogmatica ad Patriarcham Aquilejenſem per illud tempus peſſime confirmaverat. Mortuo Parente Leo Philoſophus an. 886. miſit illico duos Proceres ad Eccleſiam Majorem Sanctæ Sophiæ, qui Ambonem aſcendentes perlectis Photii continuis criminibus, eum ſua ſede pepulerunt, atque in Monaſterium Armenorum exulem detruſerunt, Stephano Syncello Imperatoris fratre ſubrogato. Quam depoſitionem Formoſus P. confirmavit. Cœterum Synodus Conſtantinopolitana anno 869. ultima Oecumenica Synodus fuit, quæ in Oriente fuit celebrata. Peſſimum ſchiſma non tulit amplius. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

JOANNIS VIII. FACTUM NON PROBATUR.

PHOTIUS ITERUM IN MONASTERIUM DETRUSUS.

QUARE HÆC ULTIMA GENERALIS SYNODUS IN ORIENTE? *liv. 51. n. 26.*

Nonum Concilium Oecumenicum fuit LATERANENSE I. anno 1123. celebratum a Calixto II., intervenientibus Epiſcopis trecentis, & ultra, Abbatibus ferme ſexcentis. Inter Pontificem, & Henricum V. conditiones pacis firmantur de Liberis Electionibus, nec non de Inveſtituris per Annulum, & Pedum Romano Pontifici circa ſpiritualia privilegia, per ſceptrum vero Imperatori circa temporalia jura competentibus. Imperator cum ſuis abſolvitur ab Eccleſiæ cenſuris. Acta Burdini Bracarenſis Antipapæ ſub nomine Gregorii VIII. reſcinduntur. De Bello Sacro aut contra Saracenos in Paleſtina, aut contra Mauros in Hiſpania proviſum fuit. Prohibentur Abbates, & Monachi pœnitentiam publicam indicere, infirmos viſitare, Unctiones peragere, Miſſas ſolemnes cantare; coguntur que ab Epiſcopis Diœceſanis Chriſma, Altaris Conſecrationem, atque Ordines petere. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

LATERANENSE I.

PAX CUM IMPERATORE.

GREGORIUS VIII. ANTIPAPÆ.

USURPATIONES MONACHORUM RESTRICTA.

liv. 67. n. 31.

Decimum Concilium Oecumenicum fuit LATERANENSE II. anno 1139. celebratum ab Innocentio II., intervenientibus pene mille Epiſcopis; in quo Arnaldus Brixienſis, Petrus de Bruis, aliique ſpurciſſi-

LATERANENSE II. HÆRETICI DAMNATI.

Digitized by Google

mæ hujus farinæ homines, damnantur: quorum fatui clamores erant, Clericos illos non poſſe ſalvos fieri, qui propria poſſident bona, non Epiſcopos, qui poſſident dominia, non Monachos, qui poſſident immobilia: res omnes ſpectare ad Principes, quas vero ſolis Laicis diſtribuere liceret: Clerum decimis, & oblationibus fidelium frugaliter vivere debere. Cœterum de Euchariſtia, & de Baptiſmo Infantum valde ſuſpecti erant. Acta Petri Leonis Antipapæ ſub nomine Anacleti II. reſcinduntur, Schiſmatici deponuntur, Rogerius Rex eorum fautor excommunicatur. Hic paullo poſt abſolvitur a capto Pontifice, cum quo amicitiam inivit, & fœdus. Multa in eodem Concilio ad conſervandam Eccleſiaſticæ Diſciplinæ dignitatem ordinantur. Laici incapaces decimarum Eccleſiæ declarantur. Canonicis ſecularibus anathema dicitur, qui ab electione Canonica Monachos, & alios Regulares Canonicos excludere præſumerent. Forte jam ſoli Epiſcopos ſuos eligere tentabant excluſis Laicis, & reliquo Clero tam Seculari, quam Regulari. Prohibentur torneamenta, & quæcunque ſingularium certaminum ſpecies. Damnantur hypocritæ fœminæ, quæ domi ſuæ ſuſpectos hoſpites ex ficta miſericordia ſuſciperent. Religioſis fœminis interdicitur Chorum alternare cum Canonicis, aut Monachis quibuſcunque. Damnantur novi Manichæi, qui Sacramenta rejiciebant. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

[Anacletus II. Antipapa. — Rogerius Rex amicus Papæ. — Canonica electio. — Canones varii. — *liv.* 68. *n.* 54.]

Undecimum Concilium Oecumenicum fuit LATERANENSE III. an. 1179. celebratum ab Alexandro III., concurrentibus Epiſcopis trecentis, & duobus, in quo de electione Romani Pontificis agitur, neminem electum iri, niſi qui a duabus Cardinalium in Conclavi exiſtentium partibus electus fuerit. Acta Octaviani Antipapæ ſub Victoris IV. nomine, Acta Guidonis Cremonenſis Antipapæ ſub Paſchalis III. nomine, Acta Joannis Hungari Antipapæ ſub Calixti III. nomine reſcinduntur. Schiſmate ejurato ſinguli ad communionem recipiuntur. VValdenſes, Albigenſes, & Cathari totam legem ſubvertentes anathematizantur. Brabantiones, Arragonenſes, Navarrenſes, Baſquos, Cotarellos, Triaverdinos, atrociſſimum Prædonum genus, armis Laicorum extirpandos eſſe Sancta Synodus præcipit. Multa quoque ad promovendam Eccleſiæ diſciplinam ſtatuuntur. Finito Concilio quartus Antipapa Laudus Frangipanus ſub nomine Innocentii III. ſubmiſit ſe vero Pontifici. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

[Lateranenſe III. — Modus eligendi Romani Pontificis. — Antipapæ repreſſi. — Hæretici damnati. — Novus Antipapa emendatus. — *liv.* 73. *n.* 18.]

Duodecimum Concilium Oecumenicum fuit LATERANENSE IV. an. 1215. celebratum ab Innocentio III., concurrentibus ſexcentis duodecim

[Lateranenſe IV.]

decim

Digitized by Google

decim Epiſcopis, quos inter Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus Patriarcha, Latinus uterque, Primates, & Metropolitani ſeptuaginta unus, Abbates, & Priores ultra octingentos, præter oratores Principum, & abſentium Procuratores. Epiſcopi Germaniæ, atque Hungariæ multi ſe excuſarunt, quod hi cum Andrea II. Rege, illi cum Friderico II. Imperatore ad bellum Palæſtinum paraſſent iter. Damnatur error de quaternitate, quem Abbas Joakimus docuit bona fide, non perſona, cum vir piiſſimus ſuos Libros Apoſtolicæ Sedi ſubmiſerit, & in odore ſanctitatis anno 1202. prope Conſentinam in Calabria Civitatem obierit. Damnatur Almaricus hæreticus, qui per idem tempus Pariſiis docuit, quod quilibet Chriſtianus teneatur de fide credere, ſe eſſe membrum Chriſti, ſine qua fide nemo ſalvari poterit. Multos alios errores docuerunt ejus Diſcipuli, qui anno 1210. mortuo Magiſtro damnati ſunt ultimo ſupplicio. Damnantur Albigenſes, & quicunque alii Hæretici, ad quos debellandos invitantur Principes. Plura de reunione Græcorum circa proprios ritus, & linguam vulgarem tractantur. Duos unius Eccleſiæ Epiſcopos rejicit Sancta Synodus, quaſi unius corporis duo monſtruoſa Capita. Ordo Patriarcharum ſtabilitur, occupata a Latinis ante annos undecim Conſtantinopoli, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. Multa de Cruce ſignatis, multa de Eccleſiaſtica Diſciplina ordinantur. Primum forte hoc Concilium fuit, in quo verbum illud *Tranſubſtantiatio* reperiatur, licet in Autoribus ante annos centum exiſtentibus legatur paſſim. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

ERROR DE QUATERNITATE DAMNATUR.

ERROR ALMARICI.

DAMNANTUR ALII HÆRETICI. REUNIUNTUR GRÆCI MULTI.

ORDO PATRIARCHARUM.

VOX *Tranſubſtantiatio.*

liv. 77. *n.* 40.

Decimumtertium Concilium Oecumenicum fuit LUGDUNENSE I. an. 1245. celebratum ab Innocentio IV. præſentibus centum quadraginta Epiſcopis præter inferiores Prælatos, & abſentium Procuratores. Interfuerunt Cardinales, & Patriarchæ tres Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Aquilejenſis. Interfuerunt Legati Friderici II., & aliorum Principum. Interfuerunt Balduinus Latinorum Imperator, & Raimundus Tholoſæ Comes, qui ſe mediatores inter Pontificem, & Imperatorem infelici exitu obtulerunt. Hic enim abſens excommunicatur, atque deponitur ab Imperio, quod tamen nunquam depoſuit, donec vixerit. Balduinus petit auxilium contra rebelles Græcos. De bello ſacro multa, multa de Diſciplina Eccleſiæ agitantur. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

LUGDUNENSE I.

FRIDERICUS II. EXCOMMUNICATUR.

liv. 82. *n.* 23.

Decimumquartum Concilium Oecumenicum fuit LUGDUNENSE II. an. 1274. celebratum a Gregorio X., concurrentibus, præter Cardinales,

LUGDUNENSE II.

Digitized by Google

Principum Legatos, & abſentium Procuratores, Epiſcopis quingentis, Abbatibus ſeptuaginta, aliiſque mille inferioribus Prælatis. Interfuerunt Latinus Patriarcha Conſtantinopolitanus, & Antiochenus. Inter honoratiores Laicos comparuerunt VVilhelmus M. Magiſter Hoſpitalariorum, & Robertus M. Magiſter Templariorum. Jacob I. Arragonenſis Rex, Maurorum debellator, ab initio diſceſſit, iratus Pontifici, quod recuſaret ei coronam imponere, antequam Petri parentis tributum Apoſtolicæ Sedi ſolviſſet. Admiſſi ſunt Tartarorum Legati ſexdecim ad ineundum fœdus cum Chriſtianis contra Muſulmanos. Græci autore Michaele Paleologo ad priſtinam Romanæ Eccleſiæ obedientiam, atque concordiam recipiuntur, imprimis quoad additionem *Filioque*, & quoad Primatum Romani Pontificis conſentientes, quidquid tunc contradixiſſet Joſeph Patriarcha Conſtantinopolitanus. Actum eſt in eodem Concilio de electione Romani Pontificis, & de Diſciplina Eccleſiæ. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

REX ARRAGONENSIS DISCEDIT IRATUS.

TARTARORUM LEGATI. GRÆCORUM REUNIO.

liv. 86. n. 36.

VIENNENSE.

Decimumquintum Concilium Oecumenicum fuit VIENNENSE in Delphinatu anno 1311. celebratum a Clemente V., concurrentibus Epiſcopis pluſquam trecentis præter inferiores Prælatos, & abſentium Procuratores, nec non Legatos Principum. Interfuerunt Patriarchæ Alexandrinus, atque Antiochenus. Ordo Templariorum abolitus fuit, promotore Philippo Pulchro, & vindice, qui cum fratre, & tribus filiis Regiis feralis ſententiæ teſtis eſſe voluit, bonis partim Fiſco adjudicatis, partim Hoſpitalariis fratribus, qui contra Infideles continuo pugnabant. Actum eſt de recuperanda Terra Sancta. Antiquæ querelæ Regis contra defunctum Bonifacium VIII. ſopiuntur, ſalvo utriuſque partis honore. Damnatur Fraticellorum, Dulciniſtarum, Beguardorum, & Beguinarum hæreſis. Ideo Conſtitutiones aliæ contra Hæreticos, aliæ circa mores editæ ſunt, quæ hodie Clementinæ ſonant. Volvantur Acta. Legatur Claudius Fleury.

TEMPLARII EXTINCTI.

DAMNANTUR HÆRETICI.

liv. 91. n. 52.

CONSTANTIENSE.

PRÆCESSIT PISANUM.

Decimumſextum Concilium Oecumenicum fuit CONSTANTIENSE anno 1414. Præceſſerat quinquennio Piſanum pro remedio ſchiſmatis a Cardinalibus utriuſque obedientiæ initum, convenientibus Cardinalibus viginti duobus, Patriarchis quatuor, Archiepiſcopis duodecim, & aliorum abſentium Procuratoribus quatuordecim, Epiſcopis octoginta, & aliorum abſentium Procuratoribus centum duobus, Prioribus quadraginta uno, Generalibus Ordinum Mendicantium quatuor, Deputatis Univerſitatum tredecim, & ultra, Deputatis Capitulorum Cathedralium cen-

centum, & ultra, Doctoribus Theologiæ, & Canonum trecentis, & ultra. Intervenerunt Legati multorum Principum, ſupremus Magiſter, Rhodienſis cum Equitibus ſuis Commendatariis ſexdecim, Prior Generalis Equitum Sancti Sepulchri, Procurator Generalis Teutonicus nomine totius Ordinis. Petrus de Luna ſub nomine Benedicti XIII., & Angelus Coriarius ſub nomine Gregorii XII. citati, & infra ſtatutum tempus non comparentes, deductis deducendis, in contumaciam quoque declarantur Schiſmatici, Hæretici, & ſecundum Sacros Canones ab Imperio amoti, & ab Eccleſia Catholica præciſi. Alexander V. eligitur, & quæcunque hactenus ad tollendum ſchiſma peracta fuerunt, penitus probat. Concilium novum Generale intra triennium fuit celebrandum. Hic finis fuit Concilii Piſani, quod tamen a multis hodie pro non legitimo Generali Concilio agnoſcitur, licet iidem nolint dubitare, an Alexander V., & ejus Succeſſor Joannes XXIII. fuerint legitimi Pontifices. Cauſa hujus ſori non eſt. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ.

ELECTIO ALEXANDRI V.

AN FUERIT USQUE AD FINEM CONCILIUM LEGITIMUM PISANUM?

XV. Siecle. Anneè 1409. n. 10.

Mortuo Alexandro V. Baltaſſar Coſſa Cardinalis S. Euſtachii, imprimis defuncto charus, Bononiæ electus anno 1410., vocari voluit Joannes XXIII. Hic indixit Concilium Oecumenicum, quod anno 1414. Conſtantiæ inchoavit, promotore Sigiſmundo Imperatore, concurrentibus Cardinalibus viginti, Archiepiſcopis viginti tribus, Epiſcopis viginti ſeptem, Patriarchis duobus, & Abbatibus plurimis præter Legatos Principum, aut abſentium Procuratores, nec non Petri de Luna, & Angeli Corarii Deputatos. Interfuit Imperator, cui nihil magis cordi fuit, quam ut penitus extinguatur infeliciſſimum ſchiſma. Mortuo enim Alexandro V. adhuc tres remanſerant Pontifices, Benedictus XIII., Gregorius XII., & Joannes XXIII. Tandem depoſitis his tribus eligitur verus Papa Martinus V., qui fuit Odo Cardinalis Columna. Hic finis pernicioſiſſimi Schiſmatis. Duravit Conſtantienſe Concilium annos quatuor, in quo pariter & defuncti VVicleffi, & viventis Joannis Huſſii damnata inſana hæreſi, Decretum fuit, quod, licet Chriſtus Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub utraque ſpecie inſtituerit, eundemque adminiſtrandi modum Eccleſia primitiva retinuerit, his tamen non obſtantibus conſuetudo Eccleſiæ, quæ ſub ſpecie panis a Laicis tantummodo ſuſcipitur, obſervanda ſit. Imo Joannes Huſſius, hæreſis convictus, & contumax, cum nullo pacto reſipiſcere curaſſet, degradatus, brachio ſeculari traditus, combuſtis impiis ſuis libris, anno 1415. Conſtantiæ inſpiciente innumerabili populo ipſemet combuſtus fuit. Anno ſequenti Hie-

ELECTIO JOANNIS XXIII.

CONSTANTIENSE.

ZELUS SIGISMUNDI.

ELECTIO MARTINI V.

DAMNANTUR HÆRESES.

SUPPLICIUM JOANNIS HUSSII, ET HIERONYMI DE PRAGA.

Digitized by Google

Hieronymus de Praga ejuſdem hæreſis convictus, quam paullo ante in eodem Concilio ejuraverat, relapſus, contumax, propter novam Apoſtaſiam Magiſtratui Civico traditus, in eodem loco flammis addictus miſere perivit. Nationes integræ occaſione Concilii de Reformatione & in capite, & in membris valde ſollicitæ fuerunt. Totum hoc negotium committitur Summo Pontifici poſt finem Concilii. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ.

XV.Siecle.Année 1414. n. 25. BASILEENSE.

Decimumſeptimum Concilium Oecumenicum fuit BASILEENSE anno 1431. indictum a Martino V. in primis ad Fidem Catholicam conſervandam, ad pacem inter Catholicos Principes promovendam, ad Eccleſiam in capite, & in membris reformandam. Martinus V. obiit

REVOCATUM. ATTENTATA PATRUM.

infecta re. Eugenius IV. confirmata Indictione, poſt ſecundam Seſſionem vetat Baſileenſes Patres ultra progredi. Progrediuntur tamen, & poſt varias rerum vices Eugenio depoſito Amadæum Sabaudiæ Ducem, quantumvis Laicum adhuc, ſalutant Romanum Pontificem ſub nomine Felicis V. Duravit Concilium, qualecunque fuerit, uſque ad annum 1448. Ex quo fuit ab Eugenio IV. rite revocatum, evaſit deinceps illegitimum. Eugenii quoque tamquam ſolius veri Pontificis juſtiſſima cauſa tandem

ELECTIO NICOLAI V.

triumphavit, cui ſucceſſit anno 1447. Nicolaus V., filius Bartholomæi Medici Sarzanenſis. Hic ſolus manſit verus, & legitimus Papa, poſt-

FATUM AMADÆI SABAUDIÆ DUCIS.

quam Amadæus renunciato non ſuo Pontificatu primum inter Cardinales locum, honoris cauſa ſortitus eſt: neque ab illo difficili tempore ſchiſma novum in Eccleſia comparuit, de quo maxime ſint laudes Deo. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ.

XV.Siecle.Année 1431. FLORENTINUM.

Decimumoctavum Oecumenicum Concilium fuit FLORENTINUM an. 1437., & 1438. Ferrariæ indictum, & an. 1439. translatum Florentiam. Interfuit ipſe Eugenius IV., & Joannes Paleologus CP. Imp. cum

UNIO GRÆCORUM.

ſuo Patriarcha Joſeph ante finem Concilii defuncto. Concordia initur utriuſque Eccleſiæ. Dogma ſtabilitur firmum de Proceſſione Spiritus Sancti ex Patre, Filioque, probata in Symbolo additione *Filioque*. Utrique Eccleſiæ ſervatur ſua conſuetudo, de azymo pane Latinis, de fermentato pane Græcis. Firmatur Doctrina de Purgatorio, & de Primatu Papæ juxta Canones. Confirmatur antiquus Ordo inter quinque Patriarchas. Subſcripſerunt ex Latinis Summus Pontifex Eugenius IV., Cardinales octo, Patriarchæ Latini duo, duo Epiſcopi Ducis Burgundiæ Legati, Archiepiſcopi octo, Epiſcopi quadraginta ſeptem, quos inter aliqui nondum fuerant conſecrati, Generales Ordinum quatuor, Abba-

tes

Digitized by Google

tes quadraginta unus. Multi re compoſita ante ſubſcriptionem diſceſſerunt. Ex Græcis ſubſcripſerunt Imperator, Patriarcharum Vicarii, Archiepiſcopi, & Epiſcopi præſentes quatuordecim, dignitates majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ quinque, Eccleſiarcha Monaſterii Regii de Sacro Monte, Abbates quatuor, & abſentium Epiſcoporum quinque Procuratores. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ. Ad finem Concilii advenerunt Legati Conſtantini Armenorum Patriarchæ, qui Concordiæ acceſſerunt, impetrata celebri formula, quam ſcripſit Eugenius IV. de Fide Catholica. Advenerunt an. 1441. Legati Patriarchæ Jacobitarum, quibus eadem inſtructio ad Armenos tradita fuit. Advenerunt Legati Regis Æthiopiæ, cum quibus nihil certi ſtabilitum fuit. Verum Græci aliqui inſtigante Marco Epheſino, qui in Concilio Florentino nunquam induci potuit ad ſubſcribendam unionem, rurſus a Romana ſocietate ſe divellunt, donec vix non omnes prævaricationem indignam intra paucos annos ſequuti fuerint. Tantam perfidiam Deus impunem non eſt paſſus, qui Mahometem II. ſuſcitavit ultorem. Hic an. 1453. totum Imperium capta Conſtantinopoli, & occiſo ultimo Imperatore Conſtantino deſtruxit; quod ingens, & extremum malum Græcis Apoſtatis ante biennium Nicolaus V. fruſtra prædixit.

ſupra Ann. 1439.

Accedunt Armeni, et Jacobitæ.

Græci multi turpiter deficiunt.

Puniuntur.

Decimumnonum Concilium Oecumenicum fuit LATERANENSE V. an. 1512., quod indixit Julius II. an. 1511., & an. 1517. Leo X. concluſit. Julius II. an. 1512. inchoavit primam Seſſionem concurrentibus Cardinalibus quindecim, Patriarchis duobus, Archiepiſcopis decem, Epiſcopis quinquaginta ſex, Abbatibus duobus, Generalibus Ordinum quatuor, nec non Legatis Hiſpanis, Venetis, & Florentinis. Acceſſerunt Legati Imperatoris. Verum poſt Seſſionem V. mortuo Julio II. Leo X. eodem anno 1513. electus Summus Pontifex celebrat Seſſionem VI. In hoc legitimo Concilio damnatur Conciliabulum Piſanum a quibuſdam Cardinalibus an. 1511. congregatum adverſus Julium II. promotore Ludovico XII. Galliarum Rege: qui Leoni X. reconciliatus Piſano Conventu rejecto Synodum præſentem Lateranenſem acceptat. Abolitio Sanctionis Pragmaticæ publicatur, cujus in locum ſucceſſit celebre Concordatum Bononienſe inter Leonem X., & Franciſcum I. anno 1515. initum, & anno ſequenti promulgatum in hac Synodo. Legati Petri Patriarchæ Maronitarum de Monte Libano obedientiam Leoni X. præſtant, communioni Catholicæ uniti opera Joannis Franciſci

Lateranenſe V.

Conciliabulum Piſanum damnatur.

Abolitio Sanctionis Pragmaticæ.

Maronitæ ſubjiciunt ſe R. P.

Miſ-

Digitized by Google

Miſſionarii Apoſtolici ex Fratribus Minoribus. Multa in eodem Concilio de reformandis moribus ordinata fuerunt. Finis hujus Concilii anno 1517. fuit. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ.

liv. 122. *n.* 125.

TRIDENTINUM.

Vigeſimum, & ultimum Concilium Oecumenicum fuit TRIDENTINUM, quo durante ſerius ocyus intervenerunt Cardinales Legati tredecim, Cardinales alii quatuor, Principum Oratores viginti, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi triginta tres, Epiſcopi ducenti triginta tres, Abbates quindecim, Ordinum Generales duodecim, Theologi, & Juriſconſulti centum quadraginta quinque, præter Legatos Principum, & abſentium Procuratores. Hæc nota concordat cum Majori Cathedralis Eccleſiæ Tridentinæ Calendario, cui conformis eſt lapis tunc poſitus ante Cryptam D. Maxentiæ, his diebus amotus propter novum ædificium Altaris D. Vigilii. Alii aliter numeraverunt. Paulus III. an. 1542. indixit Synodum Generalem contra recentiores Novatores, & ad reformandam univerſam Eccleſiam. Prima Seſſio fuit celebrata 13. Decemb. anno 1545. Julius III. anno 1548. mandat reaſſumi Concilium Tridentinum, quod Bononiam fuerat translatum. Ter ſalvus conductus datur Proteſtantibus, & aliis quibuſcunque ad Concilium accedentibus. Julius III. an. 1552. ſuſpendit Concilium propter bella. Pius IV. an. 1560. ſuſpenſionem tollit. In hoc Concilio damnantur recentiſſimæ potiſſimum Hæreſes, Fides Catholica confirmatur, Diſciplina Eccleſiæ reſtituitur. Finito Concilio anathema cunctis Hæreticis jaculatum fuit. Decretis ſalutaribus ſubſcripſerunt Legati quatuor, Cardinales duo, Patriarchæ tres, Archiepiſcopi viginti quinque, Epiſcopi ſexaginta octo, Abbates ſeptem, Procuratores abſentium viginti novem, Generales Ordinum ſeptem, omnes numero ducenti quinquaginta quinque. Concilium petiit ſe confirmari a Summo Pontifice. Confirmavit illud Pius IV. anno 1563. Volvantur Acta. Legatur continuator Hiſtoriæ Fleuryanæ. Hæc ſeries Generalium Conciliorum, quantum ſcire neceſſe eſt.

FINIS INDICENDÆ SYNODI.

Seſſ. XI.

Seſſ. XIII. XV. XVIII.

DAMNANTUR HÆRESES.

liv. 142.

DE

Digitized by Google

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICI JUDICIS

TITULUS IV.

HActenus ortum, & progreſſum Judicii Eccleſiaſtici obſervavimus, unde hæc poteſtas, quæ ſit a Deo, quæ ſit ab hominibus, quanta diſſidia, qui ſtatus modernus. Manet propius diſcernere, quæ ſit ordinaria, quæ ſit delegata juriſdictio. Ordinarii Judices ſunt ii, qui juriſdictionem exercent ex munere ſuo, & proprio nomine. Hujus ordinis ſunt Epiſcopi, eorumque Vicarii, Metropolitani, Primates, Papa, ipſi fortaſſis Nuncii Apoſtolici, Sacrum Collegium ſede vacante, Capitula ſede vacante, eorumque Vicarii, Capitula exempta etiam ſede plena, Abbates Monaſteriorum, Communitatum Religioſarum Superiores, aliique omnes, quibus de jure, aut de conſuetudine, aut de privilegio competit. Subdividitur ſæpe hæc ordinaria juriſdictio in contentioſam, quæ reſpicit proceſſus, & in voluntariam, quæ reſpicit reliquas cauſas, ſcilicet Ordines, Diſpenſationes, Beneficia conferendi. Delegati Judices ſunt ii, qui juriſdictionem exercent non propriam, ſed alienam, quibus committitur ab Ordinario Judice hoc, vel illud negotium determinatum cum facultate procedendi vel libera, vel determinata.

JUDICES ORDINARII.

DELEGATI.

Sanctiſſimus Dominus Papa Gregorius IX. de ſingulorum Officio tractat in ſuis Decretalibus, quæ ubique ſervari debent, quantum ſunt in uſu, aut recentioribus moribus fieri poterit pro varietate Provinciarum, quæ non minus ſuas producunt exemptiones, jura, conſuetudines, & privilegia. Idem ſentimus de iis, quæ Pontifices alii in Sexto, in Clementinis, & Extravagantibus Communibus, & aliis in locis provide ſcripſerunt.

DECRETALES QUOMODO SERVARI DEBEANT.

Alexander III. Delegato Papæ tribuit poteſtatem agendi non ſolum in partes, verum etiam contra impedientes juſtitiam, cui licebit cauſam ſubdelegare, quemadmodum Princeps Supremus facit: & hic ſubdelegatus a delegato Papæ juriſdictionem habens poterit coercere impedientes, prout affirmavit Innocentius III.. Tantam vero juriſdictionem Papa ſuo tribuit Delegato, ut ſe extendat etiam in Ordinarium, vel quemcunque majorem alium Epiſcopum.

c. 1. de offic. & poteſt. Judicis Deleg.

DELEGATUS PAPÆ.

c. 3. & 27. eod.

l. 5. Cod. *de Judiciis.*

c. 29. eod.

c. 11. eod.

Certum inſuper eſt, quod, ſi cauſa ſimpliciter ſit delegata duobus, aut tribus, ſententia unius, aut duorum tantum non teneat: neque cre-

c. 16. & 22. eod.

INFERIOR DELEGATUS.

c. 31. eod. *c. 1. de Procurat.* credendum Delegato, qui ſuam delegationem nondum legitimavit, non ſecus ac Procuratori non creditur, qui non oſtendit Mandatum Procuræ. Ideo nec Delegatus, nec Procurator poſſunt excedere fines Mandati, ultra quos ſine fraude, aut dolo vix proceditur. Contigit interdum, quod Mandatum vel ſit nullum, vel nimis reſtrictum: & tunc Procurator poteſt utiliter contrahere, ſalva tamen ratificatione ſui Principalis, cui res integra jacet, donec iſte ratificaverit. Atque ideo nullum præjudicium infertur juribus ſuis, unde plus æquo reclamare poſſit. Certum eſt, quod

Delegatus ad Univerſitatem causæ.

Delegatus ad Univerſitatem cauſæ æquiparetur. Delegato ſupremi Principis. Unde ſicut Delegatus ſupremi Principis ſubdelegare valet, Delegatus quoque ad univerſitatem cauſæ ſubdelegare valebit. Certum eſt,

Quamdiu duret delegatio? *c. 19. eod.*

quod juriſdictio Delegati re integra expiret morte mandantis. Poſt Lucium III. Innocentius III. jus dixit, quod morte delegantis non expiret juriſdictio Delegati, coram quo lis jam fuerit conteſtata. *Si vero ante litis conteſtationem deceſſit, non eſt a Judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujuſmodi procedendum.*

Ad quem sit appellandum?

Certum eſt, quod ad Subdelegantem, non ad Papam directe appellari debeat a Subdelegato, niſi Papæ aliter viſum fuerit. Sed nemo prohibetur, delegationem interdum revocare,

Revocari potest delegatio. Quæ sit ætas Delegati? *c. 41. eod.*

quemadmodum ipſum Procuratorem frequenter revocamus. Honorius III. meminit tandem, quæ ſit juſta ætas illius, qui delegari debet, ubi ait: *Cum vigeſimum annum peregeris, dari potuiſti in ætate hujuſmodi Delegatus. Cæterum conſtituto intra ætatem eandem (niſi partes ſcienter conſentirent in eum, qui annum decimum octavum tranſcendiſſet) facta delegatio ab alio, quam a Principe, non teneret.* Hæc omnia cum noſtris moribus concordant.

Antiquior Disciplina.

Antiquioribus temporibus Epiſcopi majoribus obruti negotiis vices ſuas in minoribus cauſis, præſertim in civilibus, & contentioſis demandarunt alicui certo Presbytero, vel Archidiacono. Arrogantes ſibi jam nimiam authoritatem frænari debuerunt Archidiaconi, qui ſibi videbantur propriam exercere juriſdictionem. Succeſſerunt Presbyteri nutu revocabiles, quos Epiſcopi Diœceſani Officiales ſuos, aut Vicarios nominaverunt, plures interdum in eadem Diœceſi, prouti neceſſitas poſceret. Dividuntur Regiones, & Plagæ, dividuntur munia, alio contentioſam, & clamoroſam, alio voluntariam, & gratioſam exercente juriſdictionem. Hoc in Majoribus Eccleſiis Metropolitanis obſervabatur, præſertim, ubi appellationes a Suffraganeorum ſententiis ad Sedem Metropo-

Officiales multi in Judiciis.

litanam interponerentur. Litibus auctis ubique augendi erant Judices, Aſſeſ-

Digitized by Google

Aſſeſſores, Miniſtri, Promotores, Fiſcales, Advocati, Procuratores, Syndici, Notarii, Cancellarii, Scribæ, Curſores, Apparitores, & Lictores, cum non amplius charitate antiqua, ſed magno ditandi ſtudio judicia paſſim inſtruerentur. Feliciores hodie non ſumus. Aviditas multa apud multos, exigua manſuetudo.

DE FORO COMPETENTI

TITULUS V.

EX ipſis præcedentibus Titulis hujus Quinti Libri facile diſcernimus, quales fuerint olim, quales adhuc ſint Eccleſiaſticæ cauſæ, & ad quem Judicem ſpectent, cum non ubique idem mos ſit, & in una Provincia juriſdictio Eccleſiaſtica altiores egerit radices, quam in alia. Loquor de illa, quæ ab homine venit. Quæ enim a Deo eſt, ubique eadem eſt. Forum competens declarabit, quis ſit Judex competens, hoc eſt, coram quo ſit introducenda hæc, vel illa cauſa, coram quo ſit proſequenda, atque terminanda. Competentia Judicis fundamentum eſt totius judicii, qui niſi ſit verus, & legitimus Judex, nec verum, nec legitimum erit ejus judicium.

COMPETENTIA JUDICIS EST FUNDAMENTUM JUDICII.

Forum autem varias aſſumit formas. Aliud eſt Forum delicti, ut ibi puniatur reus, ubi deliquerit. Solitum tamen eſt Eccleſiaſticis moribus, ut, ſi alienæ Diœceſis Clericus in aliena Diœceſi graviter deliquerit, capiatur, & ad ſuum Diœceſanum Epiſcopum mittatur, qui Proceſſum inſtituat de more, & delinquentem juxta criminis qualitatem puniat. Atque adeo nemo niſi coactus punit propter naturalem manſuetudinem. Quare pluribus hic abſtineo, quod ſim plura loquuturus ſuo loco.

FORUM DELICTI.

Aliud eſt Forum Domicilii duplex, originis, & habitationis, quia Cajus ſcribit: *Incola & his Magiſtratibus parere debet, apud quos incola eſt, & illis, apud quos Civis eſt.* Incola autem fit propter habitationem, Civis propter originem. *Cives quidem origo, manumiſſio, allectio, vel adoptio: incolas vero (ſicut & Divus Hadrianus Edicto ſuo manifeſtiſſime declaravit) Domicilium facit. Et in eodem loco ſingulos habere Domicilium non ambigitur, ubi quis larem, rerumque, ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet: unde cum profectus eſt, peregrinari videtur; quod ſi rediit, peregrinari jam deſtitit.* Hodie non amplius Decennium, ſed quicunque animus permanendi in loco, in quo degere velis ad majorem anni partem, ſufficit ad contrahendum

FORUM DOMICILII. *l.* 29. D. *ad municipalem, & de incol.*

l. 7. Cod. *de incolis.*

 quaſi

Digitized by Google

quaſi domicilium ſaltem quoad cauſas Eccleſiaſticas. Quamobrem a Judice loci conveniri poſſunt ſervi, atque ſtudioſi, qui non ſint privilegiati, quales ſunt ii, qui in Academiis, & Univerſitatibus dependent a Rectore Magnifico.

FORUM REI SITÆ. *l. fin.* Cod. *ubi in rem actio exerceri debeat.*

Aliud eſt Forum rei ſitæ, in quo habet actor realem actionem contra rem mobilem, vel immobilem, quæ ſita eſt in territorio Judicis: quæ res in hoc territorio debuit eſſe ſita permanenter, non tranſeunter. Judex autem contra rem, non contra perſonam procedit, niſi reus ſit ſuſpectus de fuga, nec aliam ſufficientem cautionem dare valeat.

FORUM CONTRACTUS.

Aliud eſt Forum contractus, vel quaſi contractus, in quo contractus perficiebatur. Ibi enim conveniri poteſt contrahens plerumque, niſi diverſæ ſint Contractui adjunctæ conditiones, quibus tamquam certo pacto ſtandum erit.

FORUM PROROGATIONIS. *l.* 1. & 2. D. *de Judiciis.* *l.* 1. & 2. Cod. *qui legitimam perſonam ſtandi in judicio habent.* *c.* 12. & 18. *de Foro competenti.*

Aliud eſt Forum prorogationis, quando partes litigantes conſentiunt in Judicem alias incompetentem, cui juriſdictionem mutuo conſenſu tribuunt. Arbitrum, & Compromiſſarium dixeris. Juriſdictionem prorogare nequeunt Minores, & Pupilli ſine authoritate Curatoris, & Tutoris, quia non habent legitimam perſonam ſtandi in judicio. Negant porro Canones tam in Criminalibus, quam in Civilibus cauſis, Eccleſiaſticum hominem ſimpliciter prorogare poſſe juriſdictionem Laici, etiamſi juramento id firmaſſet. His non obſtantibus cum in aliquibus locis Clerici ſubſint Foro Seculari quoad negotia civilia, videtur Clericos in tali caſu prorogare poſſe juriſdictionem Laici Judicis quoad eadem negotia civilia. Negant pariter Leges Seculares, Laicum prorogare poſſe juriſdictionem Eccleſiaſtici Judicis, niſi in cauſis ſpiritualibus, quæ ſoli Eccleſiaſtico Judici competunt.

FORUM SPIRITUALE.

FORUM CLERICORUM.

c. 1. *de Foro competenti.*

Quod autem magis facit ad propoſitum noſtrum, aliud eſt Forum ſpirituale, in quo Judex Eccleſiaſticus Laicos ipſos judicat in cauſis ſpiritualibus, & in aliis, quæ de jure, & de conſuetudine pertinent illuc, quemadmodum monuimus ſatis. Hoc Forum ſpirituale ipſorum Clericorum Forum eſt, propter quos primario hic Titulus inſcribitur. Si Decretales conſulamus, manifeſtum eſt, quod Clericus ab alio Clerico coram Ordinario conveniri debeat; ubi proprius Epiſcopus audit, in cujus Diœceſeos Territorio Clericus accuſatus aliquam ex deſcriptis Fori multiplicis ſpeciebus ſortitus fuiſſet. Sub Foro rei ſitæ cadit Beneficiatus, qui ad reſidentiam tenetur. Niſi vero Beneficium ſit reſidentiale, adhuc is conveniri poteſt in cauſa Beneficium tangente. Idem erit obſervandum,

Digitized by Google

dum, ſi Laicus citet Clericum, quia ſemper actor ſequitur Forum rei. *c. 5. eod.*
Manifeſtum quoque eſt, quod nemo Judex Secularis ſine permiſſu Diœ- *c. 2. eod.*
ceſani ſui ſub pœna excommunicationis præſumere debeat Clericum
condemnare, niſi in caſibus vel a jure, vel a legitima conſuetudine de-
terminatis. Saltem nulla unquam in Cauſis Perſonalibus, vel in Per- CAUSÆ PERSONALES CLERICORUM EXEMPTÆ. SECUS FEUDALES.
ſonam Clerici Laico potuit eſſe juriſdictio. In cauſis Realibus diverſum
aliquando cogitat Alexander III., qui imo cauſam Feudalem per Domi-
num Feudi terminandam eſſe docet, quamvis Vaſſallus foret Clericus. *c. 6. & 7. eod.*
Fagnanus, ubi de exemptione Clericorum a Judicio Laico tractat, teſta- *ad c. 2. de Foro competenti.*
tur, fallere primo hanc regulam in cauſa Feudali: ſecundo in cauſa Ci- QUATUOR CASUS PRO JUDICE LAICO.
vilis reconventionis; puta, ubi ex conſuetudine locorum, & de con-
ſenſu ſaltem tacito Epiſcopi in Laicum Judicem quaſi fuerit compromiſ-
ſum: tertio in Clerico incorrigibili, cum Eccleſia non habeat, quid ul-
tra facere poſſit: quarto cum invocet Epiſcopus auxilium brachii ſecula-
ris. Alii plures numerant caſus, quos inter numeratur ille, ubi Clericus Seſſ. XXIII. 1563. *c. 6. de Reformat.*
non inceſſerit in habitu, & tonſura. Conſuetudo variis in locis varia eſt.

Celebris eſt ſententia Gregorii IX., quem multi allegant docentem, *c. fin. de Foro competenti.*
poſſe quemvis Clericum conveniri in Curia Romana, licet Forum alias AN OMNIS CLERICUS POSSIT CONVENIRI IN CURIA?
ibi non ſortiatur: quia Sedes Apoſtolica Omnium Eccleſiarum Mater eſt,
ac Magiſtra, vel quia juxta Modeſtinum: *Roma communis noſtra Patria* *l. 33. D. ad municipalem.*
eſt. Quidquid ſit de hac vaga Pontificis opinione, quam exteri Princi-
pes nec in prima inſtantia, nec in omnibus cauſis admittunt, clara eſt
Concilii Tridentini noviſſima mens, quam non prima vice proferimus: NOVISSIMUS ORDO.
Cauſæ omnes ad Forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi Be- Seſſ. XXIV. 1563. *c. 20. de Reformat.*
*neficiales ſint, in Prima Inſtantia coram Ordinariis Locorum dumtaxat cogno-
ſcantur, atque omnino ſaltem infra biennium a die motæ litis terminentur:
Alioquin poſt id ſpatium liberum ſit Partibus, vel alteri Illarum, Judices
ſuperiores, alias tamen competentes adire, qui Cauſam in eo ſtatu, quo fue-
rit, aſſumant, & quamprimum terminari curent: Nec antea aliis commit-
tantur, nec avocentur: neque Appellationes ab Eiſdem interpoſitæ per Su-
periores quoſcunque recipiantur, Eorumve Commiſſio, aut Inhibitio fiat, niſi
a Definitiva, vel a Definitivæ vim habente, & cujus gravamen per Ap-
pellationem a Definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur Cauſæ, quæ
juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas
ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Summus Romanus Pontifex per
ſpeciale Reſcriptum Signaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum
committere, aut avocare.* Non videtur, quod Sanctitas ſua, in ſuo Re-

gimi-

Digitized by Google

NON SOLENT INFRINGI GENERALES REGNORUM CONSTITUTIONES. *art. 19. 1471.*

gimine diſcreta, ſit unquam facile derogatura Generalibus unius Regni Conſtitutionibus: Qualis eſt illa ſingularis in Regno Hungariæ vetus Conſtitutio, ne quis Clericus ſub amiſſione Beneficii, ne quis Secularis ſub pœna Capitis, Judicibus Ordinariis Regni omiſſis, præſumat directe, & in Prima Inſtantia contra quempiam conqueſtum ire Romam; quamvis tandem per viam Appellationis, ſi voluerit, Maturioris Reviſionis gratia, Cauſam ſuam etiam in Curia Romana introducere poterit. Edictum Matthiæ Corvini Regis eſt, qui lucrum temporis, patrimonii, & perſonarum fecit.

Partie Troiſieme *chap. 5. n. 8.* SOLATIUM EPISCOPORUM.

Tam moderata & in Galliis Juriſdictio Eccleſiaſtica jacet, ut modeſtiſſimus Vir Claudius Fleury in ſuis Canonicis Inſtitutionibus pro ſolatio Epiſcoporum ſimilia ſcripſerit. Habent tamen Epiſcopi, quo Judiciorum multorum Orbitatem ſolentur, ſi perpendant, Juriſdictionem Eccleſiaſticam Origine tenus, & ex mente Evangelii non in eo conſiſtere, ut quamplurimæ Cauſæ coram Epiſcopis diſceptentur; Sed ut Diſceptationes Judiciales ab Epiſcopis præveniantur, & ſufflaminentur: licet hodie nec Lites inter ipſos Clericos, ut olim, impedire, nec tales ſemper Eccleſiæ Miniſtros eligere valeant, qui auferenti pallium etiam tunicam potius relinquunt, quam Charitatem Chriſtianam amant lædere. Hoc imprimis intelligitur, quod Epiſcopis multæ Laicorum Cauſæ ſint ſublatæ, quæ jam in Foro Sæculari diſcutiuntur.

c. 10. & 11. de Foro competenti. QUANDO LAICUS CITARI POSSIT IN FORO SPIRIT.? *c. 2. cod. in 6.*

Cœterum Innocentius III. ſenſit, quod Laicus Laicum in Foro Spirituali convenire nequeat, niſi in defectu Juſtitiæ Sæcularis, & quantum legitima Conſuetudo ſinat. Nequit autem in Cauſa, quæ non ſit Eccleſiaſtica. Decrevit pariter Boniſacius VIII. Sæculares Judices cenſura Eccleſiaſtica compeſcendos eſſe, qui Perſonas Eccleſiaſticas ad ſolvendum debita compellunt, in quas nullam habent juriſdictionem. Decrevit

c. 3. cod.

Laicum ratione Juramenti conveniri poſſe coram Judice Eccleſiaſtico ubi Clericus fidejuſſit, & ſolvit pro Laico: qui Laicus juramento promiſit Fidejuſſorem ſuum ſervare indemnem, & contra Juramentum agit. Non ubique auſim omnia tentare. Conſuetudo optima Legum interpres.

Præterea quæ ſint ſpiritualis Fori Cauſæ, multis in locis innotuit. Cum ſint mere ſpirituales Cauſæ, ferme idem ubique erit mos. Cauſas

VARIÆ CAUSÆ CLERICORUM.

Clericorum Perſonales Eccleſiaſtici Tribunalis eſſe, nullibi locorum facile controvertitur. Cauſæ Reales, & Mixtæ Clericorum offendunt plures contradictores. Uſus Te plura docebit, cui pro bono pacis, & pro augmento manſuetudinis noſtræ reſiſtere vix poſſumus. Neque enim

am-

Digitized by Google

amplius ſervatur ſatis celeberrima Conſtitutio Friderici II. Imp. mandantis: *Statuimus, ut nullus Eccleſiaſticam Perſonam in Criminali Quæſtione, vel Civili trahere ad Judicium præſumat Seculare contra Conſtitutiones Imperiales, & Canonicas Sanctiones. Quod ſi Actor fecerit, a ſuo Jure cadat, Judicatum non teneat, & judex ex tunc poteſtate judicandi privetur. Sancimus etiam, ut ſiquis Clericis, vel Eccleſiaſticis Perſonis juſtitiam denegare præſumpſerit, tertio requiſitus Juriſdictionem ſuam amittat.* Petrus Rebuffus cum aliis multis valde conqueritur, quod hæc Digniſſima Friderici II. Authentica in deſuetudinem abierit. Redit ſolatium, quod optima Immunitas ſit in Conſcientia recta. Hanc tollit nemo.

Constitutio Friderici II. *l.* 33. Cod. *de Epiſcopis, & Clericis in fine.*

In Proem. Conſtit. Gloſſ. 2. *n.* 33.

Ultimum Forum Epiſcoporum eſt in Cauſis Civilibus idem jam, ac reliquorum Clericorum, quemadmodum variæ Provinciarum Leges docent. In Cauſis Criminalibus vetus fuit nobis argumentum, ſuo ordine diſcuſſum, quas hodie ſolus Papa judicat. Olim omnes Epiſcoporum Cauſæ tam Civiles, quam Criminales in Synodo Provinciali communiter terminabantur.

Forum Episcoporum.

Seſſ. XXIV. 1563. *c.* 5. *de Reformat.*

DE CIVILI FORMA JUDICII ECCLESIASTICI

TITULUS VI.

Quæ ſint Cauſæ Eccleſiaſticæ, quis competens Judex, quæ Conſuetudo antiquior vel arbitrii in Sæcularibus Cauſis, vel charitatis in Spiritualibus Cauſis, quæ juriſdictio a Deo, quæ ab homine, omnia juſta lance ponderavimus. De Forma Judicii monemus ab initio, Eccleſiaſticos mutuaſſe a Juſtiniano magna ex parte Ordinem Judiciarium. Inſtaurator, & Compilator Forenſium ſolemnitatum apud Clericos fuit Gregorius IX., quemadmodum Decretales ſuæ nos docent. Illud certum eſt ex Concilio Lateranenſi an. 1215. ſub Innocentio III., quod ante Gregorium IX. judiciarius Ordo ſatis introductus fuerit. Statutum enim fuerat ibi; *ut tam in Ordinario Judicio, quam extraordinario Judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa Judicii acta conſcribant: videlicet citationes, dilationes, recuſationes, exceptiones, petitiones, reſponſiones, interrogationes; confeſſiones, teſtium depoſitiones, inſtrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera,*

Unde judicii forma?

c. 11. *de probat.*

Seculi XIII. Ritus.

quæ

Digitized by Google

quæ occurrerint competenti ordine conſcribenda, loca deſignando, tempora, & perſonas.

ARGUMENTUM.

Ecce telam judiciariam univerſam, quam explicare intendimus, qua licebit perſpicuitate. Labor erit in brevitate, ne quid abſcondamus revelandum, neque propalemus, quod vel ignorare, vel apud alios Forenſes mendicare detur. Forenſis labor hic noſter non eſt, ſed Chriſtianus. Quærant alii vias diſcordiarum; nos pacis ſemitas calcamus. Alii inſtruunt ſuos ad lites, nos ad charitatem. Hic primarius operis noſtri ſcopus. In primis judicium eſt rei controverſæ apud Judicem competentem legitima diſceptatio: & in omni judicio concurrunt neceſſario Judex, Actor, & Reus. Actor in Civilibus cauſis petitor, in Criminalibus accuſator dicitur. Cauſæ vero omnes principales referuntur ad judicium exequutivum, poſſeſſorium, vel petitorium. Exequutivum, aut ſummarium eſt omne judicium, celerem habens expeditionem vel ex natura ſua, ſicuti cauſa matrimonialis, vel ex privilegio, ſicuti cauſa miſerabilium perſonarum. Poſſeſſorium petit rei poſſeſſionem vel adipiſcendam, vel retinendam, vel recuperandam. Petitorium petit rei dominium, & proprietatem. Cauſæ Eccleſiaſticæ plerumque ſummariæ ſunt, quamvis beneficiariæ præſertim, diuturnæ, & longiſſimæ non raro fiant. Judex enim ſolemnia judicii prætérire nequit, ne ſuſcitentur lites ſopitæ quidem, ſed nunquam extinctæ.

QUID SIT JUDICIUM?

ACTOR.

TRIPLEX JUDICIUM.

NATURA ECCLESIASTICÆ CAUSÆ.

c. 9. de Judiciis.

Jam ad hæc judicii ſolemnia deſcendamus. Janua erit conteſtatio litis, quæ plerumque conſiſtit in oblatione libelli. Neque enim actor communiter admitti debet ad introducendam litem, niſi libellum porrigat ſcriptum, in quo appareat, quis petat, a quo, quo jure, quid, & contra quem petat. Sive enim actor, ſive judex, ſive fundamentum, ſive cauſa, ſive reus non appareat, actio inepta, & nulla erit, quemadmodum Innocentius III., & Gregorius IX. ſentiunt.

CONTESTATIO LITIS.
c. un. de Litis conteſt.
LIBELLUS.

c. 2. & 3. de Libelli oblatione.

In multis locis hodie ſimplex citatio operatur illud, quod libelli oblatio operaretur. Eſt autem actus ille legitimus, vigore cujus vocamur in judicium, juris experiundi cauſa. Ad legitimam citationem requiritur, ut ſit ſcripta, & appareat nomen actoris, rei, judicis, cauſa, fundamentum, dies comparitionis, & ſubſcriptio notarii, quæ citatio debet committi, exequi, & reproduci. In defectum hujus privatæ citationis adhibetur publica, quæ fit voce præconis, aut tuba, aut edicto. Publicam memorat citationem Clemens V., & Gregorius IX.; & tunc locum habet, ubi privata nihil operatur. Privata interdum ſive verbalis

CITATIO PRIVATA, VEL PUBLICA.

Clement. unica de Foro competen. c. fin. de dolo, & contumacia.

Digitized by Google

PRIVATA ALIA REALIS, ALIA PERSONALIS.

lis eſt, ſive realis. Illa per curſorem, & ſimplicem apparitorem fit. Hæc per apprehenſionem perſonæ, quæ vel comparere recuſet, vel ſit ſuſpecta de fuga, vel ſit criminoſa.

EFFECTUS LITIS CONTESTATÆ. *l.* 8. Cod. *quomodo, & quando Judex &c. c.* 2. *& ſeqq. de dolo, & contumacia. c.* 1. *eod. in* 6. *c.* 19. *de Foro competenti.*

c. 5. *ut lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem.*

Lite conteſtata ſi reus infra legalem terminum non comparuerit, in contumaciam condemnabitur. Lite conteſtata inducitur præventio fori, & vitium litigioſi, quia lite pendente nihil innovandum eſſe, omnia jura clamant. Conſule Titulos in Decretalibus, Sexto, & Clementinis inſcriptos, ut lite pendente nihil innovetur. Tunc omnis præſcriptio nondum finita interrumpitur, & caſſatur, ac ſi nunquam incepta fuiſſet; quia ceſſamus bona fide, & pacifice præſcribere, ubi malitia ſupervenit. Et quamvis lite non conteſtata non procedatur ad teſtium receptionem, vel ad ſententiam definitivam, fallit regula, ubi forte timeatur de morte teſtium, vel abſentia diuturna, quia quilibet tenetur juribus ſuis proſpicere tempore opportuno. Fallit in cauſa matrimoniali, ubi periculum in mora: quæ ultima ratio tanti valet, ut ad plures alios caſus ſit extendenda. Suadet enim bonum, & æquum. Cœterum contumacia actoris cauſat, ut reus abſolvatur ab impetitis: contumacia rei cauſat, ut actori fiat, ſicuti petitur ab actore.

POENA VERÆ CONTUMACIÆ.

JURAMENTUM CALUMNIÆ.

l. 16. *&* 17. D. *de jurejurando. l.* 9. D. *de obſequio parentib. & patron. præſtando. c.* 2. *de juramento calumniæ. c.* 5. *eod. c.* 2. *eod. in* 6. *c. fin. eod.*

POENA RECUSANTIS.

Fuit interea juramentum calumniæ olim introductum, quale præſtare tenentur partes, ſi petatur. Hoc ſe ligant ipſæ, ut non animo lædendi, ſed animo proſequendi jus ſuum litigent. Juramentum calumniæ vaſſalli dominis, liberti patronis, liberi parentibus, & meo judicio quilibet inferior ſuo ſuperiori remittere debent. In ſpiritualibus cauſis Sacri Canones non requirunt juramentum calumniæ, ſed non recuſant, ubi partes conſentiunt. Imo Judex poterit illud exigere, quoties viderit expedire. Epiſcopi propoſitis tantum, non tactis Evangeliis jurant de calumnia. *Pœna vero recuſantis hoc juramentum, cum præſtandum fuerit, eſt, ut actor ab inſtituta cadat actione, reus autem haberi debeat pro confeſſo.*

INDUCIÆ VARIÆ.

l. 72. D. *de Judiciis. c.* 1. *&* 4. *de dilation. c.* 2. *&* 3. *eod.*

Novell. LIII. *cap.* 3. *l.* 16. Cod. *de Judiciis.*

Induciæ frequenter neceſſariæ ſunt in lite: & cum tres ſint potiores judicii partes, tria ſunt judicialium dilationum genera. Primus terminus litis eſt ipſa litis conteſtatio, in quo abſenti reo tres aliquando dantur induciæ citatoriæ; denegandæ, ubi reus potuit inſtructus eſſe, & non voluit. Aliæ ſunt deliberatoriæ, quæ concedebant olim reo dies viginti ad deliberandum, num velit litigare. Aliæ ſunt recuſatoriæ, & declinatoriæ, ubi Judex declaratur ſuſpectus, & incompetens. Juſtinianus providit, ut ſuſpecto Laico Judici adjungatur Epiſcopus Civitatis. Alter

Digitized by Google

l. 9. Cod. *eod.* *Authen. Jubemus.* litis terminus ſententia definitiva eſt, in quo dantur induciæ probatoriæ ad probandam alterutrius intentionem. Aliæ ſunt allegatoriæ ad aliquid novi allegandum. Ultimus litis terminus eſt rei judicatæ exequutio, in *l.* 71. D. *eod.* quo dantur induciæ definitivæ, quæ de jure tres ſunt, quarum poſtrema *l.* 31. Cod. *de re judicata.* peremptoria eſt. Aliæ ſunt exequutoriæ, quæ dantur parti ſuccumbenti ad ſatisfaciendum. Singulæ autem dilationes illud operantur, ut nihil ſit *l.* 3 Cod. *de dilationibus.* innovandum in articulo, ſuper quo pendet conceſſa dilatio, donec expiraverit. Arbitrium Judicis in ſuis judicialibus dilationibus debet ita æquum eſſe, ne alteri parti plus nimio faveat, alteri plus æquo noceat. *l.* 1. Cod. *eod.* Hinc Diocletianus, & Maximianus AA. diviſerunt dilationes, ita ut in Provincia concedantur trium menſium, extra Provinciam ſex menſium, ultra Mare novem menſium. In dilationibus, quæ a Lege, ſive Statuto, ſive Conſuetudine derivant, arbitrio locus non eſt, puta quindecim dierum ad comparendum, decem dierum terminum ad appellandum, triginta dierum ad introducendam appellationem, annum ad proſequendam appellationem. Nec facile recuſari poſſunt induciæ conventionales, quas ſibi mutuo conſenſu elargiuntur partes; niſi colluſio, fraus, dolus, ſcandalum intercederet, puta in cauſa divortii, ubi partes colluſione facta impetrarent novas, & novas dilationes, ne cohabitare teneantur, forſan aliis intentæ prædis, & peſſimo libidinis ſuæ cœno immerſæ.

SPATIUM DILATIONUM.

FERIÆ HIS CONNUMERENTUR DILATIONIBUS. *l.* 3. Cod. *eod.*

Feriæ autem ſive repentinæ, ſive ſolemnes ſint, dilationum temporibus non excipiantur, ſed his connumerentur. Hæc Conſtantini lex fuit. Habet quælibet Civitas municipales ſuas Ferias. Statutum Tridentinæ Civitatis anno 1527. confirmatum ab Epiſcopo, & Principe Domino ſuo Cardinale Bernardo Cleſio certas dies numerat, quibus nemo pro debito civili capi poſſit. Has inter ſolemnitates recenſetur dies honoratus Sancti Laurentii *ob reverentiam, & memoriam victoriæ obtentæ ipſa die S. Laurentii*, dum an. 1487. vix ſexcenti Tridentini duce Georgio de Petraplana, & quadringenti confœderati germani milites duce ſupremo Friderico Kampelero, quos miſerat amico Epiſcopo Udalrico Frundsbergio Sigiſmundus Archidux, ad Calianum Venetos invaſores profligarunt una cum ducibus ſuis Roberto de Sancto Severino, & Comite Bernardino de Tolentino. Veneti cæſi ſunt gladio ultra tria millia: reliqui fugam dederunt. Horum fugientium ad ſeptem millia ſubmerſi ſunt in fluvio Atheſi. *l.* 1. *cap.* 107. *de Civilibus.* de Vit. Pont. Trid. *l.* 4. *pag.* 31. *edit. Mant. an.* 1546. Pauci equites duce Guido Rubeo per tenebras dolo evaſerunt, dum obſeſſi per diem ſimularent deditionem. Conſulatur Statutum. Conſulatur Pincius. Hæc digreſſio fuit in gratiam hujus Civitatis. Jam pridem ſcri-

pſit

Digitized by Google

pſit Gregorius IX. de Feriis, quæ vel divinæ, vel humanæ, vel repentinæ ſunt. *Quamvis non prorogari, ſed expediri deceat quæſtiones, debet tamen judicialis ſtrepitus diebus conquieſcere feriatis, qui ob reverentiam Dei noſcuntur eſſe ſtatuti... Quibus utique ſolemnibus Feriis (niſi neceſſitas urgeat, vel pietas ſuadeat) uſque adeo convenit ab hujuſmodi abſtinere clamoribus, ut conſentientibus etiam partibus nec proceſſus habitus teneat, nec ſententia, quam contingit diebus hujuſmodi promulgari : licet diebus feriatis, qui diebus vindemiarum, vel meſſium ob neceſſitates hominum indulgentur, procedi valeat, ſi de partium proceſſerit voluntate.* De neceſſitate urgenti, & de pietate Chriſtiana, quæ eſt vera charitas, Epiſcopus cognoſcere debet. Concordat Chriſti reſponſum ad Phariſæos interrogantes : *ſi licet Sabbatis curare* ? Ait enim illis : *quis ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foveam, nonne tenebit, & levabit eam ? quanto magis melior eſt homo ove ? Itaque licet Sabbatis benefacere.*

c. fin. de Feriis. — FERIARUM SOLEMNITAS. — Matth. XII. 11.

Veniunt probationes. Nulla major eſt, quam propria oris confeſſio, quia *confeſſus pro judicato eſt, qui quodammodo ſua ſententia damnatur.* Juxta hanc Paulli IC. ſententiam Antonino Imp. *confeſſos in jure pro judicatis haberi placet.* Confeſſio alia eſt judicialis, quæ fit in actuali judicio, coram competente Judice, de re certa, quæ non adverſetur rerum naturæ, nec vi, nec metu, nec in tormentis, aut in nimis duro carcere, ſed ſponte, & libere. Nec valet confeſſio ejus, qui non habet liberam in judicio ſtandi perſonam. *Sed an & ipſos procuratores, vel tutores, vel curatores fateri ſufficiat, videamus ? & non putat ſufficere* Ulpianus. Hoc idem eſt, ac dicere : læſus, aut pupillus, aut minor petunt reſtitutionem in integrum ; quidquid multis in cauſis Eccleſiaſticis privilegia minori nulla competant, in quibus habetur pro majore, quales ſunt cauſæ matrimoniales, & beneficiales. Hæc confeſſio judicialis plene probat, nec admittitur appellatio : niſi in continenti, & re integra a confitente revocaretur illa confeſſio, vel niſi error facti in confeſſione interveniſſet, quia *non fatetur, qui errat, niſi jus ignoravit* ; nec conſentit, qui factum ignorat. Alia eſt confeſſio extrajudicialis, nempe quæ fit extra judicium facta ; & per duos teſtes probari debet ad plenam probationem conſtituendam. Si ſit ſcripta ab ipſo confitente, plene probat contra ipſum, conſtito de ſcriptura fatentis. Si geminata, vel jurata ſit, plene probat, quamvis de quacunque qualificatione duos teſtes oportet, ut habeat. Alia confeſſio facta eſt in teſtamento proprio, quæ nocet ſibi, & hæredibus, ſi contra ſe ipſum ſit. Secus ſi præjudicet tertio, contra quem tamquam

PROBATIONES. — *l.* 1. D. *de confeſſis.* — *l. un.* Cod. *eod.* — CONFESSIO JUDICIALIS. — *c.* 4. *de Judiciis.* — *l.* 6. *& fin.* D. *de confeſſis.* — *l.* 1. D. *de Quæſtionibus.* — *l.* 6. D. *de confeſſis.* — *l.* 2. D. *eod.* — CONFESSIO EXTRAJUDICIALIS. — *l.* 6. Cod. *de probat. cum annexa authent.*

Digitized by Google

teſtis ſingularis ſemiplene tantum probat. Nemo autem teſtis ſufficiens eſt in cauſa propria, nec probat quidquam confeſſio pro ſe ipſo. *Unde neque Fiſcum, neque alium quemlibet ex ſuis ſubnotationibus, debiti probationem præbere poſſe oportet.*

l. 7. Cod. eod.

FINIS PROBATIONUM.

Probationes in eum finem ſunt, ut eruatur veritas, & judici ſuo plenam faciant fidem, qui tandem juxta allegata, & probata juſtam, & æquam ſententiam ferre tenetur. Ordo eſt, ut actor, non reus probare cogatur. Hinc *actor, quod adſeverat, probare ſe non poſſe profitendo, reum neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringit: cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit*. Verior tamen Paulli ſententia eſt, quod *ei incumbit probatio, qui dicit, non qui negat*, ſive ille ſit actor, ſive reus. Imo reus interdum probandi onus ſponte recipit, interdum Judex reo juramentum defert, interdum actionis natura probationes utriuſque partis exigit: quemadmodum in judicio diviſorio accidere ſolet, nempe familiæ herciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum. Quamvis vero reus actori ſua propria inſtrumenta edere nude non teneatur, laudabilis mihi videtur Urbis Romæ conſuetudo, quæ editionem librorum, inſtrumentorum, & ſcripturarum indiſtincte præcipit tum actori, tum reo, tribus tamen his concurrentibus circumſtantiis, ſcilicet quod exiſtentia ſcripturæ tempore litis aliquo, & intereſſe petentis, & neceſſitas doceatur, cum aliunde veritas haberi nequeat. Oportet enim jus ſuum unicuique tribuere, & neminem lædere. Sub quatuor claſſibus probationes cubant, videlicet atteſtationibus, inſtrumentis, præſumptionibus, & Juramentis.

l. 8. Cod. eod.
c. 33. Cod. eod.
l. 2. D. eod.
c. 1. de probationib.
Ridolphin. *Prax. Judiciar. p. 2. c. 3. n. 29. & ſeqq.*

PROBATIONUM QUATUOR CLASSES.

TESTES.

Teſtes ſunt primæ claſſis. *Sed eos teſtes ad veritatem juvandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ, & potentatui fidem Religioni judiciariæ debitam poſſint præponere*. Falſi teſtes perjurium, & crimen falſi committunt, & gravibus plectuntur pœnis. Ne horrendum perjurium fiat, *Juris jurandi Religione*, ait Conſtantinus Imp., *teſtes priuſquam perhibeant teſtimonium, jamdudum arctari præcipimus, & ut honeſtioribus potius teſtibus fides adhibeatur. Simili modo ſanximus, ut unius teſtimonium nemo Judicum in unaquaque cauſa facile patiatur admitti. Et nunc manifeſte ſancimus, ut unius omnino teſtis reſponſio non audiatur, etiamſi præclaræ curæ honore præfulgeat*. Quamobrem *teſtium fides diligenter examinanda eſt: ideoque in perſona eorum exploranda erunt in primis conditio cujuſque: utrum quis decurio, an plebejus ſit: & an honeſtæ, & inculpatæ vitæ, an vero notatus quis, & reprehenſibilis: an locuples, vel egens ſit, ut lucri cauſa quid facile*

l. 5. Cod. de teſtib.
l. 13. Cod. eod.
l. 9. Cod. eod.
l. 3. D. de teſtib.

Digitized by Google

cile admittat, vel an inimicus ei ſit, adverſus quem teſtimonium fert: vel amicus ei ſit, pro quo teſtimonium dat. Nam ſi careat ſuſpicione teſtimonium vel propter perſonam, a qua fertur, quod honeſta ſit, vel propter cauſam, quod neque lucri, neque gratiæ, neque inimicitiæ cauſa ſit, admittendum eſt. Hinc ſanctiſſime proviſum fuit, ut jurent teſtes de veritate dicenda, quia nemo facile præſumitur perjurus. Præterea ſi teſtes actoris, & rei contraria deponunt, fidem ſibi non derogant totam, ſed prævalent digniores, & veriſimiliora deponentes. At ſi in cœteris quoque teſtes utrinque producti ejuſdem extiterint honeſtatis, atque exiſtimationis, præfertur numerus. Sic Innocentius III. pronunciavit. Ego vero omnem adhiberem induſtriam, ut partes ad tranſigendum ſuaderem, quia juxta eundem Sanctiſſimum Pontificem periculoſa teſtium multitudo erit frænanda. Quomodo frænabitur, ſi in numero teſtium bona ſteterit cauſa? ubi numerus facit, venales fiunt. Multo experimento loquimur. Multa cautela in adhibendis teſtibus: & qui in una cauſa idonei ſunt, in alia non amplius idonei reputantur, quæ variavit naturam, & argumentum. In teſtimoniis autem fides, dignitas, mores, omnia ſunt examinanda: *& ideo teſtes, qui adverſus fidem ſuæ teſtationis vacillant, audiendi non ſunt.* Cœterum toto Titulo *de teſtibus cogendis, vel non* apparet, quomodo cogi poſſint teſtes ad deponendum, & puniri poſſint per ſuſpenſionem, excommunicationem, & interdictum ii, qui recuſant, aut impediunt. Quæ regula procedit tam in Civili, quam in Criminali cauſa. Et hæc ſpiritualis Fori conſtans conſuetudo eſt.

JURARE DEBENT DE VERITATE.

c. 32. de teſtib.

FIDES IN NUMERO.

c. 37. eod.

l. 2. D. de teſtib.

COGI POSSUNT TESTES.

Alterius probationum claſſis inſtrumenta ſunt vel publica, vel privata. *Inſtrumentorum nomine ea omnia accipienda ſunt, quibus cauſa inſtrui poteſt: & ideo tam teſtimonia, quam perſonæ inſtrumentorum loco habentur.* Si ſcripturam authenticam non videmus, ad exemplaria non attendimus, niſi ſint aliis validis teſtimoniis corroborata. Quæ ſint ſolemnitates neceſſariæ ad publicum inſtrumentum conficiendum, quæ conditiones requirantur ad privatam ſcripturam authenticandam, in diverſis locis diverſa obſervatio eſt. Privata ſcriptura plenam non minus acquirit probationem, quam publica ſcriptura, nempe, ſi adſint ſubſcriptio ſaltem propria, & ſigillum conſuetum: ſi hanc recognoſcant principalis ſcriptor, aut teſtes: ſi confrontatio juſta fiat cum aliis literis, & ſcripturis ab eodem principali ſcriptore ſcriptis. *Scripturæ diverſæ fidem ſibi invicem derogantes, ab una, eademque parte probatæ, nihil firmitatis habere poterunt*; non ſecus ac teſtes vacillantes non audiuntur, quia alias *eandem*

INSTRUMENTA.

l. 1. D. de fide Inſtrum.

c. 1. de fide Inſtrum.
l. 2. D. de fide Inſtrum.

SOLEMNITATES VARIÆ.

PRIVATÆ SCRIPTURÆ VIS, ET ROBUR.

l. 14. Cod. eod.
c. 13. eod.

Digitized by Google

l. 15. Cod. *eod.* *dem vim obtinent tam fides inſtrumentorum, quam depoſitiones teſtium*. Verum
l. 13. Cod. *eod.* *apud eos, qui rem geſtam ignoraverunt, amiſſorum inſtrumentorum habita teſtatio nihil ad probationem veritati prodeſſe poteſt*. Cavet tamen Alexander III., ne Apoſtolicum Reſcriptum propter raſuram in loco non
c. 3. & 11. *eod.* ſuſpecto vitioſum cenſeatur. Inſtrumentum publica manu non confectum, habens non authenticum ſigillum, cujus non authenticæ literæ, non legibiles, vel ſcripturæ deletæ, vel enormis fracturæ, vel quocunque notabili vitio laborantes, nihil operatur. Inſtrumenta poſſunt utiliter produci uſque ad ſententiam definitivam. Quando cauſa tranſivit in judicatam, communiter non amplius acceptantur nondum producta inſtrumenta, quamvis interdum ſupremus Princeps ex magna ratione, & ex ſpeciali gratia reviſionem cauſæ concedat, in qua nondum producta inſtrumenta produci poſſunt, & admitti debent. Tandem inſtrumenti alicujus authentica, & fidimata copia eandem vim habet cum originali, quæ juxta conſuetudinem locorum legalizari debet a Notariis, Tabellionibus, Syndicis, Cancellariis, Capitulis, Collegiis, Monaſteriis, & aliis Univerſitatibus, quibus legalizatio quæcunque de jure, aut de privilegio competat.

c. 6. *eod.*

c. 9. *eod.*

Copia authentica. *c. fin. eod.*

Præsumptiones.

Tertiæ probationum claſſis ſunt præſumptiones in ſubſidium aliarum probationum. Aliquando ſola præſumptio violenta cauſat definitivam ſententiam. Oſtendit id ipſum ſapientiſſimus Rex Salomon in judicio duarum mulierum meretricum, quibus magnam coram Rege contentio, quæ eſſet infantis mater. Simulavit Rex dividere infantem vivum in duas partes, & dare partem dimidiam uni, & dimidiam partem alteri.

III. Reg. III. 26. *Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus, ad Regem: (commota ſunt quippe viſcera ejus ſuper filio ſuo) obſecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: nec mihi, nec tibi ſit, ſed dividatur. Reſpondit Rex, & ait: date huic infantem vivum, & non occidatur. Hæc eſt enim mater ejus*. Quis enim præſumeret propriam matrem conſentire poſſe in necem filii unigeniti? Sic per cohabitationem diutinam, per conſtantem de matrimonio famam, perque ſimiles alias violentas præſumptiones matrimonium, & carnalis copula probatur. Sed non facili negotio propter præſumptionem etiam vehementem debet quis de gravi crimine condemnari. Unde etiam non præſumitur incontinens in ſenectute, qui in juventure continuit, maxime ſi ſit vir literatus. Cœterum quævis præſumptio ſive illa ſit hominis, ſive juris, veritati cedere debet, quandocunque iſta appareat, atque innoteſcat.

c. 11. & *ſeqq. de præſumptionib.*

c. 14. *eod.*

c. 15. *eod.*

Veritati cedunt.

Quar-

Digitized by Google

JUSJURANDUM.

Quartæ probationum claſſis eſt juſjurandum. Ubi enim inopia probationum, *per Judicem jurejurando, cauſa cognita, res decidi oportet*.

l. 3. Cod. de rebus credit. & jurejur.

Inter judicialia juramenta aliud juramentum calumniæ eſt, de quo ſupra: aliud juramentum litis deciſivum, aliud juramentum in litem: quod ultimum eſt aut veritatis, & veræ æſtimationis, aut affectionis, aut ſingularis negotii, & extra rem. Eſt autem juramentum aliquando voluntarium, aliquando neceſſarium: de quibus Judex cognoſcere debet, quando nempe, & cui deferendum ſit, imo ubi recuſari, vel remitti poſſit.

l. 1. D. de jurejur.
l. 12. Cod. de reb. credit. & de jurejurand.
c. fin. de jurejur.

Cœterum *Juſjurandum ſpeciem tranſactionis continet, majoremque habet authoritatem, quam res judicata*.

l. 2. D. de jurejur.

Cauſa non per tranſactionem juratam, in qua pœnitentiæ locus non eſt, ſed poſt juſjurandum definita, & juxta juſjurandum definita reviviſcere poteſt, ſi quis nova ſe inſtrumenta inveniſſe dicat, quin perjurus fiat, aut exceptio de re judicata noceat:

l. 1. Cod. eod.

Quod ſi alias inter ipſos jurejurando tranſactum ſit negotium, non conceditur eandem cauſam retractare.

l. 31. D. eod.

EXCEPTIONES SINE NUMERO.

Excipiuntur probationes ab exceptionibus, quæ ſine numero ſunt, quaſi contrariæ probationes.

SENTENTIA JUDICIS.

Productis producendis, & ponderatis utriuſque partis probationibus, atque exceptionibus, intra juridicos terminos interpoſitis, vel interponendis, Judex competens juxta conſcientiam, pro juſtitia, & æquitate, ſine mora definire debet, quatenus *Jurgantium controverſias celeri ſententia terminare & æquitati convenit, & rigori*.

c. 2. de re judicata.

DEFINITIVA, VEL INTERLOCUTORIA.

Definitio iſta dicitur ſententia vel definitiva reſpectu univerſæ cauſæ, vel interloquutoria reſpectu alicujus articuli, & poſitionis. *Sententia contra leges, Canoneſque prolata, licet non ſit appellatione ſuſpenſa, non poteſt tamen ſubſiſtere ipſo jure*.

c. 1. eod.

SOLEMNITATES VARIÆ.

Solemnitates quidem ſententiarum variant pro variis locis, quas accurate obſervare oportet, ne in nullitatem incurramus. Nulla in primis ſententia eſt ab incompetente Judice prolata. Si citatus etiam ex legitima cauſa, Judici tamen ignota non comparuerit, tenet ſententia eo abſente lata. Sed retractatur eo probante legitimam abſentiæ cauſam.

c. 18. eod.

Sic ſententia lata contra abſentem quidem, ſed non contumacem, præſertim in cauſa matrimoniali, non valet.

c. 10. eod.

Sic ſententia lata contra matrimonii valorem nunquam tranſit in rem judicatam. Revocatur enim, quandocunque conſtat de errore, aut defectu probationum.

c. 7. eod.

Item cum aliqua cauſa, appellatione remota committitur, & ſententia fertur iniqua, eam evacuari oportet: nec ei debet ſtari, ſi iniquitatem contineat manifeſtam.

c. 9. eod.

Secus hæc clauſula *appellatione remota* illud præciſe operatur, ut *qualibet provocatio intelligatur removeri, quæ a jure non indulgetur expreſſe*.

c. 53. de appellat.

Sed

Digitized by Google

Sed ſi appellans fuerit gravatus injuſte, gravamen hujuſmodi per ſuperiorem poterit emendari.

QUOMODO RES TRANSEAT IN JUDICATAM? c. 13. & 15. de ſent. & de re judic.

Cum vero intra decem dies a ſententia rite publicata, cui obſit nullum vitium notorium, pars læſa non appellaverit, res tranſit in judicatam. Videtur enim victus acquieviſſe adverſo judicio, & acquieſcenti perpetuum imponitur ſilentium. Nihilominus habentur certæ cauſæ adeo privilegiatæ propter meritum negotii, ut nunquam res tranſeat in judicatam. Talis eſt ſententia lata contra ſubſtantiam matrimonii; cum neque Judicis authoritas, neque partium conſenſus queant efficere, ut matrimonium nullum evadat validum, aut validum evadat nullum. Matrimonium enim a Deo conſtitutum eſt, non ab homine. Talis eſt ſententia Cenſuræ Eccleſiaſticæ: & quia viatoribus ſemper locus pœnitentiæ eſt, abſolutio a Cenſuris ſemper peti poteſt, ſemper peti debet. Deinde ab eadem ſententia appellare poterit nedum victus in cauſa, ſed etiam tertius, cujus aliquo modo interſit; *cum res inter alios acta non noceat regulariter aliis juxta Conſtitutiones Canonicas, & Civiles.* Talis eſt ſententia in cauſa Beneficii, quæ valet contra Beneficiatum, qui intra Decendium non appellavit: Eccleſiæ vero, & Superiori præjudicare nequivit.

c. 25. eod.

c. 17. eod.

QUANDO FIAT EXEQUUTIO? c. 15. eod.

ABUSUS APPELLATIONUM. c. 11. de appellat.

Seſſ. XXIV. 1563. c. 20. de Reformat.

QUANDO LICEAT APPELLARE?

Nulla interpoſita appellatione fit exequutio poſt dies decem, ſi ſit actio realis: poſt quadrimeſtre, ſi ſit perſonalis, computando terminum a die latæ ſententiæ, vel confirmatæ ſententiæ in appellatorio foro. Contra intolerandum frequentiſſimarum appellationum abuſum, quas Alexander III. etiam pro minimis cauſis quaſi fieri permiſit, Synodus Tridentina ſanctiſſime decrevit, ne *appellationes ab eiſdem interpoſitæ per ſuperiores quoſcunque recipiantur; eorumve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat.* Concordat moderna Regula Cancellariæ XXXVII. Proinde *ſuper eiſdem ſententiis*, vel poſitionibus, & articulis, *ſecundo, vel ulterius ab eiſdem non liceat appellare. Appellantes vero, & appellationes etiam ab interloquutoriis, & gravaminibus hujuſmodi, ſuo vel alterius nomine proſequentes, ſi ſuccubuerint, ultra expenſas, & damna, ad quæ reficienda de jure condemnatus compellitur, viginti florenorum auri pœna multetur.* Appellatio non admitteretur hæc *ſecundo, vel ulterius.* Unde ad hanc pœnam non deveniretur. Quidquid Curia obſervet, nos patrio more vivere fas eſt. Ab eadem ſententia neminem tertio appellare poſſe Honorius III. præceperat. Juxta citatam Synodum *ſi in cauſis viſitationis, & correctionis, ſive habilitatis, & inhabilitatis, nec non criminalibus ab Epiſcopo,*

QUOTIES LICEAT APPELLARE? c. 65. de appellat. Seſſ. XIII. 1551. c. 1. de Reformat.

ſeu

Digitized by Google

ſeu illius in ſpiritualibus Vicario Generali, ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine appelletur: nec Epiſcopus, ſeu Vicarius appellationis hujuſmodi, tamquam frivolæ deferre teneatur. Nimis frequentes adhuc forte videmus appellationes. Olim non fuit ſic.

Quando non liceat appellare?

Quamvis de Jure communi appellatio ſit de inferiore ad ſuum immediatum Superiorem, concedit tamen Summus Pontifex, ut omiſſo medio valeat appellatio directe ad Sedem Apoſtolicam introduci, videlicet in cauſis ſpiritualibus. Concordat Tridentina Synodus: *Ab his excipiantur cauſæ, quæ juxta Canonicas ſanctiones apud Sedem Apoſtolicam ſunt tractandæ; vel quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Summus Romanus Pontifex per ſpeciale Reſcriptum Signaturæ, Sanctitatis ſuæ manu propria ſubſcribendum committere, aut avocare.* Synodus tamen contrariæ Provinciarum conſuetudini nondum videtur derogaſſe, quæ hac in parte ſua privata antiquiſſima Statuta ſervant. Itaque in Gallia, in Belgio, in Hungaria, in Germania non licet omiſſo medio facile Romam ire.

An valeat appellatio omiſſo medio? *c. fin. de Foro competenti. c. 7. & 56. de appellat.* Seſſ. XXIV. 1563. *c. 20. de Reformat.*

Ponitur certum appellationi tempus, quo elapſo cauſa habetur pro deſerta, niſi intra dies decem interponatur appellatio, intra triginta dies introducatur, infra annum, vel biennium proſequatur. Interponitur appellatio declaratione, introducitur petitione Apoſtolorum, proſequitur inſinuatione apud novum Judicem facta. Moderat interdum ſecundus Judex ultimum fatale. Interdum lapſus fatalium per reſtitutionem in integrum ſanatur, adducta juſta excuſatione. Generalis tamen & vaga appellatio ab omni gravamine non tenet, niſi reſtringatur ad certam cauſam. Nihilominus appellatio etiam frivola non facile excuſat inferiorem, quominus teneatur obedire Superiori, atque de contemptu puniatur, niſi innocentiam ſuam, & facti neceſſitatem ſuavioribus viis purget. Conſule Ridolphinum in Praxi Judiciaria & de his, quæ dicta ſunt, & de his, quæ dicentur. Conſule Gaſparrum in ſuis Inſtitutionibus Canonicis.

Tempus appellationis utile. *c. 4. de appellat. c. 15. de ſentent., & re judicata. c. 6. de appell. in 6. c. 5. de appellat. c. 8. eod. c. 18. eod.*

Periculum recuſandæ appellationis. *c. 19. eod. p. 1. c. 13. n. 109. p. 3. t. 10.*

Apoſtoli (quæ vox latine verſa eſt a mittendo teſtimonio) ſunt teſtimonium Judicis a quo ſuper appellatione cauſæ interpoſita, & introducta, nec non ſuper juriſdictione ideo a ſe dimiſſa: qui ſunt aut refutatorii, aut reverentiales in forma, aut teſtimoniales. Refutatorii Apoſtoli dantur, quando non admittitur appellatio, quæ evidenter nulla eſt. Tunc Judex manus ligatas non habet, & ad ulteriora procedit abſque metu attentatorum. Appellans, qui adhuc metuit ſe gravari ob non admiſſam appellationem, recurrat interim ad novum Judicem, ſi videbitur.

Apoſtoli triplices unde?

Digitized by Google

Apoſtoli reverentiales in forma dantur, ubi cauſa appellabilis eſt. Apoſtoli teſtimoniales dantur in cauſa dubiæ appellationis: in quibus duobus recentioribus caſibus Judex admiſſa appellatione, non poteſt ad ulteriora procedere, quia medio tempore, non ſecus ac lite pendente, nihil innovandum eſſe de jure ſervatur. Alioquin quidquid attentatum fuerit, nullum erit, revocatis per novum Judicem quibuſcunque attentatis. Duplex proinde effectus appellationis eſt, ſuſpenſivus, & devolutivus. Suſpenſivus cauſat, ne poſſit ulterius procedere primus Judex, qui jurisdictionem penitus amittit, ut nihil amplius habeat, quod agat in cauſa. Devolutivus cauſat, ut ſententia rurſus exequi debeat ab ipſo primo Judice, ubi confirmata erit in appellatorio Foro, quamvis medio tempore nihil innovare poſſit in præjudicium alterutrius partis. Interdum ipſe novus Judex inhibet in forma primum inferiorem Judicem, ne quid omnino agat ultra. Standum ſui Fori uſibus. In Hungaria duplex pariter appellatio eſt intra, & extra Dominium. Sub utra claſſe veniant appellationes cauſarum, in recentiori Diæta definitur. Appellatio intra dominium cum effectu ſuſpenſivo, & devolutivo eſt, quæ ſuſpendit, & tollit omnem jurisdictionem. Appellatio extra dominium cum effectu devolutivo tantum eſt, quæ ſuſpendit, non tollit jurisdictionem Judicis a quo. Iſti modi plerumque Judici non nocent, partes non juvant. Lucrum in tempore, damnum in crumena.

l. 3. Cod. de appell. l. un. D. nihil innovari appellat. interpoſit. c. 1. & 5. de appellat. in 6. c. 4. 6. 7. eod.
DUPLEX EFFECTUS APPELLATIONIS.
FORMA APPELLATIONIS IN HUNGARIA.
art. 28. 1729.

Agnoverant Tridentini Patres, quod rei criminum plerumque ad evitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda judicia, querelas, & gravamina ſimulent, & appellationis diffugio Proceſſum Judicis impediant. Præterquamquod contra calliditatem, & tergiverſationem eorum provide decretum fuit, illud ſummopere mihi placuit remedium, applicandum non ſingulis cauſis, certe plurimis. Nam ſunt & nonnulla Tribunalia, quorum ſententiæ licet ulterius examinari queant, & etiam corrigi: nequaquam interim cognitione pendente ſententiarum effectus ſuſpenditur. Utrique parti meo judicio fit ſatis: triumphanti, quæ fructum colligit ſuæ victoriæ: victæ, quæ novum tentat certamen. Rurſus auditur, & ubi læſa fuiſſet, reviſione peracta reformatur ſententia, atque in priorem ſtatum reſtituuntur omnia. Hæc ſi diligentem in uſum deduci poſſent, non tot forent frivolæ, temeræ, & malitioſæ appellationes, non perpetuarentur lites, odia, & extremæ miſeriæ, quibus interdum propter turpem paupertatem, & gravem contemptum afficiuntur ii, apud quos non raro ſummum jus fuit ſumma injuria.

Seſſ. XIII. 1551. *c. 1. de Reformat.*
FRAUS APPELLANDI, ET REMEDIUM.

Judex

Digitized by Google

Judex ergo, ad quem a priori Judice integer authenticus proceſſus miſſus fuerat, debet cognoſcere de cauſa univerſa. Si fuerit legitima ſententia, confirmabitur, quia bene judicatum, male appellatum: ſin minus, reformabitur, vel revocabitur, quia male judicatum, & bene appellatum. Præter conſuetum appellationis remedium, aliud extra ordinem ſupereſt, quod a ſupremo Principe conceditur, nempe reſtitutio in integrum. Olim hoc æquitatis, & miſericordiæ officium Prætoris erat: hodie ſupremi Principis in univerſum jus Prætorium quoque ſuccedentis factum eſt ſingulare donum. Interdum miſer juxta ſolemnitates juris condemnatur, & juſtam habuit cauſam, quam nondum potuit producere, cum forte illam nec ipſe ſciverit. Res tranſivit in judicatam. Sero venientibus oſſa, præcluſa fori via. Quid agat, niſi ad clementiſſimum Principem confugiat? Se gravi, & irreparabili damno læſum eſſe oſtendat, niſi veniam, & aperitionem oris impetret. Scimus enim, quomodo olim *omnes in integrum reſtitutiones, cauſa cognita, a Prætore promittuntur: ſcilicet ut juſtitiam earum cauſarum examinet, an veræ ſint, quarum nomine ſingulis ſubvenit*. Multo magis hæc pietas hodie magno Principe digna eſt. Cum hoc judicium ſit æquitatis, non ſtricti juris, multum pendet ab arbitrio concedentis, propter rationabilem, & urgentem cauſam. Quare pluribus argumentis parcendum eſt. Unum ſufficit, quod, cum nulla cauſa majori privilegio gaudeat, quam Eccleſiæ cauſa, nulla promptiorem reſtitutionem mereatur, quam Eccleſia. Petendæ reſtitutionis quatriennium more Cæſarei Juris indulſerunt Gregorius IX., Bonifacius VIII., & Clemens V. Nemini facile recuſatur hoc Beneficium, qui cauſam juſtam infra debitum tempus proferat. Hoc ordine judicia Eccleſiaſtica noſtris moribus procedunt, quæ cum Secularibus Tribunalibus multam ſimilitudinem ferunt. Unum in votis eſt, ut uno ore Judices utriuſque Fori implorent a Deo miſericordiam, & Salomonis ſapientiſſimi Regis cor docile, ut populum ſuum judicare poſſint, & diſcernere inter bonum, & malum.

OFFICIUM JUDICIS AD QUEM. *l. 6.* Cod. *de appellat.* Seſſ. XXIV. 1563. *c. 20. de Reformat.*

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

l. 3. D. *de in integrum reſtitution.*

ARBITRIUM CONCEDENDÆ RESTITUTIONIS.

PRIVILEGIUM ECCLESIÆ.

TEMPUS PETENDÆ RESTITUTIONIS. *l. fin.* Cod. *de temporib. in integr. reſtitution.* *c. 1. & 2. de reſtit. in integr. in 6.* *c. un. Clement. eod.*

CONCLUDITUR.

III. Reg. III. 9.

Digitized by Google

DE HÆRESI, APOSTASIA, ET SCHISMATE

TITULUS VII.

Viſa Eccleſiaſtici Judicii Civili forma, priuſquam criminalem Eccleſiaſtici Judicii formam videamus, præmittimus alia crimina, quæ dant anſam tali Judicio. Non autem aliæ ſunt cauſæ graviores in hoc ſenſu, quam criminales, quas Sacroſancta Tridentina Synodus examini, & juriſdictioni ſolius Epiſcopi relinquit, aut ejus conſiſtorii, cum ſit eadem juriſdictio, atque authoritas. Chriſtiana Religio ſancta eſt, & qui ſuas leges ſequuntur, ſancti ut ſint, oportet, in omni converſatione, *quoniam ſcriptum eſt: ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum*. Poſt Idolorum ſervitutem, quam Deus judicabit, Eccleſiaſticorum criminum atrociſſimum hæreſis eſt; quæ continet pertinacem defenſionem dogmatis ab Eccleſia condemnati ſive in Concilio Oecumenico, ut in primis quatuor Synodis Arianiſmus, Macedonianiſmus, Neſtorianiſmus, Eutychianiſmus; ſive in Concilio Provinciali ab univerſa Eccleſia acceptato, ut in multis Provincialibus Synodis Montaniſmus, Novatianiſmus, Manichæiſmus, Donatiſmus: ſive ſingulari Summi Pontificis Decreto per univerſam Eccleſiam recepto. Sic Pelagius gratiæ Divinæ malus impugnator ab Innocentio I. damnatus fuit, accedente etiam univerſalis Eccleſiæ conſenſu. Sic nuper celebres propoſitiones in nota Bulla UNIGENITUS a Clemente XI. damnatæ fuerunt, accedente jam pridem univerſalis Eccleſiæ conſenſu, quidquid pauci forte adhuc in Gallia murmurent. *Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis adverſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint*. Hæc fuit definitio Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii ſive ad Heſperium, ſive ad Aurelianum lata. Juſtinianus autem hæreticos dicit omnes, qui non ſunt membrum Sanctæ Dei, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, in qua omnes concorditer Sanctiſſimi Epiſcopi, & totius orbis Terrarum Patriarchæ Apoſtolicam prædicant fidem, atque traditionem: *nam licet nomen Chriſtianorum ſibimet impoſuerint, attamen Chriſtianorum ſe fide, & communione ſeparant, Dei judicio ſemetipſos ſubdi cognoſcentes*. Idolis addictus Iſrael in Sacris Literis paſſim fornicari creditur. Hæreticus quid facit? Deum non negat: ſed Eccleſiam ſuam negat.

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 20. de Reformat.*

I. Petri I. 16.

QUÆ SIT HÆRESIS?

QUI SINT HÆRETICI? *l. 2. Cod. de Hæreticis.*

l. 18. Cod. Theod. de his qui ſuper Religione contendunt.

Novell. CIX.

Du-

Duplex jam inſtituitur quæſtio, altera in jure, an dogma ſit hæreticum, cujus cognitio unice ad Eccleſiam ſpectat: altera in facto, an hic, vel ille ſingularis homo formaliter hæreticus ſit? Hanc novam cognitionem, ubi hæreſis manifeſta eſt, Judices Laici in Gallia ſibi quoque arrogant, ſalvo Eccleſiæ judicio, quum hoc caſu de exequendis legibus Regiis, deque pœna eorum agatur, quos Eccleſia condemnavit. Hinc pariter crimen Religionis fit crimen ſtatus. Turbata Eccleſiæ pace turbatur Reipublicæ quies. Seditiones nunquam impunitæ abeunt. Hæretici tamquam veri ſeditioſi ſæpe puniti ſunt. Hinc graviſſimas pœnas poſuit provida Eccleſia, poſuerunt Principes religioſiſſimi. Juſſerat Moyſes, ut interficeretur fictor ſomniorum, quia locutus eſt, ut Iſrael averteret a Domino Deo ſuo. Elias occidit Prophetas Baal, quod Populum turpiter ſeducerent. Jehu Rex occidit omnes Sacerdotes Baal, ſtatuam ejus combuſſit, ædem deſtruxit, ſubſtitutis ibi latrinis. Sic delevit Jehu Baal de Iſrael. His exemplis divino zelo plenis conditæ ſunt Eccleſiaſticæ, & Seculares leges adverſus ſeditioſos hæreticos. Qui ſeditioſi non ſunt, Chriſtiana manſuetudine tolerantur, exemplo Chriſti, qui Phariſæos, Saducæos, Hypocritas non vi, non armis, ſed prædicatione, & exemplo convertit. Horum autem, qui non ſunt converſi, neminem læſit.

DUPLEX QUÆSTIO.

Fleury Inſtit. Canoniq. *Troiſieme Partie chap.* 8. *n.* 1.

HÆRESIS CRIMEN STATUS.

Deuter. XIII. 5. —. XVIII. 20.

III. *Reg.* XVIII. 40.

IV. *Reg.* X. 25.

Antiquæ Imperatorum Conſtitutiones in Codice Theodoſiano collectæ de his, qui ſuper Religione contendunt, extremas perverſis Hæreticis pœnas indicunt, amiſſis privilegiis omnibus, proſcriptionem bonorum, infamiam, deportationem, & exilium, ultimum ſupplicium. Militia nulla, factio Teſtamenti nulla, conventicula damnata, ſcripta damnata, detentores ultimo ſupplicio territi, fautores emendati. Colligit eaſdem pœnas Binghamus Hæreticis inflictas a tempore Conſtantini ad Theodoſii uſque, & Valentiniani III. ætatem, quas oportet legere in utroque Codice. Hi tamen pœnitentes, & ad ſinum Eccleſiæ reverentes, reſtituti ſunt, quia non vult Deus mortem Peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Juſtinianus confirmat, quod licebit eis melioris ſententiæ factis, & rectam, veramque amplectentibus fidem, perfrui muneribus, & privilegiis conſuetis, quia alias nec privilegium dotis Hæreticis mulieribus præſtatur. Extat fortior Friderici II. Conſtitutio de jurejurando a Magiſtratibus præſtando, *quod de Terris ſuæ juriſdictioni ſubjectis univerſos Hæreticos ab Eccleſia denotatos, bona fide, pro viribus ſuis exterminare ſtudebunt*. Secus officio cadant. Idem Imperator declarat: *credentes præterea, receptatores, & defenſores, & fautores hæreticorum damna-*

ANTIQUÆ POENÆ HÆRETICORUM.

Antiq. Eccleſiaſt. *l.* 16. *c.* 6. §. 6.

INDULGENTIA ERGA POENITENTES.

Novell. CIX. *c.* 2.

l. 19. Cod. *de Epiſcopali audient.* §. *ſtatuimus.*

RIGOR SECULI XIII.

l. 4. Cod. *de Hæreticis* §. *credentes.*

damnamus, firmiter ſtatuentes, ut, ſi, poſtquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, ſatisfacere contempſerit intra annum, ex tunc ipſo jure ſit infamis: nec ad publica officia, ſeu conſilia, vel ad eligendum aliquos adhibeatur: neque ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis ſucceſſionem accedat. Nullus præterea ei ſuper quocunque, ſed ipſe aliis reſpondere cogatur, ideſt in judicio. Judex, Advocatus, Tabellio, qui ſunt Hæretici, officio cadant. Forte contra VValdenſes, & Albigenſes tantus rigor, qui, cum Eccleſiam armis laceſſiſſent, armis opprimendi fuerunt. Eadem vis contra ſanguinarios Huſſitas Seculo Decimoquinto adhibenda fuit. Quoad

PAX RELIGIONIS NOVISSIMA.

recentiores diſſenſiones ceſſavit in Imperio omnis inquiſitio poſt transactionem Paſſavienſem an. 1552., & Auguſtanam Pacem an. 1555. Jam mutuo Chriſtiani nominis memores, idem Baptiſma Catholici, atque Acatholici honorant, qui Judæos, & Infideles inter ſe tolerant: quamvis ab initio vix fieri poſſe videretur, ut inter homines, qui mutuo olim ſacrilegii, & ſuperſtitionis ſe accuſarent, pax firma ſervaretur.

ECCLESIÆ MANSUETUDO.

Nunc videre eſt, quemadmodum Hæretici per diſciplinam Eccleſiæ tractati fuerint. Eccleſia corrigit, non ulciſcitur; ferit, non occidit; peccatum odit, non peccatorem; peccatoris emendationem, non interitum quærit. Pœnæ Eccleſiaſticæ afficiunt magis animam, quam corpus. Pœnitentiam inſpirant, & vitam. Tribuitur D. Auguſtino terri-

c. 3. de Hæreticis.

bilis ſententia: *Firmiſſime, & nullatenus dubites, omnem Hæreticum, vel Schiſmaticum cum Diabolo, & Angelis ejus, æterni ignis incendio participandum, niſi ante finem vitæ, Catholicæ fuerit incorporatus, vel redintegratus Eccleſiæ. Omni homini, qui Eccleſiæ non tenet unitatem, neque Baptiſmus, neque Eleemoſina, quantumlibet copioſa, neque mors pro nomine Chriſti ſuſcepta proficere poterit ad ſalutem.* O tremendam ſententiam, quam apud non Catholicos tranquilla conſcientia, firma ſuæ bonæ cauſæ opinio, & probi mores juxta ſuas leges nullatenus metuunt. Viderint ipſi, an multi

Epiſt. XLIII. p. 88. Edit. Pariſ. 1689.

rite valeant ſe excuſare authoritate D. Auguſtini aſſerentis: *Qui ſententiam ſuam, quamvis falſam, atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non audacia præſumptionis ſuæ pepererunt, ſed à ſeductis, & in errorem lapſis Parentibus acceperunt, quærunt autem cauta ſollicitudine veritatem, corrigi parati, quum invenerint, nequaquam ſunt inter Hæreticos deputandi.* Suo periculo ipſi viderint.

I. Corinth. XI. 19. CONTINUÆ HÆRESES.

Quanquam vero *oportet & hæreſes eſſe*, ut, & qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis. Hæretici jam inde a temporibus Apoſtolorum fuerunt:

runt:

Digitized by Google

runt: quos futuros eſſe noviſſimis temporibus prædicarunt Apoſtoli. Icirco monet nos Apoſtolus: *Hæreticum hominem poſt unam, & ſecundam monitionem devita: ſciens, quia ſubverſus eſt, qui hujuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* Sic monuit Theſſalonicenſes: *Hunc nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite, ut fratrem.* Parum profecit Eccleſia manſuetis ſuis modis, quæ debuit durioribus viis tandem uti. Non repetimus exceſſus, & bella, quæ contra ſeditioſos Hæreticos evitari nequiverant. Hæremus in ſalutaribus remediis, quæ juxta antiquam Diſciplinam Summi Pontifices etiam ſuis Decretalibus inſeruerunt. Olim enim Hæretici anathemate perculſi, deque Eccleſia projecti, excluſi ab ingreſſu Eccleſiæ. Nemini licitum Hæreticorum, & Schiſmaticorum Conventus frequentare: nemini licitum edere, vel converſari cum Hæreticis, vel eorum munera recipere, vel ſcripta retinere, vel contrahere cum illis matrimonium. Hæreticis non permiſſum in cauſa quadam Eccleſiaſtica adverſus aliquem Catholicum ferre teſtimonium: non permiſſum in paterna hæreditate ſuccedere: neminem pœnitentem inter Clericos facile connumeratum amplius fuiſſe; aut ordinatum, qui quempiam in familia haberet fidei Catholicæ non addictum: cauſſam ſuam ad Judicem Hæreticum deferre ſub pœna excommunicationis Catholicis interdictum fuiſſe: certum pœnitentiæ tempus Hæreticis reſipiſcentibus conſtitutum fuiſſe pro ætate, ſtatu, & conditione diverſorum hæreticorum: Hæreſiarchas ſeverius, quam eorum ſectatores tractatos fuiſſe: ſic voluntarios deſertores ſeverius, quam qui metu coacti ad hæreticos errores ſe conformarant, habitos fuiſſe, diſcrimine facto inter eos hæreticos, qui Baptiſmi formam retinerent, & eos, qui eam rejicerent, vel corrumperent, ita ut nemo ſubito haberetur pro formali hæretico, antequam ſalutari Eccleſiæ admonitioni pertinaciter reſtitiſſet: imo quod ſimilis ordo in cenſuris Eccleſiæ Schiſmaticis infligendis pro diverſa natura, variiſque ſchiſmatis gradibus obſervaretur; hæc omnia momenta ponderat citatus Binghamus, qui, cum aliis lumen plurimum attuliſſet, ſe ipſum quaſi in ſpeculo nativitatis ſuæ non conſideravit, ſibi ſoli ignotus, & immemor conditionis ſuæ. Juxta primævam diſciplinam etiam in Decretalibus medio ævo editis hæretici, receptores, & fautores eorum excommunicantur: & decedentes in hoc peccato ſepeliri in Cæmeterio Eccleſiæ non debent, nec pro eis orandum eſt. In odium auctoris impia ſcripta damnantur, ne venenum latius ſerpat. Bona hæreticorum Fiſco addicuntur. Convictus de hæreſi niſi ſe correxerit, & er-

Tit. III. 10.

II. Theſſal. III. 15.

ANTIQUIOR DISCIPLINA.

ſupra c. 7. & ſeqq.

REMEDIA CANONICA MEDII ÆVI. c. 8. 13. 15. *de Hæreticis.*

c. 4. eod.

c. 10. eod.

rorem

Digitized by Google

c. 9. & 13. eod. rorem abjuraverit, degradetur, ſi Clericus eſt, & Curiæ Seculari tradatur: ſi Laicus eſt, Secularis Judicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris ultionem. Idem judicium manet ſuſpectos, qui poſtea convicti fuerint. Relapſi poſt abjurationem, aut purgationem, & reverſi ad priorem vomitum abſque nova audientia Secu-

ECCLESIÆ MISERICORDIA, *q. 4. eod. in 6.* lari Judicio committuntur. Tota miſericordia propter animam eſt, quæ non carebit ſolatio. Ait enim Alexander IV.; *ſi tamen poſtmodum pœniteant, & pœnitentiæ ſigna in eis apparuerint manifeſta, nequaquam ſunt humiliter petita Sacramenta Pœnitentiæ, ac Euchariſtiæ deneganda*. Quod ad-

cit. c. 9. eod. didit ſupra Lucius III., non ſcio peti ſolitum eſſe, nempe quod Seculares Principes, qui jurare nolunt de Eccleſia contra Hæreticos defendenda, excommunicentur, & Terræ eorum ſupponantur interdicto, Civitateſque reſiſtentes aliarum commercio, & Epiſcopali dignitate priven-

c. 15. eod. in 6. tur. Hæreticorum filii uſque ad ſecundam lineam paternam, ad primam vero maternam ſunt inhabiles ad Beneficium Eccleſiaſticum, vel officium Seculare, niſi parentes ante mortem fuerint Eccleſiæ incorporati. Sic Bonifacius VIII. ſenſit. Hodie tantus rigor forte non ſupereſt.

APOSTATÆ. Nati ex hæreticis parentibus, quibus conceſſum non fuit cum lacte ſanam ſugere doctrinam, excuſatiores vivunt. Atrocius puniuntur, qui veritate relicta ad falſam Religionem tranſeunt. Non defuerunt ab initio, inter quos alii Religione Chriſtiana prorſus deſerta ad Judæos tranſibant. Sic Aquila propter vanam aſtrologiam ab Eccleſia rejectus, inter Judæorum proſelytos adſcriptus, ac circumciſus eſt, peſſimus Bibliorum interpres ex odio Chriſtianorum. Sic inter ſectatores Barchochebi multi, qui Chri-

l. 1. Cod. Theod. de Judais. l. 7. eod. ſtum abnegarunt. Conſtantinus M. judicum arbitrio reliquit, qua pœna graviſſima vellent tam ſceleſtam defectionem punire. Conſtantius filius

l. 3. eod. de apoſtat. facultates eorum adjudicavit Fiſco. Valentinus Jun. eos inteſtatos abire juſſit, ita ut nec activam, nec paſſivam Teſtamenti facultatem haberent. His ſe legibus conformavit Eccleſia, addito anathemate. Alii cæremonias judaicas, & quaſdam eorum ſuperſtitiones Chriſtianæ Religioni immerito admiſcebant. Iſtiuſmodi varia, & miſcellanea hæreſis erat Cerinthianorum, Nazaræorum, Ebionæorum, Elceſæorum, & Samſæorum; Cœlicolarum, Sabellianorum, Paulinianorum, Praxeanorum, Theodotianorum, Arianorum, & Photinianorum, quorum alii Baptiſmum, & Circumciſionem conjungebant, alii Synagogam cum Eccleſia confundentes, ab antiqua Judaica Religione in Religionem Chriſtianam novos errores inducebant. Præter iſtos erant quidam Chriſtiani, qui neque

pror-

Digitized by Google

prorſus ad Judæorum tranſibant Religionem, nec in præcipuo quodam capite cum illis faciebant: qui tamen in remotioribus quibuſdam ritibus, ac conſuetudinibus illis ſe ſe accomodare non recuſabant; ut in obſervandis diebus feſtis, & jejuniis, in matrimoniis cum illis contrahendis, in recipiendis eorum eulogiis, in conſulendis illis de phylacteriis, & amuletis ad curandos morbos. Quæ res omnes proinde prohibentur ſub pœna cenſuræ Eccleſiaſticæ. Peſſimum genus apoſtatarum illi erant, qui ſponte ſua ad paganiſmum deficiebant, poſteaquam aliquandiu Fidem Catholicam, ſeu Chriſtianam erant profeſſi. Diſcrimen inter hos, & alios vulgo lapſos erat, quod lapſi hi per vim, & ex metu, atque terrore perſequutionis deficerent: illi autem ex malo inſtinctu proprio, & libero arbitrio, ex faſtidio Religionis, & amore Paganiſmi, quem Fidei Chriſtianæ anteferebant, quum tuto in ea, & abſque periculo perſeverare poſſent. Et quemadmodum lapſi ad Eccleſiam redire ſolebant, ſimul ac opportuna eis oblata eſſet occaſio, ita cœteri plerumque per omnem miſeram vitam fugiebant Eccleſiæ communionem. Theodoſius M. ſtatuit: *His, qui ex Chriſtianis Pagani facti ſunt, eripiatur facultas, juſque teſtandi. Omne defuncti, ſi quod eſt Teſtamentum, ſubmota conditione reſcindatur.* Addit Valentinianus Jun.; *Hi, qui Sanctam Fidem prodiderint, & Sanctum Baptiſma profanaverint, a conſortio omnium ſegregati, ſint a teſtimoniis alieni: Teſtamenti non habeant factionem: nulli in hæreditate ſuccedant: a nemine ſcribantur hæredes: quos etiam præcepiſſemus procul abjici, ac longius amandari, niſi pœna viſum fuiſſet eſſe majoris verſari inter homines, & hominum carere ſuffragiis. Sed nec unquam in ſtatum priſtinum revertentur: non flagitium morum obliterabitur pœnitentia, neque umbra aliqua exquiſita defenſionis, aut muniminis obducetur: quoniam quidem eos, qui Fidem, quam Deo dicaverant, polluerunt, & prodentes divinum myſterium in profana migrarunt &c.* Item *perpetua urantur infamia*. Item *nullis finita temporibus, hujuſcemodi criminis arceatur indago*. Credibile eſt, quod Sacri Canones nonniſi graviſſimas pœnas poſuiſſent adverſus varios apoſtaſiæ gradus. Scribit Siricius P. apoſtatis, quamdiu vivunt, agendam eſſe pœnitentiam, nec reconciliationem, niſi in hora mortis, impertiendam eſſe. Quæ fera pœnitentia valde ſuſpecta eſſe debuit, eo quod non eſſet vera pœnitentia, ſed ingruentis mortis formido, quæ ipſos forte reconciliationis cupidos efficeret.

l. 1. Cod. Theod. *de apoſtatis.*
l. 4. *eod.*
l. 5. *eod.*
l. 7. *eod.*
Epiſt. ad Himer.

Unde qui ex Catholico Hæreticus, ex Chriſtiano Judæus, aut Infidelis evadit, apoſtata eſt: quem graviſſimis pœnis pro arbitrio afficien-

Digitized by Google

dum eſſe tam Eccleſiaſticæ, quam Seculares Leges clamant. Hi enim foris non ſunt, ſed profugi. Etenim omnis baptizatus Eccleſiæ ſubeſt, quæ repetit quadam rei vindicatione jus ſuum. Infamatus de apoſtaſia tenetur ſe purgare, & ſquallidiſſimo obruitur carcere, ſola miſera ſervata vita, donec a ſuæ præſumptionis nequitia reſipiſcat, atque prioribus ſerenæ libertatis commodis frui valeat, ubi plena erit remiſſio. In Terris Imperii mutua, ut ajunt, nemini nocet apoſtaſia poſt pacem Religionis anni 1555. Datum hoc fuit publicæ ſecuritati, & communi tranquillitati.

c. 3. & 5. de apoſtatis.

PAX RELIGIONIS.

NON CHRISTIANI SUBSUNT MAGISTRATIBUS.

Sed alii Infideles, Judæi, Mahometani, & Idololatræ, qui nullo unquam baptiſmate fuerunt inſigniti, non ſubſunt Eccleſiæ. Subſunt Magiſtratibus Secularibus, quibus cautum eſſe debet, ne Religioni, & Reipublicæ ullum inferant damnum, ne quietum turbent ſtatum. Sed ipſi nec lædantur injuria, nec inſoleſcant impune. Legatur Codex Juſtiniani de Judæis, & Paganis. Legatur Codex Theodoſii de his, qui ſuper Religione contendunt. Neceſſarium in primis judico, ne Chriſtianis facile permittatur ſervire in Domo Judæi, Mahometani, aut Idololatræ, quemadmodum Honorius, & Theodoſius mandarunt, *ne Chriſtianum mancipium Hæreticus, vel Judæus, vel Paganus habeat, vel poſſideat, vel circumcidat*. Illud certum eſt, quod cum periculo manifeſto animæ noſtræ nullibi permanere poſſimus, adeo ut Catholico homini non liceat apud non Catholicum ſervire, ubi grave ſubverſionis, aut irriſionis periculum ſibi metueret: quemadmodum nec maritus, & uxor cum manifeſto ſubverſionis periculo cohabitare debent. Paſſim tamen tolerantur hodie ſervi Catholici apud non Catholicos, ſervi Chriſtiani apud non Chriſtianos ex præſumptione manifeſta, quod nullum immineat æternæ ſaluti præjudicium. Viderint alii, qui propter lucrum temporale negligunt æternum bonum.

AN LICEAT SERVIRE HÆRETICO, AUT NON CHRISTIANO HOMINI?

SCHISMATICI.

Cum Hæreticis veniunt Schiſmatici, qui dura diviſione lacerant Eccleſiam. Ab initio poteſt ſtare ſchiſma abſque hæreſi, dum pars plebis ſuo legitimo Paſtori non obedit, & falſum ſibi eligit Doctorem. Indurante malo ſupervenit hæreſis ipſa, cum juxta Librum Anonymi de Rebaptiſmate editum inter Opera Sancti Cypriani, *Fides quoque non ſolum apud Hæreticos, verum etiam apud eos, qui in Schiſmate conſtituti ſunt, ſana eſſe non poſſit*. In hanc ſententiam venit Sanctus Cyprianus. *Inde enim*, inquit, *ſchiſmata, & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur, dum Epiſcopus, qui unus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorumdam præſumptione contemnitur*,

Epiſt. LXIX.

Digitized by Google

tur, & homo dignatione Dei honoratus, indignus hominibus judicatur. Hæreſeos, & Schiſmatis eædem pœnæ, quia *omnes hæreſes, omneſque perfidias, omnia ſchiſmata, ſuperſtitioneſque Gentilium, omnes Catholicæ Legis inimicos inſectamur errores.* Hæc fuit Theodoſii, & Valentiniani lex. Fuit & ſequens. *Manichæos hæreticos, ſive Schiſmaticos, omnemque ſectam Catholicis inimicam ab ipſo aſpectu urbium diverſarum exterminari præcipimus, ut nec præſentiæ, criminoſorum contagione fœdentur. Omnes igitur perſonas erroris infauſti jubemus excludi, niſi his emendatio matura ſubvenerit.* Arbitrariæ pœnæ in Eccleſia. Ex Concilio Lateranenſi an. 1179. irritæ ſunt Ordinationes, Beneficiorum Collationes, Eccleſiaſticarum rerum alienationes per Schiſmaticos factæ; & a dignitate, atque Ordine ſuſpenduntur, qui ſchiſma tuendum ſuſcipiunt, ac jurant. Alexander III. hæreſiarchas vocavit Octavianum, & Guidonem, qui in illum ſuſcitarunt ſchiſma, de quo alibi mentionem fecimus. Ordo reconciliandi Apoſtatam, Schiſmaticum, vel Hæreticum in Pontificali Romano extat. Epiſcopus Pontificalibus veſtibus indutus ſuper Faldiſtorium ante Fores Eccleſiæ paratum ſedet: coram quo talis genuflexus petit reconciliari. Interrogatus de fide bonam reddit rationem, & ſignum Crucis Chriſti ad frontem accipit, quod prius acceptum non cuſtodivit, & male deceptus abnegavit. Introductus in Eccleſiam iterum interrogatur de fide, & abſolvitur, poſtquam emiſerit ſolitam Catholicæ Fidei Profeſſionem. Si præſens erit Fautor illius, iurat, quod impoſterum nihil tale facturus ſit.

ANTIQUÆ POENÆ. *l.* 54. Cod. Theod. *de his, qui ſuper Religione contendunt.* *l.* 55. *eod.*

POENÆ CANONICÆ. *c.* 1. *de Schiſmat.*

ORDO RECONCILIATIONIS.

DE ALIIS GRANDIORIBUS CRIMINIBUS

TITULUS VIII.

NOn conveniunt Docti de numero eorum criminum, quæ veteres grandia crimina propter inferendas Cenſuras appellabant. Ob diem Paſchatis omnibus carcerum reis diſſolvebantur clauſtra. Attamen exceperunt Imperatores ſacrilegium, crimen læſæ majeſtatis, & violati ſepulcri, veneficium, adulterium, raptum virginis, homicidium, parricidium, inceſtum, & publicæ monetæ adulterationem. Veriſimile ſatis eſt, quod ſimilia capitalia delicta non debuiſſent effugere parem Eccleſiaſticæ Cenſuræ ſeveritatem. Puto autem, illa a veteribus nuncupata fuiſſe grandia crimina, quæ publica pœnitentia puniebantur. Inter graviora delicta poſita ſemper fuit blaſphemia, quæ Dei, aut Sanctorum ſuorum directam continet injuriam. Propter non ferendam injuriam juſſit

GRANDIA CRIMINA.

l. 3. 4. 6. 7. Cod. Theod. *de indulgent. criminum.*

BLASPHEMIA.

Digitized by Google

Levit. XXIV. 16. *III. Reg.* XX. 28. IV. *Reg.* XIX. I. Timoth. I. 20. *Novell.* LXXVII.

Dominus, ut, *qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur*. Propter Benadad Syriæ Regis blaſphemiam delevit Deus centum viginti ſeptem millia virorum Samariam obſidentium. Propter Rapſacis blaſphemiam una nocte Angelus Domini percuſſit in Caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Paulus Hymenæum, & Alexandrum tradidit Satanæ, *ut diſcant non blaſphemare*. Ad hæc Juſtinianus ait: *ſi enim contra homines factæ blaſphemiæ impunitæ non relinquuntur: multo magis, qui ipſum Deum blaſphemant, digni ſunt ſupplicia ſuſtinere... Propter talia enim delicta & fames, & terræmotus, & peſtilentiæ fiunt*. Imperator obſtinatis, atque perverſis blaſphematoribus ultimum ſupplicium minatur.

Declarations de Louis XIV. 30. *Juillet* 1666.

Præſertim in Gallia duriores pœnæ ſtatuuntur. Iterum atque iterum recidivis labia ferro candenti transfodiuntur, lingua cæditur, exilium, triremes, amiſſio capitis infligitur. Scripta enormibus ſpurcata blaſphemiis comburuntur manu carnificis. Mitiores non ſunt modernæ Cæſareæ Leges. Recens militi ex ſtationariis Italicis blaſphematori extracta, atque avulſa lingua caput amputatum fuit.

POENÆ CANONICÆ. *c. 2. de maledicis.*

Pœnæ Canonicæ arbitrariæ, multæ, & variæ. Gregorius IX. publicam pœnitentiam, jejunia, eleemoſynas, vetitum Eccleſiæ ingreſſum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ amiſſionem blaſphemo obdurato impoſuit.

POENA SACRILEGII. *l. 6. & 9. D. ad l. Jul. Peculatus, & de Sacrileg.* Domât Supplement des loix civiles *liv.* 3. *n.* 11.

Sacrilegium eſt perſonas, aut res ſacras violare. Apud Romanos ſacrilegi ad beſtias, ad ignem, & ad furcam damnabantur. Interdum exilio, metallis, & capite plexi fuerunt. Noſtris moribus arbitraria pœna eſt. Tamquam ſacrilegi puniuntur, qui furantur vaſa ſacra, ornamentaque Altaris: qui auferunt res mobiles etiam profanas quaſcunque a ſacris locis: qui violant ſanctiſſimas hoſtias, imagines Sanctorum, olea ſacra: qui celebrant Miſſam abſque Ordine requiſito: qui mœchantur cum moniali, vel confeſſores cum pœnitentibus ſuis filiabus: *qui* occidunt, mutilant, aut percutiunt Clericos.

POENÆ CANONICÆ.

Interdum & hodie ultimum ſupplicium Magiſtratus Laici infligunt; Eccleſiaſtici excommunicationem, ſuſpenſionem, interdictum, privationem Beneficiorum, depoſitionem, degradationem, perpetuos carceres, labores publicos, & triremes.

SUPERSTITIO.

Arbitrio, ſed multæ ſeveræ ſubeſt omnis ſuperſtitio, & ſortilegium, vel quia in divino cultu adhibentur vanæ, & inutiles cæremoniæ a Deo prohibitæ, neque Eccleſiæ ſuæ probatæ: vel quia creaturæ præſtatur æternus honos ſoli creatori debitus: vel quia mediis utimur non cohærentibus juxta naturæ ordinem cum effectu, quem male intendimus: vel quia expreſſo, aut tacito pacto diabolico futura divinare ſtulti præſumimus,

Digitized by Google

mus, quæ nec ipſe peſſimus magiſter diabolus ſcire poteſt, niſi ex conjecturis, quemadmodum ex nube denſa conjecturatur pluvia. Sub exercitio curioſarum, & vetitarum artium aut divinatio, aut magia, aut incantamentum venit. Divinatio omnes artes, ac vias comprehendit revelandi ſecreta, & prænuntiandi futura, quæ ex nullis naturæ legibus ſcire poſſumus: Magia omnes artes noxiarum operationum per occulta, & incognita media, quæ Latinis veneficium, & maleficium ſonat. Incantamentum præcipue refertur ad peritiam, & poteſtatem faciendi aliquid boni, ut curandi morbos per certa verba, ſigna, & amuleta, quæ res illud rudioribus, ac ſuperſtitioſis hominibus acceptum magis reddit, quia ſpeciem utilitatis, & beneficii pro genere humano præ ſe fert. Omnes divinationum ſpecies, magiæ, atque incantamenti prorſus illicitæ ſunt, nempe aſtrologia judiciaria ex ſitu, & motu ſtellarum, augurium, haruſpicium, omen, chiromantia, phyſiognomia, ſortes, pactum ſatanæ, oracula, ſpectra, & viſiones, incantatio magica, & faſcinatio, carmina, & characteres, obſervatio dierum, & caſuum fortuitorum, atque eorum præſagia, tandem ſomnia, uſus ſuperſtitioſus virgæ, experimentum & aquæ, & ignis, certum aliquod Judicium Divinum, de quo ſupra mentionem fecimus. Qui ſimilem artem profitebantur, communiter vocabantur mathematici, quo nomine in utroque Codice damnantur. Neque ſolum ſub Chriſtianis Imperatoribus, verum etiam ſub veteribus Romanis infames fuerunt. Tradit Tacitus ſub Tiberio *facta & de mathematicis, magiſque Italia pellendis Senatus Conſulta*. Idem ait: *Mathematici, genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in Civitate noſtra & vetabitur ſemper, & retinebitur*. Quando igitur leges Imperatorum tam Chriſtianorum, quam Gentilium ita ſeveræ in iſtos fictos aſtrologos erant, decuit omnino, ut leges Eccleſiæ non minus ſeveræ eſſent, quia genus quoddam idololatrarum erant, ſuæque malæ artis originem malorum Angelorum inventioni debebant. Quam ob cauſam Conſtitutiones ſic dictæ Apoſtolicæ mandant: *magus, incantator, aſtrologus, vates, captator carminum magicorum.. quum deſierint, admittantur*, ideſt ad Baptiſmum, *ſi non pareant, rejiciantur*. Hinc Priſcillianiſtæ omnia fato, & neceſſario aſtrorum influxui adſcribentes in prima Toletana Synodo an. 400. anathematizati fuerunt his verbis: *ſi quis aſtrologiæ, vel matheſi exiſtimat eſſe credendum, anathema ſit*. Inter aſtrologos, & haruſpices alii genethliaci vocitabantur, propter natalium dierum conſiderationes beneficio ſchematum, & horoſcoporum inſtitu-

Levit. XIX. 31. *item* XX. 6. Deut. XVIII. 10. Iſai. XLIV. 25. Jerem. X. 2. Eccleſ. XXXIV. 5.

Annal. *l.* 2. *c.* 32.

Hiſtor. *l.* 1. *c.* 22.

l. 8. *c.* 32.

Regula 15.

ſtitutas, ut cognoſcerent, quæ ſtellarum poſitio puncto illo temporis fuerit, quo quiſque natus eſſet, & hinc prænuntiarent, quæ ipſis per vitam bona, malave obventura forent ex conjunctione ſtellarum, ſub qua nati eſſent. Et quum horum nonnulli vitam, ac mortem Principum accurate determinare ſibi ſumerent, quod publicæ quieti, & imperio perniciofum eſſe credebatur: ideo ſeveræ leges Imperii ſub ipſis Ethnicis Imperatoribus adverſus iſtud genus hominum latæ ſunt, uti ex antiquis Juris Conſultis Ulpiano, & Paullo demonſtrat Gothofredus. Et hæc alia ratio erat, cur Eccleſia ſeveriſſima Cenſura in eos utendum ſtatueret, utpote exiſtimans, illud, quod leges Ethnicæ tamquam crimen capitale punirent, in Chriſtianæ Eccleſiæ Diſciplina inultum, impunitumque non eſſe dimittendum. Præterea multa Concilia non ſolum aſtrologos, magos, & carminum magicorum captatores ſub ſeveram cenſuram vocant, ſed etiam erroneos vates, augures, ominum, & ſignorum monſtratores, palpitationum interpretes, in occurſu obſervantes vitia oculorum, & pedum, ex iiſque divinantes, obſervantes quoque aves, aut muſtelas, aut voces, aut ſymbolicas auditiones. Veteres Romani plurimis ſuperſtitionibus maximopere dediti erant, adeo ut collegia augurum haberent, nec pugnare vellent, nec bellum, nec pacem facere, vel ardui quid agere, niſi illis prius conſultis. Tradit Valerius Maximus, quomodo *Occentus ſoricis auditus Fabio Maximo Dictaturam, Cajo Flaminio Magiſterium Equitum deponendi cauſſam præbuit.* Jam vero licet Chriſtiana Religio iſtis vanitatibus omnibus eſſet inimica, reliquiæ tamen hujus ſuperſtitionis in multorum animis, etiam poſt eorum converſionem, remanebant. Unde multo rigore opus fuit, antequam funditus extirpatæ fuiſſent. Quod ſpectat ad divinationem, ſeu falſam vaticinationem, ſatis eſt, quod, uti hoc crimen ex idololatria, hæreſi, incredulitate, apoſtaſia, ſacrilegio, hypocriſi, curioſitate, & ambitione admiſſum aliquid in ſe habebat, quorum unumquodque grave crimen per ſe erat; ita Eccleſia nunquam non graviſſimam excommunicationis cenſuram ei infligere ſolita ſit. Severa Conſtantii lex eſt: *nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum, & vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldæi, ac magi, & cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetua divinandi curioſitas. Etenim ſupplicium capitis feret gladio ultore proſtratus, quicunque juſſis obſequium denegaverit.* Quum itaque nemo Chriſtianus artem ariolandi exercere, nec ariolos conſulere poſſet ſine directa communione cum

in Cod. Theod. *l. 9. t. 16. de maleſic., & mathematic. l. 2. p. 116. §. parra.*

l. 1. c. 1. *n.* 5.

l. 4. Cod. Theod. *de maleſic. & mathematic.*

Digitized by Google

cum Dæmonibus, & eorum reſponſis, ideo lex civilis capitale id faciebat crimen, & Eccleſiaſtica lex ſeveriſſimam excommunicationem fulminabat. Non aliter juxta Conſtantinum *eorum eſt ſcientia punienda, & ſeveriſſimis merito legibus vindicanda, qui magicis adcincti artibus, aut contra hominum moliri ſalutem, aut pudicos ad libidinem deſixiſſe animos detegentur.* Hi excommunicatione, & publica pœnitentia feriebantur, non minus, quam illi, qui amuletis, carminibus, characteribus, ligaturis, ac ſervatoriis utebantur ad curandos morbos, aliaque pericula, ac damna tum a ſeipſis, tum a fructibus terræ avertenda. Gregorius II. in Romana Synodo an. 721. minatur: *Si quis ariolos, aruſpices, vel incantatores obſervaverit, aut phylacteriis uſus fuerit, anathema ſit.* Scriptum eſt enim: *Omnia quæcunque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti facite, gratias agentes Deo.* Præſtigiatoribus, quales Joannes, & Jambres inter Ægyptios, Simon Magus inter Judæos, Apollonius Tyanæus inter Paganos fuerunt, longa dictabatur pœnitentia propter falſas rerum apparitiones, quibus homines per externorum ſenſuum ludificationem decipiebantur. Obſervatores ſuperſtitioſi dierum, & caſuum fortuitorum, utpote fauſtorum, vel infauſtorum, præſagia quoque eorum, ac omina vana ridebantur potius, quam caſtigabantur. Et hodie multis in locis Laici ſimilium criminum accuſati ad Laicum Judicem trahuntur, tamquam legum quoque Regiarum rei ad vindicem ſuum. Eradicandum ubique eſt inveteratum oſſibus malum, ſuper quo perſæpe ingemendum eſt, quin ex tepidis ſimpliciſſimorum hominum animis, veneficii evelli poſſint radices. Recenſet ad propoſitum iſtud Alexander III., *quod Ven. Presbyter cum quodam infami ad privatum locum acceſſit non ea intentione, ut vocaret Dæmonium, ſed ut inſpectione aſtrolabii furtum cujuſdam Eccleſiæ poſſet recuperari. Verum licet hoc ex bono zelo, & ſimplicitate ſe feciſſe proponat, id tamen graviſſimum fuit, & non modicam inde maculam peccati contraxit.* Quapropter *per annum, & amplius* debuit abſtinere *ab Altaris miniſterio.* Diutius hiſce rebus immoratum fuit ad revocandos a quacunque mala ſuperſtitione animos hominum, inter quos nulla ætate deſunt ſtulti, & imbecilles inanium ſtudiorum imitatores.

l. 3. Cod. Theod. de maleficiis.

can. 12.

c. 2. de ſortilegiis.

SIMONIÆ HÆRESIS.

Simonia, quæ apud veteres ſæpe fuit hæreſis nominata, triplex eſt, vel emptio, ac venditio ſpiritualium donorum, vel emptio, ac venditio officiorum ſpiritualium, vel ambitioſa uſurpatio, ac ſacrilega in munera Eccleſiaſtica ſe inferendi, ac intrudendi ratio ſine legitima electione, ac ordinatione. Quare ſeveriſſimis pœnis vetant Sacri Canones, ne quid

Digitized by Google

quid minimum pro ſpiritualibus donis exigatur, aut promittatur. Eli-
IV. Reg. V. 27. ſeus ſervum Giezi, & ſemen ejus nivea percuſſit lepra, quod acceperit argentum, & veſtes a Naaman Syriæ Rege, quaſi in pretium reſtitutæ
Matth. X. 8. ſanitatis. Præceptum Chriſti eſt: *Infirmos curate, mortuos ſuſcitate, leprosos mundate, Dæmones ejicite. Gratis accepiſtis, gratis date.* Fuit hoc in-
Act. VIII. 18. gens peccatum Simonis Magi, cui ſua pecunia verſa eſt in perditionem, quoniam donum Dei, Spiritum Sanctum exiſtimavit pecunia poſſideri.
I. Timoth. VI. 5. Increpat Paulus *conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate*
AN QUID ACCIPI POSSIT PRO SERVITIO SPIRIT.? *privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.* Non inde infertur, nihil accipi poſſe pro certo ſpirituali ſervitio, quamvis non ex pacto, verum ex honeſta mercede propter juſtam ſuſtentationem detur. Clamat
I. Corinth IX. 13. enim Paulus adverſus avaros Corinthios: *neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Stat juſta retributio, honeſtum ſalarium, quæ lege, & conſuetudine invaluerunt propter neceſſitatem, vel æquitatem, non propter avaritiam, & tributum. Lex ipſa civilis hoc in negotio ad
Novell. CXXIII. antevertendum Ordinationibus Simoniacis ſanxit, ut tam ordinati, quam qui eos elegerint, & ordinaverint, jurejurando declarent, quod pro tali electione nihil datum, vel receptum, imo ne quidem promiſſum ſit. Et ſi quis Epiſcopus hac non obſervata regula aliquem ordinarit, per eandem legem munere ſuo tum ipſe, tum ab ipſo ſic ordinatus depelli jubentur.
POENÆ CANONICÆ. Pœnæ ſimoniacorum variæ, excommunicatio, privatio Beneficii, inhabilitas alterius Beneficii obtinendi, infamia, & depoſitio. Sic veteri, & novo Jure Ordinationes ſimoniacæ irritæ, electiones nullæ. Collatio ſimoniaca nulla eſt, unde Beneficium tale manet vacuum, & a tertio impetrari poteſt. Imo ſimoniacus poſſeſſor obligatur ad perceptorum fructuum reſtitutionem. Magna lues ſæpe indiguit vigilanti medico, & forti remedio.

ADULTERIUM. Adulterium, apud omnes gentes execrabile ſcelus, continet ſummam injuriam, & horribilibus pœnis continuo puniri meruit. Lex Domini
Levit. XX. 10. eſt: *ſi mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriantur mœchus, & adultera.* In lege
Deuteron. XXII. utraque non ſolum adulterium, ſed quævis luxuria, lenocinium, ſtu-
I. Corinth. VI. 9. prum, raptus, concubinatus, fornicatio, inceſtus, ſodomia, beſtiali-
l. 30. Cod. ad l. Jul. de adult. & ſtupro. l. 4. Cod. Theod. quorum appell. &c. tas damnantur. Romani adulteros interdum ultimo ſupplicio mulctarunt. Juſſit Conſtans Conſtantini filius: *manifeſtis probationibus, adulterio pro-*

bato

probato fruſtratoria provocatio minime admittatur: cum pari, ſimilique ratione ſacrilegos nuptiarum, tamquam manifeſtos parricidas, inſuere culeo vivos, vel exurere judicantem oporteat. Juſtinianus ſtatuit, ut adulteris verberatis, & tonſis nares abſcindantur. Deprehenſus in adulterio impune occiditur. Scio & hodie vindicem maritum facile excuſari, quia juſtus dolor non capit moram. Delinquentes contra naturam gladio percutiuntur. Raptores virginum violenti plectuntur. Item raptores viduarum. Alios aliæ manent pœnæ. Seculares Leges municipales valde concordant. Eccleſia vero, quæ regit animas, & ſalutem intendit, diuturnas poſuit ſpirituales pœnas, jejunia, preces, eleemoſynas, vigilias, verbera, dejectionem e gradu, pœnitentiam perpetuam: neque admittebat reconciliationem, niſi in fine vitæ, quemadmodum in antiquioribus Canonibus pœnitentialibus, atque in Libris Sacramentariorum, Divinorum Officiorum, Pontificalium, Collationum Canonicarum, & aliis hujuſmodi videre eſt. Edidit plura hujuſmodi manuſcripta providus Joannes Morinus ad Calcem Commentarii ſui de adminiſtratione pœnitentiæ. Ceſſavit multus rigor, & in dies facti ſumus remiſſiores. Hodie ſervatur illa Moyſis lex, in qua oportet aut ducere, aut dotare, ſi quis Virginem ſeduxerit. Olim cautum fuit, *ut aut, quam ſtupravit, uxorem habeat: aut, ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus, excommunicatuſque in Monaſterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia.* Hodie non fit communiter: ſed juxta illud: *qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat*, conjux conjugem de adulterio impetere nequit, ſi ſit ipſe adulter, vel quodammodo conſenſit, atque remiſit.

l. fin. Cod. ad l. Jul. de adulteriis. l. 4. eod.

l. 31. eod.

l. un. Cod. de raptu virgin. ſeu viduar.

Exod. XXII. 16. Deut. XXII. 28. *c. 2. de adulteriis, & ſtupro.*

Joan. VIII. 7. *c. 6. & 7. de adult. l. 9. D ad l. Jul. de adulteriis.*

Synodus Tridentina, cujuſcunque conditionis ſint, concubinarios excommunicatione feriendos eſſe ſcribit, niſi poſt trinam monitionem a mala conſuetudine abſtinuerint. *Quod ſi in concubinatu per annum, cenſuris neglectis, permanſerint, contra eos ab Ordinario ſevere pro qualitate criminis procedatur.* Concubinæ quæcunque ter monitæ, & adhuc contumaces extra oppidum, & extra Diœceſin, invocato, ſi opus fuerit, brachio ſeculari, ejiciantur, *aliis pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in ſuo robore permanentibus.* Præterea *quam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe divino cultui addixerunt, ſit indignum in impudicitiæ ſordibus, immundoque concubinatu verſari, ſatis res ipſa communi fidelium omnium offenſione, ſummoque Clericalis militiæ dedecore teſtatur.* Hinc Clerici concubinarii poſt primam admonitionem tertia parte fructuum: poſt ſecun-

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 8. de Reformat.*

FORMA PROCEDENDI CONTRA CONCUBINARIOS.

Seſſ. XXIV. 1563. *c. 14. de Reformat.*

VEL CONTRA CLERICOS.

Digitized by Google

dam omnibus fructibus: poſt tertiam Beneficiis ipſis, & officiis omnibus privantur. Nondum emendati excommunicantur, appellatione remota. *Supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos, nec Decanos, aut alios inferiores, ſed ad Epiſcopos ipſos pertineat: qui ſine ſtrepitu, & figura judicii, & ſola facti veritate inſpecta procedere poſſint*, aliis pœnis juxta delicti, & contumaciæ perſeverantiam, & qualitatem in ſalvo manentibus, quas Sacri Canones dictant. *Epiſcopi quoque, quod abſit, ſi ab hujuſmodi crimine non abſtinuerint, & a Synodo Provinciali admoniti ſe non emendaverint, ipſo facto ſint ſuſpenſi: & ſi perſeverent, etiam ad Sanctiſſimum Romanum Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ etiam per privationem, ſi opus erit, in eos animadvertat*. Jam cum Synodus Provincialis non facile celebretur, Metropolitanus habet jus admonendi, & deferendi ad Sedem Apoſtolicam. Quomodo Epiſcopus tanti criminis erit capax? Delinquentes contra naturam (quod immane ſcelus ſubvertit Sodomam, & Gomorrham, & omnem circa regionem) *ſi Clerici fuerint, dejiciantur a Clero, vel ad agendam pœnitentiam in Monaſteriis detrudantur: ſi Laici, excommunicationi ſubdantur, & a cœtu fidelium fiant penitus alieni*. Antiquiſſimis temporibus pronunciaverat Tertullianus: *Reliquas autem libidinum furias & in corpora, & in ſexus ultra jura naturæ, non modo limine, verum omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra*. Lenocinium quaſi adulterio æquiparabatur, cum ex lenocinio adulterium, aut ſtuprum eveniret. Theodoſius Jun. iniquos parentes, ſeu dominos proſtituentes filiam, ſeu ancillam exilio, & metallis publicis addixit, ſublata patria, & dominica poteſtate. Romæ Theodoſius M. lupanaria, ſeu luſtra deſtruxit. Nam ad ejus uſque ætatem mulier in adulterio deprehenſa non raro ad lupanar impune damnabatur; quæ inverecunda conſuetudo non ſolum ejus delictum non emendavit, ſed turpiter auxit. Theodoſius Jun. Conſtantinopoli meretricium vectigal pro ærario publico extinxit, ejuſque in locum Florentius quidam vir illuſtris ſuaſor propriam poſſeſſionem obtulit, ne ullum ad ærarium perveniret incommodum, neque defectus aliquando pro cauſſa adlegaretur hanc turpitudinem renovandi. Quas ſanctiſſimas leges Juſtinianus confirmavit. Quod ad Leges Eccleſiaſticas attinet, nullum crimen eſt, in quod ſeverius, quam in hoc lenocinium animadverterint: nam Synodus Eliberitana an. 305. ſtatuit: *Mater, vel parens, vel quælibet fidelis, ſi lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus, vel potius ſuum, placuit eas nec in fine accipere* com-

[Margin notes:]
VEL CONTRA EPISCOPOS.

DELINQUENTES CONTRA NATURAM. *Geneſ.* XIX. 24. *c.* 4. *de exceſſib. Prælator.*

De pudicitia c. 4.

LENOCINIUM. *l.* 8. D. *ad l. Jul. de adulteriis. l.* 6. Cod. *de ſpectacul. & ſcenicis, & lenonibus.* Socrat. *l.* 5. *c.* 18.

Cod. Theod. *Tit. de lenonibus.*

Novell. XIV.

can. 12.

Digitized by Google

communionem. Item *ſi conſcio marito fuerit mœchata uxor, placuit nec in fine dandam ei eſſe communionem*. *can.* 70.

Quamvis Sacri Canones homicidia deteſtentur juxta præceptum Moſaicum: *Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur*; excuſant tamen juſtam defenſionem, & involuntarium homicidium: unde conſtitutæ fuerunt olim Civitates Refugii. Innocentius IV. ad extirpandum frequens aſſaſſinium in Concilio Lugdun. an. 1245. ſtatuit, ut quicunque alium Chriſtianum per ſicarios interfecerit, *vel etiam mandaverit*, (*quamquam mors ex hoc forſitan non ſequatur*) *aut eos receptaverit, vel defenderit, ſeu occultaverit, excommunicationis, & depoſitionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat ſententias ipſo facto*. Interdum excuſamur, ſi propter alienum ſcelus abſque noſtra culpa evenerit mors. Cavet enim Bonifacius VIII. *Prælatis, vel Clericis quibuſcunque, qui de Laicis ſuis malefactoribus querelam penes ſecularem Judicem deponentes, petunt emendam ſibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præſumantur, proteſtando expreſſe, quod ad vindictam, ſeu pœnam ſanguinis non intendunt, imputari non debet: quamvis alias in tali caſu de jure debeat pœna ſanguinis irrogari, ſi Judex mortem illis inferat, exigente juſtitia. Alioquin ſi Prælati, aut Clerici propter metum hujuſmodi, quia Judex ad pœnam ſanguinis poſſet procedere, de ſuis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur pleriſque materia trucidandi eoſdem, & ipſorum bona libere deprædandi*. Mandanti vero verberari, non occidi, mors imputatur, *cum mandando in culpa fuerit, & hoc evenire poſſe, debuerit cogitare*. Declarat tamen Clemens V. in Concilio Viennenſi an. 1311.; *ſi furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus, qui mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem*.

HOMICIDIUM.
Exod. XXI. 14.
Tit. de homicidio volunt., & caſuali.
Deuter. IV. 14
— XIX. 2. 7.
Joſue XX.
c. 1. de homicidio in 6.

AN LICEAT CLERICIS ACCUSARE MALEFACTORES?
c. 2. eod.

c. 3. eod.

c. un. Clement. eod.

Duellantes excommunicantur in Tridentina Synodo ipſo jure, vel ipſo facto: & qui eorum patrini vocantur, cum duellantibus pœnam excommunicationis, ac omnium bonorum ſuorum proſcriptionis, ac perpetuæ infamiæ incurrunt, atque ut homicidæ juxta Sacros Canones puniuntur. Si in ipſo conflictu deceſſerint, perpetuo carent Eccleſiaſtica ſepultura. Fautores, & ipſi ſpectatores, qui incitant pugnantes, pari excommunicatione feriuntur. Jam pridem Alexander III. ſanciverat, ut deponatur Clericus, ſive obtulerit, ſive ſuſceperit duellum, ſive victor, ſive victus: *niſi cum ipſo ſuus Epiſcopus duxerit miſericorditer diſpenſandum, dummodo*

DUELLANTES.
Seſſ. XXV. 1563.
c. 19. de Reformat.

c. 1. de Cleric. pugnant. in duello.

Digitized by Google

ex ipſo duello homicidium, vel membrorum diminutio non fuerit ſubſequuta.

NON LICET MINISTRARE ARMA. *c. 2. eod.* TORNEAMENTA. *c. 1. & 2. de Torneamentis.*

Irregularis quoque evadit Clericus, qui miniſtrat inſtrumentum, quo proximus fuerit occiſus. Idem Alexander III. prohibuit torneamenta, in quibus milites more gladiatorum ad oſtentandas ſuas vires congrediebantur, & occumbentes Eccleſiaſtica privat ſepultura. Fiunt interdum hodie torneamenta quædam apud Anglos. Non miror, cum non obediant Romano Pontifici. Miror magis frequentes Taurorum pugnas in Hiſpania, ubi aliqui ſua dexteritate fidunt non ſine maximo vitæ periculo.

LANISTÆ.

Olim cum laniſtis res eodem modo ſe habuit. Horum ars in præparandis theatro gladiatoribus ſemper plurimum ſcandali habere credita eſt, quum ipſo effectu nihil eſſet aliud, quam homines ad mutuam cædem, & laniationem inſtituere. Et propterea Eccleſia hanc artem nunquam ut licitam permiſit. Auctor Conſtitutionum laniſtas, vel gladiatores a Baptiſmo rejicit, niſi finem vetitæ artis faciant. Conſtantinus, & Valentinianus, tandem Honorius ludos gladiatorios penitus abolevit. Cum autem ſpectatores cædis in Theatro commiſſæ ſocii ejuſdem cædis haberi debuiſſent, cruenta hæc, & quæcunque alia irreligioſa ſpectacula Chriſtianis perpetuo interdicta ſunt. Fiunt interdum apud Anglos hodie gladiatorii luſus, & venales cædes. Laudat nemo, qui non ſit Anglus.

l. 8. c. 32. Cod. Theod. *Tit. de gladiatorib.* Pagi in Baron. *Tom. II. an. 404. n. 5.*

PARRICIDIUM. *c. 1. & 3. de his, qui filios occidunt. c. 20. de homicidio. c. un. de infantib. & languid. expoſit.*

Pœnitere debent longa pœnitentia, qui filios ſuos occidunt, & opprimentes ſuffocant: abortus procurant: infantes exponunt. Hi enim quaſi homicidæ ſunt, & iſtos tanquam homicidas puniunt Laici Judices, ſi fuit ſcelus voluntarium. Parricidium ſe extendit ad ſingulos propinquos, quibus homines naturali adfectione erant devincti. Hi apud Romanos in culeum inſuebantur cum ſerpente, ſimia, gallo gallinaceo, & cane, atque omnes una vivi in mare, vel flumen dejiciebantur. Lex Pompeja hanc pœnam cum gladii, vel ignis, vel beſtiarum ſupplicio commutavit. Conſtantinus Legem Pompejam reſtituit contra Parricidas in linea recta. Eccleſia excommunicationem promiſcuam tulit, quum non feriret gladio. Eadem pœna punivit procurantes abortum, ac homicidas, excommunicatione ſcilicet, & publica pœnitentia. Hæc crimina in Legibus Imperialibus vel exilio, vel morte mulctabantur. Inſuper cum tam nefarium ſæpe ſit infantes exponere, quam necare, Conſtantinus providit, ut inopes Parentes numeroſiorem, quam ut alere poſſent, habentes ſobolem, de publicis Imperii reditibus peterent alimentum, ne liberos ſuos exponere, vel necare, vel vendere, vel oppignorare, & emancipare egeſtate victi cogerentur: qua de re tot tantæque querelæ ſub

l. 8. D. ad l. Cornel. de ſicariis. l. 4. D. de extraord. criminib. l. 1. & 2. Cod. Theod. *de alim.*

Digitized by Google

ſub Ethnicis Imperatoribus fuerant. Imo qui exponeret infantem, quamcunque poteſtatem ſive patriam, ſive dominicam amittebat: qui colligeret, quamcunque poteſtatem ſive patriam, ſive dominicam acquirebat. Excommunicabantur legibus Eccleſiaſticis ii, qui infantes expoſuiſſent, atque deſeruiſſent, non ſecus ac ii, qui pauperes, & inopes fame perire ſiviſſent. Clericus quoque injuſtus proximi ſui percuſſor, niſi ſe emendaſſet, ſtricta ultione puniendus erat. Se ipſos occidentes impœnitentibus, & deſperato Judæ æquiparantur, cum quo partem habent: privanturque Eccleſiaſtica Sepultura, & fructu piarum precum, niſi ex ſtultitia, & phrænesi ſe occidiſſent. Tunc commiſerandum eſt. Alias Eccleſiaſticis, & Secularibus legibus infames reputantur, turpi carnificis manu humi traditi. Raptores, incendiarios, violatores Eccleſiarum, graſſatores viarum, fures nocturnos, depopulatores agrorum, falſarios literarum, & monetæ, colluſores, ipſa puerorum delicta, omnia crimina grandia pro meritis caſtigat Eccleſia, quæ ſingulos emendatos cupit. Multo graviores ſunt Secularium legum pœnæ. Poſcit enim rigorem ultimum quies publica, & juſta vindicta.

l. 1. & 2. Cod. Theod. de expoſit.

c. 1. de Clerico percuſſore. QUI SE IPSOS OCCIDUNT.

QUÆCUNQUE GRAVIA DELICTA.

Agmen claudunt uſuræ, quæ nihil ſunt, niſi certi fructus, ex quibus alii liciti, alii illiciti dicuntur. Unde quæ vetantur, uſuræ illicitæ dicuntur: quia ſunt illi fructus, qui excedunt honeſtatem contractus, vel debitam ſocietatis humanæ æquitatem. Mihi enim videntur duo uſurarum potiſſima capita eſſe: alterum ex mutuo ſurgit, ubi mutuata res tua venit, quæ eadem tibi pondere, numero, & menſura, ſtato tempore, abſque ullo detrimento, integra reſtituitur: tu vero iniquum quæſtum facis, & lucrum petis ex beneficio, quod fœnerari nequis. Alterum ex quocunque alio contractu naſci poteſt, ubi plus lucraris, quam debes; puta in Hungaria legale intereſſe vulgo 6. pro 100. currit, ideſt ſemiſſis in annum: tu 7., ideſt ſeptem uncias in annum, & ultra exigis. Intereſſe cadit poſt certum tempus, quod tu ab initio exigis, penitus invito, & coacto debitore. Interdum non contentus hypotheca communi pignus præ manibus ſervas cum damno miſeri debitoris. Intereſſe numeratum exigis a certo Capitali nominato: tu vero partim numeratam pecuniam numeraſti, partim viliſſimas merces pro parata pecunia inique computaſti. Pauper, & inops, orphani, & viduæ, quos dives miſeræ plebis necator mutuo juvare, uſuris opprimuntur. Sed vivit poſſet Deus, *quia liberabit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adjutor. Parcet pauperi, & inopi: & animas pauperum ſalvas faciet.* Ex

USURÆ.

Pſalm. LXXI. 12.

uſu-

Digitized by Google

LICITÆ JUDÆIS ADVERSUS EXTRANEOS.
Exod. XXII. 25.
Levit. XXV. 36.
Deut. XXIII. 20.

uſuris, & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen illorum coram illo. Omnis uſura inter fratres Judæis prohibita erat. Alieno fœnerare licebat, ut æquali jure, mutuiſque armis uterentur erga gentes. Gentes enim uſuras a Judæis exigebant, Judæi a gentibus. Forte & alia ratio erat, ut fratri potius parcatur, quam extraneo, ubi vix ſperandum fuit uſuras univerſas tam adverſus fratrem, quam adverſus extraneum extirpare.

CHRISTIANIS ILLICITÆ.
Luc. VI. 35.

Jam Chriſtus Salvator, qui mitiſſimo ſuo exemplo docuit nos in quovis homine nos habere proximum, & fratrem, illud quoque docuit: *Diligite inimicos veſtros, benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi*. Hic conſtans, & perpetuus Eccleſiæ Sanctæ fuit ſenſus: qui tamen quoſcunque legitimos, & ſolemnes Provinciarum contractus non invertit. Hi autem juſtitiæ, atque æquitati innituntur, de quorum integritate nullus ambigendi locus. Hæc non fallit regula. Si bona fide agamus ea, quæ publica authoritate probe conſtituta inveniuntur, rite agimus.

PRÆSERTIM CLERICIS.

Antiqui Canones omne uſurarum genus præſertim Clericis interdicunt. Clericus uſurarius deponebatur, laicus ab Eccleſia projiciebatur. Romani ſingulis Calendis centeſimam integræ ſortis partem exigebant. Poſthac varia uſurarum genera in lege Civili, maxime Clericis prohibita, vel quia mutuum dantes nihil inde ſperantes, mutuo, atque eleemoſyna egenos levare tenebantur, vel quia non debebant ſe negotiis ſecularibus immiſcere, quod evitare nequiviſſent, quoties cum divitibus negotiatoribus tractaſſent.

POENÆ USURARIORUM.
c. 3. de uſuris.
c. 5. 9. & 13. eod.
c. 7. eod.
c. 12. & 18. eod.
c. 1. & 2. eod. in 6.
c. un. Clement. eod.

Nunc alia ſæpe juſta neceſſitas eſt. Synodus Lateranenſis an. 1179. uſurarios Sacramentis, & Eccleſiaſtica ſepultura privandos, & oblationes eorum repudiandas eſſe præcipit. Uſuræ reſtitui debent etiam ab hærede, quamvis juramento ſe obſtrinxiſſet incautus debitor de non repetondis uſuris: quia Judex repetit, non debitor. Uſurarius contumax ſi ſit Clericus, ab officio, & beneficio ſuſpenditur: ſi ſit laicus, excommucatur. Ipſi Judæi, qui brevi tempore exhauriunt Chriſtianorum facultates, cogi debent a Magiſtratu Laico ad reſtituendas quaſcunque uſuras. Concordat Synodus Lugdunenſis an. 1274.; imo vetat recipi in terras, & domos uſurarios, quorum Teſtamenta annullat, cum nemo teſtari poſſit de re aliena, & uſuræ aliena ſubſtantia ſint. Synodus Viennenſis anno 1311. excommunicat Officiales Communitatum uſuris patrocinantes. Concludit Clemens V.: *ſane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum*. Ordinariis committit, ut inquirant.

Ego

Digitized by Google

Ego hortor Judices Laicos, ut & ipſi inquirant, juxtaque ſuas leges puniant pauperum oppreſſores. Latet hoc immane vitium. Utinam frequens hodie non foret. Utinam evelli funditus poſſet. De vario fœnore apud Romanos conſule Gravinam. Orig. Jur. Civ. *Tom.* I. *pag.* 288.

Addamus propter Gallos verbum *de communi delicto*, *& de caſu privilegiato*, qui hoc Jure utuntur. Seculo Decimoquarto non ultima Petri Cunerii querela fuit, (verane querela, an ficta ſæpe calumnia, multi controvertunt) quod ii nempe, qui atrociſſimum patraſſent flagitium, vel paraſſent, matura ſe tonſura muniviſſent, ut immunes forent, & impunitum forte crimen. Unde publicæ ſecuritatis cauſa, quantum Fleury obſervat, Judices ſeculares crimina atrociora excipienda eſſe cenſuerunt, ac ſuæ cognitioni ſaltem conjunctim cum Epiſcopo ſubjicienda: atque hæc ſunt crimina, quæ vulgo *caſus privilegiati appellantur*. Nam quia privilegium Clericorum naturam Juris communis induerat; id, quod olim Juris communis fuerat, nunc privilegium ſonat. Extat Indultum Joannis XXII. anno 1317. conceſſum Philippo Longo, ſimile priori Indulto Nicolai III. conceſſo alteri Philippo Audaci: quod nempe Judices Regni valeant apprehendere Clericos notorie delinquentes, aut publice diffamatos, ubi tamen ſuſpecti ſint de fuga: ita ut hæc apprehenſio ſit mera honorata cuſtodia, reuſque reſtituatur Eccleſiæ. Indultum citatum anno 1317. notat diſcrimen inter *delictum commune*, *& caſum privilegiatum*. Interea in qualitate, & numero caſuum privilegiatorum determinando adhuc fluctuamus. Tandem Edicto Februarii anno 1678., & Declaratione Julii anno 1684. ſancitum eſt, ut Statutum Melodunenſe in toto Regno obſervaretur; & ita de caſu privilegiato Judices ſeculares cum Eccleſiaſticis conjunctim cognoſcerent, eaque de cauſa ad Tribunalia Eccleſiaſtica ſe conferrent, niſi forte Officialis malit ſe conferre ad Tribunal Seculare, juſtitiæ accelerandæ, & evitandæ captivorum periculoſæ tranſportationis gratia. Uterque cognoſcit in caſu privilegiato, in delicto autem communi ſolus Eccleſiaſticus. Caſus privilegiati vel ſunt atrociora crimina, vel quævis facinora contra authoritatem Principis, & quietem Reipublicæ tendentia. Delicta communia vel ſunt minora crimina, vel mere Eccleſiaſtica crimina. Contentiones nunquam deſunt, his ex accuſatione commune delictum, illis caſum privilegiatum colligentibus, atque definientibus. Utraque pars forte in ſuo ſenſu abundat. Nondum quieſcimus, nondum convenimus in his, quæ Dei ſunt, & quæ Cæſaris, aut Regis ſunt.

DE COMMUNI DELICTO, ET DE CASU PRIVILEGIATO.

Inſtit. Canoniq. *Part. troiſ. chap.* 14. *n.* 3.

DE

Digitized by Google

DE CRIMINALI JUDICII ECCLESIASTICI FORMA

TITULUS IX.

FUit inter Apoſtolos Judas. Quomodo inter Chriſtianos perverſus nemo? quomodo inter ipſos Clericos nemo malus? Neque Chriſtianus, neque Clericus fragilem hominem exuit. Peccare humanum eſt, perſeverare in peccato diabolicum. Quod maximum eſt, nullum crimen impune committi debet. Si puniatur, emendabitur reus. Conſtanti vero norma obſervavit Eccleſia ſemper, ut mitior ageret cum iis, qui ſe ipſos accuſarent: ſeverior cum iis, qui convincerentur: inexorabilis cum iis, qui nunquam emendarent ſe. Hos infeliciſſimos mortales ſenſui malo, & ſatanæ tradidit in interitum carnis, & animæ. Magni

PAUCÆ OLIM SOLEMNITATES. *c. 9. de accuſation.* I. Timoth. V. 19. *ibid.* 20. Joan. I. 7. Deuter. I. 17.

ſtrepitus, aut multæ ſolemnitates non erant olim, quia *evidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris*. Cœterum contra Presbyterum nulla facile recipiebatur accuſatio, quæ duobus, aut tribus non ſtaret teſtibus. Peccantes coram omnibus arguebantur, *ut & cæteri timorem habeant*. Fundamentum omnis Judicii erat, ut Judices audirent accuſatores, & reos cum ſuis teſtibus; tandemque, quod juſtum foret, in Domino judicarent. Præceperat enim Dominus in lege: *Nulla erit diſtantia Perſonarum; ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei Judicium eſt.*

ORDO JUDICIARIUS IN CONCILIIS.

Ordo Judiciarius in antiquioribus Conciliis apparet. Querela ſingulari libello plerumque in ſcriptis offerebatur a viro probo. Accuſatus terve, quaterve citabatur, ut ſuus juſtæ defenſioni non deeſſet locus. Si comparere detrectaſſet, tanquam confeſſus, & convictus in contumaciam damnabatur. Comparens, interrogatuſque audiebatur, teſtes confrontabantur, inſtrumenta ponderabantur. Epiſcopus, aut Synodus juxta merita, & demerita cauſæ vel abſolvebat, vel condemnabat reum. Tan-

ARS ABBREVIATORUM DEPERDITA.

taque animadverſione fiebant cuncta, ut lectiſſimi notarii, & abbreviatores nec jota, nec aſpirationem omittebant eorum, quæ audiebant. Ars iſta per breviſſimas notas celerrimo ſtylo ſcribendi periit cum antiquiſſimo uſu. Acta legebantur, atque ab Epiſcopo, vel Metropolitano ſervabantur, ut apud poſteros de judiciorum integritate conſtaret. Cautelas, & regulas, quæ in utraque Decreti parte abundant, præterimus ſtudio,

Digitized by Google

ſtudio, quod non paucæ ſint dubiæ fidei, & exiguæ utilitatis. Ceſſantibus Synodis Provincialibus ceſſavit brevis, & puriſſimus ordo. Seculo Duodecimo frequens Juris civilis ſtudium induxit in forum Eccleſiaſticum ſolemnia formularum civilium, quæ in infinitum auctæ ſunt. CAUSA SOLEMNITATUM IN JUDICIIS.

Innocentius III. in Concilio Lateranenſi an. 1215. ſcribit, tribus modis in judicio procedi poſſe, per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem. Accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, vigore cujus accuſator ſe ad talionem offert, quoties non probaverit. Denunciationem prævenit charitativa admonitio, inquiſitionem inſinuatio clamoroſa; illo ſemper, & ubique adhibito moderamine, ut juxta formam impetitionis dictetur forma ſententiæ, quæ cohærere debet cum libello. Idem Summus Pontifex ad propellendos calumniatores, denunciatorem in probando crimine deficientem ſuſpendit ab Officio, & Beneficio, donec Canonice ſuam purgaverit innocentiam; ſcilicet quod non animo calumniandi proceſſerit ad hujuſmodi crimina proponenda. Olim calumniatores Clerici verberibus, & exilio mulctati fuerunt. Illi tres modi ſatis noſtris moribus ſunt conformes: nec impunita relinqui debet peſſima calumnia, reſtituta innocentis fama, omnique alio damno reſarcito. TRIPLEX PROCESSUS. *c. 24. de accuſat.* POENA CALUMNIANT. *c. fin. de calumniat.* *c. 1. eod.*

Quoad finem, quem intendimus, ſe conformat noſtris moribus purgatio Canonica. Olim Epiſcopus, aut Presbyter, licet non accuſatus, non citatus, male tamen apud probos ſuſpectus, famam ſuam vindicare, bonum nomen tueri ex præſcripto Canonum tenebatur. Hinc in Eccleſia ſuper tumulos Martyrum jurabat, ſe imputati criminis inſontem eſſe. Opinio vulgaris erat, etiam miraculis probata, veritatem ibi non abſcondi, Martyres propter Deum, quem videbant, perjurium vindicaturos. Interdum compurgatores duodecim ingenuos adducebat is, qui ſe purgabat. Compurgatores jurabant ſuper eoſdem tumulos. Innocentius III. Seculo Decimotertio præcepit, infamatum de veritate, compurgatores de credulitate jurare debere, non amplius ſuper tumulos Martyrum, ſed ſuper Sancta Dei Evangelia. Dubitant eruditi, an hoc caput ſit Innocentii III.? Alii putant autorem eſſe Innocentium II. Legitur enim in notis Editionis Pariſienſis anno 1587. ad Decreti ſecundam partem cauſ. II. quæſt. V. c. quoties XVII., prouti ſequitur: *Caput hoc extat in Decret. Tit. de Purgat. Canon, & tribuitur Innocentio Tertio. Sed viſum eſt ibi eſſe mendum, ut III. ſit poſitum pro II. Nam collector decretalium ſolet in Pontificibus hunc ordinem obſervare, ut eos, qui anteceſſerunt* PURGATIO CANONICA. *c. 1. de Purgatione Canonica. c. 5. eod.*

prius citet. Ita cum ibi hoc caput habeatur ante aliquot Canones Alexandri, ac Lucii III., qui præceſſerunt Innocentium III., non videtur huic poſſe tribui: quanquam habeatur etiam eidem aſcriptum inter opera ipſius poſt ſermones, & in Conciliis, quæ in quatuor Tomos ſunt diviſa, Tomo tertio. A pleriſque autem manuſcriptis Gratiani Codicibus, etiam iis, in quibus paleæ eſſe ſolent, totum iſtud caput abeſt. Novum dubium agitur inter eruditos, an Epiſcopus ſimoniæ accuſatus fuerit revera Tridentinus? & licet alii aliter legant, contra Tridentinum facit, quod Delegati Apoſtolici fuerint Aquilejenſis Patriarcha, & Mantuanus Epiſcopus, alter ſuus Metropolitanus, uterque ſatis vicinus. Facit, quod Eccleſia, quam vendidiſſe accuſabatur Epiſcopus pro quatuor modiis frumenti, ſive farinæ, nominetur Eccleſia S. Petri de Pado, ſive Pajo: & recte Eccleſia hæc exiſtit prope Tridentum dedicata S. Petro in loco Paho ad duo circiter milliaria Italica diſtante. Tertium dubium cadit, cui Tridentino Epiſcopo hæc accuſatio ſimoniæ affingatur? Reſpondet Gentilottus in notis ad Ughelli Italiam Sacram: *Ad Adalpretum, vel ad ſequentem Altmannum* (qui fuit ex Comitibus Bavaris, atque e Terra Sancta redux, valde ſenex Tridenti VI. Kal. Aprilis an. 1130. obiit) *referendus eſt can. quoties cauſ. II. quæſt. V., qui extat quoque in Decretal. Tit. de Purgat. Can. cap. V. perperam Innocentio III. tributus, ut notarunt Correctores Romani Gratiani. Adelpreti nomen præfert vetus Codex, ut teſtatur Pithæus in not. ad cap. 5. de Purgat. Canon.* Ego vero mendoſum (ſi ita loqui fas eſt) potius totum Canonem quaſi credam, qui in pleriſque manuſcriptis optimis Codicibus totus deeſt, quam præſumam tanti criminis capaces tales viros, ac tantos Principes. Quomodo Epiſcopus Tridentinus, & Princeps ſupremus propter quatuor modios farinæ, aut frumenti venderet Parochialem Eccleſiam Sancti Petri de Pado, ſive Pajo, ſive Paho? Credat Judæus Apelles. Non credam ego. Quomodocunque ſit, & illa cæremonia noſtris moribus facile accomodari poteſt, quia in defectu aliarum probationum jam defertur juramentum viro infamato. Peti poteſt ultro, atque imponi hæc purgatio. Deficiens autem, multo magis detrectans punitur, quaſi convictus, & contumax. De vulgari purgatione, ſive de Judicio Dei, repetitis vicibus condemnavimus alias ſuperſtitiones temerarias, incertas, falſas, divinæque, atque humanæ ordinationi contrarias.

c. 10. eod.

PURGATIO VULGARIS DAMNATA.

ACTIO MODERNA FISCI CONCISTORIALIS.

Cœterum uſus ſatis communis in hodierno criminali proceſſu fert, ut Conciſtorialis Fiſcus agat ex officio, reum accuſet, & juxta Sacros Canones poſtulet punitionem criminis, ac reparationem ſcandali. Dantur

com-

Digitized by Google

competentes termini, & vix non omnes ſolemnitates a Judice Eccleſiaſtico admittuntur in cauſa criminali, quæ admitterentur a Judice Laico. Carceres ſunt vel ad cuſtodiam, vel ad emendationem. Ubi gravitas delicti, vel ſuſpicio fugæ apud viles perſonas intercedit, poſt ſimplicem informationem proceditur ad apprehenſionem perſonæ, quæ dicitur captura. Catenæ interdum pedibus captorum etiam Presbyterorum adjiciuntur, quæ vocantur compedes. Tortura atrox, & omnis immanitas exulant a noſtro Foro; nam vix aliqua gravis tortura eſt, quæ non frangat aut oſſa, aut carnem. Eccleſiaſtica vero manſuetudo abhorret a quacunque ſanguinis effuſione, & mutilatione membrorum. Eſto, delicta a certis criminoſis obſtinatis non poſſunt extorqueri abſque tormentis; quid inde? Præterquamquod alii innocentes metu tormentorum interdum faſſi ſint crimen, quod nunquam perpetrarant, ſufficit nobis punire ſcandala, quæ innoteſcunt ſatis multa, quin nimia curioſitate, ac ferocitate indagemus crimina nimis occulta. Eſto, delicta ratificatione nova indigent extra tormenta; adhuc par ratio eſt, quia innocentem movere poteſt aſpectus priorum tormentorum. Audiuntur partes, nulli denegantur reo ſui juſti defenſores. Peractis omnibus pronunciatur ſententia, quæ nec ad ſanguinem, nec ad mutilationem eſt. Sententia communiter redigitur in Scripturam, quæ, ubi fuit pronunciata, traditur accuſato, ut appellare poſſit, ſi ita viſum ei fuerit novum judicium experiri. Differt Eccleſiaſticum Forum a Seculari Foro, in quo non admittitur in criminalibus appellatio, exceptis caſibus, in quibus Jura dictant remotam eſſe appellationem. Accuſatore non probante reus abſolvitur, & quantum fieri poteſt, immunis dimitti debet ab omnibus expenſis, ne, qui famæ reſtitutus ſuæ fuit, jacturam patiatur ſubſtantiæ. Verum extraneus accuſator ſuum proſequutus ingenium facilius repararet damnum, quam Fiſcus, qui ex officio propter honorem Dei egit. Contra contumacem proceditur per citationes valvales, vel per bannum, quemadmodum ſæpius animadverſum fuit.

Inſtitutio Carceris.

Tortura atrox excluſa a Foro Spirituali.

Nulla ſententia ad ſanguinem.

Appellatio criminalis in Eccleſiaſtico Foro.

Refunditur damnum honoris.

Quomodo procedatur in contumacem?

DE POENIS CANONICIS

TITULUS X.

QUem non puduit deliquiſſe, juſtum non eſt, ſi pœnitere eundem pudet. Hæc fuit non evitanda peccati pœna. Propter levia facinora nudis verbis corripuit Paulus: propter atrocia delicta tradidit Satanæ in

Quomodo Paulus puniverit?

Digitized by Google

I. Corinth. V. 5. næ in interitum carnis, *ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Noſtri Jeſu Chriſti*. Impoſuit pœnas ſalutares, preces, lachrymas, jejunia, eleemoſynas, ut extincto peccato in ſinum Eccleſiæ redeat peccator. Ultimum erat factum non corrigendi hominis, qui fidelibus jam tum erat, tamquam Ethnicus, & Publicanus, de quo non amplius Eccleſia judicaret, verum Deus foret judicaturus in noviſſima Reſurrectione. Quamdiu per undecim ferme ſecula forum externum ab interno ſeparatum non fuit, neque pœnitentiæ ab exterioribus pœnis diſtinguebatur. Poſtquam vero circa Seculum Duodecimum a pœnitentiali externo internum Sacramentale Tribunal exciſum fuit, nova ratio fuit inducta inter correctionem occultam, & vindictam publicam. Unde rectiſſime fuerunt diviſæ pœnæ Canonicæ, de quibus in Pœnitentialibus antiquioribus Canonibus, & novæ pœnæ Canonicæ, de quibus tractatur in recentioribus Decretalibus. Recenſent Decretales pecuniarias pœnas, in quibus præter voluntatem Legis facilis, & frequens abuſus. Pervenit enim ad aures Alexandri III., quod Archidiaconi a Clericis, & a Laicis pecuniam pro puniendis criminibus pœnam exigant: pro annua pecuniæ exactione perſonas quandoque ſuſpendant: Eccleſias interdicant: a Vicariis denarios extorquere non formident, ut eos in Eccleſia cantare permittant: atque alia agant, quæ Canonum obviant inſtitutis, & de radice cupiditatis, & avaritiæ prodire videntur. Prohibet autem ſub Eccleſiaſtica cenſura, ne impoſterum hoc malum fiat. *Arguere, obſecrare, & increpare ſtudeamus, ſicut tamen debemus exceſſus corrigere ſingulorum: ut probemur, non quæ noſtra ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærere; ut in correctione facienda videamur modeſtiam, & maturitatem ſervare*. Contra omnem turpis lucri ſuſpicionem in Concilio Tridentino cautum eſt, ne mulctas pecuniarias, quas Epiſcopi, aut eorum Officiales a Beneficiariis Clericis, vel concubinariis, ſive aliis laicis perſonis deſumunt, ſibi detineant, ſed Eccleſiæ, vel pauperibus applicent. Non ſatis ſervatur ubique, quum nondum ceſſent querelæ. Dummodo maculam avaritiæ non incurramus, tolerandum aliquomodo puto. Væ autem ſi videremur potius ex aliena iniquitate noſtris neceſſitatibus proſpicere, quam Dei honorem ulciſci, quia nos læſi non fuimus, ſed Deus.

[Margin notes: POENÆ CANONICÆ. — c. 2. & 3. de Pœnis. EXCESSUS MULTÆ PECUNIARIÆ. — Seſſ. XXIII. 1563. c. 1. de Reformat. Seſſ. XXV. 1563. c. 3. & 14. de Reformat.]

Propter graviora crimina pœnitentia publica fuit conſtituta. Quare ſapientiſſime illud ab Eccleſia obſervatum eſt, ut, cum ab aliquo publice flagitium commiſſum eſſet, publica etiam pœnitentia ei indiceretur: ut cœteri timore perterriti, deinceps peccata diligentius vitarent. Quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora eſſent, interdum fieri

[Margin note: POENITENTIA PUBLICA. Catechiſ. ad Parochos pag. 370.]

ſolitum

Digitized by Google

ſolitum erat. Sed, ut diximus, in publicis hoc perpetuum fuit, ut, qui ea commiſerant, antequam publicam pœnitentiam ſuſcepiſſent, non abſolverentur. Interim vero Paſtores pro illorum ſalute Deum rogabant, atque ut ipſi etiam pœnitentes idem facerent, eos hortari non deſinebant. Oſtendit Morinus paullo ante ſeptingenteſimum annum vulgari ceptum, quod de peccatis publicis publice pœnitendum foret, de occultis occulte; quem morem Theodorus Cantuarienſis in Occidentem forte primus tulit. Poſt Seculum Undecimum valde imminuta fuit publicæ pœnitentiæ ſeveritas, quæ tandem vix non penitus ceſſavit. Commutata enim fuit hæc in leviſſimum opus, & exiguis eleemoſynis redempta. Delinquentium frequentia, caſtigantium lenitas, militum, & æris inopia in bellis ſacris anſam dedit remiſſionis, & indulgentiæ. Poh Deum immortalem! unum præ multis proferam caſum non probandæ lenitatis. Vidi ego hominem confeſſum, & convictum atrociſſimæ ſævitiæ erga ſuam conjugem, & adulterii vicennalis cum plurimis meretricibus, alienisque uxoribus, qui pronunciata ſimplici ſeparatione quoad thorum, libere dimiſſus fuit ex quodam Eccleſiaſtico judicio. Homo, qui juxta legem Moyſis toties mori debuiſſet: quem vero Seculares Leges ultimo ſupplicio, Eccleſiaſticæ Leges olim perpetuæ pœnitentiæ damnaſſent. Ego autem juſtum rigorem ſemper ſuadeo, ne uni parcentes, perdamus plurimos.

De adminiſtrat. pœnitent. *l.* 7. *c.* 1.

ibid. l. 10. *c.* 16. *& ſeqq.*

Non ideo publica pœnitentia ceſſavit, aut ceſſare debet. Sunt jam pro pœna carceres, quorum cuſtodiam Epiſcopis demandaverat Juſtinianus, proprii Epiſcoporum. Carcer aliquando mera cuſtodia, ubi vel de fuga metuendum, vel de atroci crimine poſt ſufficientia indicia inquiritur: aliquando pœna atrocis criminis eſt. Si cuſtodia eſt, tunc maxime cavendum, ne reus pœna carceris perimatur: *quod innocentibus miſerum, noxiis non ſatis ſeverum dignoſcitur*, quum ſeculares leges reum ſuæ pœnæ ſervent. Carceribus æquiparanda olim detruſio in Monaſterio ad agendam pœnitentiam in fletu, & vigiliis, precibus, & jejuniis, vel etiam in cinere, & cilicio, quod apud veteres Hebræos legimus. Interrogatus Innocentius III., qualiter Clerici in latrociniis, vel aliis magnis ſceleribus deprehenſi puniri debeant, reſpondet: *quod a ſuis Ordinibus degradati detrudi debeant in arctis Monaſteriis ad pœnitentiam peragendam*. In Decreto, & Decretalibus frequens fit mentio hujuſmodi detruſionis, quæ nondum penitus deſuevit. De carceribus, & uſu illorum Bonifacius VIII. docet Epiſcopum Biterrenſem: *Quamvis ad reorum cuſtodiam, non ad*

Usus Carcerum. *l.* 22. *&* 23. Cod. *de Epiſcopali audientia.*

l. 1. Cod. *de cuſtodia reorum.*

Detrusi in Monasterium.

c. 6. *de Pœnis.*

Carcer perpetuus. *c.* 3. *eod. in* 6.

pœnam

Digitized by Google

pœnam carcer ſpecialiter deputatus eſſe noſcatur, nos tamen non improbamus, ſi ſubjectos tibi Clericos confeſſos de criminibus, ſeu convictos (eorum exceſſibus, & perſonis, cæteriſque circumſtantiis provida deliberatione penſatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire, carceri mancipes ad pœnitentiam peragendam. Non ſolis Clericis, ſed ipſis laicis perpetuum carcerem infligi forte jam probavit Innocentius III. ad Epiſcopum Pariſienſem, ubi ait: *Pro illo vero falſario ſcelerato, quem ad mandatum noſtrum capi feciſti, hoc tibi duximus conſulendum, ut in perpetuum carcerem, ad agendam pœnitentiam ipſum includas, pane doloris, & aqua anguſtiæ ſuſtentandum, ut commiſſa defleat, & flenda ulterius non committat.* Fateor equidem, quod non ſatis conſtat, an falſarius ille fuerit Clericus, vel laicus. Fagnanus de Clerico intelligit, qui fuerit in perpetuo Monaſterio intruſus. Cum autem Innocentius III. hunc falſarium non vocaverit Clericum, forte laicus fuit. Si fuit, conſenſit Secularis Judex, cujus fori talis reus fuiſſet. *Cæterum adverte*, ait Fagnanus, *quia Officiales, qui condemnant Clericos in perpetuum carcerem, non debent condemnatos ponere in tali loco, vel carcere, in quo vivere non poſſint: ſicut ſunt multi carceres Epiſcoporum Regni Franciæ* (quod tamen nunquam audivi) *pro Clericis de atroci crimine damnatis, ubi non vivunt ultra ſex, vel octo dies, quorum pœna, ſeu mors eſt gravior patibulo ſuſpenſorum, cum pejori, & duriori morte magis languendo intereant: & Officiales tali morti aliquos exponentes, homicidæ, & irregulares reputantur. Magis enim eſt afflictiva illa mors, quæ cum longiori languore fit... Ex quibus etiam patet, quam ſit cavendum ab opinione quorundam modernorum, qui exiſtimarunt, Prælatos Regulares poſſe damnare ſubditum, ut fame pereat in carcere, præcipiendo aliis ſubditis, ne cibos ei deferant.*

c. 27. de verb. ſignif. — *ad cit. c. 27. n. 7.* — *n. 9.* — CAPTIVI NON DEBENT AFFLIGI AD MORTEM. — *n. 10. 11.* — *n. 14.*

ERGASTULUM, PUBLICI LABORES, TRIREMES. — Poſſunt Clerici gravibus obruti ſceleribus, atque impii Sacerdotes ad ergaſtulum, ad publicos labores, ad triremes in perpetuum, vel ad tempus deportari. Vidi, & ſcio, quod Pragmatici alii id negant, cum damnatio ad perpetuas triremes æquiparetur ad mortem. Sed poſtquam Bonifacius VIII. non improbat carcerem perpetuum, quare improbant illi triremes perpetuas? EXILIA, ET RELEGATIONES. — Exilia, & relegationes ferme in omnibus antiquioribus Synodis offenduntur, quibus criminoſi aut Epiſcopi, aut Clerici, aut Hæretici alii, & publicæ quietis turbatores feriebantur. Quæ cum abſque authoritate, vel conſenſu Principis nunquam fierent, neque hodie facile ſuccederent. Solent tamen Clerici criminoſi aut dimitti e Diœceſi, aut remitti etiam vincti ad propriam Diœceſin.

Olim

Digitized by Google

Fuſtigatio.

ſupra l. 7. c. 14.

Spontaneæ Flagellationis autor.

Judiciaria.

c. 4. de Raptoribus.

Olim Epiſcopi, & Abbates diſcretis virgarum verberibus Juniores ſuos Clericos, & Monachos plectebant. Modicæ, & ſalutaris flagellationis poſt alios paſſim meminit Gratianus. Colligit Morinus varia inter recentioris pœnitentiæ genera, ſpontaneam flagellationem circa annum 960. cepiſſe, autore Dominico Loricato, qui fuit Prior Eremitarum Montis Sutriæ. Judiciariæ enim flagellationis uſus in Eccleſia tam apud Monachos, quam apud Clericos antiquiſſimus eſt. Monachæ ab Abbatiſſa ſua moderate flagellabantur. Flagellabantur laici ab Epiſcopo ſervi, & coloni: nunquam tamen ingenui, & honoratiores homines: nec tam facile Majores Clerici. Meminit Seculo Duodecimo Alexander III. ad Panormitanum Archiepiſcopum, ut, cum Epiſcopi Regis delegati contra Saracenos mulierum, & puerorum Chriſtianorum raptores, & violatores egerint, illos etiam flagellis afficere valeant, *ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam ſanguinis tranſire minime videantur. Si vero ita gravis fuerit exceſſus, quod mortem, vel detruncationem membrorum debeat ſuſtinere, vindictam reſervent Regiæ poteſtati*. Conſule Doctorem Sorbonicum Boileau. Hodie quaſi deſuetum eſt. Veſtigia antiquæ diſciplinæ ſuperſunt vel in publicis verberibus, quæ ſibi flagellatores voluntarii velata facie applicant in ſupplicationibus majoris hebdomadæ: vel in privatis verberibus, quæ Ordinum regulæ ſuis Regularibus imponunt, aut Confeſſores pœnitentibus raro: vel in ordine abſolutionis ab excommunicatione, quando ſub Pſalmo *Miſerere* juxta Pontificale Romanum *in quolibet verſu Pontifex cum virga leviter inter ſpatulas verberat abſolvendum*.

Modus in flagellis.

Hiſt. des Flagellans.

Veſtigia veteris Disciplinæ.

Pœna Occidentis Presbyterum.

c. 2. de Pœnitent. & remiſſione.

Incognita noſtris moribus illa pœna eſt, ubi Presbyteri occiſor præter duodecim annorum pœnitentiam uſque ad ultimum tempus vitæ ſuæ, militiæ cingulo carebat, & abſque ſpe conjugii manebat. Effectus hic erat pœnitentiæ publicæ, quia oportebat illum in triſtitia continua cunctos dies ſuos claudere. Econtra communis pœna eſt moribus noſtris privatio fructuum, & ipſius Beneficii cum inhabilitate novi Beneficii obtinendi; quod ſæpe memoravimus. Nota ſatis excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, depoſitio, & degradatio, de quibus incidit continuus ſermo. Manet, ut quilibet reus præſertim in Foro Eccleſiaſtico juxta ſuperioris arbitrium digna poſſit animadverſione puniri.

Pœnæ modernæ.

c. 11. de Pœnis.

DE

Digitized by Google

DE EXCOMMUNICATIONE

TITULUS XI.

PRæterquamquod omnis pœna ſit cenſura, neque veteres noſtrum de Cenſuris ſubtilem loquendi modum per Undecim Secula ſervaſſent: hi non unam nobis objicerent quæſtionem ſatis laborioſam circa numerum, circa meritum, & effectus cenſuræ, circa poteſtatem, circa formas ipſas. Miſſis inutilibus argumentis, illud extra omnem cadit dubitationem: Perpetuam Eccleſiæ Poteſtatem eſſe ferendæ Cenſuræ: uſum vero non minus aliquando neceſſarium eſſe, cum fuerit neceſſe, ut evenirent ſcandala. Nam ſi putrida membra ferro ſecantur, igne uruntur, ne ſana putreſcant; ſi lepra, aut peſte laborantes in quavis bene ordinata Republica a reliquo hominum cœtu ſeparantur, ne contactu corrumpant eos, qui bene valent; ſi ſcabioſæ oves e communi ſtabulo pelluntur, ne reliquis inferatur malum; quomodo non ſervabit rectum ordinem Eccleſia, juſtos ſegregans a peccatoribus, ne omnis caro corrumpat viam ſuam? Monuerat ipſe Magiſter, ut manum abſcindamus, pedem amputemus, oculum eruamus, omnia projiciamus a nobis, ſi inde ſcandalizati fuerimus. Illud quoque juri naturali, & gentium, divinoque, & humano inhæret, ut pœna nunquam excedat culpam. Cum igitur Cenſuræ ſint graviſſimæ, graviſſimum præcedere debuit crimen, quod tanto ſupplicio foret luendum. Quamobrem Jure Canonico, & Civili cautum eſt, ne quis pro levibus cauſis a Communione ſuſpendatur. In gravibus cauſis tum apud Gentes, tum apud Judæos, tum apud Chriſtianos ſumma ſemper fuit religio, impios aut ſacris inhibendi, aut diris devovendi, aut aditum, & ſermonem, jus, & honorem omnem eis denegandi, aut igne, & aqua interdicendi.

[Margin: POTESTAS ECCLESIÆ, ET USUS FERENDÆ CENSURÆ.]

[Margin: Matth. V. 29. —— XVIII. 42. Marc. IX. 42. POENA NON DEBET EXCEDERE CULPAM.]

[Margin: *Cauſ.* XI. *q.* 3. *c.* 42. *l.* 30. Cod. *de Epiſcopis, & Clericis.* Jul. Cæſ. de Bello Gallico *l.* 6. *p.* 123. Lamy. Apparat. Biblic. *l.* 1. *c.* 12. §. *inter Pœnas.*]

Excommunicatio imprimis, ultimum Eccleſiaſticæ in impios animadverſionis genus, ab Eccleſiæ commercio, & aliis ſpiritualibus bonis hominem Baptizatum, & peccatorem ſegregat. Excommunicatio major, & minor eſt, quia majus, & minus delictum grave. Alia Laicorum, alia Clericorum. Paulus Eccleſiaſticis Cenſuris ſæpius uſus fuit vel in Corinthium inceſtuoſum, vel in Hymenæum, & Alexandrum, vel in quemcunque alium Hæreticum. Excommunicabantur ii, qui in moribus pravis, aut perverſa doctrina errantes, & de errore moniti, enormi contumacia nec reſipiſcere, nec obedire cogitabant. Tunc facti ſunt, ſicut

[Margin: EXCOMMUNICATIONIS DEFINITIO.]

[Margin: DIVISIO.]

[Margin: I. Corinth. V. 5. I. Timoth. I. 20. Tit. III. 10.]

[Margin: CAUSA.]

[Margin: Matth. XVIII. 17.]

Digitized by Google

ſicut Ethnici, & Publicani, qui Eccleſiam non audiebant. Ideo Apoſtolis, & ſuis ſucceſſoribus illico terribilis, & ſancta ligandi, atque ſolvendi poteſtas fuit a Chriſto in ſempiternum impertita. Tremant ſcelerati. Quam periculoſa ſit neceſſitudo ejus, quem Joannes ſeductorem, & Antichriſtum vocat: quanto ſtudio vitandus homo ille, qui aut verbis ſacrilegis, aut operibus malis non confitetur Jeſum Chriſtum, Apoſtolus ipſe ad Electam, & filios ejus utilibus monitis confirmat. *Si quis venit ad vos*, inquit, *& hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.* Notat quidem Auguſtinus Calmet: *Ejus verba de iis intelligenda ſunt, quibus ea ſocietatis officia libera ſunt, non de iis, qui jure naturæ, & gentium ad ea teneantur*. Et paullo ante: *Verum ab iis officiis, quæ non fidelem quidem, ſed hominem, civem, patrem, conjugem, & regem, jure naturæ, & gentium, & civili ſpectant, non interdicuntur*. Tanta hominem non capit pœna. *Parcius quidem in veteri Eccleſia, nec niſi graviſſimis de cauſis, & ſummo Eccleſiæ mærore, eo punitionis genere in fideles animadvertebatur ... Olim ſpiritualis gladius nonniſi ob ſpirituales cauſas adhibebatur. Deinde vero impiorum conatus in viros, & bona Eccleſiaſtica iiſdem Cenſuris repreſſi. Eccleſiæ initio, excommunicationis ritus facilis erat, & pronus. Indicta enim quibuſdam ſeparatione a cœtu fidelium, ſtatim illi dicto obſequentes erant. Succeſſu temporis præceptis minæ, anathema, & ſententiæ excommunicationis additæ. Tandem ob terrorem incutiendum, aptas cæremonias addere viſum eſt, ut candelarum incenſiones, & extinctiones, quæ in terram projectæ, pedibus conculcantur, maledicta in excommunicatione &c.* Judæi quoque certos ſervarunt Ritus forte a temporibus Eſdræ, & Nehemiæ, quum a cœtu fidelium ſegregati ſunt ii, qui fœminas alienigenas, & ipſas illegitime ductas repudiare noluerunt; quo tempore ipſi Iſraelitæ ad legis obſervantiam ſub anathematis pœna ſe obſtrinxerunt. *Excommunicationis ſententia his verbis apud Judæos proferebatur: Hic ſit in excommunicatione, ſive in ſeparatione: ſive ſit excommunicatus, aut ſeparatus. Jus illud inferendæ excommunicationis penes ſynagogam, penes Judices, nec non penes privatos erat, quanquam excommunicatio ſolemnis ad domum judicii, ubi criminales cauſæ diſcutiebantur, pertinebat. Privatorum cenſuræ vel privatum aliquem, vel ipſum, qui ſe devoverat, afficiebant; uti in Judæis illis conſtat, qui necem Paulo inferre, interdictis ſibi anathemate cibo, & potu ante confectum opus conſpirarunt.* Quem privatus devovit, a tribus ſelectis viris ſolvebatur:

Periculum malæ neceſſitudinis.

Joan. *epiſt.* II. 10. 11.

Dictionar. Biblic. *in verbo* excommunicatio *in fine*.

Officia ſocietatis libera.

Judaicæ excommunicationis Ritus.
I. Eſdr. X.
II. Eſdr. XIII.

Act. XXIII. 12.

qui ſe ipſum devovit, a viris decem ſolvebatur: quem Synagoga devovit, a Rabbinis nomine Synagogæ abſolvebatur. Apud Chriſtianos ſingularis illa excommunicationis ſpecies fuit, quæ paſſim in antiquioribus Synodis offenditur ſub variis formulis: nempe *Charitate Fratrum, & charitatis communione priventur: A communione, & charitate fraterna ſint alieni: A Fratribus, & comprovincialibus maneant excommunicati: Eccleſiæ ſuæ communione ſint contenti.* Effectus erant, ut illos vitarent reliqui, quoad fieri poterat pro mutua indelebili charitate. Ipſe Epiſcopus ſimili Cenſura notatus, mutua viſitatione, ſolemnium in aliena Diœceſi celebratione, formatarum miſſione, acceſſu ad Synodum privabatur. Cœterum qui ad Synodum accedere contempſiſſet, nec probam attuliſſet excuſationem, juxta patrum ſtatuta communione charitatis cunctorum Epiſcoporum privabatur uſque ad futurum Concilium. Ob periculum ſcandali, & ſubverſionis non amplius Eccleſia ab Eccleſia, ſed jam fidelis a fideli ſegregabat ſe, ac Populus a ſuo Paſtore, qui non recte ambularet juxta Evangelium, & traditionem. Unde Octava Synodus Oecumenica an. 869. vetuit, ne quis a communione ſui Metropolitæ, vel Patriarchæ impoſterum ſe ſe ſubtrahere præſumat, quia privatum Judicium ſæpius erravit.

CHRISTIANORUM VETERES FORMULÆ.

VITABANTUR EXCOMMUNICATI.

can. 10.

EFFECTUS OLIM MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.

Major excommunicatio apud laicos illud operabatur, quod expungebantur albo Chriſtianorum: apud Clericos, quod ad laicam communionem redacti, laicorum fidelium communione ſpoliati, ad unam, vel aliam pœnitentium claſſem amandarentur, quorum quatuor claſſes erant, flentium, audientium, ſubſtratorum, & conſiſtentium. Hinc patet excommunicationem majorem non fuiſſe latam, niſi in Clericos, qui prius depoſitione mulctati fuiſſent, aut in quos ſimul cum excommunicatione proferretur depoſitionis ſententia: *neque enim Clerici, quibus gradus ſervabatur, ſolebant publica pœnitentia damnari.* Antiquiſſimam fuiſſe excommunicationem, docent ipſi Canones vulgo inſcripti Apoſtolorum. Nam *ſi quis Epiſcopus, Secularibus Principibus uſus, per eos Eccleſiam adeptus ſit, deponatur, & ſegregetur, & omnes, qui illi communicant.* Sed *ſi quis Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus juſte ob manifeſta crimina depoſitus, ſibi aliquando concreditum miniſterium attingere audeat, ab Eccleſia omnino abſcindatur.* Hic quoque tamquam Ethnicus, & Publicanus habebatur. Simoniacus, atque ejus ordinator excommunicabatur cum Simone Mago. Schiſmatici Clerici deponebantur, laici excommunicabantur. Multi ſequuntur depoſitionis, atque excommunicationis caſus in his vetuſtiſſimis Cano-

ANTIQUITAS.

can. 30.

can. 28.

can. 29.

can. 31.

Digitized by Google

Canonibus. Notatu dignus eſt trigeſimus ſecundus: *ſi quis Presbyter, vel Diaconus, ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non licet alteri eum ſuſcipere, quam qui ipſum ſegregavit: niſi forte mortuus ſit Epiſcopus, qui eum ſegregavit.* Durat hæc communis apud nos conſuetudo.

Quæ fuerit primitivæ Eccleſiæ diſciplina cum expulſis, vel depoſitis, vel excommunicatis, refert autor Conſtitutionum Apoſtolicarum his verbis: *Habe ergo loco Publicani, & Ethnici eum, qui convictus eſt in maleficio, neque eum tamen pœnitet. Quem ſi poſtea errati pœnituerit, in Eccleſiam admittimus ad audiendum verbum, ſicut Ethnicos, cum pœnitentiam agere, & converti volunt, licet communionem cum his, donec ſigillo accepto perficiantur, non habeamus. Sic horum ſimilibus, donec fructus pœnitentiæ proferant, in Eccleſiam ingredi permittimus, ne plane funditus pereant. Non autem communionem in oratione habeant; quin potius exeant poſt lectionem Legis, & Prophetarum, & Evangelii, ut exeundo vitam emendent, ac meliores fiant, dum ſtudent quotidie ire ad Conventus Eccleſiaſticos, & precationi incumbere, ut & ipſi poſſint admitti.* CONFIRMATUR VETUS DISCIPLINA. *l. 2. c. 39.*

De jure Decretalium alia excommunicatio eſt, quæ fertur a lege, ſive latæ ſententiæ, quia ipſo facto incurritur: alia eſt, quæ fertur ab homine, ſive ferendæ ſententiæ, quia incurritur ſolummodo poſt ſuperioris ſententiam. Attendendum eſt verborum ſignificationi, ut diſcrimen attingamus: & quia odia, ac pœnæ reſtringendæ ſunt, omnis excommunicatio præſumitur ferendæ ſententiæ eſſe, niſi manifeſta ratione appareat, excommunicationem latæ ſententiæ eſſe. Alia major, alia minor. Minor hodie multis videtur propter unicum exceſſum incurri ipſo jure, cum quis nulla charitate, aut neceſſitate movente, ſed ex levitate, vel contemptu, ſciens volens communicet cum excommunicato vitando, publiceque denunciato. Neceſſitas eſt, ubi Principem, & quemcunque inferiorem Judicem etiam in civilibus negotiis oporteat adire. Neceſſitas eſt inter maritos, & uxores: inter parentes, & liberos: inter dominos, & ſervos. Charitas eſt ad converſionem procurandam morbum nullius ægroti horreſcere, qui medico indiget. Jeſus enim, qui non venit vocare juſtos, ſed peccatores, quotidie cum Phariſæis, & Publicanis erat, ut eos manſuetiores redderet, & ad pœnitentiam invitaret. ALIA DIVISIO. MITIOR INTERPRETATIO. MINOR EXCOMMUNICATIO UNICA.

Cœterum pro excommunicatis publice orare non licet, niſi quemadmodum Eccleſia pro perfidis Judæis, & pro impiis Paganis intercedit, ut convertantur ad Deum. Sic Sancta Monica multis lachrymis Auguſtini filii converſionem impetravit. Excommunicationis minoris effectus QUO SENSU LICEAT PRO EXCOMMUNICATIS ORARE? EFFECTUS MINORIS EXCOMMUNICATIONIS.

LIII 2 eſt,

eſt, ut ea innodatus a receptione Sacramentorum excludatur, & ab ipſa adminiſtratione eorum, niſi adſit neceſſitas : in quo caſu non tantum valide, ſed etiam licite adminiſtrat. Excommunicatus fit inhabilis ad Beneficia. Unde in collatione Beneficii ſolet homo caute abſolvi ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, ſcilicet ad illum effectum tantum, ne alias collatio invalida ſit. Imo electus in hoc ſtatu, niſi pariter abſolvatur, electione ſua per ſententiam Judicis cadit. Audiamus Gregorium IX. de effectibus minoris excommunicationis docentem, quod talis, ſi celebret, peccet quidem; ſed non fiat irregularis : nec eligere prohibeatur, ſed eligi : nec ea, quæ ſunt juriſdictionis, ſed tantum ea, quæ ſunt ordinis, exercere prohibeatur. *Peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta : ſed ab eo collata virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, ſed participatione Sacramentorum (quæ in ſola conſiſtit perceptione) remotus.* Qui vero in contemptum Eccleſiæ ſe ingereret communioni excommunicatorum, is mereretur majori anathemate percuti.

c. fin. de Clerico excommunicato.

Effectus majoris excommunicationis. *c. 7. eod.*

Excommunicationis majoris effectus multi ſunt. Excommunicati nec obtinere, nec retinere Beneficia poſſunt abſque diſpenſatione ſuperveniente. Collatores præſumptuoſi ſuſpenduntur a collatione Beneficiorum, donec veniam conſequantur, ut in hoc puniantur, in quo delinquere præſumpſerunt. Excommunicatus in judicio convenire neminem poteſt, ſed conveniri : & per alium reſpondere debet, quia non meretur ipſe ſolus loqui. Excommunicatus nec judex, nec actor, nec teſtis, nec advocatus, nec procurator eſſe poteſt, quia non habet amplius legitimam perſonam ſtandi in judicio. In caſu neceſſitatis, ubi periculum in mora, & aliunde veritas haberi nequeat, non videtur excludendus teſtis, qui ſit excommunicatus : quia hic non agitur de favore perſonæ, ſed de merito cauſæ, & de merito partis innocentis. Excommunicatus privatur uſu Sacramentorum, Eccleſiæ ſuffragiis, interventu Officiorum, precibus Fidelium, Beneficiis, Gratiis, Privilegiis, Indultis, commercio Civili, & Eccleſiaſtica ſepultura. Imo *ſi contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora per violentiam aliquorum, vel alio caſu in Cæmeterio Eccleſiaſtico tumulentur : ſi ab aliorum corporibus diſcerni poterunt, exhumari debent, & procul ab Eccleſiaſtica ſepultura jactari. Quodſi diſcerni non poterunt, expedire non credimus, ut cum excommunicatorum oſſibus corpora extumulentur Fidelium : cum, licet non obſit juſtis ſepultura, nulla, vel vilis, impiis, tamen celebris, vel ſpecioſa non proſit.*

c. 7. de Judiciis.

c. 24. de ſentent. & re judicata. c. 8. de ſentent. excommunic. in 6.

c. 12. de ſepulturis.

Vitan-

Digitized by Google

Vitandus autem non eſt, niſi qui publice ſit denunciatus, aut notorius Clerici percuſſor: ſed adeo notorius, ut factum nulla poſſit tergiverſatione celari, neque alio ſuffragio excuſari. Satis concordat Conſtitutio Martini V. an. 1414. quæ, etiamſi hodie inter Acta Conſtantienſia non facile reperiatur, nititur tamen Sancti Antonini teſtimonio, communique Eccleſiæ Catholicæ uſu. Verba Sancti Antonini hæc ſunt: *Nota diligenter, quod, licet ſecundum jura communia etiam non denunciati deberent evitari, ut dictum eſt, tamen per Conſtitutionem factam Conſtantiæ iſtud extat modificatum; & Concilio Baſileenſi, antequam ſciſſuram faceret, renovatum fuit; quod Fideles non teneantur, tales evitare in Divinis, & extra, niſi fuerint publicati, ſeu denunciati, excepto caſu de injectione manuum in perſonas Eccleſiaſticas notoria.* Verba Conſtantienſis Conſtitutionis hæc ſunt: *Ad evitanda ſcandala, & multa pericula, ſubveniendumque conſcientiis timoratis, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum adminiſtratione, vel receptione, aut aliis quibuſcunque divinis, vel extra, prætextu cujuſcunque ſententiæ, aut cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſuſpenſionis, aut prohibitionis, ab homine, vel a jure generaliter promulgatæ, teneatur abſtinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Eccleſiaſticum ſervare, niſi ſententia, prohibitio, ſuſpenſio, vel cenſura hujuſmodi fuerit in, vel contra perſonam, Collegium, Univerſitatem, Eccleſiam, aut locum certum a Judice publicata, vel denunciata ſpecialiter, & expreſſe. Salvo, ſi quem pro ſacrilega manuum injectione in Clericum ſententiam latam a Canone adeo notorie conſtiterit incidiſſe, quod factum non poſſit aliqua tergiverſatione celari, neque alio ſuffragio excuſari. Nam a communione illius, licet denunciatus non fuerit, volumus abſtineri juxta Canonicas ſanctiones.* Legitur hæc Conſtitutio in Concilio Baſileenſi, addito: *Per hoc tamen hujuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, interdictos, ſeu prohibitos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet ſuffragari.* Ulterius cum evitare excommunicatos præſertim in Civilibus multum dependeat a Jure poſitivo humano, ac pleraque ſint meræ diſciplinæ, optimum eſt ſe & in hoc puncto praxi, & conſuetudini Eccleſiarum, & locorum, in quibus verſamur, conformare, ne quid inordinatum ſuccedat.

VITANDUS QUIS SIT?

ſumma *p.* 3. *t.* 25. *c.* 2.

Seſſ. XX. 1435. *cap.* 2.

Mira poſt Seculum Nonum uſque ad nos excommunicationum frequentia. Tantus enim eſt teſte Claudio Fleury excommunicationum a lege, vel ipſo facto numerus, ut ne quidem ſolertiſſimi Canonum interpretes cunctas enarrare audeant. In ſolo Sexto Decretalium numerantur triginta duæ, in Clementinis quinquaginta, in Bulla, quæ incipit

FREQUENTIA EXCOMMUNICATIONUM.

Inſtitut.Canoniq. *Part.* 3. *chap.* 20. *n. fin.*

IN

Digitized by Google

IN COENA DOMINI &c. viginti una, in cœteris Pontificum Conſtitutionibus infinitæ, ne quid dicam de Conſtitutionibus Synodalibus, Mandatis Epiſcoporum, & Regularium Statutis. In antiquis Canonibus, in Decreto, & Decretalibus vix triginta reperiuntur, quæ tamen, ſi recte ponderentur, maximam partem indigitant non excommunicationum *ipſo facto*, ſed aliarum *ab homine* infligendarum. Contra omnem immoderatam frequentiam monuerunt Tridentini Patres: *Quamvis excommunicationis gladius, nervus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobrie tamen, magnaque circumſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temere, ac levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari; & perniciem potius parere, quam ſalutem*. Sic Auguſtinus ſcripſit: *Quomodo poterimus Apoſtolo obedire dicenti, cum ejuſmodi nec cibum ſumere? In hac velut anguſtia quæſtionis non aliquid novum, aut inſolitum dicam; ſed quod ſanitas obſervat Eccleſiæ, ut (cum quiſque Fratrum, ideſt Chriſtianorum intus in Eccleſiæ ſocietate conſtitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, ut anathemate dignus habeatur) fiat hoc, ubi periculum ſchiſmatis nullum eſt, atque id cum ea dilectione, de qua ipſe alibi præcepit dicens, ut inimicum eum non exiſtimetis, ſed corripite, ut fratrem. Quod ſi non agnoverit, nec pœnitendo correxerit, ipſe foras exiet, & per propriam voluntatem ab Eccleſiæ unitate dirimetur.*

Seſſ. XXV. 1563. *c. 3. de Reformat.*

Contra Parmen. *l. 2. c. 2. n. 12. & 13.*

QUANDO SIT ADHIBENDA?

Ergo excommunicatio, quæ ultimum remedium, & ultima pœna eſt, nonniſi ex magna cauſa, tentatis fruſtra aliis mediis, (ubi etiam brachium Seculare fruſtra invocaretur, aut fruſtra invocatum fuiſſet) præmiſſis duabus, aut tribus monitionibus, (ubi nullum majoris mali, contemptus, hæreſis, aut ſchiſmatis periculum prudenter metuatur) ab Epiſcopo, vel quocunque alio Eccleſiaſtico viro, cui de jure, aut de conſuetudine competere poteſt, juxta ejus arbitrium, & conſcientiam, in hominem baptizatum, ſubditum, criminoſum, incorrigibilem, & contumacem, publicanda, & denuncianda eſt ſpecialiter, & expreſſe, quando illam Epiſcopus, aut alter legitima juriſdictione munitus, pro re, aut loco, aut perſona, aut tempore decernendam eſſe judicaverit. Non alius Eccleſiæ, & Concilii ſenſus. *Nefas autem ſit ſeculari cuilibet Magiſtratui, prohibere Eccleſiaſtico Judici, ne quem excommunicet, aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti Decreto non ſint obſervata; cum non ad Seculares, ſed Eccleſiaſticas hæc cognitio pertineat. Excommunicatus vero quicunque ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerit, non ſolum ad Sacramenta, & Communionem Fidelium, ac fa-*

loco citato.

CIVILIS MAGISTRATUS SE NON IMMISCEAT.

Digitized by Google

ac familiaritatem non recipiatur. Sed ſi obdurato animo, cenſuris annexus, in illis per annum inſorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæreſi ſuſpectum procedi poſſit. Quæ in corporis incolumitate ſervantur, ea ad animi valitudinem trahuntur. Non autem omnia remedia eundem ſanant morbum, nec in quavis regione ſingulis corporibus licet, iiſdem uti ſuccis, & herbis. Juvat in Hiſpania, & in Italia, glaciali potu ardentiorem extinguere ſitim. In Septentrionalibus plagis non aſueto non ſuaderem. Hæc ideo loquimur, & inculcamus, quod ſinguli probis moribus noſtris vivamus, quantum fieri poteſt, ne violentis medelis exacerbemus vulnus periculoſum.

De miniſtro excommunicationis non eſt dubium, quod ſit Epiſcopus. Olim Epiſcopus non ſolius Cleri, ſed ipſius Plebis conſenſum adhibuiſſe videtur, ſerius ſolius Cleri: & quia in arduis negotiis Epiſcopus tenetur Capituli ſui, & proborum, doctorumque hominum opinionem audire, ne temere agat, non penitus ceſſavit vetus diſciplina. Unde ipſe ante ferendam ſententiam admittere debet aliorum quoque conſilium. Jure Divino Epiſcopus, Jure Eccleſiaſtico non ſolus Epiſcopus, ſed Cardinales, Abbates, aliique, ad quos ex quacunque Eccleſiæ conceſſione ſpectat, miniſtri ſunt Eccleſiaſticæ cenſuræ ferendæ, vel ordinarii, vel delegati, vel privilegiati. Poſcit autem Oeconomia Eccleſiæ, ut ſit ſtricta ſubordinatio, atque inde liceat Eccleſiaſtico Superiori caſus certos graviores ſibi pro bono regiminis reſervare, a quibus inferior abſolvere nequeat. Sic Epiſcopus poteſt ſibi reſervare, ut ab excommunicatione a ſe lata nemo Presbyter Diœceſanus abſolvere poſſit, quia inferior non poteſt ſolvere, quod ſuperior ligavit. Papa multo magis ſibi reſervat, ut ab hac, vel illa ſingulari excommunicationis ſpecie nemo Epiſcopus abſolvere poſſit. In articulo mortis propter periculum moræ, & animarum ſalutis, quilibet Presbyter abſolvere poteſt, quia in tanta neceſſitate omnis reſervatio ceſſat. Poſcit eadem Eccleſiæ oeconomia, ut nemo non ſubditum excommunicet, in quem nullam habet juriſdictionem: & cum ejus ſit ubique ſolvere, cujus fuit ligare, nemo poteſt alienum ſolvere hominem, quem alius ligavit, qui vero ſolus in ipſum habet juriſdictionem. Ceſſat utique hæc regula in Romano Pontifice, qui propter ſupremum Vicarium munus in omnes baptizatos eandem exercet juriſdictionem: vigore cujus omnes cenſuras ab inferioribus Epiſcopis latas abſolvit ad ædificationem operis ſui. Ceſſat eadem regula, ubi is, qui cenſuram tulit, per mortem, vel per quamcunque aliam cauſam amiſit ſuam

MINISTER EXCOMMUNICATIONIS.

CASUS RESERVATI.

SUBJECTUM.

juriſdictionem. Tunc vel Papa, vel is, qui in juriſdictionem defuncti ſucceſſit, erit adeundus.

ORDO EXCOMMUNICANDI.

Ordo excommunicandi, atque abſolvendi in Pontificali Romano præſcribitur, ita ut ab excommunicatione minori, quæ per ſolam participationem cum excommunicato contrahitur, ſimplex Sacerdos pro confeſſione approbatus abſolvere poſſit: nec alia forma eſt, niſi quod Sacerdos peracta confeſſione dicat: *Auctoritate Dei Omnipotentis, & mihi conceſſa, abſolvo te, a vinculo hujus excommunicationis, quam confeſſus es, & a qualibet alia ſimili, ſi qua teneris, in quantum poſſum, & debeo, ac reſtituo te Eccleſiaſticis Sacramentis.* Majorem excommunicationem majores comitantur cæremoniæ. Promulgatio fit per Epiſcopum in his ferme terminis: quod contemptis quarta monitione, & mandato, Epiſcopus ſubditum ſuum auctoritate Dei, Apoſtolorum, & omnium Sanctorum, exigente ipſius contumacia, excommunicet in ſcriptis, & tamdiu vitandum denunciet, donec adimpleverit, quod mandatur: atque ita ſpiritus ejus in die Judicii ſalvus fiat. Circa abſolutionem ab hac majori excommunicatione tria ſunt ſpecialiter attendenda. Primum, ut abſolvendus ante omnia juret parere mandatis Eccleſiæ, & ſatisfaciat competenter. Alterum, ut reconcilietur hoc ritu. Exutus uſque ad camiſiam (indulgendum cum non vili perſona, multo magis cum fœminis ob honeſtatem) ante fores Eccleſiæ coram Epiſcopo Pontificalibus induto, & ſuper Faldiſtorium ante portam Eccleſiæ paratum ſedente genuflexus, detecto capite humiliter abſolutionem petit. Epiſcopus accepto juramento de parendo mandatis, inter preces, quas orat, ad quemlibet verſum, virga leviter cædit abſolvendum inter ſcapulas. Finitis precibus reus abſolvitur, & introducitur in Eccleſiam, reſtitutus ad communionem totius Chriſtianitatis, & participationem Sacramentorum. Ultimum, ut abſoluto fiant juſta, & rationabilia præcepta, quæ diligenter, & prompte adimpleri debent, ne amplius peccet. Impeditus Sedem Apoſtolicam accedere, quam alias pro abſolutione in certis caſibus accedere deberet, abſolvitur ab Epiſcopo. Promittere tamen tenetur de accedendo Summo Pontifice, aut ejus Legato, quando impedimentum ceſſaverit. Infirmi, ſenes, pueri, mulieres, ſervi, & pauperes, qui tam procul ire nequeunt, facili negotio excuſantur.

RITUS MAJORIS EXCOMMUNICATIONIS.

QUANTA SIT OBLIGATIO ADEUNDI S. A.?

SOLEMNIOR EXCOMMUNICATIO.

Quando autem anathema pro gravioribus culpis ſolemniori ritu fieri debet, Epiſcopus Pontificalibus indutus, aſſiſtentibus duodecim Presbyteris ſuperpelliceo indutis, (veſtigium eſt antiquioris diſciplinæ, ubi

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus cum Clero ſuo excommunicabat) & tam ipſo Epiſcopo, quam Presbyteris candelas ardentes in manu tenentibus, ex Faldiſtorio terribilem fulminat ſententiam: Unde miſerum a pretioſi Corporis, & Sanguinis Domini perceptione, & a ſocietate omnium Chriſtianorum ſeparat, & a liminibus Sanctæ Matris Eccleſiæ, in Cœlo, & in Terra excludit, & excommunicatum, & anathematizatum eſſe decernit, & damnatum cum diabolo, & angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem æternum judicat: donec a diabolo, & ejus laqueis reſipiſcat, & ad emendationem, & pœnitentiam redeat, & Eccleſiæ Dei, quam læſit, ſatisfaciat, tradens eum ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus fiat in die judicii. Et omnes reſpondent: Amen, quod eſt Fiat. Quo facto projiciuntur in terram candelæ illæ ardentes, ut extinguantur: quia lumen Chriſti extinctum eſt in corde perverſi peccatoris. Mittitur Epiſtola ad univerſam Diœceſin, & ad vicinos Epiſcopos, nomen, & cauſa, ne quis communicet cum illo. Idem ferme, ſed cum duodecim quoque Presbyteris ſolemnior abſolvendi Ritus, qui cum quolibet majoris excommunicationis reo paullo ante expoſitus fuit. Sane ſi Epiſcopus excommunicat, & abſolvit, quomodo non eandem habuit poteſtatem Synodus Provincialis, quæ eſt multorum Epiſcoporum congregatio? Major adhuc ratio in Synodis Oecumenicis, quarum ſeriem expoſuimus. SOLEMNIOR ABSOLUTIO.

DE SUSPENSIONE, DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE

TITULUS XII.

PRænotandum eſt, quod Clericus quandoque ſuſpenditur, quandoque deponitur, quandoque degradatur. Suſpenditur quis quandoque ab homine, quandoque a jure, & quandoque ad tempus, quandoque in perpetuum. Suſpenſio perpetua nihil magis, quam vera depoſitio eſt. Suſpenſio, quæ communis cenſura eſt, impedit Clericum vel ab Officio, vel a Beneficio, vel ab utroque. Excommunicari etiam laicus poteſt: ſuſpendi, deponi, degradari ſolus Clericus. Quamobrem moniales, quæ nullam ordinationem, ſed ſolam benedictionem habent, non ſuſpenduntur ea ſuſpenſione, quæ cenſura eſt: ſed quadam inhibitione externa impediuntur a munere certo, aut officio domeſtico, quod antea exercuerunt, vel a ſuſceptione Sacramentorum, vel a quocunque ingreſſu Eccleſiæ, & Capituli.

Pont. Rom. DUPLEX SUSPENSIO. EFFECTUS. COMPETIT SOLI CLERICO. MONIALES NON SUSPENDUNTUR.

Digitized by Google

c. 12. de Majorit. & Obedient.

Fuit talis inhibitio certæ Abbatiſſæ, quæ præſumpſerat Canonicas ſuas, & quoſdam Clericos ſuæ juriſdictioni ſubjectos, propter inobedientiam, & culpas alias, officio, beneficioque ſuſpendere. Clerici confiſi, quod eadem nullo pacto eos excommunicare valuiſſet, ſuſpenſionem non obſervarunt. Rite in hoc fecerunt; ſed non rite, quod exceſſus alii manſiſſent incorrecti. Hinc Abbati S. Michaelis ſcribit Honorius III., ut corrigat exceſſus, &, ſi opus fuerit, prævaricatores Eccleſiaſtica compellat cenſura. Priorem Abbatiſſæ ſuſpenſionem nunquam probavit, ut talem. Alias Clerici illi evaſiſſent irregulares, quod caput citatum non dicit. Cum autem pari forma, & pari enunciatione dictetur pœna Canonicarum, & Clericorum, neque pœna Canonicarum cenſura fuit talis, quæ afficeret irregularitate non obſervantes: neque Clericorum pœna fuit talis cenſura, qui ſuſpenſionem ideo non obſervarunt. Sic laicus propter crimen, aut aliud impedimentum, nulla cenſura mediante, poteſt ſimplici inhibitione prohiberi ab uſu Sacramentorum. Suſpenſio igitur, quæ cenſura, & pœna eſt, ſtrictiorem interpretationem ſuſcipit: & ab uno ſuſpenſus non intelligitur ſuſpenſus ab alio. Sic ab officio ſuſpenſus non eſt ſuſpenſus a beneficio: niſi ſuſpenſio foret perpetua, quæ depoſitioni, vel dimiſſioni æquiparatur. Suſpenſus a beneficio nullum electionis, & collationis jus amittit, quia iſti actus ſpectant ad officium. Suſpenſus ab Ordine poteſt exercere omnia, quæ juriſdictionis ſunt: & ſuſpenſus a juriſdictione poteſt exercere, quæ ſunt Ordinis; niſi, quæ ſunt Ordinis, ita connexa forent cum juriſdictione, ut ſine illa licite fieri nequirent. Illud quoque ſatis commune eſt, quod ſuſpenſus a Beneficio ſuſpendatur tam ab Ordine, quam a Juriſdictione non raro, quia Officium importat ſæpe non ſolum ea, quæ Ordinis ſunt, ſed etiam ea, quæ juriſdictionis ſunt. Et tunc proprie ſuſpenſio illa eſt tam a Beneficio, quam ab Officio. Cum autem excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententia, & cauſa innoteſcere debeat, ea in ſcriptis redditur, & intimatur parti, tradito intra menſem exemplo, ſi petatur.

SUSPENSIO STRICTAM SUSCIPIT INTERPRETATIONEM.

c. 1. de ſentent. excommunic. in 6.

IN SCRIPTIS REDDITUR SENTENTIA CENSURARUM.

INNOMINATI NON COMPREHENDUNTUR EPISCOPI, ET CARDINALES.

Epiſcopi, & Cardinales, quibus omnia honoris, & magnæ juriſdictionis privilegia communicantur, nullam excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiam incurrunt, niſi de ipſis expreſſa mentio fiat. Ad infligendam vero hanc pœnam cauſæ multæ ſunt in jure expreſſæ, multæ arbitrio ſuperioris relinquuntur. Canones vulgo dicti Apoſtolorum ſegregant, hoc eſt, ſuſpendunt Epiſcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, qui Religionis prætextu ſuas ejicerent uxores. Contumaces

VETUS DISCIPLINA.

can. 5.

Digitized by Google

maces deponunt. Clerico ſuſpenſo, & in aliam urbem migrante, ſuſ- *can. 12.*
penſi erant, tum qui recepit, tum qui receptus eſt. Presbyter migrans *can. 15.*
inconſulto Epiſcopo inter laicos communicabat. Depoſitus, qui non ceſ- *can. 28.*
ſaret miniſtrare, excommunicabatur. Clericus extra neceſſitatem itine- *can. 54.*
ris comedens in caupona ſuſpendebatur. Clericus contumelioſus irriſor *can. 56. 57.*
proximi ſui ſuſpendebatur. Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fa- *can. 58. 59.*
ciens opus Dei negligenter ſuſpendebantur. Plura rexit ſecula conformis
diſciplina. In corpore juris noſtri ſuſpenduntur a ſpiritualium, & tem- DECRETALIUM DISCIPLINA.
poralium adminiſtratione Prælati ii, qui ſuas Eccleſias pro alienis debitis *c. 2. de ſolutionib.*
obligant. Item Eccleſiaſticus Judex, qui cenſuræ ſententiam ſine ſcriptis *cit. c. 1. de ſentent. excommunic. in 6.*
profert, cauſam non addit, paria parti intra menſem recuſat, talis per
menſem ab ingreſſu Eccleſiæ, & a divinis ſuſpenditur; atque irregula-
ris evadit, qui ſuſpenſionis veræ pœnam violat. Presbyter etiam regu- *c. 3. de clandeſtina deſponſatione.*
laris, qui clandeſtino matrimonio interfuit ad triennium ab Officio ſuſ-
penditur. Capitularis Literarum Capitularium corruptor ab Officio, & *c. 33. de Teſtibus.*
Beneficio ſuſpenditur, donec Epiſcopo viſum fuerit cum ipſo diſpenſare.
Epiſcopus, qui abſque licentia Ordinarii ſui alienum hominem ordinave- *c. fin. de tempor. Ordinat. in 6.*
rit, per annum ſuſpenditur. Prælati, qui ſine conſenſu Capituli, & Apo- *c. fin. de reb. Eccleſ. non alienandis.*
ſtolicæ Sedis licentia, bona Eccleſiæ quocunque illicito titulo ad manus
laicas alienaverint, ipſo facto ſuſpenduntur ab officio, & adminiſtra-
tione. Factum autem ipſo jure nullum eſt. Clerici inferiores, qui atten-
tatum Prælati ſui non revelaverint legitimo ſuperiori, ad triennium ſuſ-
penduntur a perceptione fructuum, *quæ in Eccleſia obtinent ſic gravata*.
Laici, niſi reſtituant, excommunicantur: niſi reſipiſcant, terra eorum
ſupponitur interdicto. Clericus concubinarius poſt ſecundam, vel tertiam *c. 4. & 6. de cohab. Cleric. & Mulier.*
monitionem ſuſpenditur: contumax deponitur. Hodie ſervatur Ordo
Tridentinæ Synodi. Cœterum monet Gregorius IX. quemlibet eſſe ſuſ- *c. 10. eod.*
penſum, quamdiu in peccato eſt, qui ſine prævia confeſſione licite Sa-
cramenta nec perficere, nec miniſtrare poteſt. Illud pariter ſciendum QUOMODO SUSPENSUS ABSOLVATUR?
eſt, quod, licet nullum præfinitum fuerit tempus ſuſpenſionis, pœni-
tens, atque emendatus prompte ſe ſiſtere debeat coram Epiſcopo ſuo pro
abſolutione; cujus eſt reconciliare, & diſpenſare cum ſubdito ſuo, niſi
cenſura ſit Summo Pontifici reſervata. Sed poſt Tridentinam Synodum *Seſſ. XXIV. 1563. c. 6. de Reformat.*
jam licet Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex de-
licto occulto provenientibus diſpenſare, quæ deductæ non ſint ad forum
contentioſum, neque ex homicidio voluntario procedant.

Circa depoſitionem vero notandum eſt, quod, ſi agitur, ut deponatur quis Pont. Rom.

Solus Episcopus deponit. Effectus depositionis. *a Beneficio, ſolus Epiſcopus hoc poteſt*; non ſecus ac ut quis ab Ordine deponatur, quia per ſententiam depoſitionis depoſitus exuitur tam majorum, quam minorum Ordinum exequutione. Beneficiis omnibus, & honoribus ſpoliatus inter laicos numeratur, atque in Monaſterium aliquando detruditur ad agendam difficilem pœnitentiam. Olim depoſitio, & degradatio promiſcuam ſignificationem communiter ſuſceperunt. Utraque indiguit Epiſcopis duodecim ad deponendum Epiſcopum, Epiſcopis ſex ad deponendum Presbyterum, Epiſcopis tribus ad deponendum Diaconum. Poſt Synodum Tridentinam, ſi Epiſcopi commode aſſiſtere nequeant, ſubſtituuntur totidem Abbates mitrati, aut aliæ perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ, *quæ ætate graves, ac juris ſcientia commendabiles exiſtant*. Olim qui in ſecunda innocens reperiebatur, poſtquam in prima Synodo injuſte a gradu ſuo ejectus fuiſſet, hic miniſtrare non poterat, niſi de manibus Epiſcoporum vetera inſignia coram Altari recepiſſet. Minores Clericos Epiſcopi in conſeſſu Cleri ſui deponebant, ut & apud ſingulos innoteſceret delictum, & pœna. Olim frequentiora Concilia, rariora crimina. Serius rariora Concilia; forte frequentiora crimina. Verum & hodie *ſi Epiſcopus deponens evidenter agnoverit impoſterum emendationem vitæ, & morum depoſiti, vel forte ſententiam ſuam injuſtam fuiſſe, poterit ei de jure miſericorditer reſtituere gradum, & ordinum exequutionem, qua privatus extiterat*: quamvis ſententia fuiſſet pronunciata, tamquam irrevocabilis; nempe *ab omni ordine, & privilegio Clericali te ſententialiter perpetuo duximus deponendum, & deponimus*.

Vetus disciplina.

Cauſ. XV. q. 7. c. 3. 4. 5.

Seſſ. XIII. 1551. c. 4. de Reformat.

Cauſ. XI. q. 2. c. 65.

Pont. Rom. Quomodo restituatur Depositus?

Abusus in degradando.

Non raro aliquis Epiſcopus cum exiguo Clero non tantum deponere, verum etiam degradare Presbyteros ſuos auſus fuit. Alii Epiſcopi ſuæ authoritatis tenaciores ſæpe recuſarunt degradare, quem laici Judices degradandum tradidiſſent, quin ullam cauſæ cognitionem Epiſcopis conceſſiſſent: ac ſi ſanctiſſimi Epiſcopi civilis Magiſtratus lictores, atque ſatellites facti fuiſſent, qui patres pauperum, & perſonarum miſerabilium defenſores exiſtunt. Nec veriti ſunt interdum laici Judices, propter juſtam repulſam injuſte indignati, perſonas quantumvis ſceleſtas, & indignas Sacro Chriſmate, Deo tamen conſecratas, viliſſimis lictoribus perſtringendas, crudeliſſimoque carnifici occidendas projicere, ſpretis quibuſcunque Eccleſiæ ſolemnitatibus. Hinc graviſſimum ſcelus punitur degradatione, non tantum grave. Olim ſuſpenſio, & degradatio non ſemel promiſcua appellatione venerunt. Hodie *ſi Clericus ſecundum primam formam ſententialiter depoſitus, incorrigibilis appareat, debet excommunicari:*

Pontif. Rom.

& ſi

Digitized by Google

& ſi poſtmodum in profundum malorum veniens contempſerit, *tunc cum Eccleſia non habeat ultra*, *quid faciat*, *Pontifex debet illum degradare*, *& Curiæ ſeculari relinquere*. Apparent quatuor gradus in hoc criminali proceſſu, nempe depoſitio, excommunicatio, degradatio, & traditio Curiæ ſeculari facta. Degradandi autem ſunt, ſi Clericus evadat hæreticus contumax, aut in hæreſim relapſus, nec non Literarum Apoſtolicarum falſarius. Degradandi ex Conſtitutione S. Pii V. an. 1568. ſodomita, atque omnis peccans contra naturam. Degradandi ex Conſtitutione Clementis VIII. an. 1601., qui, cum non ſint Presbyteri, celebrant Miſſas, & exaudiunt Confeſſiones. Degradandi ex Conſtitutione Urbani VIII. an. 1627. falſarius monetarum, homicida voluntarius, & cujuſcunque enormiſſimi criminis reus. In quibus arduis caſibus multus prudenti Epiſcopi arbitrio locus, ita tamen, ut, quantum fieri poteſt, reo intruſo in perpetuum carcerem relinquatur miſera vita ad pœnitentiam. Conſulatur Fagnanus, qui tamen ſentit, degradatum Curiæ ſeculari nunquam tradendum, niſi in caſibus vel in Jure, vel in Conſtitutionibus Summorum Pontificum expreſſis, nullo jam arbitrio Epiſcopis relicto. Utinam in gentem electam nunquam intraſſent protervi homines, qui tam turpiter ejici debent. Multis videtur, degradandum non eſſe, donec incorrigibilis vere non ſit. Ubi vero ad funeſtiſſimum degradationis ſpectaculum devenire oportet, Ordo in Pontificali Romano ſequens eſt. Degradandus ſui Ordinis indumentis indutus, ac ſi miniſtraturus ſit, offertur Pontifici degradatori: qui præſente magno Populo, & Clero, præſente ſeculari Judice, & miniſtris, reum ſingulis ornamentis ſpoliat, manus, ac caput abradit, quaſi Sacrum Chriſma, & Unctionem reciperet, laicoque Magiſtratui declarat, ut illum propter ſua ſcelera ſic depoſitum, degradatum, expoliatum, exauctoratum in ſuum, ſi velit, forum eripiat. Eccleſia tamen pro ſalute ejus intercedere, &, ſi mortis pœna remittatur, hominem Clauſtro tradere debet ad agendam perpetuam pœnitentiam. Non obſtante Epiſcopi commendatione, miniſtri Curiæ ſecularis degradatum ſub ſua cuſtodia recipiunt, & abeunt, quem plerumque ultimum ſupplicium manet. Unde ſpes nulla degradato ſupereſt, licet vivus relinquatur, ut priſtino gradui quantumvis pœnitens reſtituatur. Scandalum majus fuit, quam quod inter homines reparari poſſit. Sola Dei miſericordia in alia vita reparabit. Noſtra tempeſtate nullam audivi degradationem, multo minus reſtitutionem. Benedictus XIII., qui nullos Epiſcopales Ritus, nulla alia munia omiſiſſe in Domino gloria-

batur,

QUATUOR GRADUS IN CRIMINALI PROCESSU.

QUI SINT DEGRADANDI? *c.9. & 13. de Hæret. c. 1. eod. in 6. c.7. de crimine falſi.*

ad c. 10. de Judiciis.

ORDO DEGRADANDI.

Digitized by Google

batur, degradavit neminem, ſuſpendit plurimos; vel quia Clericum non ſatis ſceleratum invenit, vel quia terribilem nimis fore degradationis cæremoniam apprehendit.

DE INTERDICTO ECCLESIASTICO

TITULUS XIII.

Definitio, et effectus.

Interdictum nec ſuſpenſio, nec excommunicatio eſt, quamvis aliquid interdicatur tam in ſuſpenſione, quam in excommunicatione. Interdictum ſingularis cenſura Eccleſiæ definitur, quæ in ſalutarem publici, & graviſſimi criminis vindictam prohibet, ne in certo loco, aut certæ perſonæ in contumaciam divina Officia, conſueta Sacramenta, Eccleſiaſtica ſepultura celebrari poſſint, ut ante. Quare adeſt manifeſtum diſcrimen inter locale, & perſonale interdictum. Illud certo loco, iſtud certæ perſonæ, mixtum utrique affigitur. Aliud diſcrimen eſt tam pro perſonis, quam pro locis, inter interdictum generale, & privatum. Illud afficit Provincias, Regna, Status, Communitates, Cœtus, Collegia, Capitula, Diœceſes, Univerſitates, Magiſtratus: iſtud afficit ſingularem Civitatem, Pagum, Eccleſiam, aut ſingulares perſonas, unam, & aliam. Sic communiter ſcribunt Doctores. Verum Innocentius III. diſertis verbis declarat ad Epiſcopos Luſitanos, quod generale interdictum dici debeat, quod fertur necdum in Provinciam, & Regnum, verum etiam in Villam, & Caſtrum. Unde juxta hanc verborum ſignificationem privatum locale interdictum non aliud manet, quam quod fuerit latum in Eccleſiam privatam.

Triplex interdictum ſubdividitur.

c. 17. de verbor. ſignificat.

Longum ſilentium de interdicto.

Potiores Scriptores diligenti examine obſervant, quod neque Concilia, neque Patres per annos quingentos de interdicto meminiſſent. Non una ratio occurrit, vel quia nullus apud Judæos uſus fuerit, a quibus Eccleſia multos ritus ſuos mutuavit: vel quia Hæreticis, & Schiſmaticis abſciſſis, reliquis aut depoſitis Clericis, aut pœnitentiæ publicæ addictis laicis; alius non permanſit contumax, qui ſingulari feriretur interdicto. Seculo Sexto refert Gregorius Turonenſis primum fortaſſis exemplum interdicti localis occurriſſe Pariſiis, ubi propter ſacrilegas cædes, & effuſum ſanguinem Eccleſia Sancti Dionyſii interdicta fuit, ceſſantibus Officiis divinis, atque excommunicatis homicidis, quamdiu non reparaſſent pœnitentia ſacrilegium. Leudoaldus Bajocenſis conſentientibus Comprovincialibus Epiſcopis, cunctas Rhotomagenſes Eccleſias aperiri vetuit, ne po-

Origo in Galliis. Annal. Franc. *l. 5. c. 33.*

ibid. l. 5. c. 31.

Digitized by Google

ne populus divinis aſſiſtere valeat, donec autor necis ſanctiſſimi ſui Epiſcopi Prætextati fuiſſet detectus. Franco Aquenſis templum Domini clauſit, cum Sigebertus Rex, aut ejus nomine Childericus apud Regem primus Terras Eccleſiæ invaſiſſet. Leo Agathenſis templum Domini clauſit, quod Gomacarius Gothus Arianus Comes agros Eccleſiæ uſurpaſſet. Tunc in judicium vocatus pius præſul, ſpoliatuſque ad Urbem rediit, atque proſtratus coram ſepulcro Sancti Metriæ Confeſſoris ait: *non hic accendetur lumen, neque Pſalmorum modulatio canetur, Glorioſiſſime Sancte, niſi prius ulciſcaris ſervos tuos de inimicis tuis, reſque tibi violenter ablatas Eccleſiæ reſtituas.* Hæc cum lachrymis effatus, ſentes cum acutis aculeis ſuper tumulum projecit, egreſſuſque clauſis oſtiis ſimiliter in ingreſſu alios conlocavit. Hincmarus Laudunenſis in Concilio Duziacenſi an. 871. accuſabatur ab alio Hincmaro Rhemenſi, quod Clericos non accuſatos, non confeſſos, non convictos excommunicaſſet, ſuſpendiſſet, interdixiſſet, ut nemo celebrare, nemo etiam baptizari, reconciliari, ac ſepeliri poſſit. Narrat Ademarus Rerum Aquitanicarum Scriptor ad annum 994., quod Alduinus Lemovicenſis ſæpe pro nequitia populi conſtituerit, *Eccleſias, & Monaſteria ceſſare a divino cultu, & Sancto Sacrificio, & populum paganum quaſi a divinis laudibus ceſſare: & hanc obſervantiam excommunicationem cenſebat.* Interdictum fuit. Fulbertus Carnotenſis, qui anno 1028. objit, miſerandum interdictæ Aurelianenſis Civitatis ſtatum ſub oculos Roberti Francorum Regis poſuit, ne Rex illuc Epiſcopos, & Proceres Regni propter agendam pacem vocaret, ſed alio. Per illos dies clariſſima interdicti idea fuit Odelrico Abbati S. Martialis, qui Lemovicenſibus Patribus an. 1034. ſuaſerat, ut excommunicarent, hoc eſt, interdicerent Civitates, quæ pacem detrectaſſent, nec non violaſſent. Ejus oratio integra ſcitu digniſſima eſt. *Niſi de pace acquieverint*, ait, *ligate omnem terram Lemovicenſem publica excommunicatione*, hoc eſt publico interdicto. *Eo videlicet modo, ut nemo niſi Clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu, & infra, in toto Lemovicinio ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur. Divinum Officium per omnes Eccleſias latenter agatur, ſed Baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciem preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia & Viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Eccleſias, ſicut in paraſceve, nudentur, & cruces, & ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus, & triſtitiæ omnibus eſt. Ad Miſſas tamen, quas unuſquiſque Sacerdotum januis* clau-

Idem de gloria Confeſſor. c. 71.

Idem de gloria Martyr. l. 1. c. 79.

cap. 7.

QUOMODO SERVARETUR SECULO NONO LOCALE, ET MIXTUM INTERDICTUM?

Digitized by Google

clauſis Eccleſiarum obſeratis fecerit, Altaria induantur, & iterum poſt Miſſas nudentur. Nemo in ipſa excommunicatione, hoc eſt in ipſo interdicto, *uxorem ducat. Nemo alteri oſculum det. Nemo Clericorum, aut laicorum, vel habitantium, vel tranſeuntium in toto Lemovicinio carnem comedat, neque alios cibos, quam illos, quibus in quadrageſima veſci licitum eſt. Nemo Clericorum, aut laicorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes, & Capita Populorum per omnia Sancto obediant Concilio. Si quis vero probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur, niſi cum digna pœnitentia.* Hæc vera imago localis, & mixti interdicti. Adeſt alia perſonalis interdicti ſpecies, conſentientibus vix non omnibus etiam primoribus ad ſtabiliendam concordiam, diſſentiente tamen uno, alterove. Hi inobedientes juxta Odelrici opinionem ſeparandi ſunt a communione Corporis, & Sanguinis D. N. J. C.; prohibendi ab omni ingreſſu Eccleſiæ; vitandi; nec lino veſtiti, nec carnibus, & vino refecti; intonſi; ægroti, & a nullo Eccleſiaſtico medico viſitandi; inhumati, ibi contabeſcant, ubi crepuerunt; nec ligno, nec lapide tumulandi, miſeræ eleemoſynæ recuſandæ, quæ pro requie deperditæ animæ offerantur. Epiſcopus, qui falſa miſericordia motus interdictum non ſervaſſet, ipſe ſubjaceat interdicto, donec Epiſcopis viſum fuerit. Patres Lemovicenſes multo rigore aſſenſerunt. Quod Seculo Nono, & inde frequentior interdictorum uſus fieret, cauſa eſt, quia potentiores viri conſuetas pœnas Canonicas negligerent: quia Epiſcopi aliqui jam Comitatuum, & Ditionum Domini aliis armis domare nequirent rebelles vaſſallos. Duravit hæc periculoſa ratio, & infelix aliquod remedium ſequentibus Seculis. Leniori animo tandem opus fuit, quemadmodum quotidie magis experimur.

QUOMODO PERSONALE?

LENIOR DISCIPLINA. *c. 11. de ſponſalib.*

Venit Seculo Duodecimo Alexander III., qui durante quocunque interdicto baptiſmum parvulorum, & pœnitentias morientium miniſtrari præcipit. Paullo poſt auſus fuit quidam imprudens, & indoctus ex minimis Claromontanæ Eccleſiæ Canonicis hanc Eccleſiam interdicto ſupponere. Pronunciavit Cœleſtinus III. de nullitate hujus cenſuræ, quæ nunquam abſque graviſſima cauſa, & per alium, quam per proprium Epiſcopum fieri debet. Innocentius III. ſcribit ad Archiepiſcopum Lugdunenſem, ut ſuſpendantur Presbyteri, qui in Eccleſia interdicta celebrare præſumpſerunt. Idem Pontifex in Concilio Lateranenſi an. 1215. concedit Religioſis, ut poſſint ſuos, aut Ordini oblatos, aut bona offerentes, uſufructu retento, ſepelire tempore interdicti, niſi tales nominatim

c. 2. de his, quæ fiunt a majori parte Capituli.

c. 11. de privilegiis.

c. 24. eod.

Digitized by Google

natim excommunicati, vel interdicti fuerint. Inſuper Religioſis ad locum interdictum accedentibus ſemel in anno aperitur una Eccleſia, ut excluſis excommunicatis divina peragantur. Nec ſoli Religioſi, verum etiam ipſe multo magis Epiſcopus excommunicatis, atque interdictis excluſis, poteſt quandoque janius clauſis, ſuppreſſa voce, & non pulſatis campanis ſacra peragere, niſi hoc ipſum fuerit expreſſis verbis interdictum, nec cauſam Epiſcopus præſtiterit interdicto. Viaticum vere pœnitentibus nullo tempore denegatur. *Clerici decedentes, qui tamen ſervaverint interdictum, in cæmeterio Eccleſiæ, ſine campanarum pulſatione, ceſſantibus ſolemnitatibus omnibus, cum ſilentio tumulentur. Et in Conventualibus Eccleſiis bini, & bini, vel ſimul tres, horas Canonicas valeant legere, non cantare, janius clauſis, interdictis, & excommunicatis excluſis, & voce ita demiſſa, quod exterius audiri non poſſint.* Hoc quotidie facere licet etiam in Eccleſiis Regularibus. Cruce ſignatis, & aliis peregrinis pœnitentia quocunque tempore adminiſtratur. Gregorius IX. permiſit *Eccleſiarum Miniſtris, ſemel in hebdomada, tempore interdicti, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, janius clauſis, excommunicatis, & interdictis excluſis, Miſſarum ſolemnia celebrare, cauſa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non denegatur.* Qui vero non ſervaverint interdictum, præterquam quod excommunicationis vinculo ſint innodati, ſi ſint Clerici, Eccleſiaſticis ſpoliantur Beneficiis; ſi ſint Monachi, vel Moniales, in arctiora Monaſteria ad agendam pœnitentiam detruduntur. Bonifacius VIII. exeunte Seculo Decimotertio explicavit, quod interdicto Clero populus non intelligatur interdictus: & interdicto populo Clerus non intelligatur interdictus. Interdicta Civitate propter delictum Domini ſui non ſunt interdicti Cives, qui nullam cenſuræ anſam dederunt; & extra ipſam divina audire, & Sacramenta percipere queunt. Etiam in cenſuris locum quodammodo habet, quod acceſſorium ſequatur naturam ſui principalis. Hinc interdicto certo loco interdicta ſunt ejus ſuburbia, & contigua ædificia. Interdicta Eccleſia interdictum eſt cæmeterium contiguum, interdicta contigua Capella. Secus ſi remota, & non contigua exiſterent Cæmeterium, & Capella, quia non amplius exiſtimarentur pro acceſſoriis, cum verſemur in odioſis. *Is vero, qui ſcienter in loco celebrat ſuppoſito interdicto, (niſi ſuper hoc privilegiatus exiſtat, aut jure ſit conceſſum eidem) irregularitatem incurrit: a qua nequit per alium, quam per Romanum Pontificem liberari; & adeo efficitur inelegibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debebit admitti.* Nihilominus *quoniam in Baptiſmo, & Con-*

c. 25. eod.

c. 11. de pœniten.

c. 57. de ſentent. excommunicat.

c. 7. de Clerico excommunicato.

c. 16. eod. in 6.

c. 17. eod. in 6.

c. 18. eod. in 6.

CLERICUS EVADIT IRREGULARIS, QUI NON SERVAT INTERDICTUM.

c. 19. eod. in 6.

Digitized by Google

firmatione (quæ nedum pueris, ſed & adultis propter moræ periculum exhiberi poſſunt licite tempore interdicti) Chriſmatis utimur Unctione : poſſe (licet terra interdicta exiſtat) Chriſma die Cœnæ Domini confici, dubium non exiſtit.

CHRISMA CONFICITUR TEMPORE INTERDICTI.

c. fin. eod. in 6.

Quoniam vero ex diſtrictione hujuſmodi Statutorum excreſcit indevotio populi, pullulant hæreſes, ac ſchiſmata, & infinita animarum pericula inſurgunt, ac Eccleſiis ſine culpa earum debita ſubtrahuntur obſequia : tandem mitiori ingenio providit Bonifacius VIII., ut tempore interdicti ab homine, vel a jure prolati non tantum morientes, ſed ſani æque, ac infirmi admittantur ad pœnitentiam, niſi ſint excommunicati; qui poſtremi non niſi in articulo mortis ad pœnitentiam admitterentur. Imo & illi, qui interdicti ſunt, atque interdicto cauſam dederunt, admitti poſſunt, dummodo pœnitentes ſatisfecerint, aut ſufficientem cautionem dederint de ſatisfaciendo. Præterea *ſingulis diebus in Eccleſiis, & Monaſteriis Miſſæ celebrentur, & alia dicantur divina Officia, ſicut prius : ſubmiſſa tamen voce, & januis clauſis, excommunicatis, atque interdictis excluſis, & campanis etiam non pulſatis... In Feſtivitatibus vero Natalis Domini, Paſchæ, ac Pentecoſtes, & Aſſumptionis Virginis Glorioſæ campanæ pulſentur, & januis apertis, alta voce, divina Officia ſolenniter celebrentur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis : quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum (ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus divinorum : Sic tamen, quod illi, propter quorum exceſſum, interdictum hujuſmodi eſt prolatum, Altari nullatenus appropinquent.* Bonifacius VIII. non diſſimulat, *quod, ut frequentius, quamvis non ſine cauſa, ſine culpa tamen multorum interdicti ſententiæ proferuntur* ; *quodque ſunt nonnulli Judices nimis prompti ad proferendas eaſdem etiam in negotiis, ſive cauſis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quam charitatis radice perſpicuis indiciis procedere arguuntur.* Scandala, & plurima mala numerat, quæ ex hoc fonte gignuntur. Frequentiſſimum tunc temporis fuiſſe debuit interdictum latum contra moroſos debitores. Damnat abuſum poteſtatis, qui non raro contemptum clavium ſecum traheret.

NOVUM MODERAMEN.

Extrav. Commun. c. 2. de ſentent. excommunicat.

ABUSUS ANTIQUI.

AN POSSIT INFLIGI INTERDICTUM PROPTER DEBITA?

Vetat, ne impoſterum abſque ſpeciali Apoſtolicæ Sedis licentia propter Dominum non ſolventem debita, ejus Provincia, Civitas, Caſtrum, Villa, Locus, Territorium, vel Diſtrictus interdicatur, quia attentatum foret irritum, & inane. Hanc Conſtitutionem pro firmiori robore poſt annos ultra ducentos confirmat, & renovat Clemens VII. Paullo

Septim. Decretal. c. 3. de interdicto.

ante

Digitized by Google

ante Leo X. ejus Patruelis doluit, *quoniam ex indiſcreta interdictorum promulgatione multa conſueverunt ſcandala evenire*. Ideo in Concordato Bononienſi ſtatuit, quod nullus in Gallia locus Eccleſiaſtico poſſit ſupponi interdicto, *niſi ex cauſa, ſive culpa ipſorum locorum : aut Domini, ſeu Rectores, vel Officiales ipſorum locorum, auctoritate Judicis requiſiti, hujuſmodi perſonam excommunicatam infra biduum inde cum effectu non ejecerint, aut ad ſatisfaciendum compulerint*. Judices itaque in quæcunque loca, ob pecuniarum debita, interdicti ſententiam ferre non debent, niſi in caſu citato. Conforme eſt Concordatum inter Carolum V., & Leodienſem Epiſcopum. *c. 2. eod.*

Celebre eſt Pauli V. interdictum an. 1606. in Venetos, qui binas leges tamquam libertati Eccleſiaſticæ contrarias promulgatas revocare, nec non duos Clericos criminoſos ex laico carcere negabant Judicis Eccleſiaſtici cuſtodiæ reſtituere. Prima lex erat an. 1603., ne Eccleſiæ amplius ſine conſenſu Principis extruantur : altera an. 1605., ne bona laicorum ad manus mortuas Clericorum alienari poſſint impoſterum. Duo rei erant Scipio Saracinus Canonicus Vicentinus, & Brandolinus Valdemarinus, Abbas Nerveſinus, multorum atrociſſimorum criminum accuſati, quos Papa ſuo Legato tradendos fruſtra juſſerat. Veneti tamquam bona ſua cauſa freti juxta captum ſuum, interdictum non ſervarunt. Hanc cauſam Petrus Sarpius Venetæ Reipublicæ Theologus non exiguo labore tuendam aſſumpſit. Summus Pontifex vehementer indignatus nullam intermiſit operam, ut declinantes ad obedientiam reduceret. Res tamen mediatore Henrico IV. Rege Galliarum inter Paulum V., & Venetos an. 1607. feliciter tranſacta fuit. Poſt illos dies mitius agi ceptum eſt, quia placuit Deo inter parentem, & liberos ſervare juſtum honorem. Synodus Tridentina nihil innovaverat, niſi quod detrectantibus fortaſſis aliquando Regularibus juſſerit, cenſuras, & interdicta nedum Apoſtolicæ Sedis, ſed etiam Ordinariorum in Regularium Eccleſiis publicari, & ſervari debere. CAUSA INTERDICTI VENETI. Piaſeki Chron. Hamelot Hiſt. du Gouvernement de Veniſe. *Part. IV.* Seſſ. XXV. 1563. *c. 12. de Regular.* QUID SENSERIT SYNODUS TRIDENTINA?

Ex his quoque juxta communem Canoniſtarum opinionem colligitur, tempore interdicti prohiberi uſum Sacramentorum, exceptis Baptiſmate, & Confirmatione : Pœnitentiam, & Viaticum pœnitentibus nunquam denegari : imo neque Extremam Unctionem, ubi moriens alterius Sacramenti jam ſit incapax, quia tunc neceſſitas medii in præcepto poſita videtur. Ubi neceſſitas aliqua, aut miniſtrorum penuria emergat, etiam Ordines conferri poſſunt, præſertim iis, qui ſunt in via. Matri- MODERNA DISCIPLINA.

Digitized by Google

monium, Reipublicæ tam utile, & neceſſarium, nunquam interdicitur, quamvis ſolemnitates tempore luctus inconceſſas putem. Colligitur prohiberi divina Officia publica, & ſolemnia, non amplius privata, & ſecreta, ſemper excluſis excommunicatis, interdictis aliquando admiſſis, nempe citatis ſolemnioribus diebus, in quibus ſolemnia quoque celebrantur Officia. Colligitur prohiberi ſepulturam Eccleſiaſticam, ſed nominatim interdictis tantum, & interdicto cauſam dantibus, aut interdictum non ſervantibus. Ceſſante interdicto locali, corpora prius exhumanda ad locum ſacrum transferuntur. Sententia interdicti propter graviſſimam cauſam lata, fruſtra omnibus aliis mediis tentatis, redacta in ſcriptis cum appoſita cauſa; partique petenti infra menſem communicata, ab Epiſcopo, vel alio Judice Eccleſiaſtico competente promulgatur. Hic pariter ejus erit ſolvere, cujus fuit ligare, aut ejus, qui ab illo cauſam, & poteſtatem habet delegatam. Inconcuſſum eſt, Papam tollere cenſuras inferiorum, quia Papalis juriſdictio dicitur limites non alios habere, quam illos, qui fideli, & prudenti diſpenſatori poſiti ſunt. Quæ cum ita ſint, obſervare licet Eccleſiæ ſapientiam, & pietatem in ſtringendo hoc ſpirituali gladio, ita quidem, ut nocentes ſolum coacta afficeret, neque innocentes eadem cum ſontibus condemnatione involveret. Unde refellitur abſque novo argumento iniquiſſima Binghami calumnia, quam ſequentibus petulantiſſimis modis, & falſiſſimis coloribus affingit: *quæ tam communis, & tam tyrannica praxis Pontificibus Romanis poſteriorum temporum evaſit, ut totas Eccleſias, & nationes interdicto multarent, eiſque uſum Sacramentorum negarent ob unius cujuſdam crimino ſi peccata*. Quomodo audet Binghamus ſcribere, hanc praxim poſteriorum temporum eſſe, quam Gregorius Turonenſis Seculo Sexto viguiſſe docuit? Afferat unicum in Eccleſiaſtica Hiſtoria exemplum, quod totæ Eccleſiæ, & nationes interdicto fuerint multatæ, eiſque uſus Sacramentorum denegatus, niſi forte ubi Eccleſiæ, & nationis potior pars ſe Principis ſui delictis inani contumacia participes feciſſent: ita tamen, ut inſontibus, & timoratis conſcientiis parceretur, quantum fieri poterat. Fuerunt aliquando abuſus. Eſto. Quomodo autem correcti ſunt, niſi auctoritate Apoſtolicæ Sedis, & manſuetiſſimis Romanorum Pontificum Conſtitutionibus? Et hæc praxis tam neceſſaria interdum, tam ſalutaris plerumque vocari poterit communis, & tyrannica? Ceſſet latrare iniquus calumniator. Convictus crimine falſi cauſa cadit, qui deſtitutus legitimis teſtimoniis calumnias in medio produxit. Docti viri non eſt certare calum-

c. 1. de ſentent. excommunic. in 6.

Antiquit. Eccleſ. *l.* 16. *c.* 3. §. 7.

CALUMNIA REFELLITUR.

lum-

Digitized by Google

lumniis, ſed argumentis. Partis ſtudium non excuſat honeſtum alias virum. Charitas ſingulis eadem eſſe debet Chriſtianis ſaltem, ne dicam ſingulis hominibus.

DE SANCTO OFFICIO, SIVE DE INQUISITIONE

TITULUS XIV.

Multa juriſdictionis Eccleſiaſticæ pars eſt Sacrum Inquiſitionis Tribunal. Variam ejus originis, & progreſſus notitiam habere juvat. Originem traxit Inquiſitio contra hæreticam pravitatem circa annum 1198., quo anno Innocentius III. miſit Rainerium, & Guidonem Monachos Ciſtercienſes in Galliam Meridionalem ad convertendos verbi prædicatione Manichæos, & Valdenſes hæreticos. Comprovincialibus Epiſcopis commendavit Summus Pontifex, ut miſſos ſuos honore, & juſto auxilio proſequantur, atque exequutioni mandarent, & rati haberent, quidquid contra hæreticos contumaces, & hæreticorum fautores ordinaſſent, tamquam Eccleſiæ Dei, & publicæ tranquillitatis turbatores. Hos probos duos Monachos tam potentioribus, quam plebejis hominibus commendat, ut pro illis, aut cum illis quaſi defenſionis gratia ad arma ruant contra contumaciſſimos hæreticos, poſitis ſimilibus Indulgentiis, ac ſi Romanam, vel Compoſtellanam peregrinationem perfeciſſent. Idem Innocentius III. an. 1204. contra Albigenſes miſit in Toloſanam, & adjacentes Provincias Arnaldum Abbatem, Petrum, & Radolphum Ciſtercienſes Monachos, Epiſcopis nonnullis ægre ferentibus, quod alieni homines quaſi falcem immitterent in ſuas meſſes, vel quod ipſi arguantur domi ſuæ opus Dei ſe negligenter facere. Quomodocunque fuerit res, Apoſtolicæ Sedi placuit, tales eligere miniſtros, qui doctrina, pietate, exemplo pugnarent fortiter ad extirpandam novam luem. Domeſtica remedia jam vix ſufficere poterant ingenti malo. Quanta vero authoritate donati fuiſſent Inquiſitores, ex eo maxime patet, quod Epiſcopum Biterrenſem novæ miſſioni adverſantem ab adminiſtratione, & officio Epiſcopali ſuſpenderint, donec Romæ ſe ſiſteret, difficilem redditurus rationem.

Origo in Galliа.

Fleury Hiſt. Eccl. l. 65. n. 8.

Inquiſitores ſuſpendunt Epiſcopum Biterrenſem.

Verum exigui poſt biennium apparuerunt fructus, adeo ut quaſi ceſſaſſent tædio affecti, plus quam par fuiſſet: niſi Didacus Oxomenſis Epiſcopus (qui Epiſcopatu renunciato Ciſtercienſem habitum induere aliquamdiu cogitaverat, ad illam regionem iturus) novos veteribus inceptis

ibid. liv. 66. n. 27.

Hiſt. Albigen. Petri Monachi Sernajenſis.

ceptis

Digitized by Google

Ciſtercienſibus ſuccedunt Prædicatores Inquiſitores. *ibid. liv. 79. n. 5. & 6.* Confirmatur Ordo Prædicatorum. Miſſio Occitanenſis.

capitis addidiſſet animos: & ſe ſe cum Dominico Guſmano Canonico ſuo difficilibus Monachorum conatibus, & frequentibus concionibus utilem ſocium conjunxiſſet apud Montem Peſſulanum. Epiſcopus ad ſuam Eccleſiam Sponſam reverſus ſolum reliquit Dominicum cum Inquiſitoribus ſuis. Cum autem Monachi in illa Legatione diu non permanſiſſent, Dominicus ſocios ſibi adſcivit. Hic parens eſt Ordinis Prædicatorum, quem propoſita S. Auguſtini Regula Honorius III. an. 1210. confirmavit, cum Toloſanus Epiſcopus anno ſuperiori Eccleſiam S. Romani in Civitate Toloſana, & ſextam Diœceſis partem decimarum Fratribus Prædicatoribus donaverit tam propter libros, quam propter neceſſarium victum, & veſtitum. Anno 1211. Honorius III. S. Dominicum, & ſuos Fratres Prædicatores ad Occitanenſem Miſſionem Apoſtolicis literis ſtimulavit, qui ſuo officio ſtrenue functi ſunt. Hi per urbes, & pagos, per vicos, & plateas, indefeſſe diſcurrentes, ubi manſueta prædicatione nihil profeciſſent, Magiſtratus infimul, & populos concitaverunt in ſeditioſos hæreticos, qui arma primi arripuerant.

l. 1. epiſt. 25. 26. 27. & ad l. 4. Cod. de Hæret. novæ Conſtitution. Inquiſitores in Terris Imperii. *cit. l. 4. n. 13.* Nondum excluſi Epiſcopi. Excluduntur. Fleury *liv. 80. n. 8.* Spondan. *ad an. 1234. n. 3.*

Refert Petrus de Vineis Friderici II. Cancellarius Conſtitutiones tres datas 24. Februarii 1224. contra Hæreticos, & Fautores in Terris Imperii perquirendos, & puniendos. Imperator Fratres Prædicatores, & Minores contra hæreticam pravitatem in iiſdem Terris Imperii Inquiſitores ſub Imperiali tutela ſuſcipit, Honorio III. reconciliatus. Hoc autem nomen Inquiſitionis adverſus Manichæos ab Imp. Theodoſio fuit uſurpatum. Quartam Friderici II. Conſtitutionem contra Patarenos refert Rainaldus ad annum 1231. Anno 1229. Romanus Cardinalis Diaconus, Gregorii IX. Legatus in Synodo Toloſana, concurrentibus Epiſcopis, Prælatis, Baronibus, & Militibus Regni, publicavit Canones quadragintaquinque, in quibus modus inquirendi, puniendique Hæreticos præſcribitur. Notatu digniſſimum eſt, quod celeberrima Synodus omnem vim, omnem auctoritatem procedendi contra Hæreticos Epiſcopis inconcuſſam relinquat juxta antiquitus obſervatum uſum, & nulla de ſingularibus Inquiſitoribus facta mentione. Anno 1231. Gregorius IX. forſan aliquorum Prælatorum zelo non ſatis fidens ſolos Fratres Prædicatores nominavit Inquiſitores. Hi ſe tam exoſos reddiderunt apud offenſam plebem, ut an. 1234. Urbe Toloſana ejecti vix potuerint reſtitui ab Archiepiſcopo Viennenſi Joanne Burnino, viro ſcientiis divinis, atque humanis clariſſimo. Adjunctus tamen fuit collega ex Fratribus Minoribus, qui Prædicatorum rigorem ſua manſuetudine temperaret. At contra Inquiſitores in Anglia ſub iiſ-

dem

Digitized by Google

dem diebus novas querelas narrat Matthæus Paris, nihil minus, quam Prædicatorum, & Minorum ſincerus amicus. Synodus Narbonenſis an. 1235., Synodus Biterrenſis an. 1246. juſtam procedendi rationem Inquiſitoribus proponunt.

QUERELÆ ANGLORUM.

Tandem Innocentius IV. Sacrum Inquiſitionis Tribunal per Italiam confirmavit juxta prænominatas Friderici II. Conſtitutiones: mandavitque Secularibus Magiſtratibus, ut ex Judicio Epiſcoporum, & Inquiſitorum (qui fuerunt Fratres Prædicatores, & Minores) conducerent apparitores ſuos ad apprehendendas perſonas, & ſubſtantiam hæreticorum. Extat ejus Conſtitutio an. 1252.; quo anno S. Petrus Ord. Præd., & Inquiſitor Mediolanenſis in odium Fidei, & Inquiſitionis, martyrium paſſus eſt. Extat, inquam, ejus Conſtitutio ſcripta dilectis Filiis, Poteſtatibus, ſive Rectoribus, Conſiliis, & Communitatibus Civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Treviſanam conſtitutis. Hæc Conſtitutio paulatim Civitatum Statutis ita inſerta fuit, ut novi Magiſtratus in ingreſſu promptam obedientiam, atque executionem jurare debuerint. Extat alia prior Innocentii IV. Conſtitutio an. 1244. univerſis Chriſti Fidelibus contra Hæreticos. Utraque refert ſe ad prædictas Friderici II. Conſtitutiones. Poſt Innocentium IV. novi conatus ad introducendam Inquiſitionem ubique locorum, ſive ad confirmandam illam in locis, in quibus fuerat introducta. Alexander IV. varias edidit ſalutares Conſtitutiones. Una eſt anni 1257. ad Fratres Prædicatores, qui contra contumaces, & confeſſos reos abſque alio Epiſcoporum conſilio procedere poſſunt, quamvis alias judicium abſque Epiſcopis ferre nequeant. Alia eſt anni 1258. ad Fratres Minores, quibus copiam fecit pecuniariæ, ſed diſcretæ adverſus Hæreticos imponendæ multæ. Alia ejuſdem anni confirmat ſuperiorem Innocentii IV. Conſtitutionem an. 1252. Prohibet tamen, ne Inquiſitores ſuper hæreſi deputati ſe intromittant de divinationibus, vel ſortilegiis, hæreſim non ſapientibus manifeſtam, vel de quæſtionibus uſurarum cognoſcere.

INQUISITIO PER ITALIAM INSTITUTA.

D. PETRUS MARTYR.

Septim. Decretal. *c. 1. de Hæreticis.*

Fleury Inſtit. Canoniq. *n. 2. Part. 3. chap. 9.*

Septim. Decretal. *c. 2. de Hæreticis.*

Fleury Hiſt. Eccl. *liv. 84. n. 49.*

MULTA PECUNIARIA.

c. 8. de Hæret. in 6.

Novi querelarum fontes. Epiſcopi alii ſuam lædi, minuique juriſdictionem: alii quorundam Inquiſitorum avaritiam in extorquendis privatorum opibus inculare, qui forte propter ſuam privatam vindictam ſupremo Officio abuterentur. Hinc odia, & ſeditiones interdum, quantumvis hoc fuerit certorum Inquiſitorum vitium, non Inquiſitionis, quæ nullum alium magis ſibi unquam propoſuit finem, quam puritatem Catholicæ Fidei contra pertinaciſſimos conſectaneos tueri. Quidquid murmuraſſent calum-

NOVÆ QUERELÆ.

Digitized by Google

Statutum irritum, quod eſt contra Inquiſitionem. *c. 9. eod.*
c. 10. & 11. eod.
c. 12. eod.
Quomodo agatur ad privationem Beneficiorum? *c. 16. eod.*
Immunitas Epiſcoporum. *c. 17. eod.*

luminatores, quidquid tentaſſent alii, Urbanus IV. annullavit ſtatutum omne, vigore cujus impediatur, vel retardetur Officium Inquiſitionis, poſita contra quoſcunque impedientes Eccleſiaſtica cenſura. Clemens IV. renovat ea ferme omnia, quæ ab anteceſſoribus ſuis in hac cauſa fuerunt ordinata. Bonifacius VIII. Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis ampliſſimam commiſit poteſtatem cum Epiſcopi, vel ejus Vicarii Generalis conſilio, ubi ad Beneficiorum privationem agant. Idem negat, poſſe Inquiſitores procedere abſque ſpecialis Sedis Apoſtolicæ Mandato contra Epiſcopos etiam hæreſis ſuſpectos. Imo Epiſcopus non poteſt ab Inquiſitoribus impediri in cauſa hæreſis, aut inhiberi: agitque diviſim, vel unitim uſque ad ſententiam, in qua ſi diſcordent, Papæ referendum negotium pro deciſione.

Exceſſus Inquiſitorum. Clement. *de Hæret.*

Tandem *multorum querela Sedis Apoſtolicæ pulſavit auditum, quod nonnulli Inquiſitores per Sedem eandem contra hæreticam pravitatem deputati, metas ſibi traditas excedentes, ſic interdum extendunt ſuæ poteſtatis officium, ut, quod in augmentum Fidei per circumſpectam ejuſdem Sedis vigilantiam ſalubriter eſt proviſum, (dum ſub pietatis ſpecie gravantur innoxii) cedat in Fidelium detrimentum.*

Instructio ad Inquiſitores.

Hinc Clemens V. in Concilio Viennenſi an. 1311. ex Bullis Prædeceſſorum ſuorum juſtam Inquiſitoribus normam præſcribit, appoſitis pœnis contra tranſgreſſores. Declarat modo dicto, ut poſſint Epiſcopus, & Inquiſitor, aut delegatus Epiſcopi, vel Capituli Sede vacante, ſive unitim, ſive diviſim agere.

Immunitas Officialium, et Nunciorum S. A.

Nihilominus Joannes XXII. ſucceſſor debuit an. 1317. certorum Inquiſitorum coercere audaciam, qui nec Officialibus, & Nunciis Apoſtolicis parcerent amplius. Prohibuit autem, ne præſumant abuti Eccleſiaſticis cenſuris: ſed de eorum exceſſibus informent Romanum Pontificem, ad quem hi ſpectant immediate.

Inquiſitio Romæ inſtituitur.

Paulus III. primus an. 1542. maximum Inquiſitionis Tribunal Romæ inſtituit, confirmatum a Pio IV., & a S. Pio V. Primariæ hujus Congregationis caput ipſe Summus Pontifex exiſtit. At quos non cauſavit Romæ tumultus Sacra hæc Inquiſitio? Mortuo Paulo IV., qui an. 1558.

Septim. Decretal. *c. 9. de Hæreticis.*
Thuan. *l. 23. p. 705. ad annum 1559.*

ſeveriſſimas pœnas neceſſitate exigente adverſus contumaces cujuſcunque gradus hæreticos fulminaverat, plebs indignata ob odium juſtiſſimi rigoris marmoream viri zelantiſſimi ſtatuam impie fregit, carceres diſrupit, reos liberavit. Domus Inquiſitoria incenſa, Inſtrumenta Proceſſuum combuſta, vix non totus Conventus Prædicatorum ſupra Minervam flammis devotus, & abſumptus. Vani tamen conatus ſanctum opus non deleverunt. Sixtus V. anno 1586. ſummam Sancti Officii pote-

Digitized by Google

poteſtatem amplificat Romæ, ſcilicet *inquirendi, citandi, procedendi, ſententiandi, & definiendi in omnibus cauſis tam hæreſim manifeſtam, quam ſchiſmata, apoſtaſiam a Fide, magiam, ſortilegia, divinationes, Sacramentorum abuſus, & quæcunque alia, quæ etiam præſumptam hæreſim ſapere videntur, concernentibus, non ſolum in Urbe, & Statu temporali, ſibi & huic Sanctæ Sedi ſubjecto, ſed etiam in univerſo Terrarum Orbe, ubi Chriſtiana viget Religio, ſuper omnes Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & alios inferiores, quocunque privilegio illi ſuffecti ſint.* Hæc incircumſcripta Romanæ Inquiſitionis poteſtas oſtendit, quomodo oporteat triticum, & zizania creſcere uſque ad meſſem, hæc igni, illud horreis deſtinata, ne forte ante meſſem colligentes zizania, eradicent ſimul cum eis & triticum. Gregorius XV. anno 1622. Romanæ Inquiſitoriæ Congregationi licentias commiſit legendi Libros prohibitos, quos vel illa, vel alia Congregatio Indicis prohibuerat. Antiquiſſimus index Sancti Gelaſii P. in Concilio Romano anno 494. genuinos, & apocryphos diſtinguit Libros, quos Eccleſia Romana probaret, vel damnaret, nullis tamen adjectis cenſuris in eos, qui legerent. Crevit immanis ſcribendi libido, & licentia. Crevit effrænata legentium libertas, & furor, qui doloſa novitate capti ſe, & alios peſſimis obvolverunt erroribus. Debuit Eccleſia obviare tanto malo, & ſeparare lolium a tritico. Cum autem ſola perſuaſio non profuerit ſatis, additæ ſunt pœnæ tranſgreſſoribus, qui ſpiritui ſuo privato nimis fidunt, & Eccleſiam conſulere negligunt.

FACULTATES SANCTI OFFICII.

DE LEGENDIS LIBRIS PROHIBITIS. *An.* 1622.

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 80. *n.* 35. Septieme Diſcours ſur l'Hiſt. Eccleſ. *n.* 13.

Videre eſt, in quibus vigeat locis Inquiſitio, in quibus non vigeat. Italicæ Inquiſitionis initium circa annum 1243. fuit, quæ tunc ultra Longobardiam, Æmiliam, & Marchiam Treviſanam nondum ſe extenderat. Florentiis incæpit anno 1258., Venetiis anno 1289. arctata certis limitibus, ne Princeps ignarus ſit rerum, quæ in ſua Provincia perpetrantur. Quamvis a Ferdinando Catholico uſque ad nos tentatum fuiſſet, Inquiſitionem introducere in Regnum Neapolitanum, nunquam ſucceſſit, Neapolitanis aliquando ad arma converſis: ubi in materia Fidei procedendum ab Epiſcopis via ordinaria, & juxta Sacros Canones, quemadmodum fit & in aliis majoribus cauſis. Edictum extat Philippi II. an. 1565., & Caroli III. an. 1709. Circa annum 1233. curante Sancto Raymundo de Pennafort Ordin. Prædicat. migravit Inquiſitio in Arragoniam: ubi vix non in oblivionem cecidiſſet, niſi Ferdinandus Catholicus, & Iſabella pulſis Mauris, & Judæis in univerſas

VARIÆ INQUISITIONUM EPOCHÆ.

Gio: Villani. Fra Paolo.

Ciocarelli. Ludovicus a Paramo. Capitolazione, e Grazie di Carlo VI. *Tom.* II. *p.* 232.

NEAPOLITANI RECUSANT.

Mariana *l.* 24. *c.* 17.

Digitized by Google

Hiſpanias, promotore Cardinale Hiſpalenſi Mendoſio; Inquiſitores invexiſſent in apoſtatas, perverſoreſque Chriſtianorum. Anno 1483. primus Inquiſitor a Sixto IV. conſtituitur Generalis Thomas de Turrecremata Ordin. Prædicat. Regi a confeſſionibus, poſtea Cardinalis: ex quo tempore hoc munus in Hiſpania maximum, atque honorificentiſſimum ſemper fuit. Rex nominat, Papa confirmat Inquiſitorem Generalem. Hic viciſſim nominat ſubjectarum Provinciarum ſingulares Inquiſitores, qui nullum exercitium habent ante conſenſum Regis. Inquiſitor Generalis, Senatus Inquiſitorii Princeps, nunquam a Regis latere diſcedit, & abſoluta authoritate pollere dicitur. Senatus ille ſupremus inferioribus Inquiſitoribus certa juſſa diſtribuit, controverſias dirimit, crimina caſtigat, appellationes admittit, nec niſi Regem ſuum dicitur ſuperiorem colere. Quæ omnia accedente Apoſtolico conſenſu firmata ſunt, atque ſtabilita. Ab Hiſpanico Generali Inquiſitore pendebant olim cœteræ Inquiſitiones Siciliæ, Sardiniæ, & Indiarum in Inſulis Philippinis, & in continente Americano fundatæ. Poſtquam Sicilia ceſſit Imperatori regnanti, & Sardinia Sabaudiæ Duci, Inquiſitores ſui facti ſunt independentes ab Inquiſitore Hiſpanico. Idem forte futurum eſt, cum jam Sicilia ex novo recens publicatæ Pacis pacto renunciata fuerit in favorem Caroli Infantis Hiſpaniarum, ac utriuſque Siciliæ Regis, qui ab anno 1734. jam poſſidet utramque Siciliam. Luſitanica Inquiſitio anno 1535. poſtulatorem habuit Joannem III. Regem, autorem Paulum III. Pontificem, Hiſpanicæ ſimillima. Quidquid Carolus V., & Philippus II. tentaſſent, Hiſpanica Inquiſitio non potuit introduci in Belgium. Res anno 1566. compoſita fuit. Narrat Famianus Strada de Bello Belgico, quid ſentirent Belgæ: *Duplex eſſe genus Inquiſitionis, alterum muneri Epiſcoporum adjunctum; alterum certis judicibus a Pontifice Maximo impoſitum. Querelas, atque odia populorum eſſe dumtaxat in hoſce Pontificios quæſitores: quos licet Carolus Cæſ. invexerit in Belgium, id tamen coactum feciſſe Paſtorum inopia, negligentiaque. Quæ ratio cum in præſentia ceſſet, ſimulque tantopere mortales abhorreant ab externæ hujus Inquiſitionis nomine, non debere adverſantibus populis tam violentum, intempeſtivumque remedium obtrudi. Quæ ſine ulla Religionis jactura condonari aliquid poſſe conjuratorum petitioni.* Succeſſus infelix. Batavi armati adverſus Hiſpanos, tandem defecere cum fæderatis Provinciis. Tantum immanis Inquiſitionis horror, aut injuſtus metus ſuadere malum potuit apud indomitam plebem: neque in reli-

quo

Fleury Hiſt. Eccl. *liv.* 114. *n.* 171. DIGNITAS INQUISITORIS GENERALIS IN HISPANIA.

BELGÆ RECUSANT.

Decad. 1. *l.* 5.

quo Belgio ullum amplius Inquiſitionis momentum. Sed neque in Germania, neque in Gallia ſuperſunt certa Inquiſitionis veſtigia, quamvis in aliquibus Civitatibus, quo primum orta eſt, hæſerit exiguo tempore. Servatur Epiſcopis antiquum inquirendi, & coercendi jus, quod & jus commune eſt. In Gallia quidem Clemens VII. anno 1525. ſimile ex Pariſienſibus Senatoribus Clericis Tribunal erexerat, quod tamen Bellis Civilibus, & Edictis Pacificationum fuit abolitum. Alitur quidem Toloſæ levi ſtipendio Dominicanus, qui Inquiſitor vocatur. Verum omni juriſdictione caret. Monumentum potius, quod Toloſana Civitas primis forte Inquiſitoribus ſtrenuam opem præſtiterit. Inquiſitio Hungaris, & Polonis ignotum nomen, apud quos viget Epiſcoporum jus. Qui plura velit, conſulat Joannem Calderinum, Gabrielem a Quemada, Joannem a Royas, Ludovicum a Paramo, & Limborchium.

Nulla Inquiſitio apud Germanos, et Gallos.

Fleury Inſtit. Canoniques Part. 3. chap. 9. n. 4.

Quis ſit Toloſanus Inquiſitor?

Nulla apud Hungaros, et Polonos.

Hoc manifeſtum eſt, quod nulla hæreſis ſit, ubi Inquiſitio viget: multa, ubi non viget, ſi excipias Neapolitanos, & Belgas Auſtriacos, qui puritatem Fidei Catholicæ ſervant ſoli abſque aliis ſingularibus Inquiſitoribus. Finis optimus Sacræ Inquiſitionis: media, quæ probavit Sancta Eccleſia, ſemper optima. Miniſtri non raro abutentes ſua juriſdictione, cujus fines excedere nequeunt, exoſum aliquando, & non ferendum inquietis hominibus reddiderunt ſacrum, & ſalutare Tribunal. Vitium Inquiſitorum, non Inquiſitionis, judicum, non judicii. Verum enim vero pia Mater Eccleſia, quæ omnes vult ſalvos fieri, non autem omnibus idem eſſe opportunum remedium experta, ſuum non eſt inverſura ordinem: contenta, quocunque medio utantur infirmi, dummodo probum ſit illud, ac ſanentur iſti aut ab Epiſcopis ſolis, ubi nulla viget Inquiſitio, aut ab Inquiſitoribus diſcretis ſimul, ubi Inquiſitio viget.

Magnum Inquiſitionis Beneficium.

Hic ultimus Originum Juris Pontificii Liber de Juriſdictione Eccleſiæ fuit, qui cum præcedentibus Quatuor Libris Sanctum Apoſtolicæ Sedis judicium expectat, ne dictum ſit, quod dici non debuit: ita ut, ſi quid mihi exciderit dictum, ſcriptumve, quod vel minimum ab illius mente videatur abire, pro non dicto, ſcriptove habeatur. Cum autem apud doctiſſimum, piiſſimumque Cardinalem Bonam ſcopus ſcribentium hic eſſe debeat, ut non niſi vera ſcribant: quodſi aliquando falſum pro vero per imprudentiam, aut oblivionem, ſive etiam ob ignorantiam amplexi ſunt, humana incuria excuſanda, quæ omnibus obrepit quantumvis doctis, & attentis: tum error ſtatim ac agnitus eſt, ab auctore

Autoris affectus erga Sedem Apoſt.

Rer. Liturgic. l. 1. c. 23. §. 2.

emendandus, & expungendus. Hæc videlicet vera ſapientia eſt, quæ a Deo venit. *Ego proinde fateor* (quantum mihi licet uti verbis Divi Auguſtini) *me ex eorum numero eſſe conari, qui proficiendo ſcribunt, & ſcribendo proficiunt. Unde ſi aliquid vel incautius, vel indoctius a me poſitum eſt, quod non ſolum ab aliis, qui videre id poſſunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipſo, quia & ego ſaltem poſtea videre debeo, ſi proficio: nec mirandum eſt, nec dolendum, ſed potius ignoſcendum, atque gratulandum; non quia erratum eſt, ſed quia improbatum. Nam nimis perverſe ſe ipſum amat, qui & alios vult errare, ut error ſuus lateat. Illius quippe ſcripta ſumma ſunt auctoritate digniſſima, qui nullum verbum, quod revocare deberet, omiſit. Hoc quiſquis non eſt aſſequutus, ſecundas habeat partes modeſtiæ, quia primas non potuit habere ſapientiæ; & quia non valuit omnia non pœnitenda diligenter dixiſſe, pœniteat, quæ cognoverit dicenda non fuiſſe.*

epiſt. VII. ad Marcellinum.

LIBRI QUINTI FINIS.



SCHO-

Digitized by Google

SCHOLIUM.

AD *paginam* 52. adverte, quod Bulla Erectionis data ſit pridie Idus Septembris MCDXXVI., id eſt 12. Septembr. an. 1426. ſub Martino V. Bulla vero Juriſpatronatus Auſtriaci favore Sigiſmundi, & Succeſſorum Comitum Tyrolis data ſit pridie Nonas Februarii MCDLXVIII., id eſt 4. Febr. an. 1468. ſub Paulo II. Cauſa ſupprimendi Monaſterium S. Laurentii extra muros Ord. S. Bened. prima fuit, quod ab annis quadraginta nulla amplius Monaſtica Diſciplina, nulla Monaſterii forma ſupereſſet, vix uno, alterove Monacho ſuperſtite, quidquid ſuus Abbas adhuc forte extitiſſet. Conſulantur Acta. Legitur enim Georgium Liechenſtainium Præpoſitum Viennenſem in Auſtria abſentem fuiſſe electum in Epiſcopum Tridentinum anno 1390. a Bartholomeo Abbate S. Laurentii extra muros, in quem compromiſerant pro Electione Canonica Canonici electores. Legitur Benedictum (quem Eugenius IV. an. 1444. deſignaverat Epiſcopum Tridentinum iratus Theobaldo VVolkenſtainio electo de gremio Capituli ſui, & confirmato a Baſileenſi Concilio) fuiſſe Abbatem S. Laurentii, prouti Pincius, Innocentius de Prato, Ughellus, & Gentilottus crediderunt: niſi dicamus aliquamdiu Monachos forte honorarium titulum Abbatiæ S. Laurentii retinuiſſe, atque ita hunc Benedictum fuiſſe honorarium potius titularem Abbatem.

Ad paginam 90. adverte, quod Nicolaus V. die 8. Octob. anno 1451. D. Laurentium Juſtinianum creaverit primum Venetiarum Patriarcham. *Hiſt. Eccl. de Fleury dans ſa continuation. n. 16.*

Ad paginam 169. adverte opinionem eſſe, non judicium, quod nempe in facto veriſimilius videatur, Chriſtum in fermentato conſecraſſe: ſalvis rationibus, ſalva auctoritate, quæ militant pro adverſa communi opinione; quam imo paratus eſt autor ſequi, cum ſit conformior ſenſui tum Romanæ, tum univerſæ Occidentalis Eccleſiæ: quæ in Officio ad Feſtum Corporis Chriſti pie canit:

„ Noctis recolitur Cœna noviſſima,
„ Qua Chriſtus creditur agnum, & azyma
„ Dediſſe fratribus juxta legitima
„ Priſcis indulta patribus.

Ad paginam 189. adverte, quod etiamſi in certis regionibus, prouti in Auſtria, & in Hungaria, ſufficiat Communionem Paſchalem in quacun-

Digitized by Google

cunque Eccleſia ſumere, non ubique idem ſit uſus. Cœterum ille uſus intelligi debet, hoc ipſum fieri non invito proprio Parocho, qui alias videtur habere jus reclamandi, ſi velit. Nam verus, & ordinarius Sacramentorum miniſter exiſtit proprius Parochus.

Ad paginam 280. adverte, quod, ubi mentio fit de loco, vel quaſi loco, qui dicitur Purgatorium, *ly quaſi loco* cadat in ſenſu philoſophico. Cœterum autor etiam de Purgatorii loco ſentit, prouti ſentit Eccleſia Catholica, ſemota quacunque nova interpretatione, quam non prius eadem Sancta Eccleſia docuit.

Ad paginam 283. adverte quod Profeſſio Religioſa utriuſque partis ſolveret ipſum matrimonii vinculum, id eſt infra primum bimeſtre poſt matrimonium ratum, & nondum conſummatum.

Ad paginam 486. non poſſum non commemorare, quod monitus fuerim ab amico, homine literato, ac probo his verbis: *Communem eſſe opinionem, quod poſſeſſores beneficiorum pleno dominii jure ſuos faciant reditus Eccleſiaſticos, ita ut nulla eorum pars pauperibus debeatur, tam facile non aſſererem*. Pace tamen ejus hæc non fuit propoſitio mea; ſed alia: *Uſufructuarii ſunt Beneficiorum poſſeſſores, qui propter ſervitia fideliter præſtita pleno jure ſuos faciunt fructus, quaſi mercedem, ſalarium, ſtipendium, cum integra libertate diſponendi de illis, tamquam de re ſua. Hæc opinio communis hodie facta eſt*, ni fallor, non olim, *quæ contextu hujus ſermonis magis dilucidabitur*. Legatur pro dilucidatione totus Titulus. Ibi declaro ſatis frequenter, quod mens fundatorum debeat religioſe adimpleri; quæ non ubique eadem eſt, quantum nemo noſtrum ignorat: quod pauperibus abunde proviſis Epiſcopi, & Eccleſiæ valeant de rebus ſuis diſponere, ſed tantum in Domino: quod non utiles tantum, verum etiam neceſſarias exiſtimem eleemoſynas, quas ipſe Chriſtus tantopere commendavit, ita ut pauperum, qui ſemper adſunt, obliviſcamur nunquam: quod non raro eleemoſyna in Sacris Literis præcepta ſit ſaltem aut in genere, aut in certis ſpecialibus caſibus, prouti Theologi nulli dubitant: quod nullos abuſus intolerabiles excuſem: quod omnia probem, & ſingula ſalutaria conſilia, quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſtatuuntur, ne luxui, comeſſationibus, voluptatibus, nec non ſecularibus negotiis incumbant, ſupra quam quod recentioribus moribus probe deceat: quod Eccleſiaſtici homines, decenti victu, veſtitu, domo, famulitioque contenti, de Altari vivere, non luxuriare debeant, reliquoſque præcipue ſuperfluos Eccleſiaſticos proventus piis uſibus maxime

Digitized by Google

ximc dicare. Quæ cum ita ſint, quomodo argui poſſum, me ſentire, quaſi nulla proventuum Eccleſiaſticorum pars pauperibus debeatur? Contrarium ſcripſi, contrarium ſenſi. Puto enim hunc ſenſum facile conciliari cum Patribus, & Conciliis. Puto, quod in hoc ſenſu Beneficiati etiam juxta mentem Tridentinæ Synodi faciant fructus ſuos, tamquam uſufructuarii, non tamquam Domini: quod iidem rebus ſuis libere uti poſſint, pleno jure quidem, ſed tantum in Domino, quin pauperes juſta portione defraudentur.

Ad paginam 562. adverte, quod pie credamus cum optimis Catholicis, id eſt, rite, & ſancte credamus, Primatum Eccleſiæ apud Succeſſores legitimos S. Petri ita ſtabilitum eſſe, ut Papæ jure divino competat juriſdictio in omnes inferiores Epiſcopos, & per omnem Eccleſiam ſuam. Quæ vero fides eſt non ſolum optimorum, ſed imo omnium Catholicorum fides eſſe debet.

Ad paginam 567. adverte verum quidem eſſe, quod, ſi Papa ſolus gravem Fidei cauſam definire præſumeret, ubi Concilium Univerſale conſulere teneretur, temere ageret, & Deum tentaret: ſed hinc inferre nolo, quod teneatur *neceſſario*, *& preciſe*, verum quod teneatur *prudenter*, *& rationabiliter*. Illa enim propoſitio mea fuit hypotetica, non abſoluta.

Unde ſi quid hic dictum, factumve contra Catholicæ Eccleſiæ, & majorum Statuta, id dictum, factumve ne eſto.

Emen-

Digitized by Google

Emendanda	*Emendata*	*pagina*	*linea*
Portio	Bortio	in fine	Præfat.
Nycæna	Nicæna	10	27
CONSENTIENDÆ ELECTIONIS:	CONSENTIENDI IN ELECTIONEM	27	
Mytra	Mitra	35	35
Diæceſis	Diœceſis	43	21
ABSORTI	ABSORPTI	83	
adhoratio-tionum	*adhorta-tionum*	129	34
in meo ſanguine	*eſt in meo ſanguine*	172	15
commeſtione	comeſtione	173	18
Apoſtolicis	*Apoſtolis*	198	14
Eccle-	*reten-*	213	*ult.*
ſerit	ſert	231	15
Hipponenſem	Hipponenſes	235	32
Paroochus	*Parochus*	246	19
habuendam	habendam.	252	11
365.	360.	299	14
Memor.	*Memoir.*	307	15
l. 14. *&* 15.	*l.* 13. *&* 14.	323	
Rhangare	Rhangabe	324	12
conſtitutionet	conſtitutiones	324	24
Qua ſi	Quaſi	332	24
Vindonicenſe	Vindocinenſe	337	30
prochotrophia	ptochotrophia	356	22
oblata	ablata	383	13
annorum	annuorum	393	7
ergo	erga	395	33
negant	aſſerunt	405	10
carcere	carere	434	11
contingit	contigit	444	8
exauctoritatis	exauctoratis	---	14
exortas	extortas	447	36
SI ABRERI	SI ALTERI	480	28
occaſionæ	occaſione	507	2
quartem	*quartam*	508	27
Marianus	Mariana	524	
indicatas	*judicatas*	544	30
ergo	erga	548	37
excommmunicat	excommunicat	557	8
Memnomen	Memnonem	570	37
Euthychen	Eutychen	571	32
Coriarius	Corarius	581	6
curæ	*curiæ*	596	32
reverentes	revertentes	605	27
lepros	*leproſos*	616	4
probato	*bato*	617	1
LENOCINIUN	LENOCINIUM	618	
phræneſi	phreneſi	621	10
juvare, — vivit poſſet Deus;	juvare poſſet; -- vivit Deus;	---	35
Apelles	Apella	626	27
pœnientiæ	pœnitentiæ	631	4
valitudinem	valetudinem	639	4
mandarent, & rati haberent	mandent, & rati habeant	653	13

TITU-

Digitized by Google

TITULORUM INDEX

IN LIBRUM PRIMUM.

TITULUS	I.	De Jure Canonico, ſive Pontificio.	*pag.* 1
	II.	De Clericis.	6
	III.	De Epiſcopatu.	16
	IV.	De Veteri Electione.	17
	V.	De Recentiori Electione, & Electi Poteſtate.	23
	VI.	De Poſtulatione Prælatorum.	28
	VII.	De Confirmatione Prælatorum.	29
	VIII.	De Conſecratione Epiſcoporum.	33
	IX.	De Officio Epiſcopi.	39
	X.	De Vicario Generali.	44
	XI.	De Parochis.	46
	XII.	De Canonicis.	49
	XIII.	De Translatione, & Renunciatione Epiſcopi.	58
	XIV.	De Coadjutoribus.	64
	XV.	De Sede Vacante, & Vicario Capitulari.	67
	XVI.	De Chorepiſcopis, De Epiſcopis Titularibus tantum, De Epiſcopis aliis in partibus infidelium conſecratis.	70
	XVII.	De Metropolitanis.	74
	XVIII.	De Archiepiſcopis, & Exarchis, De Primatibus, & Patriarchis.	82
	XIX.	De Pallio.	91
	XX.	De reliquo ornatu Epiſcopi.	95
	XXI.	De Legatis Apoſtolicis.	98
	XXII.	De Cardinalibus.	101
	XXIII.	De Romano Pontifice.	106
	XXIV.	De Statu Monaſtico, & Regulari.	111
	XXV.	De Tyrocinio, & Religioſa Profeſſione.	126
	XXVI.	De Exemptionibus Regularium.	131
	XXVII.	De Devoto Fæmineo Sexu.	135

IN LIBRUM SECUNDUM.

TITULUS	I.	De Sacramentis Novæ Legis.	*pag.* 147
	II.	De Baptiſmo.	150
	III.	De Confirmatione.	160
	IV.	De Euchariſtiæ Sacramento.	167
	V.	De Euchariſtiæ Sacrificio.	196
	VI.	De Pœnitentiæ Sacramento.	214
	VII.	De Indulgentiis, & Jubilæo.	222
	VII.	De Extrema Unctione.	227
	IX.	De Sacramento Ordinis.	231

Digitized by Google

X.	De Matrimonii Sacramento.	238
XI.	De Matrimonii Contractu.	240
XII.	De Sponſalibus.	246
XIII.	De Impedimentis Matrimonii.	249
XIV.	De Impedimentis impedientibus.	254
XV.	De Impedimentis dirimentibus.	257
XVI.	De Matrimonialibus Diſpenſationibus.	276
XVII.	De Divortiis.	281
XVIII.	De Secundis Nuptiis.	286

IN LIBRUM TERTIUM.

TITULUS I.	De Calendario Eccleſiaſtico. *pag.*	291
II.	De Jejunio Eccleſiaſtico, & Abſtinentiis.	312
III.	De Dominicis Diebus, & Feſtivis.	317
IV.	De Divino Officio.	323
V.	De Eccleſiis.	327
VI.	De Reliquiis Sanctorum, De Sacris Imaginibus, De Canonizatione Sanctorum.	334
VII.	De Euchariſtiæ cuſtodia, De Sancto Oleo, De univerſa Sacra Supellectile, De uſu Campanæ.	342
VIII.	De Sacris Libris.	346
IX.	De Scholis, Academiis, Collegiis, & Seminariis Clericorum.	350
X.	De Hoſpitalibus, & aliis Locis Piis.	355
XI.	De Sepulturis.	358
XII.	De Bonis Eccleſiæ.	370
XIII.	De Fideli Bonorum Eccleſiæ adminiſtratione.	377
XIV.	De Immunitate Bonorum Eccleſiæ, & Perſonarum.	380
XV.	De Immunitate Locali, ſive de Jure Aſyli.	394

IN LIBRUM QUARTUM.

TITULUS I.	De Origine Beneficiorum. *pag.*	413
II.	De Ætate Præficiendorum.	417
III.	De Irregularibus.	422
IV.	De Collatoribus.	436
V.	De Jure devolutionis.	439
VI.	De Mandatis, Reſervationibus, & Expectativis.	443
VII.	De Concordatis Germaniæ.	454
VIII.	De Regulis Cancellariæ.	466
IX.	De Jure Patronatus.	470
X.	De Primis Precibus.	476
XI.	De Forma Proviſionum.	480

XII. De

Digitized by Google

XII. De adipiſcenda Beneficiorum poſſeſſione. 482
XIII. De Uſu, & oneribus Beneficiorum, nec non de Jure Spolii. 486
XIV. De Penſionibus Eccleſiaſticis. 497
XV. De Reſidentia. 504
XVI. De Pluralitate Beneficiorum. 511
XVII. De Commendis. 520
XVIII. De Unione, & Diſmembratione Beneficiorum. 526
XIX. De Reſignatione Beneficiorum. 530
XX. De Permutatione Beneficiorum. 538

IN LIBRUM QUINTUM.

TITULUS I. De Judicio Eccleſiæ. pag. 543
II. De Conciliis Eccleſiaſticis. 561
III. De Conciliis Oecumenicis. 566
IV. De Juriſdictione Eccleſiaſtici Judicis. 585
V. De Foro Competenti. 587
VI. De Forma Judicii Eccleſiaſtici Civili. 591
VII. De Hæreſi, Apoſtaſia, & Schiſmate. 604
VIII. De aliis grandioribus Criminibus. 611
IX. De Forma Judicii Eccleſiaſtici Criminali. 624
X. De Pœnis Canonicis. 627
XI. De Excommunicatione. 632
XII. De Suſpenſione, Depoſitione, & Degradatione. 641
XIII. De Interdicto Eccleſiaſtico. 646
XIV. De Sancto Officio, ſive de Sacra Inquiſitione. 653

Digitized by Google

INDEX SPECIALIS
RERUM, ET VERBORUM
IN LIBRUM PRIMUM.

A

ABbas Abbatum. *pag.* 116
Abba-Comes, ſeu Laicus Commendatarius. 115
Abbates infulati. 73
non raro admiſſi in Conſecratione Epiſcoporum. 34
Abbatibus Pontificalia communicata. 98
aliis collatus Cardinalatus. 104
eorum potentia, qui militiam quoque exercent. 115
Abbatiſſæ conditio. 142
Abdicatio Cœleſtini V. 63
Aerius Hæreticus. 14
Ætas Epiſcopi, Dignitatum inferiorum, & Abbatiſſæ. 26
Tonſuræ. 7
Minorum Ordinum. 8
Subdiaconi. 11
Diaconi. 12
Presbyteri. 14
Parochi. 47
velandæ olim Sanctimonialis. 138
puellæ habitum regularem hodie ſuſcipientis. 143
tam viri, quam mulieris emittentis Profeſſionem. 126
Inſtitutum Societatis Jasu. 127
Africana Diœceſis. 84
Alexandriæ mos defuncto Epiſcopo. 92
Alexandrinus. Antiochenus Patriarcha. 87
ille, ſe vocat Archiepiſcopum. 82
Ambroſius Mediolanenſis. 26
Aquilejenſis Patriarchæ origo. 89
Archidiaconorum autoritas reprimitur. 45
Archiepiſcoporum origo. 82
Archipresbyterorum munia antiquiora. 45
Auguſtinus Anglus. 18
Auguſtinus Hipponenſis. 50
Auguſtiniani Eremitæ. 121
alii Diſcalceati. 125
Auguſtus Saxo Parens, & Filius Poloniæ Reges. 23
Aurea Bulla. 24

B

Barnabitæ. 124
Baſiliani Schiſmatici. 89
alii Catholici. 125
Benedictini. 114
incertum, an S. Benedictus Ordinem Sacrum ſuſcepiſſet. 114
Benedictus XIII. invitus eligitur in Rom. Pont. 62
æquiparatur S. Cœleſtino V. 64
multos ille conſecravit etiam Titulares Epiſcopos. 74
Romæ vult celebrari Conclave etiam eo extra Urbem moriente. 110
Bernardini. 123
Bibliotheca Eccleſiaſtica Mabilloniana. 49
Bonifacius Moguntienſis. 19 - 84
Burchardus Herbipolenſis. 96

C

Camaldulenſes. 116
Canonicorum origo. 49
alii Regulares. 51
Canonici moderni, & eorum onera. 52
alii Regulares. 118
Canonici quando inceperint ſoli eligere? 21
Canoniſſæ. 140
Capitulorum origo varia. 50
Seſſiones eorum quomodo celebrentur? 55
Dignitates, & Officia. 57
antiquum jus Sede Vacante. 68
Capuccini. 125
Cardinalium origo. 101
adverſus eos vani conatus. 102
Papam eligunt. 103
eorum creatio, onus, & numerus. 104
dotes, & privilegia. 105
conditio Cardinalis Regularis. Nulli Cardinales queunt teſtari. Apertio oris. 106
Cardinalis octennis. 104
Carmelitæ Eremitæ. 121
alii Diſcalceati. 125
Carolus M. altus ſeptem pedibus. 97
Carthaginenſis Sedes. 84
Carthuſiani 116
Caſſinenſes 114
Catechiſmi neceſſitas. 49
Cenſura Librorum. 44
Chorepiſcoporum origo, & officium. 70
abrogati. 71
quaſi redivivi. 72
Chrodogangus Metenſis. 50
Ciſtercienſes. 116
Clauſura ſtricta Religioſarum Mulierum. 137
continua Diſciplina. 138
reſtituta, & confirmata Clauſura. 139
Clericorum munus. 6
dotes, & privilegia, quorum alia competunt conjugatis, non uxoribus. 15
eorum pœnæ, qui deſeruiſſent ſuas certas Eccleſias. 58
Cluniacenſes. 115
Coadjutor quomodo conſtituatur? 64
cur non detur Romano Pontifici? 67

Col-

Digitized by Google

Cœleſtini. 122
Collegiatæ Eccleſiæ obediunt Vicario etiam Capitulari. 70
Collegium Apoſtolicum 102
Commendæ Laicorum. 115
Compromiſſum. 27
Conclavis autor, & locus. 110
Concordata Galliæ, & Germaniæ. 22
Confirmatio Electi devoluta Sedi Apoſt. 29
Proceſſus Electi. 30
Confirmationis petendæ terminus. 28
Confirmatus quomodo ſe gerere debeat? Uſus in Terris Imperii. 31
Congregatio B. M. Fulienſis. S. Mauri. S. Genovievæ. 125
B. M. Domus Dei de Trappa. *ibid.*
Conſecrationis terminus, miniſter, & ritus. 33
Ritus antiquior. 34
Ritus modernus. 36
Conſtantinopolitani Patriarchæ origo, & vices. 88
ſolam fidei profeſſionem exigit a ſuis Epiſcopis. 20
Conſtitutiones Eccleſiaſticæ. 4
Conſuetudinis conditio. 3
Continentiæ lex, ſive origo Cælibatus. 10
Crucis majoris præferendæ origo. 95
Crux Pectoralis. 96

D

Delegari non omnia poſſunt Epiſcopalia munia. 44
Diaconiæ veteres. 102
Diaconorum origo, laus, ambitio, & officium in utraque Eccleſia. 12
Diaconiſſæ abrogatæ. 13
Diſſenſiones inter Innocent. II., & Ludovicum VII. compoſitæ. 20

E

Eccleſiæ ſubſunt ſoli baptizati. 5
Edictum pro Epiſcopo recens conſecrato. 36
Electio vetus. 17
Ritus Seculi V. VI. 18
VII. VIII. 19
IX. X. XI. XII. 20
XIII. XIV. 21
Appellatio Romana. Reſervationes. Concordata. Regiæ nominationes. 22
Electio recentior, libera, & de gremio. 23
qui ſint vocandi? an, & quomodo admittatur abſentis Procurator? 24
Caſus Autoris, & Electoris dotes. 25
Electio per inſpirationem, & compromiſſ. 26
per ſcrutinium. 27
Electionis conſenſus. *ibid.*
Elogium Adolphi a S. Georgio. 124
Cœleſtini Galiani. 122
Dominici Paſſionei Cardinalis. 101
Joan. Erneſti Comitis ab Harrach. 93
Proſperi Fagnani. 134
Epiſcoporum dignitas, & auctoritas, qui ſuccedunt Apoſtolis. 16
illorum dotes, & ſucceſſio perpetua. 17
olim præceſſerunt ipſos Cardinales. 102
vetus Electio. 17
recens Electio, & Electi poteſtas. 23
Poſtulatio. 28
Confirmatio. 29
Conſecratio. 33
Officium. 39
Ornatus. 95
Epiſcoporum ingens numerus Seculo IV. 74
alii Titulares electi tantum. 72
alii Conſecrati in partibus infidelium. 73
horum ingens recens numerus. 74
Epiſcopus Judex, & Doctor. 44
ſuæ adhæret Eccleſiæ. 58
unus in unaquaque Diœceſi. 64
an ei liceat Succeſſorem nominare. 65
num deſiderari, num recuſari poſſit Epiſcopatus? num fugere, num ſecedere liceat? 62
quomodo transferatur, quomodo renunciet? 58
Eſpenii interitus. 34
Exarchorum origo, quorum alii ſeculares. 83
Exemptio prima ab Epiſcopo. 116
Euſebius Vercellenſis. 50
Cæſareenſis. Nicomedienſis. 58

F

Formoſi P. fatum. 59
Fratres Miſericordiæ. 124

G

Germaniæ Electiones. 26
quomodo ſe gerat Electus. 31
Gradenſis Patriarcha primus an. 1451. ſub Nicolao V. 90
Grandimontenſes. 116
Gregorius M. in Papatu Monachus. 50

H

Hieronymitæ Monachi, alii Eremitæ. 122
Hieroſolymitani Equites. 120
Hieroſolymitanus Patriarcha. 87
Hypodiaconorum officium. 11

I

Jeſuitæ. 123
Ignis præferebatur in Oriente. 96
Juramentum novi Canonici. 57
Juramentum Electi Epiſcopi præſtant Romano Pontifici. 56
præſtant Patriarchæ Orientales. 21
Jus Divinum, & Naturale. 1
Humanum. 3
Pontificium. 4

L

Labor manualis paſſim apud Monachos deſiit. 117
apud Fratres Minores nunquam videtur in uſu fuiſſe, commendatus tamen a S. Franciſco Inſtitutore. 121
Laicus incapax Electionis, 23
& arbitrii in cauſis ſpiritualibus. 27
Legati Imper. in Electionib. Canonicis. 109
Legati Apoſtolici varii. 98
Legationum finis, & jura. 100

Digitized by Google

Legis novæ duratio ceſſante ſynagoga; & vinculum. 2
Legis obligatio, & interpretatio. 5
Libri Parochorum. 49
Liminum viſitatio. 38
Literarum neceſſitas. 117
Literæ Anteſiricianæ apocryphæ. 7

M

Madrutiana Familia extincta. 66
Martinus Turonenſis. 50
Medici officium. 118
Mendicantes. 120
primi quare inſtituti? 41
Metropolitanorum origo. 75
Diſciplina uſque ad finem Seculi V. 76
Diſciplina uſque ad Annum M. 77
Diſciplina ſequens, & cauſa moderandæ auctoritatis. 78
Diſciplina recens. 79
vetera, & nova jura. 80
Miniſtri infirmorum. 124
Minimi. 123
Minores. 121
Monachi in Oriente nati. 111
in Occidentem tranſplantati. 112
illis interdictæ, & reſtitutæ Civitates; qui, cum ab initio meri laici forent, jam in Clerum aſſumuntur, factis Epiſcopis multis. 113
Monachi ubique propagati, diſſipati, ac reſtaurati. 114
varium genus. 116
labor manualis. 117
Juriſprudentiam, & Medicinam exercent quæſtu interdicto, alias de re literaria optime meriti. 118
Monaſteria Regia exempta. 142
Mulieres Religioſæ. 135
varia Diſciplina. 137
continua Diſciplina. 138
variæ claſſes. 140
quis regat Sanctimoniales? 143

N

Nominationes Principum. 22
terminus in Gallia, & in Hungaria. 67
Normanni in Gallia. 115
Novitius quomodo valeat renunciare? 127

O

Obedientia Electi erga Metropolitanum ſuum. 34
tandem juramentum fidelitatis erga Romanum Pontificem. 37
Olivetani. 122
Oratorium Gallicanum. 124
Ordines Equeſtes. 119
Ordines Minores. 8
Ordo Calatravæ. 120
Ordo SS. Trinitatis, & B. M. de Mercede. 122
Ornatus Epiſcopi. 95

P

Pallii vetuſtiſſima forma, & origo varia. 91
forma immutata. 92
quis conferat, & cui conferatur? 93
privilegium Sedis Apoſtolicæ. Caſus ſingularis. Ritus. 94
neceſſitas, & ſignum. 95
Panis benedictus. 47
Parochi jus, officium, ætas, doctrina, & mores. 47
onera. 48
libri. 49
Parochialis Miſſa. 47
Parochiarum origo, & inſtitutio Parochorum. 46
Patriarcharum origo, concordia, & jura. 87
an aliquis Oecumenicus? novus ordo, & privilegia. 88
Schiſmatici alii. 89
ornamenta in Oriente vetera. 96
Paulini. 122
Petrus primus Epiſcopus Romæ. 106
autor Romani Primatus, quem fundavit Chriſtus. 107
Philippini. 124
Pii Operarii. *ibid.*
Pœna ejus, qui indignum aut eligit, aut poſtulat, imo ejus, qui nondum Confirmatus adminiſtrat. 28
Pontificalia. 96
ne vilipendatur uſus. 98
Poſtulatio Canonica. 28
Prædicatio Epiſcopi. 40
intermiſſa, delegata. 41
interdicta laicis. 42
Prædicatio Parochi potius catechiſmum, quam concionem redoleat. 48
Prædicatores. 120
Præmonſtratenſes. 119
Presbyteri ne ordinentur vagi, remedium. 14
Presbyteri Miſſionarii. 124
Primatum origo. 83
varium genus. 85
cur ſint erecti Primates, & a quo? 86
Profeſſio Fidei quando emittatur? 56
Profeſſio Religioſa finita Probatione. 126
ſuſpendi non debet, ſalvo Inſtituto S. J. 127
ſive tacita, ſive expreſſa. 128
modus eludendæ Profeſſionis, quæ nulla fuit ab initio. 129

Q

Quakerorum autor. 42

R

Recollecti. 125
Reformatores Religioſi. *ibid.*
Regularis ſtatus. 111
Regularium exemptiones. 131
exemptionum capita. 132
Judicium Spondani, & recens ſubjectionis exemplum. 133
Epiſcoporum præſens juriſdictio in eos. 134
ne tamen eludatur, remedium. 135
Regulæ multæ olim. 114
Religiones novæ non facile inſtituantur. 122
Religionis ingreſſus difficilis. 126
an liceat illam mutare. 129

Reli-

Religioſa Domus quomodo fundari poſſit? 131
Religioſi ejectio. 129
idea boni Religioſi. 130
Reliquiarum cultus antiquus. 96
Renunciandæ Eccleſiæ cauſæ; & an liceat Papatum renunciare? 63
Reſervationum autor. 30
Reſidentia Epiſcoporum. 39
Canonicorum. 53
Parochorum. 48
Cardinalium. 104
Romani Pontificis Primatus. 107
ſumma Vicaria poteſtas, auctoritas, & Canonica electio. 108
huic intercedunt Imperiales Legati. 109
recens ritus. 110
hic poteſt ſe abdicare Pontificatu. 63
coadjutor ipſi non datur. 67
Rupertus Vormacienſis. 77

S

Salisburgenſis Germaniæ Primas, & Legatus Natus. 86
ſolus confirmat quatuor ſuos Suffraganeos Epiſcopos. 30
hujus Eccleſiæ origo. 77
Saraceni in Italia. 115
Scholæ Piæ. 124
Sedes quomodo vacet? 67
vices, & ordo vacante Sede. 68
Semendrienſis Epiſcopatus Belgradienſi canonice unitus. 79
Servitæ. 122
Silveſtrini. ibid.
Somaſchi. 124
Sortium uſus illicitus in electionibus. 26
S. Stephanus Hungariæ Rex fundat Eccleſias Dei. 51
exemplum ſingulare Eccleſiaſticæ Diſciplinæ reliquit. 61
Succeſſores Apoſtolici Reges præferendæ Crucis privilegium ſervant. 95
Subdiaconatus olim non fuit Ordo Sacer. 8
ſicut hodie apud Latinos eſt. 9
nec olim Cælibatus erat annexus apud Latinos, nec hodie apud Græcos annexus eſt. 10
officium in utraque Eccleſia. 11

T

Templarii. 120
Teutonici. ibid.
Theatini. 123
Theſſalonicenſis ſatum. 83
Toletanus olim nominatos Regios confirmavit ſolus in Hiſpania. 29
Tonſuræ origo, & vices. 7
Traditionis neceſſitas. 2
Translationis primum exemplum. 58
conſtans Diſciplina. 59
hodie ſolus transfert Rom. Pont. 61
recens Benedicti XIII. translatio. 62
Tridentinæ Eccleſiæ Ritus in electione Canonica. 27
uſus in confirmatione, & advocatiæ origo. 32
hujus Metropolitanus Aquilejenſis. 90
Præpoſituræ origo, & præſentatio. 52
Reſidentia Canonicalis. 54
dies Capituli conſueti, & præſes. 55
Canonicus Capitularis, & Collatio Canonicatuum extra menſes Papales. 36
Capitulum recipit Profeſſionem Fidei; & hujus Capituli forma. 57
nuper Coadjutorem recuſat. 66
Epiſcopi duo Conradus, & Federicus ſecedunt. 63
hic Pallio honoratus fuit. 93
Manaſſes Ep. plures Eccleſias retinet. 60
alii recentiores Epiſcopi. 66
Trinitarii. 125
Tyrocinium. 126
Tyrolis Comes Eccl. Trident. advocatus. 32

V

Vallumbroſani. 116
Vicarii Apoſtolici. 84
Vicarii Generalis officium. 44
juriſdictio. 45
Vicarius Capitularis. 69
Viennenſis in Auſtria Epiſcopatus antiquitas. Ex Parochia circa annum 1363. fit Præpoſitura. *Roo Hiſt. Auſtr. l. 3. p. 115.* 79
Viſitator Epiſcopus. 18 - 68
Vitæ communis inſtitutor. 112
reſtaurator. 50
multis non placuit illa. 51
quam deſerunt Moniales aliæ. 141

IN LIBRUM SECUNDUM.

A

Adoptio dirimit matrimonium. 262
Adulterium dirimit. 265
aliquando neque ſeparationem cauſat. 283
Affinitas dirimit. 268
Altare portatile. 211
Amens contrahere nequit. 268
Anglorum Baptiſmus. 156
Anniverſaria. 206
Antimenſia 212

B

Baptiſmus. 150
Berengarii error, & pœnitentia. 178

C

Calvini error. pag. 214
Caſus reſervati. 221
Catechiſmi impedimentum. 255
Chriſtianorum alii Sacerdotes, alii non. 232
Clodovæi Baptiſmus. 156
Cognatio triplex. 261
Computatio Canonica. 261
Communio Infantum. 184
hæc jam nemini facile denegatur, excluſis indignis. 186
quanta præparatio? 187

quan-

quanta neceſſitas? 188
Communio Paſchalis. 189
Communio ſub utraque ſpecie. 190
Communio peregrina. 221
Conditio an dirimat matrimonium? 259
Confirmatio. 160
Conſenſus in matrimonio. 240
Cruciatæ. 222
Cultus diſparitas quale impedimentum? 265

D

Defunctorum non idem locus ; & pro quibus oret Eccleſia? 200
Miſſa pro uno Defuncto ; & Commemoratio OO. FF. 206
Dimiſſoriæ. 234
quomodo dimittendi ſubditi? 235
Diſpenſationes matrimoniales, & earum vices. 276
monita S. Bernardi. 281
Divortium. ibid.
errores proſcripti. 283

E

Error quantus vitiet matrimonium? 258
Euchariſtiæ Sacramentum. 167
figura, & materia. 168
de pane multa controverſia. 169
errores circa aquam vino immiſcendam. 171
forma 172
præſentia Realis. 173
tranſubſtantiatio. 176
cauſa adorationis. 177
publica expoſitio. 179
aſſervatur in Sacrario. 180
miſſa olim abſentibus, ab antiquo defertur ante R. P. itinerantem. 181
miniſter. 182
modus communionis ſuſcipiendæ. 183
ſubjectum. 184
Euchariſtiæ Sacrificium. 196
Eunuchi. 273

F

Fatum Mariæ Stuart. 184
Feſtum Corporis Chriſti. 178
Feſtum fatuorum. 207

H

Hermaphroditæ. 274
Homicidium quale dirimat matrimonium? 265
Honeſtas publica quæ ſit? 268

I

Idiomatis vulgaris mutationes. 213
Impedimenta matrimonii indicat Eccleſia. 249
an eadem Principum poteſtas? 250
quæ impediant tantum? 255
quæ dirimant? 257
Impos quis dicatur? 270
Inceſtus apud Gentes ; & caſus Filiarum Lot. 263
Indulgentiæ. 222
Jubilæus. 226

L

Liberi an poſſint contrahere matrimonium? 242 - 259
Ligamen dirimit matrimonium. 267
Lutheri error. 249

M

Matrimonii Sacramentum. 238
Matrimonii contractus. 240
an huic poſſint addi conditiones? 241
quid de clandeſtino? 242 - 244
remedium recens. 243
quid cum vagis perſonis? 244
quid cum Acatholicis? 248
Matrimonium dirimitur per mortem ; & per Profeſſionem Religioſam, ſi ſit nondum conſummatum. 281
quid, ſi ex infidelibus alter convertatur? ibid.
quid, ſi alter Judæus? 282
Miſſæ inſtitutio. 197
Ritus varii. 201
olim unica Miſſa. 202
origo Miſſæ privatæ, & abuſus. 203
Miſſæ variæ. 205
quæſtus illicitus. 209
quantum variaverit pietas in Sacrificio? 210

N

Nuptiæ ſecundæ, & earum vices. 286
melius aliquando eſt non nubere. 287

O

Oblatio denarii quomodo licita ſit in Sacrificio? 209
abuſus frequens. 210
Oratoria 211
Ordinatio autoris. 234
Ordinationis titulus vetus. 235
recens diſciplina. 236
Ordinationis coactæ effectus. 237
Ordinis Sacramentum. 231
Ordo dirimit matrimonium. 266

P

Pœnitentia publica. 219
quando deſiit? 221
Pœnitentiæ Sacramentum. 214
Poligamia vetita. 267
Proceſſio cum Venerabili quando incepit? 177
hinc orta expoſitio publica. 179

R

Raptus dirimit. 274
Repudium apud Hebræos. 283
apud Romanos. 284
apud Athenienſes. 285

S

Sacramenta Novæ Legis. 147
horum excellentia. 151
Sacrificia perpetua. 197
vaticinium de novo Sacrificio. 198
hujus eſſentia. 199
quo ſermone fuerint peractæ Liturgiæ? 213
exempla de multiplici Sacrificio. 208

Scoti Presbyteri error. 162
Servi an poſſint contrahere matrimonium? 259
Sponſalia. 246
ex quibus oritur aliquando actio mentitæ fidei. 248

T

Templa. 211
Tranſubſtantiatio 175
Tridentinæ Diœceſis antiquior Liturgia. 202

V

Vis quanta dirimat matrimonium? 266
Unctio Extrema. 227
olim Viatico præmiſſa, prouti hodie apud Græcos. 230
de ea errores vulgares. ibid.
exemplum ſingulare. 231
Votum ſimplex non dirimit matrimonium. 257
dirimit ſolemne. 260
VValdenſium error. 229

IN LIBRUM TERTIUM.

A

Æquinoctia duo. pag. 297
Alienatio Bonorum Eccleſiæ 378
Annus varius. 296
conciliantur Tropicus, & Julianus. 306
Aſylorum viciſſitudines. 394
Auſtriæ conſuetudo in Bonis Eccleſiæ acquirendis. 380
Autoris Propoſitum erga Apoſtolicam Sedem. 409

B

Benedictio Rerum Sacrarum. 343
Bona Eccleſiæ varia. 370
eorum adminiſtratio. 377

C

Calendarium Eccleſiaſticum. 291
Judaicum. 299
Campanæ uſus, & origo. 344
Benedictionis Ritus. 345
Canonizationis ſeries continua. 340
Cantus Eccleſiaſticus. 324
hujus inſtaurator. 325
Clerici in caſtris. 385
Cæmeteria. 362
benedicuntur. 364
Cæſaris pietas. 406
Collegia quare ſint inſtituta? 333
Confraternitates. 358
Correctio Gregoriana. 297
novæ opinionis elogium. 297 - 311
Cyclus Solaris. 300
Lunaris. 301

D

Decimæ. 371
Dies varius. 291
Dominica. 294 - 317
Dona annua. 385

E

Eccleſia primum poſſeſſa a Chriſtianis. 327
Eccleſiæ antiquæ deſcriptio. 328
dedicatio, atque conſecratio. 332
reconciliatio. 333
Eccleſiæ Romanæ dignitas. 319
Electorum S. R. I. origo. 375
Epacta. 304
Epiſcoporum in Germania potentia. 375
Epochæ variæ. 299
Exemptionum origo in Hoſpitalibus. 357
Euchariſtiæ cuſtodia. 342

F

Feriæ Eccleſiaſticæ. 294
Feſta Martyrum. 317
ſucceſſio Feſtorum. 318
abuſus, & ratio. 319
diſcrimen. 320
cujus ſit illa inſtituere? 322

H

Hæretici non ſepeliuntur in Eccleſiis. 367
Hebdomada. 294
Horarium ex aqua, & inventores Horologiorum. 293
Horæ divinæ. 326
Horologium Achaz. 292
Hoſpitalia. 355
Hungariæ Regni Lex. 379
quam non laudaſſet Juſtinianus ſuo ævo. 383

J

Jejunandi ratio. 316
Jejunia Veteris Teſtamenti. 312
Jejunia Novi Teſtamenti, & Eccleſiæ præceptum. 313
Jejunii Paſchalis antiquitas. 314
Jejuniorum varium genus, varii gradus. 315
Imaginum Sacrarum cultus. 338
Imperator Romanus an poſſit eligi non Catholicus? 375
Immunitas Bonorum Eccleſiæ, & Perſonarum. 380
Immunitas Localis. 394
Immunitas Eccleſiæ vera, ac beata. 383
Indictio triplex. 302
Inhumatio antiquiſſima etiam apud Ethnicos. 359
primi Chriſtianorum Ritus. 361
Interdicti Veneti cauſa. 380
Jus amortizationis in Gallia. ibid.

L

Libri Sacri, & eorum index: 346
Canon Judæorum, & alia nova doctrina rejecta, 347
quo ſpiritu ſint legendi Sacri Libri? 348
verſiones variæ. 349
Lingua vulgaris quare aboleverit? 326
Litera Dominicalis. 300
Lumen vulgo perpetuum. 362

M
Menſis varius. 294
Muſicæ inſtrumentalis origo in Eccleſia. 323
origo vocalis. 324
O
Officii Divini origo. 323
quod regit ſuus Epiſcopus. 327
Oleum Sacrum. 342
P
Parochiæ erigendæ modus. 331
Paſchatis cauſa. 320
Paſchatis celebrandi ratio. 321
unde pendent reliqua mobilia feſta. 322
Paupertas non contemnenda. 370
Periodus Juliana. 302
Q
Quarta funeralis. 365
R
Reliquiæ Sanctorum. 334
Roma Magiſtra perpetua. 351
hujus Eccleſiæ potentia. 374
vires. 376
dignitas. 319
S
Sabbatum Judæorum. 294
Sancti quomodo adorandi ſint? 334
quomodo Deus acceptet mediationem? 335
Sanctorum communio. 338
Scholæ variæ. 350
Semanteria Græcorum. 344
Seminaria. 353
Sepulturæ. 358
horrendus abuſus. 366
Solſtitia duo. 297
T
Teſtamenta. 373
V
Veſtes antiquæ Chriſtianorum. 343
Univerſitates. 351
Vigilii M. Templum Tridenti erectum. 362

IN LIBRUM QUARTUM.

A
ÆTas olim indeterminata Beneficiis, & ſucceſſio continua. 417
infra ætatem ordinari poteſt nemo. 434
Apoſtatæ. 427
Auſtriacorum Cæſarum merita in liberis electionibus. 456
B
Benedicti XIII. vulgo Petri de Luna viciſſitudines. 449
Beneficiorum origo, & onera. 414
variæ claſſes. 415
modi acquirendorum. 417
collatores. 436
quomodo ſit adipiſcenda poſſeſſio? 482
uſus, & onera. 486
pluralitas. 511
unio, & diſmembratio. 526
reſignatio. 530
permutatio. 528
Beneficium ſimplex vulgo defenditur. 416
Bigami. 426
C
Capita Ordinum non commendantur. 525
Capitulorum cautelæ in electione Cardinalium. 458
Capitulationes Capitulorum. 437
Cardinalium immunitas. 467-469-518
quando hi ceperint Epiſcopatus, 516
& commendas poſſidere. 523
jura in ſuis Titularibus Eccleſiis. 439
Indultum habent in menſibus Papæ. 461
Ceſſiones veteres. 531
compellendi, qui nolunt abire. 532
Clerici nequeunt intereſſe Judicio ſanguinis. 433
Collatio veteris, & moderni Cleri. 494
Collatores. 436
Commendarum origo. 520
finis Eccleſiæ. 521
diſciplina utriuſque Eccleſiæ. 522
quid ſenſerit Clemens V.? *pag.* 523
quid ſenſerit Pius II.? 524
remedium Leonis X. 525
viſitari debent. 526
Concordata Martini V. varia. 449
Concordatum Leonis X. in Gallia. 451
Concordatum Nicolai V. in Germania. 454
Concurrentes in Data. 467
Corpore vitiati. 434
Curia ubi ſit? 457
D
Degradatus quomodo tradi poſſit Curiæ Seculari? 433
Devolutionis origo, & ſeries. 440
finis. 442
Diſmembratio Beneficiorum quomodo fiat? 528
Diſpenſationes variæ in irregularibus. 427
de non reſidendo. 508
ſuper pluralitate Beneficiorum. 518
ætatis. 421
ſuper defectu natalium. 429
qui mereantur diſpenſationem S. A.? 516
fundamentum diſpenſationis. 519
diſpenſatio autoris. 520
Diſſenſiones inter Bonifacium VIII., & Philippum Pulchrum. 447
inter Gregor. VII., & Henricum IV.; inter Paſchalem II., & Henricum V.;
inter Calixtum II., & Henricum V. 455
inter Alexand. III., & Fridericum I. 456
compoſitæ inter Innocentium III., & Othonem IV.; inter Gregor. X., & Rudolphum I. 456
Diſtributionum origo. 510
E
Electiones liberæ Germanis reſtitutæ. 459
Electionum libertas ævo Caroli M. 444
quando inceperint mandata? 445
Epiſcopi titulares. 444

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus ordinarius collator. 436
  Suffraganei. 505
  alii in partibus. 514
  excuſatur a regula de idiomate. 467
Erectiones Beneficiorum quomodo fiant? 529
Executores Apoſtolici antiquiores. 446
Executores Literarum Apoſtolicarum moderni. 481

F

Facultates revocatæ. 466
Forma proviſionis varia. 480

H

Hæretici. 427
Hungaricæ Eccleſiæ ſtatus. 528
  lex de ſervis. 432
  uſus ſpolii Regii. 441

I

Illegitimi. 428
  diſpenſationis cautela. 429
Illiterati. 434
Imperator an valeat exercere primas preces in terris Proteſtantium? 476
Infames. ibid.
Infirmi tum animo, tum corpore. 435
Ingenui, ſive nobiles in Eccleſiis. 431
Inſtitutio Beneficii ad quem ſpectet? 482
Inveſtituræ Othonum, & abuſus. 455
  quare ſint damnatæ laicæ inveſtituræ? 456
Irregularitas olim unica. 422
  continua diſciplina. 423
  quando occulta crimina mitius tractari ceperint? 424
  cauſa. 425
  moderna diſciplina. 426
  quibus, & in quibus liceat diſpenſare? 436
Juramentum in admiſſione Canonicorum. 485
Jus auſpicati ingreſſus. 476
Jus quæſitum nemini tollitur. 467
Jus Regaliæ. 453
Juſpatronatus. 470

L

Laici penſionis incapaces. 500
Legati quomodo conferant Beneficia? 438
Liberti Denariales, & Chartularii. 431
Literæ Apoſtolicæ. 480

M

Monetæ Apoſtolicæ valor. 462

N

Neophyti. 426
Nobilitas, ſeu conjectura de gradibus in Germania a Canonicis certis in admiſſione probandis. 431

P

Papæ competit plenitudo poteſtatis etiam in Beneficialibus. 443
Parochiarum collatores varii. 438
Penſiones Eccleſiaſticæ. 497
  abuſus. 499
  remedium aliquod. 501
  merita, & onera. 502
Permutationes veteres, & modernæ. 538
Perſonatuum viciſſitudo. 415
Pluralitas Beneficiorum quomodo ſit introducta? 511
  Eccleſiæ finis. 513
  exceſſus. 515
  remedium. 516
  moderna diſciplina. 518
  ſumma conſiſtit in recto uſu. 519
Portio fundorum exciſa pro ſingularibus Clericis. 413
Portio ſufficiens quomodo ſit determinanda? 519
Poſſeſſionis Ritus exemplo autoris. 483
Poſſeſſor Annalis, & Triennalis. 468
Poſſeſſores Beneficiorum uſufructuarii. 486
  quomodo faciant fructus ſuos? 487
Pragmatica Caroli VI. in Gallia. 450
Præſentati ab Univerſitatibus amplius examinari non debent. 471
Primarum Precum origo. 476
  extenſio multa. 477
  nituntur preces Privilegio Apoſtolico. 478
  cui competat, & quæ ſubjaceant Beneficia? 479

R

Regalia Imperatori debita propter feuda. 460
Regula de viginti. 467-536
Regulæ Cancellariæ. 466
Renunciatio varia. 530
Reſervationum origo, & ſeries. 445
  omnium ampliſſima excuſatur. 448
Reſidendi onus, & diſcedentium cautela. 504
  ubi reſidendum? & continua lex. 505
  quare multus rigor ceſſaverit? 506
  excuſationes. 507
  frequens diſpenſatio. 510
Reſignationes variæ. 530
  arbitrium frequens Papæ. 531
  de inferioribus Beneficiariis. 532
  quomodo fuerint introductæ reſignationes in favorem? 533
  juſta animadverſio. 534
  ſtylus Datariæ. 335
  modus reſignandi, & a quibus? 536
  coram quibus? 537
Romani Pontificis ſuprema poteſtas in collatione Beneficiorum. 438
  qui in Pontificatu ſuas priores Eccleſias retinuerint? 515

S

Salisburgenſis Archiepiſcopus indultum habet in menſibus Papalibus. 461
Schiſmatici. 427
Servi. 430
  ſcandala propter ſervos ordinatos. 432
  manumiſſi ordinabantur. 431
Servitus jam extincta quoad irregularitatem. 433
  Hungariæ lex. 432
Spolii origo, & proceſſus varius. 496
Statuta jurata an poſſint mutari? 485

Digitized by Google

T

Taxæ quomodo ſolvantur in Germania? 461
Tridentinæ Eccleſiæ Jura. 488
ſpolium ſublatum an. 1695. 497
caſus ſingularis in electione Cardin. ab Harrach. 458
Decanatus prima dignitas Pontificiæ Collationis. 460
poſſeſſionis ritus in Canonicatu. 481

V

Unionum ſeries. 526
Vacationis diuturnæ incommoda. 439
Votum in Capitulo quomodo acquiratur? 420

IN LIBRUM QUINTUM.

A

Abbatiſſa non ſuſpendit. pag. 642
Abbreviatorum ars deperdita. 624
Actio Civilis contra Clericos in foro ſeculari. 546
Adulterii crimen, & pœna. 616
Alexandri V. electio. 581
Almarici error. 579
Apoſtaſiæ crimen, & pœna. 608
Arianiſmus damnatur. 568
Arianorum Regum religio. 546
Arii interitus. 571
Audientiæ Epiſcopalis etymologia. 545
Autoris affectus erga S. A. 660

B

Baſileenſis Synodi fatum. 582
Blaſphemiæ crimen, & pœna. 611

C

Captivi non debent affligi ad mortem. 630
Carceris inſtitutio. 627
uſus. 629
Caſus privilegiati. 623
reſervati. 630
Cælibatus. 568
Chriſma conficitur tempore interdicti. 650
Clericorum fori exemptio. 544
læſa interdum, & reſtituta. 545
his favet Carolus M. 546
ſynopſis illius ævi. 547
Orientis diſciplina. 548
immunitas vulnerata. 551
Occidentis viciſſitudines. 552
ſolatium. 590
Competentia Judicis. 587
Concilia Eccleſiaſtica varia. 561
Concilia Oecumenica omnia. 566
Concubinatus crimen, & pœna. 617
Conſtantini M. pietas. 544-567
Conſtantini Copronymi fatum. 576
Conſtantinopolitana Sedes. 569-572

D

Decretales ſervari debent. 585
Degradationis cauſa. 644
Delegati varii. 585
Delictum commune. 623
Depoſitionis cauſa. 644
Detruſio in Monaſterium. 629
Dioſcori damnatio. 572
Duellantium pœna. 619

E

Eccleſiæ juriſdictio duplex. 543
poteſtas, & uſus ferendæ cenſuræ. 632
Electio Canonica Seculo XII. 578
Epiſcoporum authoritas. 562
audiebantur in Synodis accuſati. 548
arbitrium in cauſis dirimendis. 544
Excommunicationis cenſura. 632
ritus apud Judæos. 633
Eutychis damnatio. 572

F

Flaviani caſus. 571
Fori variæ claſſes. 587
Friderici II. Conſtitutio contra Hæreticos. 605
Friderici II. Conſtitutio pro Clericis. 591
hic ab Innoc. IV. excommunicatur. 579
Fuſtigatio varia. 631

G

Græcorum unio. 579-580-582
multi turpiter deficiunt. 583
Gregorii Nazianzeni abdicatio. 569

H

Hæreſis crimen, & pœna. 604
Pax noviſſima Religionis. 606
Homicidii crimen, & pœna. 619
Honorius P. damnatur. 573
ejus damnatio explicata. 574
Hungariæ leges in cauſis Eccleſiarum. 557
Huſſii, & Hieronymi de Praga interitus. 581

I

Iconoclaſtæ damnantur. 575
Immunitas Eccleſiaſticæ origo. 556
Inquiſitionis Sacræ Hiſtoria. 653
Interdicti cauſa. 646
Interdictum Venetum. 651
refellitur calumnia Binghami. 652
Joannis XXIII. electio. 581
Judicium divinum varium. 549
Judicium Eccleſiaſticum civile. 591
criminale. 624
Judicium Epiſcopale. 562
Juriſdictio Eccleſiæ propria, vel aliena: præcipua in Conciliis. 561
ab initio non fuit coactiva. 545

L

Laniſtæ 620
Lenocinii crimen, & pœna. 618

Libri

Libri prohibiti. 657
Ludovicus P. pœnitentiæ addictus. 548

M

Macedoniani damnati. 569
Magiſtratibus ſubſunt etiam non Chriſtiani. 610
illi non ſe immiſceant cenſuris Eccleſiæ. 638
Martini V. electio. 581
Miſſio legitima. 561
Monachorum uſurpationes reſtrictæ. 577
Monothelitæ damnati. 573

N

Nectarius nondum baptizatus eligitur Epiſcopus CP. 569
Neſtorii interitus. 571
Nicolai V. electio. 582

O

Ordinarii Judices. 585
Ordo Prædicatorum. 654
Origenes damnatur cum tribus Capitulis. 573

P

Papa an ſit ſupra Concilium? 566
ejus Canonica electio. 578
Parricidii crimen, & pœna. 620
Paſchatis controverſia. 568
Patriarcharum ordo. 579
Photii viciſſitudines. 575
Piſanæ Synodi fatum. 580
Pœnæ Canonicæ. 627
Pœnitentia publica. 628
Primatus Rom. Pont. 562
Purgatio Canonica. 625
vulgaris. 626

Q

Quaternitatis error. 579

S

Sacrilegium. 612
Sanctionis Pragmaticæ abolitio in Gallia. 583
Schiſma Meletianum. 568
Antiochenum. 569
Avenionenſe. 581
Schiſmatis crimen, & pœna. 610
Sigiſmundi Imp. zelus. 581
Simoniæ crimen, & pœna. 615
Sortes illicitæ. 551
Superſtitio vana. 612
Suſpenſionis cauſa. 641
Symbolum Nicænum. 568
Conſtantinopolitanum. 569
additio *Filioque*. 576-582
Synodus Diœceſana. 563
Provincialis. 564
Nationalis. 566

T

Templarii extincti. 580
Torneamenta vetita. 620
Tortura atrox excludenda a Foro Spirituali. 627
Tranſubſtantiatio. 579
Tridentinæ Civitatis ſolemnis victoria. 594

V

Uſuræ crimen, & pœna. 621
Vigilius P. tandem tria Capitula damnat. 573
Vitandus quis ſit? 637

CF 005643204

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google